ALBERICI MONACHI TRIUM FONTIUM CHRONICON, È MANUSCRIPTIS NUNC PRIMUM EDITUM À...

Albericus : de Tribus Fontibus,
Gottfried Wilhelm Leibniz

Digitized by Google

10
8-G
31

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBERICI MONACHI
Trium Fontium
CHRONICON,

è

Manuſcriptis nunc primum editum

à

GODOFREDO GVILIELMO LEIBNITIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIPSIÆ,

Impenſis NICOLAI FÖRSTERI,

M. DC. IIC.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ALberici Monachi trium Fontium Chronicon memoratur à Voſſio in Hiſtoricis Latinis lib. 2. c. 46. occaſione alterius Alberici Caſinenſis Monachi & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui pro Gregorio VII Pontifice Romano contra Henricum IV ſcripſit. Hoc Chronicon, ait Voſſius, deductum eſſe ab initio Mundi ad annum uſque Chriſti D C XXVI, & extare in Bibliotheca ſ. Galli; atque unc videri Albericum, quem ſe paſſim ſequi profitetur utor Chronici magni Belgici, qui fuit Canonicus regulas prope Nuſſiam. Quæ conjectura Voſſii vera eſt, ſed cum rioribus non conſiſtit, nam ea Nuſſienſis ille Alberici auritate utitur in rebus diu poſt annum Chriſti 626 geſtis. portet non niſi partem operis priorem viſam fuiſſe illi, r quem ad Voſſium ſcriptoris hujus notitia pervenit. pud Sangallenſes inquirenti mihi nihil tale compertum . *In Bibliotheca Auguſta* quæ eſt Guelferbyti extat pars ſterior ab anno Chriſti 960. ad annum 1241, quo deſinit us. Eademque planè accepi haberi *in Collegio Pariſi- Societatis Jeſu*, quemadmodum mihi ſignificari curant doctiſſimi Viri Harduinus & Bibliothecæ Claræmonæ præfectus Tellierius. Uterque codex eſt à recen-

Digitized by Google

tiore manu, ſed *integrum antiquum & membranaceum nactus ſum ipſe*; ex quo totum Albericum dare licuit.

Scriptoris hujus autoritate paſſim utuntur viri docti: ex Gallis Andreas Quercetanus, David Blondellus, Philippus Labbæus; ex Belgis Aubertus Miræus, Chriſtophorus Butkenius, Joh. Jac. Chifletius, & alii. Quoniam magna imprimis diligentia verſatur in explicandis ſtemmatibus illuſtrium familiarum; & ſæpe verba exhibet excerpta ex ſcriptoribus, qui amplius non extant. Miræus de ipſo in Auctario ſcriptorum Eccleſiaſticorum cap. 403. *Albericus* (inquit) *Monachus Ordinis Ciſtertienſis in cœnobio trium Fontium ſcripſit Chronicon, quod in Geſtis anni milleſimi ducenteſimi quadrageſimi primi deſinit, brevi edendum, ut ſpero, ab Andrea Quercetano cum Hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium & Abbatum S. Vitoni à Laurentio Leodicenſi conſcripta, & aliis id genus monumentis antiquis.* Labbæus autem in Nov. Bibl. Mſ. *digerendis nobilium familiarum Tabulis Genealogicis perquam utilem eſſe* agnoſcit. Sed maximè adhibet commendatque Chifletius multis ſuorum operum locis, ex quibus unum adſcribere placet: *Albericus certè* (inquit) *præterquam quòd in rebus exquiſitis valde copioſus eſt, tria præ aliis habet ſingularia. Inprimis enim principum illuſtriorumque ſtemmata quam poteſt accuratè deſcribit*, quod ante illum Chronographorum præſtiterat nemo; *ac ſi in aliquibus deprehenditur erraſſe, veniam meretur in tanta rerum mole, & cognationum temporumque caligine.* Secundo *Chronicorum quæ vel incuria poſſidentium, vel ob vaſtationes regionum poſtea periêre, ſelectiores collegit*

Digitized by Google

legit locos & Chronico ſuo inſeruit, unde maximæ ipſi hanc ſunt gratiæ. Tertio *ſcriptorum qui typis editi ſunt ntentias ſaniores ex melioris notæ codicibus deſumtas tra-t.* Hæc Chiflet. in Tenneur. expenſo refut. cal. 10. nec imeritò. Sanè demto uno nondum edito ſcriptore Seli XII. qui & ipſe cognationes ſtudiosè explicuit, non emini videre, qui eo in genere paria faciat Alberico. abet etiam alia memorabilia, quale illud quod unum nunc oducam, nec niſi in ipſo, & ex ipſo in Nuſſienſi mocho legi, Fridericum Barbaroſſam, cum primum in Iiam tenderet, in frequenti prócerum Germaniæ convenconſtituiſſe, ut ſi forte tunc extingueretur Suevica ſive *Vibelingiadum* adoptivorum familia, Imperium in Henum Leonem *Guelfum* transferretur.

Ineditos autores complures citat noſter, ſed unum ne alias ignotum nominare nunc ſuffecerit, cujus verba Tim exhibentur. *Guidonem ex nobili Bazochiorum fa-ia* Cantorem S. Stephani Catalaunenſis, qui Chronicon nitio Mundi ad ſua usque tempora, mortemque Richar-Regis Angliæ deduxit, obiitque anno 1203. ubi de eo novideatur. Editos ſcriptores ex Alberico verba eorum bente non rarò poſſe emendari, notavit idem Chifle- locumque Eginhardi produxit (Lum. prærog. 13. ad 804.) ubi vulgò habetur *proprium ſuum*, cum Albericus us legerit proprium filium. Ita cum in Ottone Friſingenitur *Guegeſar*, Albericus ad ann. 1106 habet *Wiſa*- quod hodie vocant Viſet in tractu Leodienſi. Sic cumdem Ottone legatur *Cariſtallium*, Albericus ad 1136.

Digitized by Google

habet *Guaſtallum*, ut multa alia id genus præteream. Fabuloſos autores atque etiam *Cantores* (ut ipſe vocat) id eſt poëtas ſecutum aliquando pro ſeculi more, nemo vitio vertet. Oſtendit tamen non rarò, judicio interpoſito, plura à ſe transſcribi quam credi.

Viros doctos quoque & eorum ſcripta paſſim memorat. Notabilis eſt locus *de Hugone à ſ. Victore* ad ann. 1130, ubi eum ab aliis Hugonibus diſtinguens, *de Saxonia natum dici* ſcribit, antiquior plerisque omnibus quod ſciam aliis, qui extant, idem dicentibus, & adhuc antiquiorum haud dubiè autoritatem pro more ſuo ſecutus; ut adeò fortaſſe *Roberto* Abbati *de Monte* S. Michaëlis opponi poſſit, qui tr. de Abbatibus & Abbatiis cap. 5 Magiſtrum Hugonem Lotharienſem appellat, quemadmodum alius à Mabillonio viro inſigni in Analectis productus Flandrum Iprenſem, Hartmannus Schedelius Gallum. Sed pro Saxonia patria ſtant *præter Albericum Johannes à S. Victore*, Gobelinus Perſona, Rolevinckius, Engelhuſius, *M. Hermannus Cornerus*, Trithemius, Paulus Langius, eademque eſt ſententia communis recentiorum, noſtrorum pariter exterorumque. Certè *in monaſterio Hamerslebienſi* ſui ordinis id eſt Canonicorum regularium S. Auguſtini ſeſe aliquando vixiſſe indicat ipſe Epiſtola ad Fratres in Hamersleve *libro de arrha animæ* præfixa. Ab eo qui operum editionem procuravit anno 1648 duo afferuntur loca notatu digna, unus eſt Anonymi Monachi Gemeticenſis, alter Johannis à S. Victore. Porro *Gemeticenſis Monachi* hæc *verba* ſunt: *Eo tempore*, quo ſcilicet ordo Ciſtercienſis & Carthuſien-

Digitized by Google

thuſienſis fuere creati, *Magiſter Guillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Pariſienſis, vir admodum literatus & religioſus, aſſumens habitum* Canonici *regularis, cum aliquibus diſcipulis extra urbem Pariſienſem in loco, ubi capella quædam erat S. Victoris martyris, cœpit monaſterium ædificare Clericorum. Aſſumto autem illo ad Epiſcopatum Catalaunenſem, venerabilis Gilduinus diſcipulus ejus primus Abbas ibi factus eſt; ſub cujus regimine multi Clerici nobiles ſecularibus & divinis literis inſtructi, ad iſtum locum habitaturi convenerunt: Inter quos Magiſter* Hugo *Lotharienſis* ſic dictus à confinio Saxoniæ, *& ſcientia literarum, & humili religione maximè efflоruit. Hic multos libros edidit, quos, quia vulgò habentur, non oportet commemorare.* Hæc monachus iſte, quæ pene totidem verbis reperiuntur apud Robertum de monte loco ſupra citato libri de Abbatiis, niſi quòd omiſſa verba maximè ad rem facientia: *Sic dictus à confinio Saxoniæ*, & quod Abbas *Geldoinus* vocatur. Alter eſt locus *Johannis de S. Victore* in memoriali Hiſtoriarum ad ann. 1117. ubi hæc verba: *Hugo fuit* Saxonicus genere & ortu, præpotenti parentela, *adduxitque apud S. Victorem* avunculum ſuum, Hugonem, *cujus ſumtibus ferè tota ædificata S. Victoris Eccleſia.* Autor *vitæ Hugonis S. Victoris* plura adhuc & diſtinctiora addit neſcio unde, quæ ita habent: *Hugo de S. Victore*, illuſtri apud Saxones genere ortus... *teneriorem puerorum cum impleſſet ætatem, in diœceſi* Halberſtadenſi *traditus eſt* Monaſterio S. Pancratii, *ut ab ejusdem canonicis regularibus inſtitueretur.... Ubi decimum octavum ætatis annum attigit, ſeculi fugam meditari cœpit, id communicat* patruo

truo *Hugoni* (Joh. à S. Victore avunculum vocaverat, sed hæc vocabula Galli inprimis sæpe confundunt, quibus *oncle* uterque) *Halberstadensis Ecclesiæ* Archidiacono, *qui statim in ejus consilii partem venit. Ambo igitur pares animis patria excedunt .... in manus Gilduini Abbatis S. Victoris primi vota emittunt, sanctique Augustini regulam profitentur. Tunc præterpropter annus erat Domini millesimus centesimus decimus quintus.* Narraverat autem ambos Massiliam profectos reliquias quasdam S. Victoris inde ad Parisios attulisse.

Extant duæ Epistolæ nondum editæ, una Borchardi Episcopi Halberstadensis data in Gronyngen, altera Friderici Archiepiscopi Magdeburgensis data in Magdeb. ambæ scriptæ anno 1456. ad Capitulum generale ordinis Canonicorum regularium in Windesem congregatum, quibus commendatur monasterium S. Pancratii in Hamirsleve. Burcardi verba sunt: *Et hoc potissimè contemplatione illius eximii & insignis viri* Hugonis de S. Victore, *qui in dicto monasterio* Hamersleven *religionis habitum* & prima elementa regularis vitæ suscepit. *Qui talis & tantus fuit, ut in ordine vestro & tota orthodoxa religione Christi etiam mortuus quam plurimum celebretur & sepultus gloriosè vivat, ita ut* alter Augustinus *nominetur. Ita ut ipsius duntaxat respectu agendum esset quod postulamus. Quam plures etenim sunt apud nos, qui amore tanti Viri ad monasterium ipsum singularem inclinationem tenent &c.* Friderici verò verba hæc sunt: *Scripsimus præteritis diebus devotionibus vestris de statu* monasterii S. Pancratii in Hamersleven Halberst. dioces. *ordinis vestri, unde ille præclarus* Hugo

Digitized by Google

Hugo de S. Victore *toti orbi venerabilis ortum duxit.* Si Saxonem & illuſtri ſtirpe, vel (ut Joh. à S. Victore ait) præpotenti parentela natum ſtatuimus, ſatis veriſimile eſt, *ex ſtirpe Comitum de Blankenburg & Regenſtein* proceſſiſſe. Uti *Henricus Meibomius ſenior*, judex harum rerum peritiſſimus, vel ex notitiis quibusdam ſuis, vel, ut ſuſpicari licet, fide Chronici Manuſcripti Halberſtadienſis à Johanne Winnigſtadio compoſiti ſcripſit. Chriſtianus Paulinus vir in his ſtudiis & ipſe cum laude verſatus aſſentitur, & ubi de Hugonis patria diſquirit (libro Germanice conſcripto lectionum utilium & jucundarum) notat Winnigſtadium omnia ſua hauſiſſe ex Chronico alio Halberſtadenſi Martini Rehbock, Monachi Corbejenſis, Præpoſiti Groningenſis. Simul tamen indicat de familia Hugonis apud Rehbockium nihil haberi. An forte Winnigſtadii Codicem conſuluit defectu hoc loco laborantem? Nam primum Meibomium hæc de Blanckenburgiis ſcripſiſſe addit. Sanè vicini *Hamerslebio* erant Comites iſti & Monaſterium S. Pancratii illic *ſtruxit Reinhardus Epiſcopus.* Extat libellus ineditus de fundatoribus Monaſterii Reinhauſani in principatu Gottingenſi vel Northemio à primo Abbate conſcriptus circa annum 1100, ubi Poppo Comes in Blankenburg vocatur nepos (incertum ex fratre an ſorore) Reinhardi Epiſcopi Halberſtadenſis. Quod ſi ergo Hugo Blankenburgius fuit, credibile eſt fuiſſe Popponis filium, vel ſi malis fratrem nepotemque adeò Reinhardi. Et, ſi vera ſunt quæ de Hugone Halberſtadenſi Archidiacono memorantur, potuerit is Reinhardi Epiſcopi ſui eſſe frater. Hugonis nomen me male habet, minus uſitatum tunc Saxo-

 nibus,

Digitized by Google

ſibus, niſi Heginonem dictum malimus & noſtrum & avunculum, quod Galli flexerint in notiorem ipſis Hugonem. Sed cur *Lotharienſis* dictus Hugo, & cuidam creditus Flander? an quia in his oris aliquamdiu egit, antequam Gallos adiret, & à Lotharingia in Galliam venit? Quod Gemeticenſis Anonymus *de Saxoniæ confinio* addit, velut ad conciliationem cum recepta de Saxonica origine ſententia pertinere videtur; etſi enim Lotharingia hodie non habeatur confinis Saxoniæ, olim tamen fuit, quando hæc non Oſtfalos tantum ſed & Angarios & Weſtfalos comprehendebat, & nunc quoque circulus Weſtfalicus longè porrigitur. Ut taceam Gallorum quorundam more omne Franciæ Orientalis ſeu Germaniæ Regnum, inde ab Ottonum temporibus Saxoniæ nomine deſignatum, ut Glabro & Wilhelmo Gemeticenſi, qui Henricum III. Regem filium facit Cononis Saxonum ducis, Conradum Salicum intelligens. Ego etſi de patria & ſtirpe Hugonis à S. Victore nihil adhuc certi pronuntiare auſim; magis tamen in ſententiam jam dudum receptam inclino. Et parum veriſimile mihi quoque videtur, Lotharienſem aut Flandrum illuſtri ſtirpe natum adoleſcentem ex remotis locis ad tenue ac recens ſtructum loco obſcuro Hamerslebienſe Monaſterium miſſum fuiſſe, avunculumque ſimul Halberſt. Archidiaconatum tenuiſſe, niſi Reinhardo Epiſcopo fundatori aut vicinos, aut cognatione propinqua junctos fuiſſe ponamus. Interea iſta veritati penitiùs indagandæ fortaſſe aliquando profutura addere illis volui, quæ V. Cl. *Henricus Meibomius junior* pro ſolita eruditione ſua dixit in peculiari diſſertatione operibus Hiſtoricis & avitis & ſuis adjecta,

gitized by Google

adjecta, qua Mabillonianæ objectioni circa Hugonem pro avi ſententia reſpondet; me occaſionem præbente, qui locum celeberrimi Mabillonii indicaram.

Sed ab hac digreſſione ad *Albericum* revertor. Ejus Opus in Codice Bibliothecæ Auguſtæ inſcribitur: *Alberici monachi trium fontium* diœceſis Leodienſis *Chronicon*; ex conjectura opinor Viri docti. At Codex Claræmontanus apud Pariſios habet: *Diœceſis Catalaunenſis* forte ex Bibliotheca Ciſtertienſi Caroli de Viſch. In Leodienſi tamen diœceſi vixiſſe judico, & mecum judicabit credo quiſquis librum leget: uſque adeò multa habet & minuta circa res Leodienſes, Hoienſes & vicinas. De Imperio etiam Germano fuiſſe potius quam Franco Gallum, ut vocat Chifletius, aliqua indicare videntur.

Antequam finiam, paucula annotabo adjicienda præfationi prioris Acceſſionum Hiſtoricarum voluminis. Nimirum legendum *in Chronographo Saxone* non vnicam (ſeu veronicam) ſed tunicam domini, de quo prius dubitaveram, didiciſſe me ex Chronico S. Medardi Sueſſionis ad annum 590, ubi habetur tunc tunicam domini integram fuiſſe repertam in arca marmorea. Sed ne quid inde decedat ſententiæ doctorum virorum, à quibus oſtenſum eſt, *veronicam* nihil aliud olim habitam, quàm veram icona Domini, poſſum in compenſationem dare locum antiqui Chronici Germanici nondum editi, quod itidem diſertè habet imaginem ipſam Chriſti dictam veronicam. De Autore libri *Geſta Trevirorum* inſcripti à me primum editi, judicium ſuſpenderam illic; nunc re amplius conſiderata Goldaſto aſſentior, Golſcherum fuiſſe S. Matthiæ apud Treviros Monachum.

Digitized by Google

nachum. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi citat *Theoderici* Monachi *Hiſtoriam Trevirorum*, *Golſcheri* Monachi *Geſta eorundem*. Idem in Catalogo illuſtrium virorum Germaniæ dicit: Golſcherum Monachum S. Matthiæ apud Treviros Geſta Trevirorum libro uno ſcripſiſſe. Brovveriana quoque Annalium Trevirenſium proparaſceve duos diſtinguit ſcriptores, Golſcherum Monachum S. Matth. Ord. S. Bened. & Anonymum, qui Annales Trevirenſes Cunoni Epiſcopo dicavit. Quibus conſideratis, cum in diverſis codicibus libellus à me editus inſcribatur *Geſta Trevirorum*, aliaque conſentiant, Golſcherum autorem vix dubito. Sed quæ à Dacherio Spicilegii Tomo XII. edita eſt *Hiſtoria Trevirorum*, fuerit credo Theoderici, cui tali inſcriptione librum etiam tribuit Trithemius à Geſtis Golſcheri ſolicitè diſtinguens. Et hunc Dacherio anonymum vel potius non animadverſum eundem eſſe ſuſpicor cum Anonymo Brovveriano, etſi diſſentiat ipſe Dacherius, eo argumento, quod Cuno Archiepiſcopus cæſus ſit anno 1066. At Dacherianus Codex finit anno 1122. Sed Cunoni Archiepiſcopo vix quisquam Trevirenſium Monachorum potuit dicare librum, qui in ipſo aditu infulæ fuit occiſus, nec unquam ad poſſeſſionem pervenit. Puto igitur pro Cunone legendum fuiſſe Brunonem, ita omnia conſentiunt, nam in hoc finit autor Dacherianus. At Golſcherus à me editus longius procedit, & licet pleraque Theoderici retinuerit, multa tamen adjecit, ut opus pene creverit in duplum. Quæ indicanda putavi, ne quis porro ne conſpecto quidem Dacherio de re ſibi incomperta temere dicat, Geſta Trevirorum noſtra jam in Dacheriano Spicilegio prodiiſſe.

)o(

Digitized by Google

Incipit Cronica Alberici Monachi trium fontium Leodienſis dijoceſis.

ANni mille ſexcenti qvinqvaginta qvinqve, qvi ſunt à creatione Adæ usque ad diluvium ſecundum hebraicam veritatem & beati Hieronymi translationem, ſic colliguntur: Adam cum eſſet annorum CXXX, genuit Seth. Seth cum eſſet annorum CV, genuit Enos. Enos annorum XC genuit Chainam, Chainam annorum LXX genuit Malaleel, Malaleel annorum LXV genuit Jareth, Jaret annorum CLXII gnnuit Enoc, Enoc annorum LXV genuit Mathuſale, Mathuſale annorum CLXXXVII genuit Lamech, Lamech annorum CLXXXII genuit Noe. Junge ad DCXXXII habes MLVI & anno LX°. Noæ factum eſt diluvium. A diluvio usqve ad annum in qvo dixit Deus ad Abraham, egredere de terra tua & cognatione tua, ſunt anni CCCLXVI qvi ſic colliguntur: Sem filius Noe genuit Arfaxat biennio poſt diluvium. Arfaxat annorum XXXV genuit Sale, Sale annorum XXX genuit Heber, qvi annorum XXXIIII genuit Falech, qvi annorum XXX Reu, qvi annorum XXXII genuit Sarach, qui annorum XXX genuit Nachor, qvi annorum XXIX genuit Thare, qvi annorum LXX genuit Abraham, & Abraham LXXV annorum egreſſus eſt de Aran. Itaque habemus à diluvio usque ad annum repromiſſionis, annos CCCLXVI & unum qui ſupereſt adjungimus ſummæ ſeqventi. Summa tota à principio mundi usqve ad annum repromiſſionis IIMXXII. Et exinde usque ad nativitatem domini continentur in Cronica Euſebii anni IIMXVII. De annis qvi ſunt à repromiſſione usque ad exitum filiorum [Iſrael] de Ægypto qvando lex data eſt iſta eſt validiſſima auctoritas in beati Pauli Apoſtoli epiſtola ad Galatas, qvæ poſt CCCCXXX annos facta eſt lex, non irritum

Cyri. Nos autem ſecuti auctoritatem Joſephi & Affricani, cujus ſententia continetur in Jheronimo ſuper Danielem, ubi agitur de ebdomadibus, auctoritatem etiam ipſius Jheronimi & Bedæ & Scolaſticæ hiſtoriæ, indubitanter dictos LXX annos recipimus. Et ita ponimus à deſtructione templi usque ad incarnationem Domini annos DCXXXIIII ſecundum auctoritates & conſequentias quas in ſuis locis invenies. Summa tota à principio mundi usque ad incarnationem Domini anni IIIIMXLIX uno minus, qui unus benè ſubintelligitur in minutiis non plene determinatis. Voluerunt amici noſtram opinionem habere ſuper iſtis, & qui voluerit contradicere, parati ſumus pro poſſe noſtro reſpondere. Et quia cronica Euſebii usque ad nativitatem Chriſti continet annos IIMXIII, ipſam Cronicam decrevimus *ad prædictam* ſummam noſtram adaptare. Quod verò LXXIIII annis & antiquius ponimus nativitatem Abrahæ quàm Euſebius & ſecundum hoc cætera omnia quæ ſequuntur ordinavimus, hæc eſt tota vis propter quam laborem iſtum de annis ita ſubtiliter calculandis aſſumſimus. Propter quæſtionem quæ erat inter paganos & Chriſtianos qui fuerint antiquiores, Moyſes & Prophetæ noſtri an gentium philoſophi; & de ſapientia quam iſti acceperant ab illis facta fuit cronica Euſebii, & propter aliam quæſtionem inter eosdem periculoſiorem ſcripſit Auguſtinus librum de civitate Dei & Oroſius hiſtoriam ſuam.

Anno L. ætatis Phalec * dicit Philo ex tribus filiis Noæ eo vivente nati ſunt XXIIII milia virorum & centum, extra mulieres & parvulos. Nemroth filius Chus filii Cham regnavit ſuper filios Cham, Jectan ſuper filios Sem, Suffene ſuper filios Japhet. Anno L° ætatis Phalec Reu filii ſui XX turris ædificatur. Abhinc poſt diluvium & diviſionem linguarum quatuor principalia regna ſurrexerunt in terra: primum Scytharum ab aquilone tempore Saruc, ubi primus regnavit Thanus, à quo fluvius Thanais denominatur. Scithæ fuerunt de Japhet, à quibus poſtea deſcenderunt Troiani & à Troianis Romani & Franci & multi alii. Secundum regnum Ægyptiorum à meridie ubi

primus regnavit Zoel sive Mineus. Tertium regnum principale Assyriorum ad orientem cæteris excellentius similiter de Cham & ex parte de Sem. Quartum regnum Sciciniorum [f. Sicyoniorum] ad occidentem in insula moncionis dicitur fuisse de Sem. De Sem namque fuerunt non solum Judæi sed & Medi & Persæ & Græci, De Cham Assyrii & Ægyptii & Chananæi. De Japhet Scithæ & Troiani, Romani & Franci. Item de Sem gentes XXVII, de Cham XXX & de Japhet XV.

Aliter Arnobius Rhetor: De Sem fuerunt gentes CCCC VI. in linguis XXVII. De Cham gentes CCC XCIIII, in linguis XXII, De Japhet gentes CC, in linguis XXIII.

Assyriorum primus regnavit Belus annis LXII, cui successit Ninus filius suus annis LII, huius anno primo Abraham nascitur. Assyriorum tertius regnavit Semiramis annis XLII; huius anno quarto Treveris fundata est ante Romam conditam M CC LII. Ninus, de quo diximus superius, Zoroastem magum Bactrianorum regem qui dicitur fuisse Cham filius Noæ cepit & interfecit. Item Ninus fuit Nemrot filius Chus.

Anno CCXLVII & ante urbem conditam M LXVIII fames fuit in Ægypto: in obitu Joseph habuit finem liber Geneſis.

Anno Moysi LXXX factæ sunt decem plagæ in Ægypto & exitus filiorum Israel. ☞ A Nino anno CCCC LXIX & ante urbem conditam DCCCCXXXVII. Josue præfuit filiis Israel annis XXVII. Circa primum annum Lampares qui regnavit Assyriis XXX annis, cepit regnum Latinorum & CXLIX ante destructionem Troiæ, in quo primi regnaverunt Janus Saturnus, Picus, Faunus, Latinus. ☞ Primo anno Samuel incipit sextus liber Joseph. Et primo anno David septimus continens annos XL. Eodem anno incipit liber Regum secundus. Anno XIIII David natus est Brutus, & XXVIII patrem suum interfecit. ☞ Anno XL regni David cepit regnum Britonum in quo primus regnavit Brutus annis XXIIII, post David regnavit Salomon annis LXXX. Hujus primo anno liber Josephi incipit

octavus

Digitized by Google

octavus continens annos CLXIII. ☙ Britonum Locricius annis X, cui ſucceſſit Guendolena annis XV, Britonum Maddan annis XL, cui ſucceſſit Mempricius annis XX, poſt quem Ebraucus annis XL, Britonum Brutus viride ſcutum annis XVI, poſt quem Lier annis XXV, poſt quem Ruthudibras annis XXXIX, poſt Bladuch annis XX, poſt Lier annis XL, cui ſucceſſit Cordeilla annis quinque, poſt quem Margan annis duobus, cui Cunedagius annis XXXIII, cui Rivallo annis XIIII, huc usque regnum Britonum. Joſias regnavit ſuper Judam annis XXXI: hujus anno XIII Jheremias exorſus eſt prædicare, & XV° cepit Nechao regnare ſuper Ægyptios annis VIII & XXIII° poſt Nechao regnavit Pſammeticus annis XLIIII. Quomodo ergo ſtare poteſt quod Joſyas occiſus fuerit à Nechao rege præcedenti, cum poſt mortem ipſius Nechao regnaverit adhuc IX annis, quibus regnavit ſuper Ægyptios Pſammeticus. Solutio: Nomen ſuperioris ſcilicet Nechao à divina ſcriptura imponitur ſequenti videlicet Pſammetico, ut de Decio legitur qui occidit beatum Sixtum, qui poſt mortem illius præfuit eccleſiæ Romanæ annis X & attribuitur Valeriano & dictus eſt Valerianus Decius. ☙ Anno primo Cecrops regis Macedonum Jechonias poſt transmigrationem Babylonis genuit Salatiel, qui cum eſſet annorum XVI genuit Zorobabel, qui cum eſſet annorum LII genuit Abiud, qui XV annorum genuit Elyachim, qui XXI annorum genuit Azor, qui L annorum genuit Sadoch, qui XXIX annorum genuit Achim, qui XLIX annorum genuit Elyud, qui XLIX annorum genuit Eleazar, qui XLIX annorum genuit Mathan, qui XLIX genuit Jacob, qui XLIX genuit Joſeph.

Anno primo XXXVI Olympiadis qui erat Sedechiæ II, Daniel incipit. Anno ſecundo XXXVIII Olympiadis Nobugodonoſor Jeruſalem deſtruxit & templum combuſſit.

☙ Quæſtio validiſſima de LXX annis hic eſt ponenda, ergo III anno hujus Olympiadis LXX annus incipit, & perdurat usque in primum annum Cyri, qui cæpit anno IIIILV Olympiadis & ab anno primo Cyri liber Esdræ incipit & Daniel terminatur. Anno III

Digitized by Google

XXXV Olympiadis fuit XI Joachin & primus transmigrationis. Tertius anno transmigrationis Daniel prophetare cepit & V Ezechielis. Annus III XLI Olympiadis fuit annus captivitatis, poſtquam percuſſa eſt civitas & transmigrationis XXV. Huc usque pertingit Ezechiel propheta. Hiſtoria Judith Lyſub Cambiſe proſcribitur. Olympias LXXIX Artaxerſes Longimanus, qui & Aſſverus regnavit annis XL, hujus anno III° hyſtoria Heſter incipit. Quod enim ſub Longimano & non ſub Memnone facta ſit hyſtoria heſter, duæ de eodem libro approbant auctoritates, una quod ille regnavit ab India usque Æthyopiam quod alius non fecit, alia quod Mardocheus fuit de prima transmigratione, qui usque ad hæc tempora vixit, tertia eſt ipſe Joſephus. Olymp. LXXXI Judas pontifex XXV. Olymp. XCI anno IIII incipiunt Danielis ebdomadæ ab anno XX Artaxerſis, id eſt . . . . . regni Perſarum; quo anno egreſſus eſt ſermo ab ore Regis ut reædificaretur Jeruſalem ad preces Neemiæ, Eſt autem ebdomada VII annorum. Annus II LXVII Olympiad. fuit primus annus conſulum. In eodem anno pontifex conſtituitur annis XXVI Joachim, poſt quem Helyaſib annis XXXII, cui ſucceſſit Judas in pontificatu annis XXV. Poſt quem Johannes annis XLIII, cui Jaddis annis L, cui Onias annis XVII, cui Simon Juſtus annis XXI, cui Eleazarus annis XVIII, cui Manaſſes XXXI, cui Onias novem, cui Symon XII, cui Onias XXVIII, cui Jaſon impius annis XXXI, cui Onias vel Menelaus IX. Hujus anno VII Joachim qui & Alchimus pontificatum obtinuit annis IIII, cui ſucceſſit Judas Machabeus annis III, cui Jonathas annis XVII, cui Symon frater ſuus annis XXXI, cui Jonathas Hyrcanus annis XXXI, cui ſucceſſit Ariſtobulus anno primo CLXIX Olymp. anno uno, poſt quem Alexander frater eius annis XXVII, cui ſucceſſit uxor ejus Alexandra cum filiis annis IX, cui Ariſtobulus annis III, cui Hircanus annis XXIX, cui Herodes ſub quo Dominus natus eſt.

Anno XX. Conſulum, CCC Fabii nobiles occiſi & LXI Conſulum anno decemviri conſtituti & CXXII Senones Galli ſub Brennio & Belio Romam invaſerunt & CXXXV Camillus Conſul & CXL VIII Quintinus Dictator.

Anno

Anno ſecundo CVIII Olymp. Artaxerſes qui & Achus pulſo Nectanebo Rege Ægypti recuperavit Ægyptum, Qui Nectanebus ſi verum eſt quod ſcribit Salinus iam acceſſerat ad matrem Alexandri, Abhinc ſic ſcribendum eſt, Perſarum Artaxerſes Achus annis XXV, qui anno XVIII regni ſui expulit Nectanebum, qui jam regnaverat in regno Ægypti annis XXIX. Et ſic ab hoc anno intitulatur Perſarum & Ægypti Artaxerſes Ochus, cui ſucceſſit Perſarum & Ægypti Arſes vel Perſes annis XLIII, cui Perſarum & Ægypti Darius, hic anno regni ſui ſexto ab Alexandro magno ſuperatus & translata eſt monarchia ad Alexandrum.

Anno Conſulum CLXXXI Papirius Conſul Romanorum habetur.

Anno IIII CXIII Olymp. obiit Alexander Magnus, qui regnaverat annis XII, menſibus VII, cuius pater Philippus regnavit annis XXVI.

Anno poſt mortem Alexandri magni XIII Olymp. CXVII anno primo incipit primus annus regni Græcorum in Syria. Lege libros Machabeorum & invenies omnia conſona.

Anno conſul. CC XIX mortuus eſt Rex Pyrhus Romanorum adverſarius. Anno conſul. CC XXXIII incipit primum bellum punicum Romanorum contra Karthaginem, quod per XXII annos perduravit. Anno conſulum CC XLIIII Manlius & Regulus conſules.

Anno ſecundo CXXXIII Olymp. Syriæ & minoris Aſiæ regnavit Antiochus magnus annis XXXVI. Circa hoc tempus liber Eccleſiaſticus ſcribitur à Jehu filio Syrach, cum ipſe dicat in prologo, quod XXXVIII anno tempore Evergetis deſcendit in Ægyptum.

Anno Conſulum CCXCI, Publius Cornelius Scipio conſul. Anno conſulum CCXCIIII incipit ſecundum punicum bellum annorum XIX. Anno primo CXLI Olympiadis diris prodigiis Roma territa eſt. Anno conſulum CCXCVII Fabius Maximus dictator. Julius Æmilius poſtea & poſt Varro, Anno conſulum CCC & XI Livinus & Marcellus, & ſequenti anno Claudius Nero & M. Livius Salinator.

Anno

Anno Conſulum ccc xv Scipio Africanus Conſul & in ſequenti anno fuit finis belli punici ſecundi. Anno Couſulum cccxxiiii Olymp. cxlviii anno primo regnavit Syriæ & minoris Aſiæ Seleuchus Phil. annis xii. huius regni anno vii Elyodoro deOnia & de Jaſone impio *. Poſt Seleuchum regnum Græcorum in Syria & Aſia anno cxxxvii ſecundum Machabæorum hiſtoriam tenuit radix peccati Antiochus, qui dictus eſt Epiphanes annis undecim.

Anno cxxxiii Olymp. cl ii anno III Antiochus VII anno regni ſui percuſſit Ægyptum, & exinde Jeruſalem in armis cepit & templum ſpoliavit & polluit. Quo tempore Onias pontifex fuit occiſus & Jaſon impiiſſimus poſt multa ſcelera fugit & peregre mortuus eſt. De prædicto autem Menelao, quod fuerit ſecundum quosdam frater prædicatorum Oniæ & Jaſonis, qui poterit concordet ad ſecundum librum Machabæorum, ubi dicitur quod iſte Menelaus & quidam Liſimachus fuerunt fratres Symonis dilatoris, filii vero Oniæ. Junior Onias fugiens in Ægyptum aliud in Elyopolim condidit templum.

Anno cxlv ædificavit Antiochus idolum abhominationis in templo Jheroſolimis. Sequitur martirium Eleazari & ſeptem Machabeorum fratrum cum matre, Et ſurrexit Mathathias & zelatus eſt legem Dei.

Anno cxliiii Mathathias vir iuſtus obiit & Judas Machabæus ſurrexit & adiuvabant eum fratres ſui.

Anno cxlvii Antiochus ab Antiochia exivit & in Perſide pecuniarum cauſa ſeceſſit.

Anno cxlviii Liſias poſtquam devictus fuit, quasdam pactiones pacis cum Machabæis fecit.

Anno cxlix Antiochus [poſt] reditum à Perſide miſerabiliter interiit, Machabæi interim templum mundaverant & aliud altare iam erexerant, Succeſſit in regno Antiochus antipater filius ſcil. ann. z. Menelaus verò dampnatione cineris interiit. Judas Machabæus contra Nichanorem anno ſequenti bellum memorabile geſſit : Et huc usque narratio ſecundi libri Machabæorum pertingit, primus enim

eſſe

esse deberet in narratione, sed secundus est auctoritate & novissimè scriptus.

Anno CLI. Demetrius Seleuci filius regnavit, cujus jussu Antiochus Aupator & Lysias fuerunt occisi, & Alcimus impius ad eum venit.

Anno CLII. Judas Machabæus occiditur.

Anno CLIII. Jonathas loco Judæ surrexit Olymp. CLV anno primo per annos XVII.

Anno CLX Antiochi filius Alexander in Ptolemaide quæ Acca dicitur contra Demetrium regnare cepit.

Anno CLXII Nuptiæ Alexandri cum filia Ptolemæi regis Ægypti.

Anno Consulum CCCLXI tertium Punicum bellum incipit, quod in quatuor annis fuit consummatum.

Anno regni Græcorum CLXV Demetrius filius Demetrii contra Alexandrum regnum invasit.

Anno Consulum CCCLXIIII Scipio Africanus tertium bellum Punicum finivit & Carthaginem delevit anno à conditione sua DCC.

Anno CLXVII occisus est Alexander & caput eius est allatum Ptolomæo, & Rex Ptolomæus multum inde gavisus die tertia obiit.

Anno CLXIX Jonathas dolo Triphonis occisus est.

Anno CLXX ablatum est iugum gentium anno primo sub Symone Sacerdote magno.

Anno CLXXII captus est Demetrius ab Arsacide Parthorum rege. Eodem anno Romani cum Symone fœdus innovarunt. Lucius Consul Romanorum & cæteri.

Anno quarto CLX Olymp. ultimus Rex Macedonum Perses à Romanis victus est. Iste fuit triumphus ab Aquilone.

Anno CLXXVII Symon occubuit.

Anno CLXXVIII. Epistola secunda in principio secundi libri Machabæorum. Karthago post XXII annos suæ destructionis permissa est reparari.

Anno Conſulum CCCXCI. Scipio Naſica.

Anno Conſulum CCCXCIII, Poſturius & Marcellus.

Anno Conſulum CCCCX Marius & Geneius Mallius. conſul bellum Romanorum in Numidia & triumphus de Rege Jugurtha & ita finitum eſt Jugurtinum. Iſte triumphus Romanorum fuit à meridie.

Anno IIII CLXVI Olymp. obiit Johannes Hyrcanus.

Anno IIII CLXXI. Olymp. Syria per Gabinum Ducem in Romanorum dominium tranſiit, & ſequenti anno gravia prodigia & inaudita ſunt viſa, quæ in Romanorum Hiſtoria deſcribuntur.

Anno primo CLXXII Olymp. bellum civile Romæ exortum eſt & bellum Metridaticum contra Romanos in oriente.

Anno Conſul. CCCCXXII Silla Conſul.

Anno tertio CLXXV Olymp. obiit Rex Nichomedes Bithiniæ & anno ſequenti obiit rex & pontifex Judæorum Alexander, cui ſucceſſit uxor eius Alexandra cum filiis annis IX.

Anno Conſulum CCCCXLVII Mitridates interiit. Pompeius in Oriente XXII Reges ſubegit, Jheroſolymam vi cepit & Ariſtobulum ſecum duxit. Hic eſt triumphus Romanorum ab oriente, Et eodem anno Marco Tullio Cicerone Conſule Fuit bellum ſive conſpiratio Catalinaria Romæ quam Saluſtius ſcribit.

Anno ab urbe condita DCXCIII Conſulum CCCCLI Julius Cæſar factus eſt Conſul, qui per annos XI ſequentes de occidente triumphavit.

Anno ab urbe condita DCXCVII Pompeji ſecundo conſulatu, Craſſus ad Parthos miſſus templum Jheroſolymis ſpoliavit, ac deinde à Duce regis Parthorum Orodis captus eſt & occiſus. Julius Cæſar primus regnavit Romanis annis IIII & dimidium.

Anno primo CLXXXIIII Olymp. Auguſtus poſt mortem Cæſaris imperavit Romanis annis XLVII. Auguſti annus X eſt primus Herodis.

Anno tertio CLXXXVII Olymp. bellum Actiacum, ubi Cleopatra

Digitized by Google

patra victa sese interfecit. Eodem anno finiunt anni CCCC Macedonum.

Anno ab urbe condita DCCLII. Olymp. CXCIIII anno Augusti XLII natus est dominus noster Jesus Christus, ebdomada LXVI tertio scil. anno ipsius ebdomadæ. Annus Augusti XL fuit primus annus LXIIII ebdomadæ Danielis, Quomodo ergo stare potest Dominum fuisse natum anno tertio LXVI ebdomadæ. Quod autem in martirologio scriptum est ebdomada juxta prophetiam Danielis LXVI, optime quidem dictum est, sed expositione indiget, computavimus jam in præcedentibus LXIII ebdomadas annorum solarium cum duobus annis ebdomadæ sequentis, & istam computationem incepimus ab anno secundo Artaxersis, scilicet ab exitu sermonis ut reædificaretur Jerusalem, quod verbum Neemias adimplevit; sed quia prophecia dicit quod abbreviatæ sunt ebdomades, istas solares breviandi gratia convertimus in lunares hoc modo: In quolibet cyclo paschali XIX annorum, ut patet in tabula ubi adnotantur VII anni embolismales, id est, VII anni XIII lunationum, itaque habemus, id est, lucramur VII menses in XIX annis, Et XIIII menses in XXXVIII annis, & ita ascendendo & multiplicando in CCCCXLIIII annis, qui sunt à principio ebdomadarum usque ad annum nativitatis domini, lucramur CLXVI menses, qui per XII & XII divisi faciunt annos quatuordecim, duas videlicet annorum ebdomadas. Junge ad LXIII & habebis LXV annorum ebdomadas & de sequenti ebdomada restant in superioribus anni duo & aliquæ forsitan minutiæ, unde & recte dicitur ebdomada secundum Danielis propheciam LXVI, tertio scilicet anno ipsius ebdomadæ natus est Christus. Augusti annus XLII fuit Herodis XXXIII Æra computabatur XXXVIII. Quæ computatio invenitur in Ysidoro Etymologiarum & in Petro Alfunso & in provincialibus consiliis [conciliis] Hispaniarum.

Anno tertio Dominicæ incarnationis Johannes Evangelista nascitur.

Anno XII dicitur Componius præses in regno Archelai.

Digitized by Google

Anno XIIII dicitur Marcus præſes & in ſequenti anno Rufus præſes. Obiit Auguſtus poſt LVII annos.

Anno Domini XVI Tiberius imperat annis XXIII.

Anno ſequenti Valerius Gracus præſes Judææ XI. annis.

Anno Domini XXVIII Pontius Pilatus præſes X annis.

Anno Domini XXXIIII, Tiberii verò XIX, paſſio Domini. De anno paſſionis Domini hic aliqua inſerenda ſunt, de quo in Romana hyſtoria ita ſcriptum eſt ſecundum *Anaſtaſium Bibliothecarium.* ☞ De illius, inquit, obſcurationis die, quando paſſus eſt Dominus, non ſolum Sanctorum Evangeliorum fides, ſed etiam aliquanti græcorum libri atteſtantur, Scribens autem inter cæteros & Phlego & cæt. in Chronica Euſebii. Ad hoc autem quod luna XV & feria VI paſſus ſit Dominus, omnium Doctorum ſententiæ tam Veterum quam modernorum, & ipſe uſus catholicæ eccleſiæ conveniunt; qualiter autem iſta duo *luna XV & feria VI in hoc anno conveniant octavo Kal. Aprilis*, difficillimum eſt invenire; aureus enim numerus XVI cum litera dominicali C hic in iſto anno ſecundum univerſalem tabulam Dionyſii quam eccleſia tenet annotantur. ☞ Et beatus Auguſtinus in libro de civitate Dei XVIII, capitulo penultimo, & in quarto libro de trinitate capitulo quinto ſcribit, quod Dominus paſſus eſt VIII Kal. Aprilis. Quòd ſi ita eſt non v Kal. Aprilis, ſed die præcedenti, ſcilicet VI Kal. Aprilis, cum litera dominicali b dies paſchæ ſecundum tabulam Dionyſii deberet occurrere; ſed quia in nocte dominicæ reſurrectionis ordo temporum immutatus eſt, & dies qui ſecundum primam conditionem noctem præcedebat modo ſubſequitur, recte in hoc anno dominicus dies & ſecundum Dionyſium & per tot annos invenitur per c & ſecundum Auguſtinum potuit eſſe in b. Item neque compotus Paſchalis neque tabula tunc habebantur in Eccleſia, & aliter & alio forſitan anno inſerebatur tunc biſextus quam modo inſeratur. ☞ Item dicit beatus Auguſtinus in præſcripto libro de civitate Dei, quod à Conſulatu duorum Geminorum, in quo paſſus eſt Dominus, usque ad conſulatum Honorii & Euriciani anni

à paſ-

Digitized by Google

à passione Domini CCCLXV completi sunt : dum ergo certissimum teneamus isto anno passum fuisse dominum de luna inveniendа XV, VIII Kal. Aprilis, nullo modo possumus evadere, quia XIX videtur occurrere, unde aut non debemus inniti huic opinioni, quæ dicit VIII Kal. Aprilis passum fuisse dominum, aut luna sub aliis regulis computabatur quam modo computetur. Evasi inter utrumque prout potui, & qui tutiorem viam salvis auctoritatibus prædictis mihi ostenderit, libens & voluntarius ejus in hac arte ero discipulus. Et quia multa nostris temporibus revelata sunt, & quotidie revelantur, si aliquis vel etiam aliqua inveniatur, cui Dominus ista revelare dignetur, ita quod sit concordantia & arti, & rationi, & auctoritatibus, hoc potissimum inter alia petere debemus. ☞ Eodem anno III nonas Augusti beatus Stephanus lapidatur, & in sequenti Januario scilicet VIII Kal. Februarii Paulus convertitur.

Anno Domini XXXVII obiit Philippus tetrarcha, qui regnavit annis XXXV à morte Herodis.

Anno Domini XXXIX Gaius imperat annis quatuor.

Anno Domini XL de obitu Mariæ Magdalenæ & beatæ Marthæ in vita ipsius Martæ invenies. ☞ Tertio Gaji Imperatoris anno apud Lugdunum Galliæ Herodes tetrarcha exulatus est cum Herodiade.

Anno Domini XLIII Claudius imperat annis XIII.

Anno Domini XLV, Claudii vero tertio, misit Herodes rex manus, videlicet *Herodes Agrippa*, ut affligeret quosdam de ecclesia, occidit autem Jacobum fratrem Johannis gladio, & beatum Petrum incarceravit, qui ab angelo domini liberatus est. Et Herodes Agrippa ipso anno Dei judicio percussus est & mortuus. ☞ Et hoc anno tota *Historia Clementis* cum suis annexis, id est cum suis disputationibus beati Petri cum Symone Mago, & quomodo beatus Clemens recognovit patrem & matrem, ac fratres, vel recognitus est ab eis. Ista, inquam, narratio completa esse putatur hoc anno, quia beatus Petrus per Antiochiam, ubi VII annos præfuit, venit Romam, ubi sedit annis

XXV & dimidio. Et iſte eſt annus tertius Claudii & primus Petri in Eccleſia Romana.

Anno Domini XLVIII De ſancto Appollinare apud Ravennam.

Anno Domini L quidam Herodes Rex Calcidis. ☞ Hic obiit frater Herodis Agrippæ.

Anno Domini LI, quo tempore miſſus ſit beatus Martialis, in vita ipſius habetur.

Anno Domini LII, beatus Petrus octavo anno, ex quo Romam venerat, Treverim transmiſit beatum Eucharium cum ſociis ſuis Valerio & Materno, qui cum viginti dies perfeciſſent de itinere apud Elegiam Vicum grandem Galliæ Argenterenſis Dyoceſis, beatus Maternus obiit; quo terræ mandato ſocii eius Romam revertuntur, & à beato Petro baculum quo ſuſtentabatur accipientes, reverſi Chriſtum invocaverunt, ad quorum invocationem reſurrexit mortuus XL dies habens in monumento. Sanctus ergo Eucharius tertius in ordine LXX diſcipulorum Chriſti cum ſociis Treverim pervênit, ubi per viginti tres annos Epiſcopus fuit primus. Et iſte eſt annus primus ſancti Eucharii primi Treverorum Epiſcopi.

Anno Domini LVII Nero Pellinius imperat annis XIIII.

Anno Domini LVIII in Judæa Felici præſidi Portius Feſtus ſuccedit & beatus Paulus Romam mittitur vinctus.

Anno Domini LXII de Nazario & Celſo, Gervaſio & Prothaſio, & multis aliis qui paſſi ſunt tempore Neronis. ☞ Item Remis martyrizati ſunt Thimoteus & Appollinaris & alii.

Anno Domini LXV beatus Marcus apud Alexandriam ſui loco ordinavit Epiſcopum annis XXII.

Anno Domini LXVI beatus Mathias apoſtolus lapidatus eſt.

Anno Domini LXVII paſſio beati Marci Evangeliſtæ & paſſio Jacobi fratris Domini.

Anno Domini LXVIII paſſio Apoſtolorum Petri & Pauli. Qui beatus Petrus tres ſub ſe ordinavit pontifices, Linum, Cletum & Clementem, qui civitatis Dei magnus princeps extitit, ſed prædictis duobus

Digitized by Google

duobus quam diu vixerunt, tanquam senioribus deferebat, parvi tamen nominis extiterant respectu illius, nisi quod martirium consecuti sunt & in Canone missæ conscripti sunt, Linus ergo natione Italus de Tuscia sedit annis XI. Primus annus intitulatur in eodem anno quo passus est Petrus.

Anno Domini LXXI imperaverunt Galba, Vitellius & Otto.

Anno Domini LXXII imperavit Vespasianus annis decem. Beatus Martialis obiit : primo anno Vespasiani factum est famosissimum excidium Jherosolymorum. Quatuor enim annis bellum illud pertractum est, duobus Nerone vivente & duobus postea. Ecclesia Christianorum, quæ erat Jherosolymis, divino accepto responso ultra Jordanem apud parvam civitatem Pellam secesserat, Urbs tota expugnatur & in templo, juxta quod Dominus dixerat, lapis super lapidem non relinquitur; à conditione ejus M C LXXX, quibus bellorum motibus sedatis clausa est Romæ porta jam [jani] sexta vice ex quo Urbs condita est.

Anno Domini LXXIIII de beato Mansueto Tullensi, Juliano Cenomanensi Perpetuo & Potentiano Senonensi & Aventino Trecensi.

Anno Domini LXXVI Treveri ordinatur Episcopus Valerius annis XV.

Anno Domini LXXXI Cletus Papa natione Romanus de vico patricii sedit annis XII.

Anno Domini LXXXII imperavit Tytus annis duobus.

Anno Domini LXXXIIII imperavit Domitianus annis tribus & mensibus sex.

Anno Domini LXXXVII. Alexandriæ fit Episcopus Abilius annis XIII.

Anno Domini XCI Treveri ordinatur Episcopus Maternus annis XL, Iste Tungrenses & Agrippinenses ad fidem Christi convertit, has tres cathedrales ecclesias solus rexit, scilicet Treverensem, Tungrensem, & Colonienſem.

Anno

Anno Domini XCIII Clemens Papa ordinatur IX annis, Fuit hic filius Fauſtiniani, cujus frater Clemens conſul fuit primus Epiſcopus Metenſis, & horum ſoror Plautilla, cui beatus Paulus pannum reſtituit ſanguine ſuo laureatum, Domitillam virginem peperit.

Anno Domini XCV de Nereo Achilleo & cæteris annotandis.

Anno Domini XCVI de beato Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo, Sanctino Meldenſi, Mennuo Catalanenſi & ſociis eorum.

Anno Domini XCVII Johannes Apoſtolus in pathmos inſula Apocalypſin vidit, cui beatus Dionyſius reditum prophetavit. Lege parvam epiſtolam in hierarchiâ. ☙ Sancta Virgo Domitilla exiliata eſt.

Anno Domini XCVIII paſſio beati Dionyſii & ſociorum ejus. Alexandriæ præfuit Cerdo Epiſcopus annis decem.

Anno Domini XCIX. Nerva imperat anno uno.

Anno Domini Centeſimo Trajanus imperat annis XIX.

Anno Domini Centeſimo primo Johannes Apoſtolus & Evangeliſta requievit.

Anno Domini CII paſſio beati Clementis Papæ, qui ſubſtituerat Anacletum natione Græcum de Athenis, ſedit annis ſex. Iſte annus primus eſt Anacleti. ☙ Item beatus Ignatius tertius poſt Petrum & Evodium Antiochiæ Epiſcopum adducitur Romam & beſtiarum dentibus laniatur.

Anno Domini CIII paſſio beati Symeonis Epiſcopi in Jheruſalem, C duorum annorum ſenis. ☙ Hæretici pullulant Symonis ſucceſſores, Menander Ebion & Cerinthus, & præter iſtos Nicholaitæ.

Anno Domini CVII Romæ præfuit Evariſtus natione Græcus annis VII. Cujus pater fuit Judæus nomine Judas de Bethlehem: quia iſti primi Pontifices ſub ſe ordinabant ſucceſſores, idcirco quæſtio de annis ſingulorum omittenda videtur. Alexandriæ præfuit Primus annis XII.

Anno Domini CXII. Antiochiæ poſt martirem Ignatium præfuit Heras vel Heron longo tempore. ☙ Florebant hoc tempore

pore Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, Et in alia Policarpus & Papias Epiſcopi.

Anno Domini CXIIII Plinius paganus hiſtoriographus pro Chriſtianis Trajano ſcripſit.

Anno Domini CXV Romæ præfuit Alexander natione Romanus annis VIII.

Anno Domini CXIX Adrianus imperat annis XXI.

Anno Domini CXX paſſio beati Euſtachii cognomento placidi & ſociorum ejus.

Anno CXXII Romæ Sixtus natione Romanus annis X. Alexandriæ Juſtus annis XI.

Anno CXXIII Jheroſolymis præfuit Benjamin Johannes Matthias Philippus Seneca Juſtus & Levi præfuerunt.

Anno CXXVI floruit Ariſtides Athenienſis Philoſophus Chriſtianus.

Anno Domini CXXVII *Aquila* Judæus interpres vertit vetus Teſtamentum de hebræo in græcum. Hæc eſt *ſecunda editio.*

Anno CXXVIII Sanctus Maternus tertius Treverenſis Epiſcopus, qui fuit Tungrenſis & primus Colonienſis, obiit apud Coloniam, cujus corpus miraculoſe per Rhenum & per Moſellam relatum eſt Treveri.

Anno CXXXIII Romæ præfuit Thelephorus annis novem, natione Græcus & anachorita. Alexandriæ Eumenes annis XIII. Jheroſolymis Effrem, Joſeph, Judas XV & ultimus ex circumciſione.

Anno CXXXVI Jheruſalem immutata ab Elio Adriano dicta eſt Helya, qui de Judæis fecit exterminium.

Anno CXXXVII floruerunt viri Sancti Egeſippus & Juſtinus philoſophus Chriſtianus, & è contra ſerpebant hæretici Saturninus, Baſilides & Carpocrates.

Anno CXL imperat Anthoninus pius gener Adriani annis XXII.

Anno CXLII Romæ præfuit Iginus annis quatuor.

Anno CXLIII Treveri parvo tempore ſederunt iſti martires

& Epiſcopi Auſpicius, Felix, Manſuetus, Anaſtacius, Andreas, Ruſticus, Auctor, Mauritius, Fortinatus, Caſſianus, & Marcus.

Anno CXLVI Romæ præfuit Pius frater paſtoris, qui viſiones & præcepta Angeli ſcripſit, natus de Aqueleia, quæ eſt civitas in Dalmatia, annis XIIII, qui de mandato angeli præcepit *Paſcha die dominico ſemper celebrari*, quod ante non fiebat. Horum erant cognatæ Praxedis & Potentia virgines. Eodem anno Alexander præfuit annis decem.

Anno CL Hieroſolymis præfuit Marcus primus Epiſcopus ex gentibus, deinde Caſſianus, Publius, Maximus. E contra efferbuerunt Hæretici, Valentinus, Cerdo & Marcion & Marcus.

Anno CLIII. Antyochiæ præfuit Cornelius, deinde Hæres ac deinde Theophilus.

Anno CLVI Antiochiæ præfuit Celadion annis XIIII.

Anno CLVII Tungris Navit, [Navitus] qui & Treveri præfuit paucis ſcilicet Chriſtianis, qui ſupererant : aliis vel martyrizatis vel apoſtatantibus, unde dicitur, quod per annos fere ducentos civitas Treverenſis à fide apoſtatavit.

Anno CLX Romæ præfuit Anicetus natione Syrus annis IX.

Anno CLXII Marcus Anthoninus Verus cum fratre Lucio imperat annis XX. ☞ Paſſio beati Polycarpi Smyrneorum Epiſcopi, & Juſtini Philoſophi.

Anno CLXIII apud Athenas poſt Dioniſium Publius, deinde auQdratus.

Anno CLXIV Antiochiæ poſt Theophilum Maximinus.

Anno CLXV Hieroſolymis poſt Maximum Julianus, Gajus, & alius Julianus. ☞ Florebant hoc tempore nobiles Epiſcopi, Dioniſius Chorinti, Pinitus Cretæ, Philippus Gortinæ & Lugdunenſis Fortunus [f. Photinus] & ejus diſcipulus jam presbyter Herenæus. [Irenæus]

Anno Domini CLXX Alexandriæ Agrippinus præfuit annis XII.

Anno Domini CLXXI Romæ præfuit Soter natione Campanus de Fundis, annis VIII.

Anno

gitized by Google

Anno Domini CLXXII fuerunt hoc tempore Hæretici Tatianus, Severus & Bardeſanes.

Anno Domini CLXXIII, Galienus inſignis medicus fuit in his diebus.

Anno Domini CLXXIIII Tungri & Treveri poſt Navitum præfuit Marcellus, deinde Metropolus.

Anno Domini CLXXVI Vologeſum Parthorum regem gravi bello preſſerunt Imperatores.

Anno CLXXIX Romæ præfuit Eleutherius natione Græcus de Neapoli annis XII.

Anno CLXXX apud Lugdunum ſuper Rodanum martirizati ſunt, Photinus Epiſcopus, Vetius Epagarus, Zacharias presbyter, Attalus, ſancta Blandina virgo & quidam diaconus nomine Sanctus & Alexander medicus.

Anno CLXXXII Commodus imperat annis XII. *Theodocion* interpres *tertiam* fecit *editionem*. Alexandriæ Julianus præfuit annis decem.

Anno Domini CLXXXIIII Rex Britanniæ Lucius cum gente ſua baptizatur ſub Eleutherio Papa.

Anno CLXXXVI de Parthenio philoſopho & Theologo, qui primus rexit de Theologia in Alexandria & de Clemente Alexandrino ejus ſucceſſore.

Anno CLXXXVIII[VII] Antiochiæ poſt Maximum Serapion fuit Epiſcopus Romæ martir effectus eſt Apollonius.

Anno CXC obit Rex Britanniæ Lucius Chriſtianus.

Anno CXCI Romæ Victor natione Afer præfuit annis decem.

Anno CXCII. Alexandriæ præfuit Demetrius annis XLIII.

Anno CXCIII Jheroſolymis Epiſcopi Capato, Valens, Dolicianus. ☞ Erant hoc tempore Hæretici Apelles & hii qui dicuntur Catafrigæ, Montanus, Priſca & Maximilla.

Anno CXCIIII Helius pertinax imperat annum unum.

Anno CXCV. Severus imperat annis XVII cum dimidio.

Anno CXCVI quæstio de paſcha validiſſima, quæ in Eccleſiaſtica continetur Hiſtoria.

Anno ducenteſimo primo Romæ Zepherius natione Romanus præſidet annis XVIII.

Anno CCIIII paſſio Leonidis martyris, qui fuit pater Origenis.

Anno CCVII paſſio ſancti Hirenæi Lugdunenſis Epiſcopi cum ſociis ſuis XVII milia martyrum.

Anno CCX Alexandriæ ſcolam Theologicam poſt Clementem tenuit Origenes. ☞ Jheroſolymis fuit Epiſcopus Narciſſus, qui de epiſcopatu elapſus factus eſt heremita, cui ſucceſſerunt Dius, Germanio Gordius, deinde idem Narciſſus inventus reſtitutus eſt in ſede ſua & ita fuit ab Apoſtolis XXX, quem ſecutus eſt Alexander martir egregius. Antiochiæ poſt Serapionem præfuit Aſclepiades, deinde Philetus. *Symmachus* interpres *quartam* fecit *editionem.*

Anno CCXIII Anthonius Caracalla Severi filius qui & Baſſianus imperat annis VII.

Anno CCXVIII *quinta editio* Jheroſolymis eſt inventa ſine nomine auctoris.

Anno Domini CCXIX Romæ præfuit Calixtus annis quinque.

Anno Domini CCXX Macrinus imperat anno I.

Anno CCXXI. Anthonius Heliogabalus imperat annis quatuor.

Anno CCXXIII apud Divionem ſub Terentio comite paſſio ſancti Benigni presbyteri & Martyris, qui per annos viginti floruerat in Burgundia, & paulo poſt paſſa eſt in eodem caſtro ſancta Virgo Paſchaſia.

Anno Domini CCXXIIII Romæ præfuit Urbanus natione Romanus annis octo.

Anno CCXXV. Alexander imperat annis XIII. Mater hujus Mammæa Chriſtiana Origenem Antiochiæ audivit & honoravit. ☞ De Hippolyto Compotiſta & de Affricano hiſtoriographo.

Anno CCXXXII Romæ præfuit Pontianus annis V.

Anno

Digitized by Google

Anno CCXXXIII Antiochiæ poſt Philetum fuit Zebennus Epiſcopus. Deinde ſanctus Babilas. Alexandriæ in ſcola Theologica heraclas Origeni, *Origenes ſextam editionem* fecit cum Aſteriſco & Obelo, & *ſeptimam* ſine Aſteriſco & Obelo.

Anno CCXXXVII Romæ poſt Pontianum Papam ſucceſſit illi Cyriacus de Britannia anno uno & per undecim ebdomadas, de quo in viſionibus Elyzabeth continetur.

Anno CCXXXVIII Romæ Cyriaco ſucceſſit Ancherius [Antherus] Papa natione Græcus ab ipſo Cyriaco inſtitutus anno uno, à beato Petro XX Maximus imperat annis tribus. ☙ Paſſio ſanctarum undecim milium virginum apud Coloniam mirabiliter facta, & quorundam aliorum, qui in eadem ſocietate fuerunt Epiſcoporum & militum, & ipſius Papæ Ciriaci memorat ſecundum viſiones Elyzabeth, de quarum Sanctarum tempore & de revelatione hujus hiſtoriæ omnes usque ad tempus Elyzabeth iſtius errabant hiſtoriarum Scriptores & Chronographi. In eisdem etiam viſionibus continetur quis in hoc anno erat Colonienſis epiſcopus. Hoc modo verba ſanctæ Urſulæ ad Elyzabeth : ☙ Fuit inquit in Colonia in tempore illo quidam ſacer pontifex plenus Spiritu ſancto, qui quartus poſt beatum Maternum Eccleſiam Dei gubernavit, nomine Aquilinus, huic revelatus eſt totus ordo paſſionis noſtræ ; Cum reverteremur à Roma, & ipſe corpora noſtra ſepelivit & cætera, & poſt hac cito abſtractus eſt ab hac vita mortali. De omnibus igitur aliis Epiſcopis Colonienſibus, qui fuerunt à beato Materno usque ad Effratam, quem ſanctus Servatius depoſuit, nusquam nomina reperi præter Aquilinum memoratum. ☙ Tungrenſi autem Eccleſiæ atque Treverenſi poſt metropolium præfuit Severinus non Colonienſis, ſed alius qui ante eum fuit, deinde Florentius & poſt eum quidam Martinus.

Anno CCXXXIX Romæ Fabianus Papa natione Romanus annis XIII. Alexandriæ poſt Letum Heraclas annis ſex.

Anno CCXLI Gordianus imperat annis ſex.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Anno CCXLV Alexandriæ Dionyſius ſuccedit Heraclæ in Theologia, ſucceſſit eidem in Epiſcopatu annis XXII.

Anno CCXLVII imperat Philippus cum filio Philippo, primus Chriſtianus, annis VII.

Anno CCXLIX anno Philippi tertio milleſimus ab urbe Roma completus eſt annus.

Anno CCLII Romæ Cornelius Papa natione Romanus annis tribus. Item paſſio ſancti Alexandri Epiſcopi Jheroſolymis, cui ſuccedit Nazabenes, & Antiochiæ paſſio St. Babylæ Epiſcopi, cui ſuccedit Fabianus, & huic Demetrianus.

Anno CCLIIII Decius imperat cum filio Decio annis duobus & dimidio, quorum uno, vivente Philippo, contra Papam Cornelium ſurrexit Novatianus ſciſmaticus.

Anno CCLV Romæ Lucius natione Romanus menſibus VIII.

Anno CCLVI Romæ Stephanus natione Romanus annis duobus, Gallus imperat cum Voluſiano annis duobus. ☞ Sub eodem tamen Decio ſeptem dormientes apud Epheſum incluſi ſunt, Et in Sicilia paſſa eſt ſancta Agatha. Moritur Origenes apud Tyrum annorum LXX. ☞ Quæſtio famoſa in Eccleſia de hæreticis ſi ſint rebaptizandi; quòd beatus Cyprianus Carthaginenſis aſtruere voluit, ſed Stephanus Papa contradixit.

Anno CCLVIII Valerianus cum filio Galieno imperat annis XIIII Romæ Sixtus Papa natione Græcus & Philoſophus annis undecim & dimidio.

Anno CCLXII Jheruſalem poſt Mazabennem præfuit Ymenæus Epiſcopus. In ponto Gregorius & Athenodorus Epiſcopi florebant, & paſſio Aſterii Philoſophi apud Cæſaream.

Anno CCLXV Antiochiæ poſt Demetrianum Paulus hæreticus.

Anno CCLXVII Alexandriæ Maximus Epiſcopus annis XVIII.

Anno CCLXVIIII Romæ paſſio beati Sixti Papæ & Laurentii Archidiaconi anno poſt mortem Decii XIIII. Unde valdè mirandum,

Digitized by Google

dum, quod in paſſionario beatus Sixtus & beatus Laurentius legantur fuiſſe paſſi ſub Decio, cum è contra beatus Stephanus Papa anteceſſor beati Sixti paſſus ſit ſub Valeriano & Galieno. Iſta contrarietas aliter non poteſt determinari, niſi propter immanitatem impietatis & crudelitatis. Interfector beati Laurentii ſcilicet Valerianus intitulatus eſt nomine Decii, & alius fuit Valerianus Imperator, & alius fuit Valerianus præfectus.

Anno CCLXX Romæ præfuit Dionyſius annis novem, qui fuit Monachus.

Anno CCLXXII Claudius imperat annis duobus.

Anno CCLXXIIII Aurelianus imperat annis quinque. Aurelianis civitas cæpit.

☞ In hac generatione decima ab incarnatione domini regnâſſe invenitur quidam Mercurius in *Gottlandia* inſula, quæ eſt inter Daciam & Ruſſiam extra Romanum imperium, à quo Mercurio qui *Woden* dictus eſt deſcendit Genealogia Anglorum & multorum aliorum.

Anno CCLXXVIII Paulo Samoſateno hæretico de Antiochia pulſo factus eſt Domnus Epiſcopus.

Anno CCLXXIX Tacitus imperat anno dimidio. ☞ Eodem anno Probus cepit regnare annis ſex. ☞ Romæ Felix Papa natione Romanus annis V.

Anno CCLXXXI Manichæorum hæreſis turpiſſima in Perſide exorta eſt. Iſti ſunt, qui noſtris diebus vocantur *Bulgari*, per quam diabolus multos ſibi falſos martires per ignem acquiſivit, Et ò proch dolor! peſſima *luxuria* ad quantam cæcitatem deveniſti.

Anno CCLXXXIIII Romæ Euticianus Papa & martyr natione Tuſcus de Lunis menſibus decem.

Anno CCLXXXV Carus cum Carino & Numeriano regnat annis tribus, Romæ Gajus Papa & martyr natione Dalmaticus de genere Diocletiani annis XV. Alexandriæ Thomas annis XIX.

Anno CCLXXXVII hic eſt primus annus à conſulatu Dioniſii [Diocletiani] ſecundum Dioniſium. Anno

Anno CCLXXXVIII Diocletianus imperat & Maximianus.

Anno CCLXXXIX Antiochiæ poſt Domnum Thimæus, Cyrillus, Dorotheus, Thyrannius.

Anno CCXC poſt Ymeneum Jheroſolimis Zabdas præfuit, qui legionem Thebeam ſcilicet Mauritium cum ſociis baptizavit.

Anno CCXCI de paſſione Sebaſtiani & cæterorum.

Anno CCXCIIII De Daciano in Hiſpania, Rictiovaro in Gallia, impiiſſimis Chriſtianorum perſecutoribus. Et ſub Daciano quidem paſſus eſt ſanctus Vincentius martir invictiſſimus & multi alii; Sub Rictiovaro autem paſſi ſunt glorioſus martir Quintinus & Sueſſionenſis Criſpinus & Criſpinianus, & multi alii.

Anno CCC. Hoc anno dicitur, quòd ſanctus Griſogonus electus fuit in Papam menſibus duobus, ſed martir effectus eſt antequam fuit ordinatus, & ceſſavit Epiſcopatus menſibus ſeptem & diebus XXV.

Anno CCCI. Romæ Marcellinus Papa natione Romanus annis VI. Iſte eſt qui primo Chriſtum negavit, ſed poſtea reſipuit & martir effectus eſt.

Anno CCCIIII. Alexandriæ Petrus annis XII.

Anno CCCVI. perſecutio acerrima. ☞ Poſt paſſionem Mauritii & Sociorum paſſus eſt in *Colonia* ſanctus Gereon cum ſociis ſuis CCCXVIII. Et apud *Bonnam* Caſius Florentius cum aliis ſeptem, & apud *Zantum* ſub Colonia ſanctus Victor cum aliis CCCLX.

Anno CCCVII Maximinus Galerius imperat annis duobus, Romæ Marcellus Papa natione Romanus annis quinque.

Anno CCCIX ab urbe condita MLX, Conſtantius imperat annis XXXI.

Anno CCCXI Romæ Euſebius Papa natione Græcus & medicus annis duobus. Jheroſolimis poſt Zabdam fuit Epiſcopus Hermon.

Anno CCCXIIII. Melchiades Papa & martir natione Afer annis tribus & dimidio. ☞ Eodem anno paſſio ſanctæ Katherinæ

rinæ apud Alexandriam ſub Maxentio Tyranno, qui ſequenti anno interiit. Item eodem anno paſſio beati Petri Alexandrini Epiſcopi.

Anno CCCXVI. Alexandriæ Archillas Epiſcopus annis IX. Decimus annus perſecutionis.

Anno CCCXVII. Romæ Sylveſter Papa natione Romanus annis XXIII menſibus decem. Oritur pax Eccleſiis.

Anno CCCXVIII Conſtantinus baptizatur. Inventio ſanctæ crucis.

Anno CCCXIX. Hoc anno natus eſt beatus *Martinus* in Pannonia, ☞ Cujus Geneaſogiam Gregorius Turonenſis Epiſcopus breviter ita comprehendit: Quidam Rex Pannoniæ dictus eſt Aumarus, qui genuit Florum Regem avum beati Martini, & duos alios Martinum & Aumarum. ☞ Florus Rex duxit Brixildem filiam Chux regis *Saxonum* & genuit Florum tribunum, Hilgrinum & Aumarum, Florus tribunus de filia Sororis Conſtantini genuit ſanctum Martinum Turonenſem, poſtea Epiſcopum & ſororem ejus Conches, de qua procedente tempore natus eſt Magnus ſanctus Patritius. Hilgrinus frater Flori tribuni quatuor habuit filios; Clementem, Primum, Letum, Theodorum. Aumarus frater ejus habuit Gaudentem, Quiriacum, Innocentium. Tres iſti & quatuor illi videlicet ſeptem cognati beati Martini ipſi ſunt, qui dicuntur ſeptem dormientes de Turon: Quia enim, ut poſtea dicetur, beatus Martinus factus eſt Turonenſium Epiſcopus, iſti venerunt ad eum, quia fuerunt valde religioſi & peregrè profecti usque Jheroſolymam & reverſi ad beatum Martinum facti ſunt Monachi, ita quod vixerunt poſt mortem ejus annis XXV & mortui ſunt omnes una die dominica in craſtino ſancti Martini. ☞ Sequitur. Eodem anno quo natus eſt beatus Martinus Wandali de *Polonia* orti à Gothis expulſi, Pannonias intraverunt, & ibi ſub Imperatore Romano annis LX in pace habitaverunt. ☞ Tungrenſis & Treveris ſimul Epiſcopus quidam Martinus ſucceſſorem habuit Maximinum, deinde Valentinum, qui Valentinus circa hunc annum obiit, & poſitus eſt Treveri Archiepiſcopus ſanctus Agra-

cius. ☙ Sanctus Servatius abhinc post septem annos de transmarinis partibus ab angelo evocatus, factus est Tungrensium Episcopus à beato Materno decimus.

Anno CCCXXII Alexandriæ Alexander Episcopus. Hic incipit tripertita historia.

Anno CCCXXV, hic orta est hæresis impiissima. Natus est beatus Jheronimus. Jherosolymis præcedebat Macharius, Quiriacus, & post eum Maximus & Maximus.

Anno CCCXXVII Nicæna Synodus congregatur CCC & XXVIII. [XVIII]

Anno CCCXXVIII Alexandriæ Athanasius fit Episcopus annis XLIII. Narratio de Frumentio & Editio, & de gente Hebræorum [f. Habesinorum] ad fidem conversa.

Anno CCCXXXII obiit sancta Helena mater Constantini. Hujus discipula fuit sancta Hilda puella, quæ requiescit in Episcopatu Trecensi.

Anno CCCXXXVI Constantinopoli Alexander alter Episcopus. ☙ Antequam ulterius procedamus, hic attingenda est breviter historia Remensis: Legitur quod post mortem Crispini & Crispiniani missi sunt à Roma Sancti isti Sixtus & Sinnicius primi Remensium Archiepiscopi cum nepote Diuitiano, qui fuit secundus post Sinicium Svessionensem Episcopum, Tertius Remensis Archiepiscopus Amausius, quartus Bethausius, in isto tempore magni Constantini & interfuit Concilio Arelatensi primo, quod per Mauritium eiusdem urbis Episcopum relatum est ad beatum Silvestrum Volusiano & Aniano consulibus. Isti quatuor primi Remenses Episcopi tumulati fuerunt in Ecclesia beati Sixti.

Anno CCCXL Constantius cum fratribus imperat annis XXIIII. Romæ præfuit Marcus natione Romanus annis tribus. ☙ Mors Arrii turpissima. ☙ De obitu beati Nicholai credimus hic annotandum, quia vita illius atque translatio non aliter concordarent, sed contrarietas determinanda est à peritis.

Anno

Digitized by Google

Anno CCCXLIII Romæ Julius Papa natione Romanus annis IX. Iſte eſt qui corpus beati Clementis levatum de mari, ab angelo ammonitus Romam retulit. Hic obiit ſanctus Paulus primus Heremita CXIII annorum. Concilium apud Tyram contra Athanaſium.

Anno CCCXLV Maximinus ſancti Agricii diſcipulus fit Treverenſis Epiſcopus. Ab ipſo ſuſceptus eſt ſanctus Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, quoniam pro fide catholica toto orbe per inſidias Imperatoris Conſtantii Arriani agebatur profugus.

Anno CCCXLVII factum eſt concilium apud Coloniam, ubi per beatum Servatium Effrata pſeudo-Epiſcopus & Hæreticus deponitur, & ſanctus Severinus in loco ejus ordinatur. Hii autem ſunt Epiſcopi qui cum beato Servatio huic Concilio interfuerunt, Maximus Treverenſis, Valentinus Arelatenſis, Dacianus Cabilonenſis, Severinus Senonenſis, Ebtacianus Trecaſſinenſis, Geſſius Nemetenſis, id eſt, de Spira, Victor Vangionenſis, id eſt, de Wormatia, Valerianus Antiſiodorenſis, Amandus Argentoratenſis, id eſt, de Straesburg, Simplicius Auguſtidinenſis, Juſtinianus Auroconenſis, [Rauracenſis] id eſt de Rouroi Biſuntinenſis diœceſeos, jam non eſt civitas. Eulogius Amneotenſis, Diſcorius Remenſis, Diſcorius iſte vir ſanctus non fuit Archiepiſcopus Remenſis, ſed ſolummodo presbyter vel Chorepiſcopus. Diapetus Aurelianenſis. Sanctus autem Severinus in locum prædicti Effratæ apud Coloniam ordinatus invenitur poſtea præfuiſſe ad minus annis LIIII, id eſt usque ad obitum beati Martini, ſecundum illud miraculum, quod de eo refert Gregorius Turonenſis, id eſt ad annum Domini CCCC.

Anno CCCLIIII Romæ Liberius Papa natione Romanus annis IX.

Anno CCCLVII obiit ſanctus Anthonius Monachus CL annorum. ☙ Jheroſolymis poſt Maximum Cyrillus Epiſcopus. ☙ Antiochiæ poſt Eudoxium Melecius de Sebaſte Armeniæ aſſumtus. ☙ Hæreſis Arriana dividitur in Arrianos & Eunomianos & Macedonianos. ☙ Treverenſi Eccleſiæ poſt Maximinum præfuit beatus Paulinus, qui à Conſtantio Imperatore miſſus fuit in exilium cum beato Hy-

to Hylario Pictavienſi Epiſcopo & ſancto Euſebio Vercellenſi & quibusdam aliis. ☞ Quatuor vel quinque fuerunt Epiſcopi, qui contra Imperatorem Romanum & contra totum mundum fidem noſtram defenſabant, & in illa fide quam iſti tenuerunt adhuc perſeverat eccleſia Catholica.

Anno CCCLXI Lucifer Caralitanus Sardiniæ Epiſcopus unus huc usque de Catholicis Paulinum Antiochiæ locavit contra Melecium Epiſcopum.

Anno CCCLXIII Romæ Felix Papa natione Romanus anno fere uno, deinde Liberius Papa de exilio revocatur & præfuit iterum annis v.

Anno CCCLXIIII Julianus Apoſtata imperat annis duobus.

Anno CCCLXVI Jovinianus vir catholicus imperat anno uno. Inter Romanos & Perſas pax in XXIX annos firmata eſt. ☞ Hic dicendum eſt de tempore Anthonini Veri & Lucii Imperatorum. Fuit Vologeſus Rex Parthorum ſive Perſarum, Tempore Alexandri Xerſes, Tempore Valeriani & Galieni Sapor, Tempore Dyocleſiani Narſeus, Tempore Conſtantini Sapor ille, cujus filii fuerunt Hormisda regnans in hoc anno, & Sapor qui poſt eum regnavit.

Anno CCCLXVII Valentinianus imperat annis XI.

Anno CCCLXVIII Romæ Damaſus Papa natione Hyſpanus annis IX. ☞ Ambroſius fit Mediolanenſis Epiſcopus. Treveris poſt ſanctum Paulinum fit Bonoſius Archiepiſc. Deinde Britonius, de quo fit mentio in tripartita hiſtoria ſub Damaſo Papa.

Anno CCCLXX Remis poſt Betauſium Archiepiſcopum quartum ſedit Epiſcopus Aper. Deinde Materianus cujus reliquiæ delatæ fuerunt in Alemannia. Donatianus qui requieſcit apud *Brugias* in Flandria, ubi in ejus honore habetur Eccleſia. Viventius in cujus honore habetur præpoſitura canonicorum *Braquis* ſuper Moſam, quos ſecutus eſt Severus usque ad ſanctum Nichaſium.

Anno CCCLXXII obiit ſanctus Hylarion LXXX annorum.

Anno CCCLXXIII obiit ſanctus Athanaſius Alexandrinus epiſcopus, cui ſuccedit Petrus, poſt quem Thimotheus, deinde Theophilus

Digitized by Google

philus Jheroſolymis poſt Cyrillum primum patriarcham Johannes Antiochiæ pro Melecio Flavianus vivente adhuc Paulino.

Anno CCCLXXV Sanctus Martinus ordinatur Turonenſium Epiſcopus tertius Jheroſolymis, poſt Cyrillum Prothus, Johannes, Parailius, Juvenalis, Thomas, Johannes.

Anno CCCLXXVIII Valens imperat poſt mortem fratris Valentiniani annis quatuor.

Anno CCCLXXIX anno XIII Valentis imperii, quatuor Scithæ gentes Danubium transierunt, eo quòd Gothi, qui olim Wandalos vicerant, modo victi ſunt ab Hunnis. Et Gothi quidem Yppogothi & Gyppedes, qui huc usque ſub uno rege fuerant, duo regna per diſſenſionem fecerunt. Ita quod ſuper Orientales Gothos, qui dicti ſunt Oſtrogothi, regnavit Athalricus, & ſuper occidentales Gothos, qui dicti ſunt Wiſigothi, regnavit Fritigernus, Wandali verò per Hunos de Pannonia ſunt expulſi, qui Regem ſibi fecerunt Modegiſelum.

Anno CCCLXXX primus Conſulatus Theodoſii. Quo anno Theophilus Alexandrinus ciclum paſchalem edidit.

Anno CCCLXXXI ultimus annus cronicæ beati Jheronimi, qui eſt primus Cronicæ Sigeberti. Valens Imperator anno imperii ſui, id eſt XIIII, ex quo regnare cepit cum fratre ſuo interiit, ita quod combuſtus fuit ab Oſtrogothis quos in Arriana hæreſi fecerat baptizari. Abhinc ergo regnavit ſuper Oſtrogothos poſt Athalicum Winacharius anno uno, poſt quem Hunimundus annis duobus, cui ſucceſſit Horismund annis duobus, deinde fuerunt ſine rege ſub imperio Romano annis XL. Super Wiſigothos verò poſt Fritigernum regnavit Athamaricus annis duobus, & poſt fuerunt ſine rege annis XII: deinde Alaricus regnavit ſuper eos annis XVIII. Super Wandalos à Pannonia expulſos regnavit Modegiſelus annis XXXII. Huni verò contra omnes iſtos elevati regnaverunt abhinc per annos LXXX. Sub his regibus Balamber, Mudzuch pater Attilæ, Occar & Rugila frater ejus, Bleda & Attila frater ejus. Et ſuper Perſas regnaverunt Sapor frater Hermildæ annis XXVIII. Ad Papam Damaſum beatus Jheronimus mittit textum quatuor Evangeliorum correctum.

Digitized by Google

Anno CCCLXXXII Gratianus filius Valentiniani imperat cum Theodosio annis sex.

Anno CCCLXXXIII obiit sanctus Basilius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ.

Anno CCCLXXXIIII Priscillianus & Appollinaris hæretici agnoscuntur.

Anno CCCLXXXV. Et eodem annò Priscillianus Treveris interficitur. Ordinatio sancti Felicis Treverensis in præsentia beati Martini, sedit annis XII.

Anno CCCLXXXVI Secunda Synodus Constantinopolitana CL Episcoporum, ubi Credo in unum Deum componitur.

Anno CCCLXXXVII. Romæ Siricius natione Romanus annis XIII.

Anno CCCLXXXVIII Valentinianus frater Gratiani imperat annis septem.

Annò CCCLXXXIX Priamo duce Francorum à Romanis occiso, Marchomirus filius ejus fuit Dux super Francos annis XII. ☙ Hic itaque incipit certa narratio de Francis : Ante istum Marchomirum fuerunt Duces Priamus Sunno, Genebaldus, Theodemerus, Et dicitur quod fuerunt de reliquiis Trojanorum descendentes ab Antenore de Sicambria civitate. ☙ De Alanis victis, de decem annis libertatis, satis est dictum alibi. ☙ Constantinopolitani patriarchæ post Eudoxium Hæreticum Gregorius Nazianzenus, Charus Macedonius hæreticus contra quem tertia Synodus, Nectarius Proculsus, Johannes Crisostimus, Atticus, Flavianus, Anatholius sub quo quarta Synodus. ☙ Sequuntur Hæretici, Atharius, Anthimius, Sergius, Pirrus, Paulus, Georgius, Gallinicus, Cirus, Johannes. Sanctus Germanus de Zisico, Anastasius hæreticus, Constantinus hæreticus, Nicæta hæreticus, Sequuntur tres boni, Paulus, Charasius, Nicephorus.

Anno CCCXCI Augustinus baptizatus à beato Ambrosio.

Anno CCCXCII Obiit Gregorius Nazianzenus.

Anno CCCXCIII floruit sanctus Severianus Episcopus Gavalitanus,

Digitized by Google

litanus, id eſt, Mimatenſis, qui fecit *ſermonem* de Innocentibus ſcilicet zelus quo tendit.

Anno CCCXCIIII de primo patricio Hybernenſi.

Anno CCCXCV Theodoſius magnus poſt Valentiniani [mortem] imperat ſolus annis quatuor.

Anno CCCXCVII obiit Didimus Alexandrinus, vir ſanctus & cæcus. Treveris quidam ſuccedit Mauritius Felici in Epiſcopatu.

Anno CCCXCVIII obiit magnus Theodoſius. Et hic finit Eccleſiaſtica Hiſtoria Rufini.

Anno CCCXCIX Archadius & Honorius filii Theodoſii imperant annis XIII.

Anno CCCC Romæ Anaſtaſius Papa vir ſanctus natione Romanus annis duobus. ☞ Iſte eſt LXXXI annus, ex quo nativitatem beati Martini in undecimo anno magni Conſtantini ſecundum Gregorium Turonenſem annotavi, Et iſte eſt annus XXVI ex quo beatus Martinus vivente Valentiniano magno ſecundum Dialogum Severi ordinatus eſt Epiſcopus. ☞ Item iſte eſt annus XVI ex quo Priſcillianus hæreticus Treveris fuit occiſus. Dico ergo non per opinionem, ſed per affirmationem & certitudinem, quod beatus *Martinus obiit hoc anno*, & hoc paratus ſum probare certis autoritatibus contra omnes compotiſtas & cronographos, ſi fuerint contradictores, Dicit enim Gregorius Turonenſis in primo libro capitulo ultimo hiſtoriæ Francorum Archadio & Honorio anno ſecundo imperantibus, beatus Martinus Turonorum Epiſcopus LXXXI ætatis ſuæ anno, Epiſcopatus autem XXVI, transiit ab hoc ſeculo media nocte, quæ dominica habebatur Actico Cæſarioque conſulibus. Item legitur in Dyalogo Severi, quod beatus Martinus poſt mortem Priſcilliani hæretici XVI vixit annos, in quibus ab omnibus Epiſcoporum conventibus ſe abſtinuit. Et adhuc una optima auctoritas in qua concordant Gregorius Turonenſis & beatus Paulinus Nolenſis in vita beati Ambroſii, Dicit enim Gregorius Turonenſis, quòd adhuc vivebat beatus Ambroſius cum beatus Martinus diſceſſit, & per viſionem licet dor-

Digitized by Google

dormiendo ejus exequiis deſervivit, ſed capitellum clericis ſuis ipſum excitantibus non complevit. Scribit autem beatus Paulinus, quod beatus Ambroſius poſt mortem Theodoſii Magni tantummodo circa triennium ſupervixit. Unde certiſſimum habemus, quod mortuo beato Martino in feſto beati Martini dominica die beatus Ambroſius anno & dimidio interpoſito obiit, in feſto beati Ambroſii, ſexta feria, ſancto die paraſcheves, & in ſequenti die dominica fuit dies paſchæ. Ultima auctoritas Gregorii Turonenſis eſt illa, quod ab obitu beati Martini usque ad obitum Clodovei regis Francorum, quem beatus Remigius baptizavit anni CXII vitæ. ☞ Item in iſto anno Pharamundus primus rex elevatus à Francis regnavit annis XX ſecundum cronicum Magiſtri Hugonis. ☞ Hæc omnia ad hoc ingeſſi, ut illa auctoritas quæ dicitur à paſſione domini usque ad tranſitum ſancti Martini anni CCCCXII computantur, aut corrigatur aut deleatur, cum ibi ſit mendacium XLV annorum. Non eſt autem mirum, ſi usque ad hæc tempora iſtud non fuit correctum, quia ſancti viri, qui ſunt in clauſtris, plus intendunt contemplationi & ſermonibus quam cronicis; Et literati qui ſunt in ſeculo ad præbendas tendunt vel ad pecuniam, Unde eſt illud : Dat Galenus opes & ſanctio Juſtiniana. Ex aliis paleas, ex iſtis collige grana. Cum ergo liber iſte computetur à talibus inter paleas vel reputetur pro paleis, non eſt mirum, ſi prædicta auctoritas huc usque non fuit correcta ab hiis, qui ſcientiam certam habebant & auctoritate perſonatûs cæteris excellebant. Quæris ergo, quomodo debeat corrigi ? Ubi ſcribitur à paſſione domini, ſcribatur ab incarnatione domini & XII deleantur hoc modo : Ab incarnatione ergo domini usque ad tranſitum ſancti Martini anni CCCC ſolummodo computantur.

Anno Domini CCCCII obiit beatus Ambroſius, ut jam prælibatum eſt. Romæ præfuit Innocentius natione Albanus annis XIIII.

Anno CCCCIIII obiit ſancta Paula in Betleem. ☞ Item obiit ſanctus Pachomius Monachus CX annorum.

Anno CCCCV de Pelagio Hæretico. Radagaiſus in Italia. Jheronimus ſcribit in Oſeæ.

Anno

Anno CCCCVI de ſancto Alexio.

Anno CCCCIX Rex Perſarum Isdigerdis annis XXXIIII.

Anno CCCCX obiit ſanctus Johannes Chryſoſtomus, ſuccedit Atticus.

Anno CCCCXII Honorius imperat mortuo Archadio annis XV.

Anno CCCCXIII Roma capta eſt à Rege Wiſigothorum Alarico, qui paulo poſt obiit. ☞ Quædam pars Wandalorum cum Alanis Gallias infeſtant duce Croſco, qui fuit Dux Craconiæ [Cracoviæ] ſub quo paſſi referuntur eſſe ſanctus Deſiderius Lingonenſis Epiſcopus & ſanctus Antidius Biſuntinenſis. Super Wandalos à Pannonia expulſos poſt Modogiſelum à Gallis oppreſſum, regnavit Gendericus annis XVI. Qui de Galliis ad Hiſpanias tranſierunt, ubi per XXX annos regnaverunt Gothis etiam eos propellentibus, quibus ſcilicet Gothis Gallias conceſſerat Theodoſius.

Anno CCCCXIIII Wiſigothorum rex Atholphus regnavit annis tribus qui etiam Romam cepit.

Anno CCCCXV Ex hoc tempore quidam Rex Alanorum Replendias dictus eſt.

Anno CCCCXVI Romæ Zozimus Papa natione Græcus fere biennio.

Anno CCCCXVII quidam paſcha celebrant VIII Kal. Aprilis & errant. ☞ Wiſigothorum Sigericus anno uno. ☞ Beatus Maximus qui fecit ſermones, Taurinenſis Epiſcopus, claret.

Anno CCCCXVIII Romæ Bonifacius natione Romanus annis ſex, Wiſigothorum Wallia annis XXII. Usque ad hunc annum Oroſius hiſtoriam ſuam perduxit.

Anno CCCCXX Francorum Cleodius regnat annis XX, quod beſtia Neptuni minotauro ſimilis uxorem ejus ſcilicet Cleodii aperiit, dum ſe lavaret in mari & mox à beſtia vel à viro filium nominavit Me-

Digitized by Google

rovechium. ☙ Inventio ſancti Stephani. ☙ Honorius Aquitaniam Wiſigothis dedit.

Anno CCCCXXIII Jheronimus requieſcit anno ætatis ſuæ XCVIII. Honorii XII. *Franci legibus uti cœperunt.*

Anno CCCCXXIIII Romæ Cæleſtinus Papa natione Campanus annis IX. Wandali, Alani & Svevi Hiſpanias tripharié dividunt.

Anno CCCCXXVI Oſtrogothorum Walamer annis XXXI qui Wandalos in Hiſpania debellat, & Wandali Mauritaniam invadunt.

Anno CCCCXXVII Theodoſius imperat annis XXVI. ☙ De paſſione ſancti Albani Maguntinenſis Epiſcopi Maguntini, ſanctus Creſcentius, Martinus, Bocladus, Suffronius, Rotharius, Aureus frater ſanctæ Juſtinæ Virginis & martiris, Maximus, Sidonius, Sigimundus, Leuguſius, Bezelinus Lanthwaldus, Lupoaldus anno DCXXVI.

Anno CCCCXXVIII Rex Cleodius habitavit in Diſpargo caſtello Thoringiæ.

Anno CCCCXXIX Wandalorum Geiſericus annis XXVIII.

Anno CCCCXXX Hunni à Pannonia fugati.

Anno CCCCXXXI Cæleſtinus Papa miſit ad Scotos Palladium, deinde ſanctum Patritium.

Anno CCCCXXXIII Romæ Sixtus ſecundus Papa natione Romanus annis octo.

Anno CCCCXXXIIII tertia Synodus, Epheſina prima contra Neſtorium CC Epiſcoporum. ☙ In hiſtoria Britonum de Votegirno Rege & de turri quam ædificavit, & de hiis quæ abſconſa erant ſub fundamento turris, & quomodo per Merlinum prophetam interpretata ſunt.

Anno CCCCXXXVI Rex Clodia Tornacum obtinuit primo & inde Cameracum & usque ad Summam fluvium.

Anno CCCCXXXVII Cyclus ſancti Cyrilli. ☙ Obiit beatus

Digitized by Google

beatus Auguſtinus quando Wandali terram illam occupabant.

Anno CCCCXXXVIII Sanctus Germanus Antiſiodorenſis fit Epiſcopus. ☙ De feſto ſancti Petri ad vincula.

Anno CCCCXL Francorum Merovethus regnat annis XVII. ☙ Wiſigothorum Theodoricus annis XV. Britonum Aurelius Ambroſius annis duobus.

Anno CCCCXLI Romæ Leo primus natione Tuſcus annis XXI.

Anno CCCCXLII Britonum Uterprandagon annis XVII. ☙ De terræ motu Conſtantinopoli. Sanctus Deus, ſanctus fortis.

Anno CCCCXLIII Perſarum Guararanes annis XXXVII.

Anno CCCCXLIIII finit hiſtoria tripartita in anno ſecundo CCCL Olympiadis, Conſulatu ſedecies Imperatoris Theodoſii.

Anno CCCCXLVI Treveris poſt Mauritium præfuit Legontius primo ut dicitur *Metenſis* Epiſcopus. Usque ad iſtum Legontium iſti Metenſium fuerunt Epiſcopi per ordinem, ſanctus Clemens, Cæleſtis, Felix, Patiens. Victor primus, Victor ſecundus, Symeon, Abacius, Rubertus, Adelfus, Firminus, Legentius duodecimus. ☙ Remis ſanctus Nichaſius fuit Archiepiſcopus decimus, qui beatum Alpinum ordinavit Epiſcopum Cathalaunum. ☙ Iſti fuerunt ante eum *Cathalaunenſes* Epiſcopi: Sanctus Memmius, ſanctus Donatianus, ſanctus Domitianus, Amabilis, ſanctus quidam Deſiderius, ſanctiſſimus, provinctus, ſanctus Alpinus Octavus annis XLVII. ☙ Et apud *Tullum* fuerunt iſti Epiſcopi, ſanctus Manſuetus, ſanctus Amon, ſanctus Alcha, ſanctus Celſinus, ſanctus Aſpitius, ſanctus Urſus, ſanctus Aper, ſanctus Albinus, Triſorigus nonus.

Anno CCCCXLVII Ecchardus Rex *Alanorum*, de quo habetur in vita beati Germani.

Anno CCCCXLVIII hic eſt primus annus Anglorum in Britannia. Vuoden, hujus filius fuit Vecta, cujus fuit Curta, hujus Vothgiſius, hujus filius fuit Hengiſtus. Iſte Hengiſtus hoc anno cepit regnare in Anglia annis XXXVI.

Anno CCCCXLIX Septem dormientes evigilaverunt ſub Theodoſio, falſa Synodus Epheſi Ydus Junii.

Anno CCCCL Obiit ſanctus Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, & natus eſt ſanctus Remigius. Treveris poſt ſanctum Legontium Epiſcopum fuit ſanctus Auctor Archiepiſcopus & ipſe Metenſis Epiſcopus, ſequitur Severus, Cyrillus, deinde Lannerius, Emerus & Marus. Flaviano Conſtantinopolis Epiſcopo ſuccedit Anatholius.

Anno CCCCLII obiit Placidia Regina. ☙ Aurelianis erat Sangibanus Rex Alanorum.

Anno CCCCLIII Marcianus imperat annis VII. Quarta Synodus magna Calcedonenſis contra Euticem de DCXXX Epiſcoporum. ☙ Deſtructio Tungrenſium. Everſio Metis. ☙ Bellum famoſiſſimum in campis Cathalaunenſibus contra Attilam regem Hunnorum. ☙ Paſſio ſancti Nichaſii Remenſis & aliorum. ☙ Eo tempore in pago Dulcomenſi juxta grandem campum vico ſinduno, id eſt ſemi, paſſus eſt Oricolus cum duabus ſororibus ſuis Oricola & Baſilica.

Anno CCCCLIIII Wiſigothorum Thuriſmundus annis tribus.

Anno CCCCLVI Hildericus regnat XXVI. Iſte de Baſina Regina Thoringiæ genuit Clodovæum.

Anno CCCCLVII Wiſigothorum Theodoricus frater Thuriſmundi annis XI.

Anno CCCCLVIII Oſtrogothorum Theudemer annis XI. Huc usque *Proſper* Cronicam ſuam perduxit.

Anno CCCCLIX Britonum Arturus famoſiſſimus regnat annis XVI. Sanctus Symeon in columpna.

Anno CCCCLX Leo imperat annis XVI.

Anno CCCCLXII Romæ Hylarius Papa natione Sardus annis quatuor.

Anno CCCCLXV translatio corporis Heliſæi prophetæ de Samaria in Alexandriam.

Anno

Digitized by Google

Anno CCCCLXVI Romæ Simplicius Papa annis xv, natione Tiburtinus, Translatio ſancti Martini.

Anno CCCCLXVIII Wiſigothorum Eoricus annis xix. ☞ De ſancto Mammerto Viennenſi Epiſcopo.

Anno CCCCLXIX Oſtrogothorum Theodoricus annis xvi. ☞ Remis poſt ſanctum Nichaſium ſedit *Baruch*, inde *Baruſius*, quos ſecutus eſt Barnabas, deinde Bennadius.

Anno CCCCLXXI Translatio ſancti Marci Evangeliſtæ.

Anno CCCCLXXII Ordinatio ſancti *Remigii* annorum xxii. Sedit annis lxxiiii.

Anno CCCCLXXIIII Ordeacer in Italia annis xxiiii. ☞ Poſt Wandalos, Alanos, Gothos, & Hunos Franci Gallias occupant. Ceperunt Coloniam & deinde Treverim.

Anno CCCCLXXV Rex *Arturus* letaliter vulneratus ad inſulam Avalonis ſeceſſit.

Anno CCCCLXXVI Zenon imperat annis xvi. Britonum Conſtantinus annis iii.

Anno CCCCLXXVII Wandalorum Hunericus annis ix.

Anno CCCCLXXIX Britonum Conanus annis viii.

Anno CCCCLXXX Perſarum Chuades annis xli.

Anno CCCCLXXXI Romæ Felix Papa natione Romanus annis quinque. De Longobardis incipiunt xl anni.

Anno CCCCLXXXII Francorum Rex Clodovæus annis xxx.

Anno CCCCLXXXIIII Anglorum Heiſus filius Hengiſti annis xxiiii. ☞ Et poſt biennium Hengiſtus interiit. Inventio ſancti Benigni. ☞ In Italia Theodoricus Odoacrum obſedit tribus annis, quibus exactis & interfecto Odoacro Theodoricus regnavit cum Oſtro-Gothis in Italia xxxvi annis.

Anno CCCCLXXXV Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis, Germanus Capuanus, Epiphanius Ticinenſis clarent.

Anno CCCCLXXXVI Romæ Gelaſius Papa natione Afer quinque, Wandalorum Gunthamundus annis novem.

Anno CCCCLXXXVII Wiſigothorum Alaricus annis XXII. ☙ *Metenſes* Epiſcopi fuerunt hii : Eplecius, Urbicius, Bonolius, Terentius. *Tullenſes* Epiſcopi poſt Criſorigum ſanctus Dulcicius, Decimus ſanctus Primon, ſanctus Autmundus, ſanctus Evolanus.

Anno CCCCLXXXVIIII Revelatio Criptæ Michaelis Archangeli in monte Gargano.

Anno CCCCXC Floruerunt Avitus de Vienna & frater ejus Apollinarus de Valentia Epiſcopi ſancti.

Anno CCCCXCI Romæ Anaſtaſius Papa annis duobus natione Romanus. ☙ Solempnis Epiſcopus Carnotenſis claret. ☙ Obiit ſanctus Patricius.

Anno CCCCXCII Anaſtaſius imperat annis XXVI. Hucusque *Idatius & Genandius*.

Anno CCCCXCIII Romæ Simachus Papa natione Sardus annis XV. menſibus IX. ☙ Achacius Conſtantinopolis Epiſcopus damnatus obiit.

Anno CCCCXCV Regnum Weſt-Saxonum in Anglia incipit poſt interitum Hengiſti anno decimo, in quo primus regnavit Rex Cerditius annis XXXIX. Wandalorum Traſamundus annis XXVI. ☙ Obiit ſanctus Alpinus ☙ Launomarus *Carnotenſis* fundavit Curbionem. ☙ Sanctus Victonius Virdunenſis.

Anno CCCCXCVII Rex Clodovæus baptizatus eſt à beato Remigio.

Anno D Sanctus Remigius fecit primum Epiſcopum Genebandum in Lauduno.

Anno DII clarus habetur Boetius, Philoſophus & Catholicus Chriſtianus.

Anno DIIII Sanctus Melanius Redonenſis & Sidonius Epiſcopus Arvernenſis, Quintianus Ruthenenſis Epiſcopus & Maxentius Abbas Pictavienſis.

Anno DVI Sigismundus regnavit in Burgundia.

Anno

Digitized by Google

Anno DVIII Rex Clodovæus vicit Alaricum & ejus regnum obtinuit. ☙ Romæ Hormisda Papa annis IX & dimidio natione Campanus de Frisione. ☙ Anglorum in Cantuaria Octa & filius ejus Itinericus annis LIII.

Anno DIX Wisigothorum in Hyspania Amalricus annis XVI. Circa hoc tempus obiit sancta Genofeua Parisius annis LXXX.

Anno DXI *Prima Synodus Francorum*, id est Aurelianensis secunda, celebrata est sub rege Clodoveo & beato Remigio de restauratione Ecclesiarum, Dicitur quod ab obitu beati Servatii usque ad Synodum Aurelianensem vacavit sedes *Tungrensis* per annos LXXX & amplius. Ab ista ergo Synodo missus fuit dominus Agricolus undecimus Tungrensis. Episcopus qui sedem suam habuit in Trajecto, ubi humatus erat sanctus Servatius, Hujus successores fuerunt, Ursinus, Designatus, Resignatus, Sulpitius. ☙ *Treveris* post Marum præfuerunt Volusianus, Miletus & Modestus, deinde Maximianus. *Metis* post Terentium Gonsolinus, Firminus, Grammatius. ☙ Apud *Tullum* Reufridus, pater Ecclesiæ, Leudinus, Euborinus. ☙ Apud *Coloniam* post beatum Severinum Evergislus, deinde Solanus.

Anno DXIII obiit Rex Clodovæus & sepultus est Parisius in Ecclesia beati Petri, quæ modo dicitur ad *sanctam Genouefam*. ☙ Ab hoc etiam anno incipiunt anni L Lotharii. ☙ Regnaverunt autem simul quatuor filii Clodovei & inter se regnum partiti sunt. Primus de prima uxore Theodericus Remis regnavit & tenuit Treverim & Metim & Tungrim & omnes partes istas usque ad Rhenum & provinciam Francorum ultra Renum. Tres alii Clodovæi filii de Crothilde Burgunda. Cujus talis extat antiquitas : ☙ Rex *Borgondiæ* Godoneus [Godoveus] de genere primi Athanarici Gothorum Regis procreatus, quatuor habuit filios Gundebaldum & Godegisilum, Chilpericum patrem hujus Crothildis, & Gothmarum. Gunebaldi filii fuerunt sanctus Rex Sigismundus. Tres igitur Clodovæi filii de ista Crothilde, Clodomiris pater sancti Clodoaldi Presbyteri regnavit Aurelianis. Cujus regnum tendebat versus Byturicas & Burgundiam.

diam. Childebertus regnavit Pariſius, cujus regnum tendebat verſus Turonim & Pictavim & Neuſtriam, quæ modo Normannia vocatur. Lotharius regnavit Sueſſionis, cujus regnum tendebat verſus Veromandiam & Flandriam & Pontinum; qui ſupervixit omnibus fratribus & Nepotibus ſuis & ad ipſum extremo vitæ ſuæ tempore totum devolutum eſt regnum. Dicendum igitur de primogenito Theodorico quod XXIII annis regnavit, multas terras acquiſivit. ☙ Floruit hujus tempore ſanctus Theodericus beati Remigii diſcipulus, & fuit cujusdam Latronis filius, qui ipſum patrem ſuum poſtea fecit probatum Monachum. Dicto etiam Regi Theoderico oculum fere perditum reſtituit, & ejus filiam à morte ſuſcitavit, unde Rex idem dedit ei villam Gangiacum, ubi modo eſt Abbacia ſancti Theoderici.

Anno DXIIII Sanctus Arnulphus quondam Turonénſis Epiſcopus in ſilva Aquilina ſepultus eſt, dicitur quod primo fuit *Comes de Reiteſta.*

Anno DXVII ab hoc anno per annos xx ſpecialiter floruit ſanctus Benedictus.

Anno DXVIII Juſtinus Senior imperat annis octo. ☙ Romæ Johannes Papa annis tribus & dimidio.

Anno DXIX. Obiit ſancta Brigida. ☙ Rex Weſt-Saxonum in Anglia Cerdius primus de quo ſupra diximus, qui Vectam inſulam obtinuit & per XXIIII annos regnaverat. Ab hinc per XV annos fortior exſtitit. ☙ Tempore quatuor regum Francorum floruit ſanctus Veranus Epiſcopus Gavalitanus.

Anno DXX Longobardorum Walthariçh annis ſeptem. ☙ Rex Francorum Clodomiris occiditur.

Anno DXXI Perſarum Kabades annis XVI. Wandalorum Hildericus annis novem. ☙ Johannes Papa & Symmachus patritius à Theoderico Rege Oſtrogothorum martirizantur.

Anno DXXII Idem Rex Theodericus Oſtrogothorum de inferno in in-

in infernum ſepelitur. ☙ Romæ Felix Papa annis quatuor natione Sannius. Hic fuit atavus * beati Remigii.

Anno DXXIII Oſtrogothorum Athalaricus annis VII. Cancellarius ejusdem Theoderici Oſtrogothorum Regis Caſſiodorus Senator floruit.

Anno DXXV Wiſogothorum Cheudo annis XVII. Theodericus Rex Francorum Thoringiam ſubegit.

Anno DXXVI Juſtinianus imperat annis XXXVIII.

Anno DXXVII Longobardorum Audoin annis XVII.

Anno Domini DXXVIII Romæ Johannes Mercurius natione Romanus annis quinque.

Anno DXXIX Sanctus Gregorius Lingonenſis Epiſcopus fundavit Abbatiam ſancti Benigni Divionenſis. Hujus filius Tetricus poſt eum Lingonenſis Epiſcopus.

Anno DXXX Wandalorum Geliſmerus annis IIII. Oſtrogothorum Theodatus annis tribus.

Anno DXXXI Priſcianus Grammaticus & Arator poeta clarent.

Anno DXXXII Sanctus Vedaſtus ordinatur primus Atrebatenſis Epiſcopus.

Anno DXXXIII Oſtrogothorum Withigis anno uno. ☙ Romæ Agapithus Papa natione Romanus anno uno. ☙ Obiit beatus Theodericus ſancti Remigii diſcipulus Kalend. Julii.

Anno DXXXIV Romæ Silverius Papa natione Campanus filius Hormisdæ Papæ anno uno & dimidio. ☙ Wandalorum Gunthárius anno uno : & finitum eſt regnum Wandalorum.

Anno DXXXV Romæ Vigilius Papa natione Romanus filius Johannis conſulis annis XVII. ☙ Obiit Rex Francorum Theodericus primus filius Clodovei anno XXIII regni ſui, cui ſuccedit filius ſuus Theodebertus annis XIV. Oſtrogothorum Ærarius [Araricus] anno uno.

Anno DXXXVI Oſtrogothorum Totila annis undecim.

Digitized by Google

Anno DXXXVII Perſarum Cosdroe annis XXXVII. Obiit beatus Benedictus Abbas.

Anno DXXXVIII De Theophilo pœnitente per beatam Mariam reconciliato.

Anno DXXXIX De juniore Benedicto in Clibano projecto.

Anno DXLII Theudegilus Wiſogothorum annis duobus.

Anno DXLIII Sanctus Herculanus Periſinus martirizatur.

Anno DXLIIII Wiſigothorum Agilan annis IX. Longobardorum Albora [Alboin] annis XXIIII.

Anno DXLVI obiit ſanctus *Remigius*. De Epiſcopis qui Teſtamento ejus ſubſcripſerunt vivebant adhuc hii. Sanctus Vedaſtus Atrebatenſis, Ganebaudus Laudunenſis, ſanctus Medardus Noviomenſis & Lupus Epiſcopus Sueſſionenſis filius fratris beati Remigii & plures alii. Unus diſcipulus beati Remigii duodecim Xenodochia fecit. Beato Remigio ſucceſſit in Epiſcopatu Romanus, deinde Flavius. ☙ *Treviri* poſt Maximianum ſedit Sebicius, deinde Abrunculus. ☙ *Tungris* poſt Supplicium Quirillus, Eucherius, Falco, deinde Eucharius. ☙ *Metis* poſt Gramatium, Agacumber, Sperus, Wilicus, Petrus. ☙ Apud Cathalaunum ſancto Alpino ſucceſſit Amandinus & huic Florendinus & huic Providorus, deinde Prædictor, quem ſequitur Lupus.

Anno XLVII Rege Totila peremto finitum eſt regnum Oſtrogothorum, niſi quod quidam Teias ſuper eorum reliquias biennio tirannizavit, qui tandem interiit. ☙ Hoc etiam anno in Anglia regnum Nordanimbrorum incipit, in quo primus regnavit Ida Rex annis XI.

Anno DXLVIII floruit ſanctus Agericus Virdunenſis. Theodebertus rex in Italiam Bucellinum cum Francis miſit.

Anno DXLIX obiit Rex Francorum Theodebertus.

Anno DL Theodebaldus filius Theodeberti regnat poſt patrem annis VII. ☙ Quinta Synodus univerſalis Conſtantinopolim tempore Papæ Vigilii.

Anno DLI Hucusque hiſtoria Jordanis Epiſcopi de Gothis pertingit.

Anno

Anno DLII Wiſigothorum Atanachildus pater Brunechildis annis XXII.

Anno DLIII Romæ Pelagius Papa natione Romanus annis duobus.

Anno DLIIII Obiit Regina Crothildis.

Anno DLVI Obiit Rex Francorum Theodobaldus anno XLIIII Lotharii. Obiit Rex Childebertus & ſepelitur apud ſanctum Vincentium Pariſius, Rex autem Aurelianenſis Clodomirus ante alios jam erat mortuus, & ita Lotharius ſex annis totum regnum tenuit. ☙ Item ſanctus Medardus Epiſcopus hoc anno deceſſit, quem Rex Lotharius Sueſſionis ſepelivit.

Anno DLVIII Weſt-Saxonum in Anglia Ceaulinus annis XXXI. Northdanimbrorum Alla annis XXX.

Anno DLXI de ſancto Brandano. Cantuariæ Edisbertus[Edilbertus] annis LVI.

Anno DLXIII Obiit Rex Francorum Lotharius anno regni LI. Cui ſucceſſerunt quatuor filii ejus. Carembertus Pariſius cum Aquitania, Guntrannus Aurelianis cum Burgundia. ☙ Sigebertus Remis cum Campania & ſuperiori Francia & inferiori Germania, Celpericus Sueſſionis annis XXI cum adiacentibus mari Britannico ſimul conregnantes. Dictus autem Lotharius duxit in uxorem *Radegundem* neptem Ermefridi Thoringiæ Regis Bertharii filiam, ſed illa de manu ſancti Medardi velamen aſſumſit & Pictavis congregationem dominarum nobilium inſtituit.

Anno DLXIIII Romæ Johannes Papa natione Romanus annis XII.

Anno DLXV Juſtinus Junior imperat annis XI. In Scotia *Columba* Presbyter claret qui fundaverat *Ardemach* in Hybernia. Ab hinc incipe CL annos ſecundum Merlinum.

Anno DLXVI Sanctus Samſon Dolenſis floruit.

Anno DLXVIII Longobardi indictione prima in Italiam venerunt, & ablyinc Alboin ſuper eos regnavit annis ſex. Mahometh

ille maledictus & pseudopropheta nascitur in Arabia patre Abdimeneph ex progenie Ismael.

Anno DLXX obiit sanctus Vedastus.

Anno DLXXIIII Wisigothorum Lemia & Levigildus annis XVI. ☞ Persarum Hormilda annis XVIII. Longobardorum Cleph annis duobus.

Anno DLXXVI Tyberius imperat annis VII. Romæ Benedictus Papa natione Romanus annis V. Longobardi super se duces statuerunt per annos decem.

Anno DLXXVII De errore *Paschæ* in Hyspania secundum Historiam Francorum. Obiit sanctus Maurus Abbas & Levita anno XL ab obitu beati Benedicti. Per hoc quod beatus Maurus non accepit ordinem sacerdotii, per hoc conjicio *beatum Benedictum non fuisse Sacerdotem* sed Diaconum. ☞ *Treveris* Rusticus præfuit Episcopatui, tempore Sigeberti, qui per *beatum Goarem* fuit correptus, & hoc tempore idem Sanctus obiit ante mortem dicti Sigiberti. ☞ *Tungris* post Eucharium sedit sanctus Domitianus decimus ab Agricolo à Materno vicesimus. ☞ *Colonie* post Solanum sedit Sunemerus, deinde Remedius. *Metis* post Petrum Aigulfus, deinde Arnualdus. ☞ Apud *Tullum* post Eborinum Emerceus, deinde Magnaldus. Apud *Cathalaunum* post Lupum Papio, Eucharius Theumodus, deinde sanctus Elasius. ☞ Rex Sigebertus occiditur immissu malæ uxoris suæ Brunechildis & sepelitur Suessionis ad sanctum Medardum cum patre suo Lothario. Succedit filius suus Childebertus per annos XXIII. Sub hoc autem Childeberto celebratum est *Aurelianense concilium tertium*, cui interfuit sanctus Domitianus Tungrensis Episcopus. ☞ Ex Historia Remensi idem Sigebertus Rex alium habuit filium, qui dictus est *sanctus Baldricus* presbyter & Abbas. Hic fecit *Remis Monasterium* puellarum sancti Petri & ibi sancta Bona Soror sua fuit prima Abbatissa. Secunda Abbatissa Neptis ejusdem sancta Doda. Hic sanctus Baldricus quærens postea *heremitorium*, venit ad locum ubi modo est mons Falconis, & ibi avis quæ

dicitur

dicitur *falco* eum conduxit, ibique monachorum Abbaciam instituit & multa miracula fecit. ☙ Remis Flavio successit Rapinus, deinde Ægidius.

Anno DLXXIX obiit sanctus Germanus Parisiensis Episcopus.

Anno DLXXXI Romæ Pelagius Papa natione Romanus annis decem.

Anno DLXXXIII Mauritius imperat annis XX.

Anno DLXXXIIII Rex Francorum Suessionis Chilpericus immissu uxoris Fridegundis occiditur, jacet ad Vincentium Parisius, hoc est ad sanctum Germanum de Pratis, succedit Lotharius filius ejus adhuc parvulus annis XLIIII.

Anno DLXXXV Secundum historiam Britonum & Anglorum Eduwinus, qui postea Rex fuit, nascitur.

Anno DLXXXVI Longobardorum Anterith annis VII.

Anno DLXXXVII Archiepiscopus Remensis à potentissimo Rege Guntranno in concilio Metensi fuit depositus & apud *Strauburc* exiliatus.

Anno DLXXXIX In Anglia obiit Ceanlinus West-Saxonum Rex, qui secundus supra cæteros regulos infra Humbrum potentior fuit. Nam primus fuerat quidam Ella Rex Australium Saxonum, Tertius fuit Rex Edilbertus Cantuariorum. Ceaulino succedit Celricus filius Eudæ fratris ejus annis quinque. ☙ Nordanhinbrorum Ethelricus annis quatuor Idæ filius.

Anno DXC Wisigothorum Richaredus annis XV. De Ermigildo à patre occiso.

Anno DXCI Romæ Gregorius Magnus natione Romanus Papa eligitur annis XIIII. ☙ Persarum Cosdroe persecutor regnat annis XXXVI.

Anno DXCII Treverensi Episcopo Rustico succedit Aponoculus. ☙ Cujus tempore fuit Hildius Arvernensis. ☙ Apud Cauthaulaunum sancto Elasio succedit Leudomirus frater ejus. Re-

mis ut ſupra dictum eſt Epiſcopo Ægidio depoſito, cujus laudem *Fortunatus* verſibus declaravit, ſuccedit Romulfus *filius Ducis Lupi* frater *Johannis Ducis*. Tempore autem Remenſis Epiſcopi Mapini prædeceſſoris Ægidii Svavegotta Regina cum filia Teudechilla *Viriziacum* fundaverat. Vir ergo nobilis *ſanctus Baſolus* de Lemovicinia ſi venerat, qui Viriziacum intravit, quando jam erat abbacia Monachorum XII & ibi fontem miraculoſe fecit, ubi & obiit VI Kal. Decembr.

Anno DXCIII Huc usque *Gregorius Turonenſis*. Longobardorum Agilulfus annis XXV. Hoc anno qui eſt Guntrani XXX facta eſt inventio *tunicæ inconſutilis*.

Anno DXCIIII Philtanus ex *Hybernia* pater *ſancti Furſei*. Nordhanimbrorum Edilfridus annis XXIIII.

Anno DXCV Epiſcopo Domitiano *Tungrenſi* ſuccedit Monulphus, deinde Gundulphus, Gundulphus ſedem Epiſcopalem in Trajecto conſtituit. Gangericus Epiſcopus *Cameracenſis* claret.

Anno DXCVI obiit Guntrannus Rex Francorum anno regni ſui XXXIII. Ipſe eſt qui theſauros ſuos dedit pauperibus & Eccleſiis. Rex autem Childebertus factus eſt hæres patrui ſui Guntranni. Arrianæ perfidiæ renunciant Wiſigothi LXII Epiſcopi.

Anno DXCVII obiit Rex Francorum Childebertus, cui ſucceſſerunt duo filii ejus : ☙ Theodericus in *Burgundia* ſedem habens Aurelianis, Theodebertus in *Auſtria* ſedem habens Metis. ☙ Obiit Abbas Columba in Scotia in Inſula quæ dicitur Hy. ☙ *Auguſtinus* à beato Gregorio miſſus eſt in Angliam cum ſociis quadraginta. Rex Cantuariorum Edilbertus baptizatur cum gente ſua, adventus Anglorum in Britanniam anno CL. Eodem anno fuit deſtructio monaſterii ſancti Benedicti *in monte Caſſino*. ☙ Beatus Gregorius ſcribit Dyalogum. Prædictus Rex Edelbertus jam habebat uxorem Chriſtianam nomine Bertam de genere Francorum, quæ venerat cum Epiſcopo Leuthardo.

Anno DCI beatus Gregorius miſit Auguſtino *pallii* dignitatem, Mellitum, Juſtum, Paulinum & alios. Ordinati ſunt Mellitus in Lundonia, Juſtus in Rouceſtria.

Anno

Anno DC beatus Columbanus veniens à Scotia & Hybernia, fundavit *Luxovium* in Burgundia.

Anno DCIII Focas imperat annis VIII. ☙ Inventio ſancti Victoris caſtro *Soladoro*.

Anno DCV obiit beatus Gregorius Romæ, ab hoc anno præfuit Papa Sabinianus natione Tuſcus de civitate Blera anno uno & dimidio. ☙ Wiſigothorum Betericus annis VII.

Anno DCVI Auguſtinus Cantuariæ moriens Laurentium pro ſe inſtituit.

Anno DCVII Romæ Bonifacius Papa natione Romanus anno uno. ☙ Hic eſt primus annus Alhigeræ [Alhegiræ] ſecundum Sarracenos, ex quo ſcilicet Mahumet cepit eos ſeducere.

Anno DCVIII Romæ Bonifacius Papa natione Marſus de civitate Valeria annis ſex. ☙ Weſt-Saxonum filius Celerici Ciſinegilus annis XXXI.

Anno DCIX de Eccleſia pantheon Romæ.

Anno DCX floruit ſanctus *Auſtregiſilus* Biturienſis & ſub eo ſanctus Sulpicius frater ſancti Auſtregiſili. Fuit ſanctus Auſtregiſilus primus Nivernenſis Epiſcopus.

Anno DCXI Eraclius annis XXXI. Perſecutio ſancti Columbani.

Anno DCXII Wiſigothorum Seſebutus annis XXIX. Sanctus Deſiderius Viennenſis lapidatur.

Anno DCXIII de pollice ſancti Johannis Baptiſtæ, Apud Maurientiam de tribus guttis ſanguinis.

Anno DCXIIII Romæ Deus dedit Papa natione Romanus ſedit annis tribus & dimidio. ☙ Pro *ducatu Dentiloni* Theodericus contra Lotharium.

Anno DCXV annus quintus Eraclii fuit quartus Seſebuti, Sancta Glodeſindis Metenſis.

Anno DCXVI Obiit Rex Edilbertus Cantuarienſis Chriſtianus ſuper cæteros regulos potentior tertius in ordine. Quartus in ordine poten-

potentior dictus eſt Redualdus orientalium Anglorum Rex filius Titili, filii Wffa. Ab iſto dicta eſt civitas Uxala [Upſala] Wffi aula in Svecia. Quintus potentior cæteris fuit Rex Edwinus, Sextus ſanctus Rex Oſwaldus, Septimus Rex Oſwi frater ejus, ſuccedit Regi Edilberto Eadbaldus filius ejus annis XXIIII : Sanctus Lupus Senone. ☙ Theodebertus Rex Auſtriæ obiit Coloniæ, & frater ejus Rex Burgundiæ. ☙ Theodericus per Brunechildem aviam ſuam interiit Metis. ☙ Et eodem anno judicio Francorum Brunechildis interiit, ſepulta eſt Eduæ in Burgundia.

Anno DCXVII Francorum Lotharius annis XI. Super totum regnum, Nordanimbrorum Edwinus annis XVII. Super Britones Cadvallo Rex. ☙ Circa hoc tempus electus eſt in eccleſia *Trevereñſi* ſanctus Gallus ſancti Columbani diſcipulus, ſed non conceſſus, & ordinatus eſt ſanctus Nicætius. Et poſt eum diſcipulus ejus Magnericus & hujus diſcipulus Gaugericus fuit Epiſcopus *Camaracenſis*. Huic Magnerico ſucceſſit in Epiſcopatu Sabandus, deinde Severinus, qui poſtea apud *Burdegalam* Amando ſucceſſit in Epiſcopatu. ☙ *Tungris* poſt ſanctum Gondulphum ſanctus perpetuus, qui apud *Dionantum* caſtrum ſepultus, deinde ſanctus Ebrigiſus, qui in *Trucmonia* ſepultus, poſtea Coloniam fuit translatus.

Anno DCXVIII Romæ Bonifacius natione Campanus annis ſex. ☙ Obiit Laurentius Anglorum Epiſcopus, cui ſuccedit Mellitus. ☙ Longobardorum Adaloaldus annis XII.

Anno DCXIX Alexandria à Perſis capta eſt. Obiit ſanctus Johannes Elemoſinarius in Cypro.

Anno DCXX Lotharius Rex Dagobertum filium ſuum commiſerat educandum *Pipino* principi Karlomanni filio & *Arnulfo* illuſtri cognato ſuo. De ſancto Anaſtaſio martire.

Anno DCXXII. Ab hoc anno Eraclius imperator iter arripuit contra Perſidem, ☙ Obiit ſanctus *Columbanus* Abbas apud Bobium in Italia. Hujus diſcipuli clarent ſanctus Gallus cujus frater ſanctus Deicolus. Item ſanctus Walericus, Euſtaſius abbas Luxonienſis & Attila Bobienſis.

Anno

Anno DCXXIII obiit Archiepiſcopus Mellitus, ſuccedit Juſtus Rouceſtriæ Epiſcopus.

Anno DCXXIIII Romæ Honorius Papa natione Campanus annis XII filius Petronii Conſulis.

Anno DCXXV Paulinus ordinatus à Juſto mittitur Eboracum.

Anno DCCXXVI regnum Merciorum in Anglia incipit. ☞ Super *Windos* in Slavia [ubi] regnavit primus Samon annis XXXV. Warnacharius major domus obiit. ☞ Florebat ſanctus Chunibertus Colonienſis Epiſcopus per annos XL. Cujus etiam tempore floruit ſanctus Agricola Johannes, qui dictus eſt agnus Tungrenſis Epiſcopus, qui per virgam florentem & per verba ſancti Memnoni transmarini miraculoſe ex cive *Hojenſi* factus eſt Epiſcopus, ☞ *Metis* poſt Arnualdum ſedit Papolus, deinde *ſanctus Arnulfus*. ☞ Apud Cathaulaunum ſancto Leudomiro ſucceſſerat Felix Epiſcopus. ☞ Remis Epiſcopo Romulfo ſucceſſit Sonacius. Iſte Sonacius *concilium* tenuit XL Epiſcoporum. Inter quos nominati ſunt Cunibertus Colonienſis, Modoaldus Treverenſis, Arnulfus Metenſis, Felix Cathalaunenſis, Sulpitius Bituricenſis, Theodericus Lugdunenſis, Sindulphus Viennenſis, Modegiſilus Turonenſis, Richerius Senonenſis, Donatus Biſuntinenſis, Modoaldus Lingonenſis, Bertegeſilus Carnotenſis, Palladius Antiſiodorenſis, Gondoaldus Meldenſis, Leudebertus Pariſienſis, Godo Virdunenſis, Auſericus Sueſſionenſis, Berthoaldus Cameracenſis, Johannes Pictavienſis, Agomarus Silvanectenſis, Lupoaldus *Maguntiacenſis*. Ante iſtum Lupoldum fuerunt iſti Epiſcopi per ordinem, ſanctus Creſcentius, Martinus, Bocladus, Soffronius, Rotharius, Aureus frater ſanctæ Juſtinæ virginis & martiris, Maximus, Sidonius, Sigimundus, Leuguſius, Bezelinus, Lancvvaldus, Lupoaldus ſupra dictus. Cui ſucceſſerunt iſti, Sigibertus Gerorldus, Govvilib, Bonifacius qui martir occubuit nonas Junii.

Anno DCXXVII Cyclus ſancti Yſidori Æra DCLXVI. In Anglia Nordanimbrorum Rex Edvvinus baptizatus eſt. Adventus Anglorum anno CLXXX.

Anno DCXXVIII obiit Rex Francorum Lotharius qui apud ſanctum Vincentium Pariſius ſepultus eſt. Cui ſucceſſit Dagobertus rex inclitus filius ejus ab iſto anno per annos XVI.

Anno DCXXIX.

Anno DCXXX Longobardis Arioaldus annis duobus. Obiit ſanctus Bavo, Exaltatio ſanctæ crucis.

Anno DCXXXI. Machometus interiit poſt decem annos ſuæ majoris Tyrannidis, ſuccedit ei Ebuleber, qui & Bochora annis tribus.

Anno DCXXXII Longobardis Rothorath annis XVI. * Weſt-Saxonum in Anglia cum Rege Chisnegislo baptizati ſunt.

Anno DCXXXIII In Anglia Rex Edvvinus Chriſtianus XLVIII ætatis à Peanda Rege Merciorum pagano occiſus eſt. Liber tertius *Bedæ* incipit & liber *Elinandi*.

Anno DCXXXIII filius Dagoberti puer Sigebertus baptizatus eſt à beato Amando, & idem Amandus factus eſt Tungrenſis Epiſcopus. Tribus annis ſolummodo præfuit, at deinde prædicationem ad exteras gentes aggreſſus eſt. Sanctus verò Londoaldus vices Epiſcopatus ſub eo per tres annos amminiſtravit, qui beatum Lambertum à puero enutrivit. Sarracenorum Haumar qui & Himarus annis XII.

Anno DCXXXV In Anglia ſanctus Avidanus fit primus Epiſcopus Lindisfarnenſis.

Anno DCXXXVI Romæ Severinus Papa annis duobus & dimidio. Obiit Herbertus frater Dagoberti. Regnum Navarrorum Siſenandus in Hyſpania.

Anno DCXXXVII floruit Romaricus Abbas, à quo *Romericè mons* dicitur.

Anno DCXXXVIII Dagobertus filium ſuum Sigebertum puerum regem fecit in *Auſtria*, ſub tutela Pipini & Cuniberti Colonienſis Epiſcopi. Sanctus Ægidius fundavit *Solempniacum Monaſterium* in Dyoceſi Lemovicenſi, ubi primum Abbatem ſanctum Remaclum

clum instituit. ☙ Sanctus Dado, qui *Audoenus* dictus est, fundavit Resbacum, ubi fuit primus abbas *Sanctus Agilus*.

Anno DCXXXIX Johannes Papa natione Dalmacius anno uno & dimidio. In Anglia West-Saxonum Rex Kenvvalrius annis XXXI.

Anno DCXL Eadbaldus Rex Cantuariorum moritur, eique succedit filius ejus Earcombertus annis XXIIII.

Anno DCXLI Theodorus Papa natione Græcus filius Theodori Patriarchæ Jherosolymorum annis quatuor & dimidio. ☙ Wisigothorum in Hyspania Sentila annis duobus, sancta Aurea, sancta Reginulfa.

Anno DCXLII Heraclonas cum matre Martina imperat anno uno, passio sancti Osvvaldi Regis Nordanimbrorum.

Anno DCXLIII Constantinus filius Constantini filii Heraclii imperat annis XXVI.

Anno DCXLIIII Haumar Sarracenorum templum cæpit ædificare in Jherusalem. ☙ Obiit rex Dagobertus, qui multa bona contulit Ecclesiæ, sepultus est apud *sanctum Dionisium Parisiis*. Hic primum conventum Monachorum sancti Dionisii adduxerat ab abbacia sancti Mauritii Agaunensi. Successit ei in regno filius ejus Clodoveus in *Neustria, id est, in nova Francia* per annos XVII, vivente adhuc Sigeberto in Austria. ☙ Metis *sancto Arnulpho* successit sanctus Gœricus, post quem fuit Godo Episcopus. ☙ Hic dicendum est, quod primi filia Lotharii Blitildis, soror Guntranni Regis & Chilperici & aliorum, duci Ansberto illustri Viro peperit ducem Arnoldum & Ferreolum, qui fuit Episcopus in Ultra civitate ubi martir factus est, & Modericum Episcopum in Arilido, ubi confessor quievit, & Charsiam virginem, quæ Redonis obiit. Dux Arnoldus genuit Ducem Arnulfum, Dux Arnulfus sanctus, antequam fieret Metensis Episcopus, de Doda tres genuit filios, Ducem Ansigisum & Walchisum, patrem sancti Wadregisili Fontenellensis & Clodulfum Metensem Episcopum. De sorore natus est sanctus Godo de Oyo [v.676] filius comitis *Virdunensis*. Dux Ansigisus, qui & Anchises, duxit san-

ctam Beggam, ſororem ſanctæ Gertrudis de Nivella, filiam ſcilicet primi *Pippini* filii Karolomanni, & genuit Ducem Pippinum patrem Karoli Martelli. ☙ Apud *Tullum* Epiſcopo Magnaldo ſucceſſerat Dodo, & huic Girbauldus, & huic Godo. Tempore hujus Girbauldi ſanctus Deodatus fuit electus in Archiepiſcopum *Trevirenſem*, ſed reſignavit, & factus eſt *heremita*. ☙ Apud *Cathalaunum* Felici Epiſcopo ſuccedit Rannabaudus, & huic Landebertus, & huic Aurulfus. *Remis* Archiepiſcopo Sonnancio ſuccedit Leudegiſilus, qui fuit frater *Attilæ*, Laudunenſis Epiſcopi. ☙ Et tempore Regis Dagoberti & Epiſcopi Abbonis Trecenſis ſequitur Angelbertus, cujus tempore fuit Gallus Alinenſis; hunc ſequitur Lando, qui ſepultus apud ſanctum Remigium tempore Regis Sigeberti ſecundi. Filibertus fuit Abbas ſecundus Resbacenſis.

Anno DCXLV Martinus Papa annis VII.

Anno DCXLVI Clodovei tertio, & Martini Papæ ſecundo ordinantur Epiſcopi Eligius Noviomenſis, & Audoenus Rothomagenſis. ☙ Saracenis Odmen, qui & Human annis X.

Anno DCXLVII Sanctus Remoclus ordinatur *Trajectenſis* Epiſcopus vivente adhuc anteceſſore ſuo *ſancto Amando* & Verbum Dei ubique prædicante. Duo iſti ſanctus Amandus & ſanctus *Remaclus*, & ejusdem Remacli diſcipulus ſanctus Hadelinus de Cellis, venerunt de Aquitania. ☙ Poſt Modoaldum Treverenſem Epiſcopum, qui fuit frater Ittæ matris ſanctæ Gertrudis, promotus apud Treverim Numerianus & poſt eum Vir nobilis, qui fuerat Abbas nomine Baſinus.

Anno DCXLVIII Longobardis Rodoaldus annis tribus.

Anno DCXLIX Sanctus Autbertus Cameracenſis, Landelinus Labienſis, Gillenus Cellenſis.

Anno DCL Sanctus Furſeus venit de Hybernia. Vincentius Altimontis. Aldegu[illegible]is & Waldetrudis.

Anno DCLI [illegible]ngobardis Haripert annis IX. Concilium Martini Papæ. ☙ Obiit ſanctus Aidanus in Anglia, cui ſucceſſit Finia-

Digitized by Google

Finianus Episcopus annis decem. ☞ In Austria Rex Sigebertus fundavit duodecim monasteria, inter quæ eminent *Stabulaus*, & Malmundarium & Abbacia sancti Martini Metensis. Primo factum Malmundarium quasi à spurciciis idolorum emundatum, Agripinensis Diocesis; deinde Stabulaus sic dictus quia ibidem fuit bestiarum silvestrium stabulum, Tungrensis diocesis, & beatus Remaclus Episcopatu dimisso, in ipso recepit quem non dimiserat habitum, cui sanctus Theodardus in Episcopatu successerat. ☞ In *Colonia* post sanctum Cunibertum sedit Rothadus, deinde Stephanus, post Aldevvinus.

Anno DCLII fundata fuit hoc tempore Abbacia *Lobiensis* & in diœcesi Aurelianensi Abbacia sancti Benedicti, quæ dicitur *Floriacensis*. ☞ In Anglia Wenda filius Pendæ Christianus occisus est. ☞ Obiit Honorius Archiepiscopus . . . . . succedit Deusdedit.

Anno DCLIII Eugenius fit Papa annis tribus. ☞ Quædam historia de Rege Floovenz, Clodovei filio, hujus filia Helvidis data *Justamundo* Regi Saxonum peperit *Brunomundum & haredes Wichetindi.*

Anno DCLIIII Etto, Bertuinus, sanctus Trudo, sanctus Argiulphus de *Primino.*

Anno DCLV Rex Sigebertus moritur & Metis sepelitur. *Sanctus Judocus* filius *Regis Britonum* claruit.

Anno DCLVI Vitalianus Papa ordinatur per annos XIIII, qui regulam ecclesiasticam atque vigorem omnino conservavit. ☞ In Anglia Merciorum Wlfere sub patre suo Penda regnare cepit annis XIX. ☞ Sarracenorum Hali annis tribus & dimidio. Sancto Theodardo Episcopo martirizato sanctus Lambertus, Apri Comitis filius, factus est *Trajectensis* Episcopus. Præfuit circiter XLIII annis, computatis illis septem annis, quibus in medio tempore fuit depositus.

Anno DCLVII Ysidorus Episcopus Hispalensis librum ethimologiarum edidit.

Digitized by Google

Anno DCLVIII de ſancto Audamaro Tarunanenſi Epiſcopo, & de cæcitate ejus.

Anno DCLIX Sarracenorum Alhacen filius Hali anno dimidio.

Anno DCLX Sarracenorum Moann, qui & Muhamas annis XVIII. Longobardorum Bertharith & Godipert anno uno.

Anno DCLXI Francorum Lotharius Clodovæi, id eſt Ludovici filius annis IIII. Longobardorum Grimoaldus annis IX, Wiſigothorum Chintilan annis XVII. Obiit major domus Erchenoaldus. Hic ſanctus Amandus obiit Epiſcopus quondam Trajectenſis, Quod autem Elonenſis dicitur, à loco in quo ſepultus eſt ſortitur. *Sanctus Philibertus* fundavit *Gemericum* [Gementicum 676]. Et Batildis fundavit *Corbejam*.

Anno DCLXII Fundatio *Altivillaris cœnobii.* Archiepiſcopo Remenſi Landoni ſucceſſerat ſanctus Nino qui & Nivardus; hic ad petitionem ſancti Bercharii fundavit abbaciam Altivillaris, in qua primum Abbatem inſtituit Bercharium, filium *Ducis Lemovicenſis*, qui diſcipulus fuit ſancti Remacli, & poſtea Monachus Luxovienſis, ubi fecit inſigne miraculum de vino, de dolio dimiſſo, quod modium exire non potuit, ſed in modum columpnæ crevit in rotundum, per obedientiam, quà citiſſimè ad Abbatem cucurrit. Erant in Luxovio DC monachi. Obiit ſanctus Nivardus Remenſis Archiepiſcopus apud altum Villare, reportatus eſt apud ſanctum Remigium. Corpus beati *Polycarpi* Presbyteri Sodalis beati *Sebaſtiani*, Et oſſa ſancti Sindulfi Presbyteri apud Altum villare translata ſunt. Frater autem ſancti Nivardi dominus Gundebertus, fundavit quoddam puellarum monaſterium *Remis* ad portam baſilicam, qui poſtea cruce ſignatus ultra mare, decollatus eſt pro Chriſto. Ejus relicta ſancta Berta fundavit *Avenniacum* puellarum, & ibi fecit fontem mirabilem. Inſtinctu quorundam privignorum ſuorum fuit martirizata, Montia Neptis domini Gundeberti retulit corpus ejus, & juxta ſanctam Bertam ſepelivit. In Anglia Finiano Epiſcopo ſuccedit Colmannus annis tribus.

Anno

Digitized by Google

Anno DCLXIII

Anno DCLXIIII in Anglia Penda Rex paganus Merciorum periit. Ab hinc Wlfere per annos XI. Colmannus in Hyberniam reversus fecit Abbaciam Deniagio. Ordinatus est Magnus Wilfridus à Parisiensi Agilberto.

Anno DCI XV Francorum mortuo Lothario Rege, Theodericus frater ejus anno uno, Cantuariorum Egbertus annis X. Britonum Caduałarus annis XII.

Anno DCLXVI Theoderico Rege *à Francis reprobato*, frater ejus Hildricus annis XII regnavit. Qui Rex dedit sancto Berchario saltum Dervense & Wasseium, & ita fundata est Abbacia Monasterii *Dervensis.* ☞ Obiit sancta Gertrudis Nivellensis. ☞ Episcopus Cathalaunensis post Aurulfum erat Berthoindus. ☞ Item Dux Wlfoaldus fundavit Monasterium *sancti Michaelis super Mosam* in Dyocesi Virdunensi, & quidam sanctus [illegible]dingus, relicto Episcopatu suo, *in Scotia* venit, & habitavit quasi heremita in nemoribus de Argona, & hâc occasione fundata est *Abbacia belliloci.* Tres istæ in partibus istis fundatæ unius fere antiquitatis. ☞ Obiit Deus-dedit Archiepiscopus. ☞ Gihardus etiam electus obiit Romæ.

Anno DCLXVII Obiit sanctus Eligius Novionensis Episcopus, Amatus Senonensis, sanctus Pharo *Meldensis*, & ejus successor sanctus Hildevertus.

Anno DCLXVIII ordinatus est Romæ Archiepiscopus *Theodorus Cantuariensis* natus Marso [Tharso] Ciliciæ, & cum eo missus est Abbas Adrianus.

Anno DCLXIX Constantinus supra dicti filius imperat annis XVII.

Anno DCLXX Adeodatus Papa annis IIII & dimidio. In Anglia obiit rex Osvvi Nordanimbrorum, hujus filius Egfridus annis XV. West-Saxonum Sexburga anno uno. Longobardorum Pertarich annis XVIII.

Anno

Anno DCLXXI Weſt-Saxonum Oſvvinus annis duobus. *De ſancto Cedda* Coventrenſi.

Anno DCLXXII. De ſancto Projecto Arvernenſi.

Anno DCLXXIII In Anglia primum conſilium [concilium] Theodori. ☙ Weſt-Saxonum Cedvvinus annis IX. Obiit Rex Egebrectus Canturarienſis.

Anno DCLXXIIII Sigebertus Monachus fundato Cœnobio à Leodebaldo Abbate ſancti Aniani Aurelianenſis *corpus ſancti Benedicti Abbatis* ab Agyulpho monacho à Caſſino monte delatum illuc transportatur. Corpus verò ſororis ejus *ſanctæ Scolaſticæ* Cenomannis transfertur. ☙ Teſtimonium Gvidonis. Conſtructo Cœnobio in agro *Floriacenſi*, qui regius erat fiſcus, à montis Caſſini monaſterio à perfidis Longobardis jam pridem deſtructo defertur venerabile ſancti Benedicti corpus. ☙ Hugo Floriacenſis translatum eſt venerabile corpus incliti confeſſoris Chriſti Benedicti à Caſſino monte ad Aurelianenſem Galliæ provinciam, anno ab incarnatione Domini DCLXXIIII, anno videlicet CXXXVIII tranſitus ejus; computantur quippe à tranſitu ipſius glorioſiſſimi patris Benedicti usque ad tranſitum Papæ Gregorii anni LXVIII, & ab obitu Papæ Gregorii usque ad translationem ipſius ſanctiſſimi Benedicti anni LXX. ☙ Auctor: Translatio beati Benedicti Abbatis, & ſororis ſuæ ſanctæ Scolaſticæ, facta eſt quinto Idus Julii, juſſione Mumuli primi Floriacenſis Abbatis, qui ſuper hoc divina revelatione prænonitus, miſit unum de ſuis Monachis Aigulfum nomine ad montem Caſſinum, ut idem ſibi deferret corpus ſanctiſſimi Benedicti. Hic autem Aigulphus poſtea fuit Abbas Lirinenſis, & martir, & corpus ejus iacet translatum in Pruvino. Ipſe eſt enim ſanctus Aiguſfus de Pruvino. ☙ Eodem anno ſecundum Bedam regnat in Anglia ſuper Canthuarios Lothere per annos XI & menſes ſeptem, & Archiepiſcopus Cantuarienſis *Theodorus* ſcripſit *pœnitentialem librum*, mirabili & cauta diſcretione diſtinguens modum ſingularum culparum.

Anno

Anno DCLXXV Anno Constantini Imperatoris VII Indictione tertia, ☙ Secundum Sigebertum, Sarracenorum *Stolus* contra Constantinopolim applicuit, sed dum per aliquot annos Christianis inaniter concurrissent, in redeundo ex multa parte dimersi interierunt. ☙ Item secundum Hugonem, dictus Constantinus fuit vir fide Catholicus & modestus sapienti quoque consilio usus cum Arabibus, qui damascum inhabitabant, & cum Bulgaribus pacem firmissimam fecit, restauravit etiam Ecclesias, quæ erant dirutæ à temporibus Heraclii proavi sui, insurrexit propterea contra Monothelitas satagens eorum opiniones subvertere, qui unam tantum in domino nostro Jesu Christo naturam inesse opinabantur. Romæ Domnus Papa anno uno & dimidio, In Anglia super regnum Merciorum Ethelredus annis XXX.

Anno DCLXXVI Sanctus Philibertus construxit Abbaciam monialium nomine *Pauliacum*, decem milibus à *Gementico* [Gemerico 661] distantem, ubi sancta Austroberta prima fuit Abbatissa, Et sanctus Godo nepos sancti Wandregisili fundavit in dioceſi Trecensi primam Abbaciam de Oia, [v. 644] in cuius clausura usque hodie *ranæ sunt mutæ* de mandato ejusdem sancti & miraculo. In Anglia sanctus Thubertus multorum miraculorum gloria floruit antequam esset Episcopus. ☙ Sigebertus Hildricus Rex levitate morum suorum accendit in se odia Francorum. Sanctus Leodegarius Augustudonensis Episcopus ab eo in Luxovio retruditur. In Italia tantæ pluviæ & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memorat, ut etiam homines & pecudia fulgure interirent, & nisi per Letanias, quas cotidie faciebant, Dominus esset propitiatus, non possent homines triturare vel in horreis frumenta recondere, in tantum, ut ex ipsis pluviis denuo legumina renascerentur, & ad maturitatem devenirent.

Anno DCLXXVII Agatho Papa annis quatuor & dimidio. ☙ Sigebertus Sarracenis & Arabibus cum Romanorum exercitu congressis occiduntur Sarracenorum XXX milia. Ab Augusto per tres menses stella radiis cælos penetrans à parte Orientis à Galli cantu usque

legatos anathematizauit. In hac Synodo fuerunt Episcopi CCLXXXIX. ❧ Hugo Imperator Constantinus sextam universalem Synodum Constantinopoli congregavit, quæ in uno domino nostro Jesu Christo duas naturas inesse comprobat & ostendit. Hæc est sexta sancta synodus Constantinopolim celebrata, anno imperii Constantini Christianissimi Augusti duodecimo, ubi affuerunt Agathonis Papæ legati, Johannes Dyaconus Romanæ Ecclesiæ, & alter Johannes Portuensis Episcopus. Præfuerunt etiam huic Concilio una cum præfatis Romanæ Ecclesiæ legatis Gregorius Constantinopolitanus Episcopus & Macharius Antiochenus, Quorum Gregorius ab errore, quo languebat, correptus est, & emendatus, Macharius verò in sui erroris defensione perseverans cum suis sequacibus simul & prædecessoribus Sergio, Pirro, Paulo & Petro dampnatus est & anathematizatus, degradatus est etiam idem Macharius atque depositus, & Cleophanius Abbas deSicilia pro eodem Episcopus est ordinatus. Ipse etiam Papa Romæ contra præfatam hæresin congregavit consilium, quo interfuit *Wilfridus de Anglia* transmarinus Episcopus. In cuius Synodi gestis inter alia scriptum invenitur hoc modo : ❧ Wilfridus amabilis Episcopus Eboracæ civitatis Apostolicam sedem de sua Musa appellans, absolutus est de certis & incertis rebus, & in Synodo cum aliis CCCXXVI residens, veram & catholicam confessus est fidem, quam aquilonares populi, gentes videlicet Hyberniæ, Anglorum, Britonum, & Scotorum & Pictorum inviolabilem conservabant, & hanc conscriptione suâ corroboravit. ❧ Hâc præterea tempestate Luna eclipsin passa est per indictionem octavam, sol defecit horâ diei quasi decima, quinto Nonas Maias, & eodem anno subsecuta est gravissima *pestis* tribus mensibus, Julio videlicet, Augusto & Septembri, fuitque Romæ mortalitas magna. Hæc quoque pestilentia Ticinum adeo depopulata est, ut civibus per iuga montium fugientibus intra præfatam urbem herbæ nascerentur atque frutecta. Tunc etiam visibiliter multis duo apparuerunt angeli bonus atque malus per gentes per civitatem, quorum malignus angelus venabulum

manu ferebat, qui, quotiens de venabu[illegible] cuius[illegible]que domus, boni angeli iussu, percussisset, tot de eâdem domo sequenti die hominum cadavera trahebantur : Sed quibusdam Viris in eadem urbe per revelationem dictum est, quod nunquam pestis ipsa quiesceret, donec in basilica beati Petri Apostoli, quæ ad vincula dicitur, sancti Sebastiani martiris altare construeretur, factumque est ita. Nam delatis ab urbe Roma beati Sebastiani martiris reliquiis, mox, ut jam in dicta basilica constructum est ipsius altare, pestis illa quievit. ❧ Item secundum Bedam Archiepiscopus Theodorus Cantuariensis concilium tenuit secundum in Anglia per indictionem VIII [que] anno Egfridi Nordanymbrorum regis & sexto anno Ethelredi Merciorum, & VII Lothere Cantuariorum, & XVII Adulfi *Orientalium Anglorum.* ❧ Eodem anno obiit sancta Hilda Abbatissa ejusdem gentis.

Anno DCLXXXI Agatho Papa suscepit *divalem jussionem Principum*, ut suggessit, *per quam relevata est quantitas, quæ solitaerat dari pro ordinatione Pontificis facienda;* sic tamen, ut si contingeret post eius transitum electionem fieri, *non debeat ordinari*, qui electus fuerat, nisi prius decreto generali introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum scientia & jussione debeat ordinatio provenire. Factus est Treverensis Archiepiscopus Luithwinus Basini prædecessoris sui nepos ex sorore, qui fuerat *dux Belgicæ* Galliæ & *super Saroam* fecit monasterium. Electus fuit à Laudunensibus & quandoque à Remensibus. Jacet in abbacia Medioloci. ❧ Archiepiscopus autem Remensis post sanctum Nivardum fuit sanctus Recolus, Iste primò fuit Comes, & habuit in uxorem sancti Nivardi neptem, filiam Hildrici. Hujus filius Gedeon factus est Monachus Altivillaris.

Anno DCLXXXII Leo Papa natione Siculus mensibus duobus, sanctus Leodegarius Augustudunensis Episcopus ab Ebroino capitur, & cum fratre suo Gerino graviter affligitur. Gerinus non multò post lapidibus obruitur. ❧ In Italiæ tribus æstatis mensibus gravissima

ma mortalitas hominum facta est. ☙ Sarracenis Marhuan principatur anno uno. Wisigothorum in Hyspania Thintasindus annis XX, *Ravenna* ecclesiura * Imperatoris sub ordinatione sedis Apostolicæ restituta est, scilicet, ut qui in ea electus fuerit Episcopus, in urbem Romanam veniat ordinandus.

Anno DCLXXXIII Benedictus Papa mensibus sex, ☙ In Anglia floret Edeltrudis Regina quæ *tribus viris nupta virgo permansit*, Cujus mortuæ corpus post undecim sepulturæ suæ annos incorruptum inventum est. Rex autem Egfridus innoxiam Hyberniæ gentem graviter depopulatur. ☙ Sarracenis Habdalam anno uno principatur. ☙ West-Saxonum Cedualla annis duobus.

Anno DCLXXXIIII Johannes Papa annis duobus. ☙ Sarracenis principatur Abdimelech annis XXII. ☙ Theodoricus Rex Ebroinum in gratiam recipit, ejus consilio Synodum Episcoporum cogit, & in hoc multos eorum sententia Ebroini Episcopatu privat, aliquos etiam irrevocabili exilio dampnat, sub tam procelloso domesticæ persecutionis tumultu, sanctus etiam *Lambertus* à Trajectensi ammotus Episcopatu in cænobio Stabulans monasticæ quietis expetiit portum, ibique per septem annos habitavit secum, Sanctus Leodegarius diu ab Ebronio tormentatus post famem & carceris squalorem, post oculorum evulsionem, post plantarum concussionem, post linguæ & labiorum consciscionem, tandem consummavit martirium per capitis abscissionem.

Anno DCLXXXV West-Saxonum Ynas annis XXXIIII. ☙ Sanctus Bercharius Dervensis Monasterii primus Abbas, hic obiit à filiolo sub nomine Dagvino cultello martirizatus. Ordinatus est sanctus Cuthbertus. Sanctus Philibertus ex dono Ansoaldi Pictavensis Episcopi fundavit monasterium situm in Herio insula. ☙ Ansigisus dux qui & Anchises *pater Pipini* à Gunduino perimitur, quem ipse inventum & nutritum de sacro fonte suscepit, & ad maximos militiæ honores pervenerat. [f. promoverat] Ejusdem Ansigili frater dictus Clodulphus qui promotus in Archiepiscopum Treverensem

post Luitwinum. ☙ Irv[illegible]glia secundum Bedam Picti, Scoti & Britones Anglos nimis premunt, & Egfridus Rex Nordanymbrorum à Pictis perimitur, & libertate, quam olim per Anglos perdiderant, recepta, multam Anglorum partem invadunt. ☙ Lothere Rex Cantuariorum moritur, succedit Edrich annis duobus; Egfrido Regi Nordanimbrorum succedit frater eius Alfridus, regnavit annis XIX. ☙ [illegible]nctus Kylianus Scotus Wirzburgensis Episcopus claret.

Anno DCLXXXVI Conon Papa mensibus undecim. ☙ Apud Trajectum pro beato Lamberto, * qui Faramundus Colonienſis clericus Episcopatu abutebatur. ☙ Sanctus Reolus Remensis Archiepiscopus construxit de dono Theodorici Regis Abbaciam, quæ dicitur Orbaci, in quâ tandem discessit & sepultus est. ☙ In abbacia puellarum quam Ebroinus fecit Suession. posuit Reolus *Odiliam* filiam suam. ☙ Sigebertus Begga relicta Angisili, se & sua Deo mancipat, & monasterium Andanense fundat. ☙ Wlfoaldo majore domus mortuo Pipinus filius Anſigisi principatur in Austria cum Duce Martino. Quibus congressus Ebroinus victoria potitur, Martinus fugiens ab Ebroino perimitur. ☙ Constantinus Imperator moritur. Justinianus filius ejus imperat annis decem, de prosapia Heraclii ultimus.

Anno DCLXXXVII Sergius Papa annis XIII. Hic in sacrario sancti Petri portionem magnam de sancta cruce invenit, Consequentia missam celebrandi jam ad integrum composita ab Apostolis & Apostolicis Viris, Epistolas quippe & Evangelia recitabat ecclesia ex antiquorum traditione, quæ digesta sunt *in libro, qui appellatur Comes*, quem ad Constantinum *Jheronimus* scripsisse dicitur. Alexander autem sextus Papa instituit *aquam benedici* & aspergi, & instituit *oleum* benedici singulis annis ab Episcopo, & vetus propter novitatem Sacramenti incendi. Hic etiam, ut ferunt, * memoriam dominicæ passionis ad consecrationem Eucharistiæ, & sicut de latere domini Jesu Christi crucifixi effluxit sanguis & aqua, ita *aquam vino misceri* in ipsa consecratione instituit, nec vinum sine aqua, nec aquam

sine

Digitized by Google

ſine vino offerri debere decernens. ☙ Primus Sixtus Papa hymnum ſanctus ſanctus ſanctus Dominus Deus Sabaoth approbavit. ☙ Thelepherus VIII quadrageſimæ jeiunium ſeptem ebdomadibus ante Paſcha inſtituit, hymnumque angelicum, Gloria in excelſis, addidit. ☙ Damaſus Papa primus *Credo* in unum Deum ſolempnibus diebus cantari inſtituit, ex decreto univerſalis Synodi à CL Epiſcopis Conſtantinopoli celebratæ, Innocentius Papa primus *pacis oſculum* decrevit dari. Celeſtinus primus introitus gradualia offertoria & communiones ex pſalmis modulari antiphonatim inſtituit, Gelacius Papa primus præfationes, collectas, & tractus compoſuit. Gregorius primus Kyrie eleiſon & Alleluia extra quadrageſimam, & orationem Dominicam, per quam ſolam Apoſtoli conſecrabant, poſt canonem conſecrationes addidit, ut inter communicandum Agnus Dei à Clero cantetur. Conſtituit etiam ut in annunciatione Dominicâ, in feſtitate quæ dicitur *Tpapante* [Epiphania] Domini, in nativitate, & aſſumtione beatæ Mariæ exeant *letania*. Hic corpus primi Leonis Papæ divina revelatione transpoſuit. Sanctus Cuthbertus Anglorum Epiſcopus obiit; fuit Epiſcopus Lindisfarnenſis, cujus ſedem modo tenet Dunelmenſis Epiſcopus. ☙ Regnum Cantuariæ diſcindunt externi reges per annos quatuor. ☙ A ſecundo anno Alfridi Regis Nordanimbrorum per annos quinque. Magnus Wilfridus fuit reſtitutus, & ſucceſſor ſancti Cuthberti dictus eſt Eadbertus; floruit ſanctus Bonitus de quo habetur in miraculis beatæ Mariæ.

Anno DCLXXXVIII Pertarich Longobardorum Rege mortuo Ciniperth filius eius regnavit annis XII. ☙ Inter Juſtinianum Imperatorem & Habdimelech pax convenit, ut ſolvant Sarraceni Romanis ſingulis diebus mille numismata & ſervum & equum, ſed paulo poſt idem Imperator pacem ſolvens mala eis intulit & peiora ab eis pertulit: ☙ Unde Hugo. Hic Imperator cum eſſet annorum XVII, puerili uſus temeritate, pacem quam pater eius cum Abdimelech Arabum principe fecerat, ſolvit, & pacem cum Bulgaribus * noxam perturbans, ea quæ à patre ſuo fuerant ordinabiliter facta

Remo-

Removit etiam à mari *Mardiatarum* exercitum, id est piratarum, quo imperium eius ab impetu Arabum tuebatur, quibus repressis, pace & quiete potitus est Arabum principatus usque in præsentem diem, ex tunc liberius barbari Romaniam depopulare ceperunt. Porrò post hoc Justinianus contra Sclavos perrexit, & multos ex eis prostravit, sed dum inde reverteretur, præpeditus à Bulgaribus in arto clausuræ cum propria populi cæde & vulneratione vix prævaluit remeare. ☙ Unde Sigebertus : Justinianus cum pacem cum Bulgaribus pactam solvisset, eisque occurrens primo vicisset, post ab eis exceptus, vix evasit. ☙ Innocentia & meritum sancti Leodegarii multis miraculis declaratur. ☙ Hugo : Hunc omnipotens & misericors Dominus plurimorum decoravit gratia miraculorum, dum adhuc viveret Ebroinus. ☙ Sigebertus Ebroinum majorem domus Neustriæ Francos insolenter opprimentem Ermerfridus perimit & ad Pippinum confugit, Waracho pro Ebroino major domus statuitur.

Anno DCLXXXIX Anno secundo Sergii Papæ scilicet nondum finito, Justiniani verò quarto, obiit Rex Anglorum Cedvvalla, qui & Petrus, Romæ XII Kal. Martii. ☙ Hugo : His diebus Cedwalla Rex occidentalium Saxonum anno regni sui secundo sprevit regnum suum propter vitam æternam, & venit ad Romam ad limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ut sacro baptismate potiretur, baptizatus ergo in die sancto Sabbathi Paschæ, anno ab incarnatione domini DCLXXXIX, Pontificatum agente prædicto Sergio viro glorioso, & in albis positus languore correptus ad regnum transivit æternum. Qui præfatus Pontifex tempore baptismatis Petri nomen imposuit ut beatissimo Apostolorum Principi, etiam ipso nominis consortio iungeretur, cuius amore venerat quasi à finibus terræ. Idem etiam venerabilis Rex supra scripto jubente pontifice sepultus est in ecclesia sancti Petri Apostoli. ☙ Usque ad hoc tempus vixit sanctus Reolus Archiepiscopus Remensis. ☙ Item usque ad tempora Warathonis invenitur vixisse sanctus Philibertus, qui obiit in Hierosolyma.

Anno

Anno DCXC Inter Pipinum & Gislemarum Warathonis filium, pugna committitur apud *Namurcum* castrum, non multo post Gislemarus divinitus punitur, secundum quod in vita beati Audoeni continetur. ☙ In Anglia Wichredus filius Egberti regis religione & industriâ confortatus, gentem Anglorum ab oppressione externorum liberat, & super eos XXXV annis regnat, superius anno DCLXXVI fit mentio de sancto Wandregisilo. ☙ Sanctus igitur *Wandregisilus* qui & Wando, Ansigisi majoris domus ex Walchiso fratre nepos, hoc tempore claruit, qui cœnobia *Fuscannum* & *Fontenellam* Deo construxit. Obiit Archiepiscopus Theodorus Cantuariensis.

Anno DCXCI Dum Warathonis gener & socius esset Bertharius, Franci Berthario aversi affectant per obsides amicitiam Pippini, eumque instigant contra principatum Bertharii, Theodericus Rex cum Berthario, Pipino congressus vincitur, Bertharius à suis perimitur, Theodoricus à Pipino capitur. Pipinus Neustriam sibi subiugat & sub Theoderico solus toti regno principando statum rerum meliorat. Sanctum quoque Lambertum in Trajectensi præsulatu relocat, sanctus autem Remaclus hoc anno obiisse dicitur, ☙ Anno XIII Regis Theodorici inscribitur privilegium sancti Reoli de *fundatione Orbaci*. Quod ibi nominatur Papa Zacharias, intelligendum quòd Papa Sergius fuit binomius.

Anno DCXCII Quidam Alahis Dux fugato Longobardorum Rege Cuniperto regnum eius arripuit, cui Cunipertus bello aggressus, perimit regnumque recipit. *Willebrordus* cum sociis suis duodecim veniens ab Anglia sanctitate claret in Gallia, *Evaldus* albus & Evaldus niger Presbyteri venientes ab Anglia martirizantur in Gallia, & jussu Pipini sepeliuntur in Agripinensi *Colonia*. Berthualdus Cantuariensis Archiepiscopus ordinatur.

Anno DCXCIII anno XVI Theodorici Regis beatus Audoenus Rothamagensis Episcopus obiit, Pontificatus sui anno XLVIII die Dominica, vivente adhuc Warathone *sub Regulo*. ☙ Pipinus Rabbodum Ducem Frisonum vicit, & Willibrordum genti illi ad

prædicandum dirigit. ☙ Kiliani Wisiburgensis [Wirciburgensis] Episcopi discipulus Arnua[illegible] in Gallia, Adamarus Abbas, Adelinus & Wilfridus Episcopi clarent.n Anglia. Ille est *sanctus Adelinus* qui scripsit librum de *virginitate*, & iste est magnus Wilfridus, qui multa passus ab æmulis multoties est depositus. ☙ Gens Thessandrorum, [in Taxândria puto] cum usque ad id tempus idolatriæ erroribus esset dedita, prædicatione sancti Lamberti Trajectensis Episcopi ad fidem Christi convertitur.

Anno DCXCIIII Justinianus Imperator sanctam sextam Synodum infirmare nititur & Sergium Papam in hoc sibi resistentem ecclesia deturbare frustra molitur. Constituit præterea Stephanum Persam satellarium virum pessimum ac crudelem, qui plures Rei publicæ Principes graviter affligebat, quique matrem ipsius Augusti Anastasiam absente eo præsumsit habenis [loris] more pueri flagellare. Quæ res maximè fecit eum exosum cunctis principibus & domesticis suis. Insurrexit ergo adversus eum Leontius Patricius conspirante secum Gallinico Patriarcha, & carceribus reseratis, solutisque multis retrusis, qui à sex vel octo annis in vinculis fuerant, quorum plures milites erant, cum eis exeunt in forum, moxque Justinianum naribus amputatis apud Crisonam relegavit, deinde præfatorum armis munitus virorum, augustalem arripuit dignitatem. ☙ Rex Francorum Theodericus mortuus in Abbacia sancti Vedasti Atrebacensis, quam ipse fundavit, sepultus est cum Regina Doda uxore sua, quia consenserat impietati Ebroini super interfectione beati Leodegarii, idcirco pœnitens hanc nobilem abbaciam instituit. Regnavit filius eius Clodoveus pro eo annis duobus. Defectio solis facta est horâ diei tertia, ita ut quædam claræ stellæ apparerent.

Anno DCXCV Prædictus Leo sive Leontius patricius tribus annis imperavit. ☙ Hugo : Per idem tempus Abimelech princeps Arabum omnem sibi Persidem & Mesopotamiam subiugavit. Post sanctum Audoenum fuit Archiepiscopus Rothomagensis sanctus Ansbertus, cui desponsata fuerat sancta virgo Angadrisina, modo verò

verò erat Abbas Fontenellæ. Siquidem ſanctus Wandregiſilus primus Abbas, præfuit annis XX, cui ſucceſſit Lantbertus, qui factus eſt Epiſcopus Lugdunenſis * Geneſium, & beatus Ansbertus factus tertius Abbas fontenellæ, & ex tunc Archiepiſcopus. Reges verò Franciæ negotia regni per *majores aulæ regiæ* adminiſtrabant, id eſt, per Dapiferum Coneſtabulum ac Camerarium, quod * venerabilis Beda abhinc per annos XL in Anglia claruit.

Anno DCXCVI Sanctus *Willebrordus* à Sergio Papa clemens agnominatus ad prædicandum genti Friſonum Epiſcopus ordinatur. Ex dono Pipini Principis, ſedem Epiſcopalem ſtatuit in loco Wathaburg, qui nunc Trajectum dicitur, à nomine gentis Wltarum, & trajecto compoſitum, quaſi Wltarum oppidum dicitur. ☞ Et apud Wizenburch caſtrum Oſtrofranciæ, ubi antiquitus Diana colebatur, ſanctus *Kilianus* cum diſcipulis ſuis Colomanno & Colomaryno * martirizatur à Geilana uxore Gosberti Principis Wiziburgenſium, quæ timebat ſeparari à viro ſuo, arguente eum Kiliano, quòd cum uxore quondam fratris ejus etiam ipſe uxorem haberet; quorum mors cum diu lateret omnes, Geilana & percuſſoribus martirum à demonio arreptis, eorum confeſſione divulgata eſt. Metis Abbo fuit epiſcopus, deinde Apthadius.

Anno DCXCVII Synodus Aquileiæ facta, quintam univerſalem Synodum à Juſtiniano Imperatore & Vigilio Papa Conſtantinopoli celebratam, ſuſcipere diffidit, quam Sergius Papa ſalubriter redarguit, & ad concordiam reduxit. Sanctus Ursmarus per interventum Hildulfi Ducis Lobienſe cœnobium à Pipino Principe ad regendum ſuſcepit. Prima translatio ſancti Audoeni Epiſcopi, indictione decima, anno quarto Archiepiſcopi Ansberti. ☞ Hugo. Anno tertio Leontii Imperatoris Arabes Africam infeſtabant, contra quos direxit Leontius Johannem patricium cum ſtolo copioſo, qui cum Carthaginem perveniſſet, Arabes in fugam convertit, & ibidem hiemavit, demum verò ad Imperatorem regreſſus eſt, volens ab eo depoſcere maiorem Stolum, ſed exercitus, qui in Africa remanſerat, abſente Johanne

hanne patricio elegit quendam Abſimarum, & creavit illum Imperatorem, quem & nominavit Tyberium. Abſimarus autem ſumto Stolo qui ſecum erat navigavit ad urbem, & ſine mora introivit in ea per murum blakernarum & apprehendens Leontium, exilio relegavit.

Anno DCXCVIII Abſimarus qui & Tyberius imperavit annis ſeptem. Iſte Philippum ſive Philippicum poſtea Imperatorem, filium Nicheſori in exilium deſtinavit, qui aſſerebat in ſompniis ſe vidiſſe, quod caput ſuum obumbraretur ab aquila, eo quòd ſompnum huiusmodi ipſum regem futurum deſignare videbat. *Sanctus Lambertus* Trajectenſis Epiſcopus Pipinum Principem increpare auſus, quod pellicem Alpaidem legitimæ uxori ſuæ Plictrudi ſuperduxerit, à Dodone fratre ipſius Alpaidis Leodii XV Kalend. Martii martirizatur & Trajecti tumulatur, eique *Sanctus Hubertus* cum grandi miraculo Epiſcopus ſubrogatur. Regnabat in Francia alter filius Theoderici Childebertus Rex optimus anno tertio regni ſui.

Anno DCXCIX mortuo Cuniperth Longobardorum Rege, Luithperth filius eius puer in regnum ſuccedit anno uno, Anſprandum habens tutorem. Drogo filius Pipini ex Plictrude, Dux Campanienſium moritur. Grimoaldus frater eius à patre Pipino in aula Childeberti Regis major domus ſtatuitur, eique filia Rabbodi Ducis Friſonum in uxorem deſpondetur. Dodo interfector ſancti Lamberti peſſimo languore cruciatus, à vermibus conſumitur, & ob intolerantiam fætoris in Moſam fluvium demergitur, omnesque hujus culpæ complices infra annum divinitus puniuntur. Percuſſor vero ſancti martyris fratri ſuo congreſſus, alter ab altero perimitur.

Anno DCC Johannes Papa annis tribus. Raginbertus Dux Taurinenſium, Anſprandum tutorem Luithberti Regis Longobardorum bello ſuperat, & anno uno Longobardis regnavit. Terbellis Bulgaribus dominatur. Romani pervagantes Syriam, perimunt duo millia Sarracenorum.

Anno DCCI mortuo Longobardorum Rege Raginberto, Arripertus filius eius Anſprando in congreſſu victo Luithpertum regem

Digitized by Google

gem capit & perimit, Anſprandum in Baioariam fugere compellit, filiumque eius Juniorem Luithprandum ad patrem fugere permittit, & annis novem regnavit. Rex Wiſigothorum Chintaſindus ſenio confectus regnum ſuum dimittit, filio ſuo Flavio Recenſuintho, qui poſt eum regnavit viginti annis.

Anno DCCII Juſtinianus ſupra dictus quondam Imperator degens in Cerſona, quæ eſt in provincia Liciæ, cepit manifeſte prædicare populo, quod eſſet iterum ſuum recepturus imperium. Qua de re loci accolæ Auguſti zelo permoti, propter opinionem hujusmodi parabant eum quaſi regis inſidiatorem perimere, vel comprehenſum ad eum dirigere; Sed cum idem Juſtinianus ſenſiſſet, fugit & Regi Turcorum Cagano ſe præſentavit, Caganus autem illum cum honore ſuſcepit, & tradidit ei uxorem germanam, inde etiam navigavit ad Terbellem Bulgariæ Regem. Ita dicit Hugo. Sigebertus verò dicit, quod Caganus pecunia corruptus à Tyberio Imperatore cum vellet ei Juſtinianum prodere, Juſtinianus ab eo ad Terbellem regem Bulgarum fugit.

Anno DCCIII Johannes quintus Papa annis duobus & dimidio. Sanctus Benedictus Anglorum Abbas obiit, ſec. Hugo. Rex Longobardorum Arripert donationem Alpium Cutiarum, quæ ad jus dudum Romanæ pertinuerat eccleſiæ, ſed à Longobardis multo tempore fuerant violenter retentæ, ſancto Petro Apoſtolo reſtituit, & hanc refuſionem literis explanavit.

Nota quod à quodam Cutio Rege dictæ ſunt Alpes Cutiæ, qui ſub Nerone partes illas tenuit.

Anno DCCIIII Rex Nordanimbrorum Alfridus obiit, ſuccedit Oſredus filius eius annis XI. In regno Merciorum regnavit Kenredus annis quinque, Childeberto Monarchiam tenente, Archangelus Michael apparens Ansberto Abrincatenſi Epiſcopo, monuit ſemel & tertio, ut in loco maris, qui propter eminentiam ſui tumba vocatur, fundaret Eccleſiam, in memoriam ſui, volens talem ſibi reverentiam exhiberi in pelago, qualis exhibebatur in monte Gargano. Interim

taurus à latrone furtim raptus in loco religatur, unde Episcopus tertio ammonitus, ut in loco fundamentum iaceret, ubi taurum religatum inveniret, & sicut eum pedibus taurum pertrivisse videret, sic ecclesiæ ambitum duceret, ecclesiam in honore Archangeli constituit, & ex illo tempore sicut in monte Gargano, ita etiam in illo loco qui modo dicitur *in periculo maris* veneratio Archangeli frequentari cepit. ☙ Obiit Archiepiscopus Lusa Eboracensis, succedit Johannes Augustaldensis. Magnus Wilfridus tandem positus est in sede Augustaldensi.

Anno DCCV Justinianus auxilio Terbellis Bulgarum Regis imperium recepit, Tyberium usurpatorem imperii in medio circo jugulat, Gallinicum patriarcham excæcatum exiliat, & tantam in adversarios ultionem exercet, ut quotiens à naso sibi exciso defluentem reumatis guttam detergeret pene totiens aliquem ex his, qui contra eum conspiraverant, jugulari præciperet. Habdimelech Amiras Sarracenorum moritur, post quem Vlid annis VII principatur, ☙ Sisinus Papa dies XX.

Anno DCCVI prædictus Justinianus secunda vice sex annis imperavit, Cyrum Abbatem in loco Gallinici patriarchæ ordinari fecit, Innumerabilem denique civium multitudinem interfecit, Sclavi Italiam infestant, Constantinus natione Syrus fit Papa annis septem.

Anno DCCVII Justinianus Imperator pacem cum Bulgaribus pactam solvit, eisque congressus vix evasit, floruit hoc tempore Petrus Aquileiensis patriarcha vir magnæ sanctitatis & religionis.

Anno DCCVIII anno IIII Hosredi Nordanimbrorum Regis Kenredus Merciorum Rex fit Monachus, ☙ Unde Sigebertus: Kenredus & Opha Reges Anglorum Romam veniunt ibique in monachos attonsi Regi Regum militaverunt.

Anno DCCIX Rex Celredus Merciorum regnavit annis VIII. Sanctus Hildefonsus ordinatur Toletanus Archiepiscopus. In Anglia obiit magnus Wilfridus Episcopatus sui anno XLV. Obiit etiam sanctus Andelinus.

Anno

Digitized by Google

Anno DCCX Conſtantinum Papam' Juſtinianus Imperator Conſtantinopolim ad ſe invitat, fidem orthodoxam tandem amplexus eumque venientem & redeuntem gloriâ Apoſtolico digna honorat. ☙ Hugo. Statuit etiam Cerſonam Liciæ, ubi exulatus deguerat, evertere & colligens omnes naves quas habere potuit, dromones ſcilicet, trieres, ſcaphas, *chumas* & linthres usque ad celandra, ea deſtinavit præcipiens omnes ibi habitantes interfici à minimo usque ad maximum, quo cum perveniſſent Mauritius patricius & Helyas ſpatharius ſecundum Imperatoris iuſſionem omnes interfecerunt, exceptis infantibus. Tuduinum vero civitatis principem cum aliis conprincipibus ad Imperatorem miſerunt & ſeptem ejusdem urbis primates in verubus igni & lignis applicantes aſſaverunt. Demum Juſtinianus miſit iterum alium Stolum menſe Octobri præcipiens, ut omnes pueri qui reſervati fuerant, morti traderentur. Sed ille Stolus pene totus in pelago eſt dimerſus & perierunt ibi hominum LXXIIII Mill. quibus Juſtinianus agnitis furens adhuc magna crudelitate, miſit iterum alium Stolum iubens arrari, & ad pavimentum illidi totam civitatem, quod audientes homines illius provinciæ aſſumpſerunt Philippicum, qui illic exulabatur, de quo ſuperius tetigimus, & Imperatorem creaverunt. ☙ Eodem anno ſcilicet duodecimo pontificatus ſui ſanctus Hubertus cælitus ammonitus corpus ſancti Lamberti à Trajecto in *Leodium* cum magna miraculorum gloria refert, ſedemque Epiſcopalem in eamdem urbem transfert, ex tunc *Legia* exaltata, & in urbem eſt ampliata.

Anno DCCXI ſupra dictus Anſpradus cum Bawariis Italiam repetit, cum Rege Arriperith confligit, eoque fugiente & in flumine dimerſo regnum Longobardorum recipit. Eodem Anſprando poſt tres menſes mortuo Luithprandus filius eius regnavit annis XXXII. ☙ Sancta Oda uxor quondam Boggi Ducis Aquitanorum ſanctitate claret in Gallia, quæ Eccleſias Dei ſua ditavit munificentia & veniens in Leodicenſi quievit parrochia in villam ſuper Moſam ſita quæ Amanium dicitur.

Anno

Anno DCCXII Philippicus qui & Bardanius Constantinopolim veniens Justinianum Augustum iugulat & Tyberium filium eius pariter interficit, & sic duobus annis regnavit. Qui cum esset hæreticus, Cyrum Constantinopolitanum Episcopum exilio relegavit, & posuit in eadem sede quendam sui sensus pseudomonachum nomine Johannem, ipse enim Philippicus Romæ literas pravi dogmatis Constantino Papæ destinavit, quas vir sanctus consilio populi Romani respuit & præcepit, *ne eius nomen* in cartis poneretur aut percussuram solidarum [solidorum] reciperet aut ad missarum solempnia recitaretur.

Anno DCCXIII Sanctus Ursmarus Episcopus & Abbas Lobiensis cænobii obiit, eique sanctus Herminus in regimine succedit. Grimoaldus major domus Leodii ante altare sancti Lamberti orans à Raingario satellite Rabbadi Ducis Frisonum perimitur & Theobaldus filius Drogonis ab avo suo Pipino maior domus statuitur. ☙ Vlid Amiras moritur, post quem Zuleimen annis tribus Sarracenis principatur. ☙ Sanctus Hubertus construxit & reditibus ditavit *monasterium sancti Petri in Leodio.* Qualiter Abbacia ista destructa sit à Normannis paganis & postea restituta in Canonicos seculares, in sequentibus habetur.

Anno DCCXIIII Anastasius qui & Arthemius insurrexit contra Philippicum & illum oculis privavit, & ab Imperiali dignitate depositum, eius sibi vendicavit imperium. Qui cum esset Vir Catholicus, literas Constantino Papæ per Scolasticum patricium Exarcum Italiæ destinavit, quibus se fautorem Catholicæ fidei & sancti sexti Concilii prædicatorem esse declaravit. Gregorius secundus hujus nominis Papa sedit annis XVII. ☙ Petronax civis Braxianus divino instinctu & Papæ Gregorii hortatu animatus cænobium sancti Benedicti apud castrum Cassinum nobiliter reædificavit & sub regimine suo multas ad regulariter Deo serviendum aggregat, expletis annis CI annis, ex quo à Longobardis desolatum fuerat. ☙ Mortuo Childeberto Francorum Rege post annos XVII & in Abbacia sancti Stephani

phani de Cauciaco sepulto, quidam filius eius *Clodovæus qui & Dagobertus* regnat annis quatuor. ☙ Zuleimen Amiras cum Amiræis suis & Stolo navium pene trium milium numero Constantinopolin triennio obsidet.

Anno DCCXV Picti & *Scoti* Catholicum Paschalis observantiæ ritum suscipiunt. Quidam enim venerabilis Presbyter Egbertus nomine proposuerat venire causa prædicationis in Frisiam, sed retinente eum domino ac sibi dicente, ut ad Columbæ Abbatis monasterium in Scotiam deberet accedere, & fratres corrigere, eo quód aratra eorum non recte incederent, remansit pro causa prædicta & beatum *Willebrordum* superius expressum transmisit, per istum ergo Egbertum receperunt fratres Hienses *Paschæ Canonicum* hoc anno & per illos omnis illa provincia. Pipinus princeps obiit & filium suum ex Alpiade Karolum Tudentem sive Martellum cognomento principatus sui hæredem reliquit, Plictrudis relicta Pipini Karolum privignum suum captum in Colonia urbe custodiæ mancipat, & cum nepote suo Theodealdo majore domus principatum regni usurpat, Franci contra Theodoaldum utrinque bello confligunt damnoso, eoque victo Raginfridum majorem domus & Chilpericum Regem statuunt.

Anno DCCXVI Cum Anastasius prædictus Augustus classem in Alexandriam contra Sarracenos dirigeret, exercitus idem ad aliud versus consilium, ab itinere medio Constantinopolitanam urbem regressus, Theodosium, Orthodoxum virum inquirens Imperatorem elegit & coactum regali solio sublimavit. Theodosius verò Anastasium apud urbem Nicæam gravi prælio superavit, eumque postmodum presbyterum fieri jussit, post biennium & idem Anastasius imperabat. ☙ Karolus Martellus de custodia novercæ divino ut creditur nutu eripitur moxque principatum suum de manu Raginfridi extorquere nititur, primumque Rabbodum Ducem Frisonum Raginfrido solatiantem aggressus multum exercitus damnum exequitur. ☙ Clarebat Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus ☙ Egbertus presbyter veniens de Hybernia, sanctitate claret in Gallia. ☙ Osredo rege

Digitized by Google

Nordanimbrorum peremto Coenredus regnavit annis quatuor. ☙ Sanctus Germanus cum esset Archiepiscopus in Cyzico, id est in Eskisia insula, factus est Constantinopoli patriarcha. ☙ Constantinopolitani instantia orandi & constantia præliandi Sarracenis fortiter resistunt. ☙ Bulgares etiam de Sarracenis XXXII Mill. perimunt. ☙ Sarraceni fame, frigore, bello, & pestilentia sine numero pereunt. ☙ Sarracenis Haumar duobus annis principatur.

Anno DCCXVII dictus Theodosius Imperator erat iners & idiota & publicorum negotiorum inexpertus, Unde adversus eum post annum insurrexit Leo quidam Vir potentissimus, qui quidem eum ab Imperiali vertice deposuit, sed indempnatum ire permisit. Ipse verò postmodum Clericus factus residuum vitæ transegit in pace. Quo tempore Haumar Dux Arabum habebatur. Ipse verò Imperator Leo XXIIII regnavit annis. Gregorius Papa *Bonifacium* à Britannia venientem Episcopum consecrat & per eum in Germania Verbum Dei prædicat. Romæ inundatio aquarum facta est, sed Gregorio Papa crebris letaniis Deum placante post octo dies repressa est. ☙ *Auctor.* Hic incipe computationem CCC annorum secundum *prophecias Merlini* de Regibus Britonum & Anglorum.

Anno DCCXVIII Karolus in pago Cameracensi apud Vinciacum dominica ante Pascha, quod erat XIII Kalend. Aprilis, Chilperico & Raginfredo congreditur. Raginfredus victus in fugam vertitur, Karolus eos usque Parisius persequitur. ☙ Rabbodus Dux Frisonum prædicatione Wifrani Episcopi ad hoc adductus ut baptizari deberet, cum unum pedem in lavacro intinxisset, alterum pedem retrahens interrogavit ubinam plures maiorum suorum essent, in inferno an in paradiso ? & audiens plures esse in inferno, intinctum pedem retrahens, Satius est, inquit, ut plures quam pauciores sequar, & ita ludificatus à dæmone promittente quod in tertia abhinc die incomparabilia bona ei daret, ipse tertia die subita & æterna morte periit. ☙ Ethelbaldus Rex Merciorum annis XLI. ☙ Haumar Christianos persequens multos eorum Christi martires fecit, quo mortuo Zisid principatur Sarracenis, annis quatuor.

Anno

Anno DCCXIX Dagobertus Junior Francorum Rex à quodam *filiolo* [sc. ex baptismo susceptо v. 723] suo in sylva martirizatus iacet apud Sathanagium, quo mortuo Lotharius patruus eius regnavit annis duobus. Constantinus filius Leonis dùm baptizaretur à patriarcha sancto Germano cacans in lavacro magnum dat præsagium, quòd futurus esset Dei Ecclesiæ in scandalum. ☙ Ex Historia Remensi: *Remis* sanctus Rigobertus erat Archiepiscopus: Hic fuit sancti Minardi propinquus de Ribuaria versus Coloniam oriundus ex patre. Hunc Pippinus pater Caroli Martelli valdè dilexit. ☙ Apud *Cathalaunum* Helchoindo Felix secundus successerat & huic Bladalgus qui & Albinus, cui Saricus, cui Richarius, ☙ Apud *Tullum* Girbauldo successit Godo, cui sanctus Bodo, ☙ *Metis* Aptadio successit Felix, cui Sigibaldus cui Urbicius, obiit S. Wlfranus.

Anno DCCXX ☙ Hugo. Sarraceni à Constantinopoli tandem fugam inefficaces arripiunt, & postmodum dum per altum mare navigarent, subitanea tempestate submersi perierunt. ☙ Sigibertus: Sarraceni ab obsidione Constantinopoli confusi desistunt, ipsis cum navibus suis partim marino igne consumtis, partim dimersis, partim igneæ grandinis tempestate consumtis, & ex tanta navium copia vix quinque residuis, potentia Dei cunctis innotuit populis, Infra civitatem vero CCC Mill. hominum perierunt. ☙ Chilpericus & Raginfredus Eudonem Ducem Aquitaniæ auxilio sibi assciscunt, qui in congressu à Karolo victi vix fuga evadunt. Eudo rediens Chilpericum secum abducit. ☙ Sarraceni ex Africa Duce Abdriama, filio Mahacuæ Amiræi in Hispaniâ transfretant, eamque sibi vendicant. Ita Regnum Wisigothorum & Svevorum destructum est, & redactum sub Sarracenis annis plus minus CCCXLIIII evolutis, ex quo ab Scithia expulsi sunt ab Hunis. Ex quo vero cedentibus Wandalis & devictis Svevis ceperunt regnare in Hyspania annis circiter CCLVI evolutis; regnum verò tertiæ partis Hispaniarum quod dicitur *Galicienſium*, quod nec tunc Wisigothi nec postea Sarraceni potuerunt subigere, adhuc viget incolume & Dei protegente fide manet inexpugnabile.

Digitized by Google

Anno DCCXXI Karolus Chilpericum ab Eudone per legatos recipit, eumque Regem ſibi facit qui regnavit annis quinque. ☙ Oſſa ſancti Auguſtini Ypponenſis Epiſcopi olim translata ad Sardiniam, ac vaſtata modo à Sarracenis Sardinia Luithprandus Rex Longobardorum dato magno pretio transfert Papiam in Abbacia quæ cella aurea dicitur. ☙ Nordanimbrorum Offricus regnavit annis XI.

Anno DCCXXII Leo Imperator ſæpe & multum laboravit ut Gregorius Papa perimeretur, ſed fruſtra, Italia & Longobardis pro defendendo Papa conſtanter Imperialibus reſiſtentibus. In Campania Italiæ frumentum combuſtum eſt, & ordeum & legumina quaſi pluvia de cœlo cecidit. ☙ Karolus Raginfredum perſequens Andegavim obſidet; eamque captam victoque Raginfredo ad habitandum concedit, & ita factus eſt Comes Andegavenſis. Karolus verò totum regni principatum hoc modo recepit. ☙ Luithprandus Rex Ravennam obſidet, claſſem Ravennatium & civitatem captam deſtruit. ☙ Judæus quidam maleficus, promittens Gizid, eum XL annis principaturum; ſvadet, ut in toto regno Dei ſanctorumque imagines deponi edicat, qui ſpe diu regnandi ſeductus edictum quippe proponit, ipſe tamen mox obiit. Poſt quem Elvelith principatur Sarracenis annis xx.

Anno DCCXXIII Karolus *Saxones* debellat. ☙ Sanctus Rigobertus Remenſis Archiepiſcopus, à Karolo, ſuo in baptiſmate filiolo, ab Epiſcopatu deponitur, pro eo quod illi contra Raginfredum eunti urbem Remenſem præ timore Raginfredi aperire noluit. Sanctus etiam Aucherius Aurelianenſis Epiſcopus pro ſimili cauſa Epiſcopatu privatus, & apud Sarchinium Hasbaniæ vicum exiliatus, & in cœnobio ſancti Trudonis in ſanctitate conſummatus eſt, ☙ Ex hiſtoria Remenſi: Archiepiſcopatum *Remenſem* dedit Karolus Archiepiſcopo *Trevirenſi* Miloni tonſura tantummodo Clerico, Luithwini ſuperius memorati filio, qui *utrique civitati* tota vita eiusdem Karoli præfuit, non ut paſtor, ſed ut tyrannus. De quo Milone ſcripſit

pſit poſtmodum Papa Zacharias ſancto Bonifacio legato, ut ipſum ſuâ prædicatione corrigeret. ☙ Unde apparet, quod manus * Apoſtolica non potuit eum deponi.

Anno DCCXXIIII Sanctus Rigobertus fugit in Gaſconiam, & ibi miraculoſe repperit & recepit duas campanas olim ſibi furatas, ſiquidem ad eius introitum nemine pulſante ſonaverunt. Interea dictus Milo miſſus eſt à Karolo pro quadam legatione ad partes Gaſconiæ, & reperto ſancto Rigoberto, ſuaſit ei ut reverteretur, concedens ei unam petitionem, ut ſemel in ebdomada poſſet miſſam ſuam dicere ad majus altare beatæ Mariæ, Karolus *Bajoarios* armis ſubiugat, victis *Alamannis & Svevis* usque ad Danubium, inde fines Bavvariæ occupavit, & cum theſauris multis & matrona Belletrude & nepte ſua Sunihilde reverſus eſt. ☙ Leo peſſimus Imperator à quodam *Beſer* refuga fidei ſeductus *contra imagines* Chriſti & Sanctorum ejus bellum indicit, easque ibique deponi & incendi edicit, pro quo errore eum Gregorius Papa ſcriptis quidem, ſed in vanum redarguit. ☙ Hugo. Leo Auguſtus anno imperii ſui octavo omnes ſanctas imagines deſtrui præcepit, magno enim odio eas abominabatur & omnes virtutiferas Sanctorum reliquias. Sed ei memoratus Germanus fortiter reſiſtebat Conſtantinopoleos Epiſcopus, nolens acquieſcere deteſtabili cacodoxiæ eius, ſed exhibebat ſecundum morem antiquorum patrum non ſolum ſanctis imaginibus, verum etiam virtutiferis ſanctorum reliquiis pium venerationis affectum.

Anno DCCXXV Carolus contra Lanfridum Alamannorum Ducem dimicat, eoque victo *Alemanniam* ſibi ſubiugat. ☙ Sanctus Rigebertus Remenſis Archiepiſcopus à Gaſconia reverſus obiit in Gernicort II Nonas Januarii, ibique ſepultus, multis claruit miraculis, unde Archiepiſcopus Hingmarus, de quo poſtea dicetur, oſſa ejus in civitatem transtulit.

Anno DCCXXVI Mortuo Chilperico Carolus Theodericum Dagoberti filium ſibi regem facit, qui annis XV regnavit. Idem Karolus *Saxones* debellat acrius. ☙ In *Colonia* ſedit Gizo Epiſcopus

pus, deinde anno & post eum Pharamundus. Usque ad annum IX Leonis Imperatoris Beda minorem Cronicam suam perduxit.

Anno DCCXXVII Wichredus Rex Anglorum Cantuariensis obiit, filiumque suum Eadilbertum hæredem regni reliquit per annos XXIII. ❧ Cormesius Bulgaribus dominatur, ❧ Karolus Bavvarios & Svevos debellabat. ❧ Constantinopolitani contra Leonem Imperatorem pro depositione ymaginum Dei diu tumultuantur, aliqui etiam pro hoc martirizantur.

Anno DCCXXVIII Karolus Ligeri transito Eudonem Ducem Aquitaniæ bello victum fugat & Aquitaniam graviter devastat. Sarraceni verò, ut supra posuimus, iam Hispanias occupaverant.

Anno DCCXXIX Gregorius Papa, quia Leonem Imperatorem incorrigibilem vidit, Romam & Italiam & Hesperiam totam *ab eius jure descire fecit* & vectigalia interdicit. ❧ Obiit Rex West-Saxonum Inas anno XXX secundum Bedam, succedit Ethelardus. ❧ Eudo Dux Aquitaniæ jure fœderis rupto, videns se per omnia Karolo inferiorem, Sarracenos contra eum invitavit ab Hispania, qui venerunt cum Rege suo Abdirama usque Burdegalam & cum omnibus familiis suis quasi in Galliis habitaturi, Garumnam transierunt & omnia devastantes ecclesias Dei concremabant, quo tempore ecclesia sancti Hylarii Pictavensis ab ipsis incensa est.

Anno DCCXXX Karolus Dei auxilio fretus in Aquitania apud Pictavim Sarracenis concurrit & ex eis CCC & LXXV Mill. cum Rege suo Abdirama peremit, & mille quingentos suorum amisit. ❧ Eudo quoque Karolo reconsiliatus castra Sarracenorum diripuit & reliquias eorum contrivit, sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolis Leoni impio Imperatori pro impietate sua aversus à sede Episcopali est ejectus. ❧ Hugo. Qui Imperator sancto Germano multas ingerebat injurias, eo quòd nollet ei acquiescere. Quibus tandem sanctus patriarcha fatigatus, abrenunciavit sedi suæ, deinde secessit procul ab urbe in parentali domo, ubi etiam quievit in Christo. Imperator vero provexit pro eo quendam eiusdem urbis clericum

ricum Anastasium hæreticæ pravitatis hominem. ☙ Obiit sanctus Egbertus Anglorum presbyter.

Anno DCCXXXI Mortuo Papa Gregorio secundo, tertius Gregorius sedit annis XI. Qui & ipse Leonem Imperatorem erroris redarguit & populum Romanum & vectigalia Hesperiæ ab eo avertit. ☙ In Anglia Beda Presbyter & monachus clarebat sanctitate & scientia. ☙ Et hic annus secundum Bedam fuit XXXVI sancti Willebrordi Ultrajectensis Episcopi, & usque ad hæc tempora non habuit Colonienſis Archiepiscopus, nisi unum suffraganeum scilicet Leodiensem, & iste Ultrajectensis fuit secundus; alii tres ceperunt sub Karolo Magno: Mindensis, Monasterienſis & Osburgensis. ☙ Obiit Berchvaldus Cantuarienſis Episcopus, Rainfredus moritur.

Anno DCCXXXII Carolus Burgundiam penetravit, *Leudes* [vasallos] ad resistendum rebellibus statuit, Lugdunum & alias civitates cepit, & fidelibus suis custodiendas tradidit. Et interim mortuo Rainfredo civitatem Andegavensem recepit. ☙ Mortuo Osricho Nordanimbrorum rege, Ceolwlfus regnat annis octo. Hic aliquando captus est & in clericum attonsus, postea in regnum suum remissus est, hic est apud quem Beda historiam suam Ecclesiasticam scribit. ☙ Filius Imperatoris Leonis Constantinus ille, de cuius baptismo superius tetigimus, filiam Caiani Avarum id est Hunnorum regis, Hirenen uxorem duxit, quæ baptisata viro suo apostatante fidem rectam tenuit. ☙ Luithbrandus Longobardorum Rex de jure Romani Pontificis multas urbes & castella tulit. Tadwicus fit Cantuarienſis Episcopus.

Anno DCCXXXIII Gregorius Papa tertius Synodum *DCCCC & trium Episcoporum Romæ congregat & venerationem sanctarum imaginum confirmat, earumque violatores generali sententia anathematizat. ☙ Hugo. Cum secundum morem antiquorum patrum sanctis imaginibus & virtutiferis sanctorum reliquiis pium veneratio-nis affectum impendimus, non propter similitudinem amabilium vultuum quamlibet effigiem adoramus, qui Deum adorare & illi soli

servire

ervire præcipimur, ſed cum ſanctis imaginibus cervicem inflectimus, dominicæ paſſionis ſigna in eis venerando recolimus, & pro aſſumta pro nobis mortalitate ipſi Deo gratias exhibemus, nullam ipſis imaginibus credentes ineſſe virtutem vel divinitatem; & quando ſanctorum ſolemnia celebramus, & eis ſanctas dicamus Eccleſias, hoc agimus, ut eorum mereamur imitatione proficere, & orationibus adjuvari, & quamvis nobis eorum meritis multa beneficia conferantur, eis tamen ſacrificare vel eos pro Deo colere incongruum, indebitum & illicitum eſſe confitemur. ☙ Carolus in Gasconia cum Eudone pugnat, qui tandem tædio affectus vel in bello percuſſus moritur, quo mortuo usque ad Blaviam caſtrum Karolus veniens totam regionem ſibi ſubiugavit.

Anno DCCXXXIII Carolus Gaifero & Hunaldo filiis Eudonis victis Aquitaniam ſibi ſubjugat, Inde Friſiam aggreſſus, Popponem Ducem *Friſonum* cum multis perimit, navigio vectus *Rana* combuſſit, & reverſus eſt cum magnis ſpoliis, deinde *Burgunam* petivit usque *Maſſiliam*.

Anno DCCXXXV Hic obiit Beda venerabilis presbyter monachus & doctor in Anglia. Item obiit ſanctus Hubertus Leodienſis Epiſcopus, ſuccedit Florebertus qui fuit filius eius ut dicitur. Carolus Avennionem Galliæ urbem à Sarracenis dolo & conſenſu Maruntii provinciæ ducis captam obſidet eaque fortiter recepta Sarracenos illos usque ad internecionem delet.

Anno DCCXXXV Sarracenorum Rege Achinia obſeſſo intra urbem Galliæ Narbonam à Carolo, Sarraceni ex Hiſpania cum alio Rege Amor ei occurrunt ſubſidio. Qui congreſſi Carolo ambobus Regibus peremtis & civitate recepta ab eo, ultimo penè interierunt exterminio, eosque fugientes in ſequente reſidui dimerſi ſunt in profundo fluvio qui dicitur Birra. ☙ Hugo: Iſte Carolus duobus magnis præliis contra Sarracenos geſtis primo apud Pictavim, ſecundo apud Narbonam, propter aſſiduitatem bellorum quæ geſſit, res Eccleſiaſticas ſcilicet decimas, militibus & Laicis tradidit; licet

non

non esset Rex Francorum, sed tantummodo aulæ præpositus Regiæ. ☙ Guido quoque nititur Carolum excusare hoc modo : Non cupiditate tractus sed necessitate coactus possessiones, quas vidit Ecclesiasticis superfluere, distribuit militibus, viris tam destitutis armorum apparatu quam noviter institutis, unde nimirum supernæ dispositioni, cum ad regimen Francorum sancti progeniem Arnulfi elegisset, placuisse creditur, extulisse potius hunc quam alium eiusdem generis ad huius apicem dignitatis ; Scilicet ut per ipsum, quia callidior, resecaret, quod superfluebat ecclesiis & ex eorum habundantia suppleret aliorum inopiam quos redderet defensores; & quia bellicosior erat, super inimicos Christiani nominis, evaginaret gladium ultionis.

Anno DCCXXXVII Karolus Nemausum, Agathen aliasque Goticæ regionis urbes à Sarracenis invasas capit & solotenus destruxit. Sanctus Erminus Episcopus & Abbas Lobiensis obiit. Causa prædicandi ad exteras gentes quidam Abbates Lobienses consecrati.

Anno DCCXXXVIII Areliato urbe Galliarum capta à Sarracenis, & omnibus circumquaque demolitis, Karolus ascito sibi rege Longobardorum Luithprando ad auxilium, eis occurrit, eosque terrore nominis sui in fugam convertit. Sicque Sarracenis, qui penè totam Asiam, totam Libiam, multam partem Europæ invaserant, Karolus Dei auxilio & sua industria Francorumque fortitudine omnem spem invadendi Galliam abstulit. ☙ Guido : Prædictus Rex Longobardorum Luithprandus tantæ fuisse fertur audiciæ, quod cum duobus armigeris suis cognito quod eum occidere cogitarent, in profundam sylvam ingressus malum illis quod cogitabant improperans hortatus sit eos facere, si auderent. Sed mox eis provolutis ad pedes suos & supplicantibus hoc remisit. Hic donationem Alpium Cuciarum iam superius factam Ecclesiæ sancti Petri confirmavit. ☙ Trasimundus Dux Spoleti contra Luithprandum rebellans ad Romanos confugit.

Anno DCCXXXIX Luithprandus rex refugio Trasamundi Romam graviter vexat. ☙ Karolus Maruncium Provinciæ Ducem,

qui invitaverat Sarracenos, debellat, & Provinciam sibi subiugat, totam regionem usque ad littus maris suæ ditioni restituit & nullo resistente revertitur.

Anno DCCXL Nordanimbrorum in Anglia Cel Wlfus Rex factus est monachus & Egbertus, regnavit annis XXX. ☙ Karolus *Saxones* sibi tributarios facit. Signa in sole & luna & stellis apparent. ☙ Apud Rothomagum Ranilandi successor Hugoni substitutus erat Robertus. Moritur rex Francorum Theodericus filius Dagoberti Junioris.

Anno DCCXLI Regnavit in Francia Hildricus dictus quondam Daniel clericus annis decem. ☙ Hugo. Interea Constantinopoli factus est terræ motus magnus, & corruerunt ecclesiæ multæ, & extinctus est populus multus : quo anno XV Kal. Octobris mortuus est Leo Imperator animæ simul & corporis morte, & fit imperii & impietatis successor pariter Constantinus filius eius per annos XXXVI. Pacato & dilatato regno Francorum Karolus bellicosus princeps obiit, & apud sanctum Dyonisium sepelitur, qui filios suos Karlomannum & Pippinum principatus sui successores reliquit, quo tempore *paschalis cycli ordo turbatus* fuit. ☙ Gregorius Papa tertius obiit Romæ.

Anno DCCXLII Zacharias Papa annis decem. ☙ Guido: Papam Zachariam quantum diligeret Deus, evidenter ostendit dum in via qua ambulabat ad Luithprandum Longobardorum Regem, ne solis ureretur calore per diem, nubem in eius protectionem extendit. Ab isto anno XXVII anni ascribuntur principi Pippino. ☙ Sarracenis principatur Gizid anno uno postquam Eluelith mortuus fuit. Porro Zacharias quia rem publicam perturbatam invênit, statim benivolentia sua omnia composuit, & cum Longobardis in XX annos pacem firmavit.

Anno DCCXLIII Sanctus *Bonifacius* factus est Archiepiscopus Moguntiæ, *cœnobium Fuldense* nobilissimum in Boconia Silva fundavit. Luithprandus rex Longobardorum moritur. Hildebrando quem ipse regem designaverat à Longobardis reprobato, Rachis regna-

Digitized by Google

regnavit VII annis, Pippinus princeps Hunaldo Aquitaniæ Duci ſibi rebellanti obviat, Karlomannus verò Alemanniam devaſtat, Archabaldus quidam contra Conſtantinum imperium arripit. ☙ Sarracenis principatur Hiſces anno uno.

Anno DCCXLIIII Ogdilo Dux Bavvariæ rapta ſorore Pipini contra eum rebellat, quem Pipinus pugna quamvis damnoſa ſuperat. Karolomannus Saxoniam petit caſtrum Hoſtoburch capit, Theodericum *Saxonem* pacis obſidem accipit. Sarracenis principatur Maruchan annis ſex : Weſt-Saxonum in Anglia Cuthredis annis XVIII.

Anno DCCXLV Conſtantinus Archabaldum capit, qui contra ſurrexerat eique & multis amicorum oculos eruit. ☙ Hugo: Iſte Conſtantinus impius habebat ſibi conſentientem in omnibus propter amorem principatur terreni quendam Anaſtaſium Conſtantinopoleos falſi nominis Patriarcham. Venit indignatio Dei in cives urbis; Sed ille ut Pharao quondam inemendatus permanſit. Sed mors peſtilens incipiens à Cecilia [Sicilia], & Calabria devaſtavit regiam urbem & plures domus clauſæ ſunt, eo quod deeſſet habitator. Cinis de cœlo cecidit. ☙ Pipinus & Karolomannus contra Hunaldum *Bituricas* vaſtant & incendunt.

Anno DCCXLVI Pipinus Theodealdum filium Godefredi Ducis in obſidione Alpium debellat. Civitas *Aquenſis* metropolis in Provincia, à Sarracenis fuit deſolata. Hic dicitur : quod perſecutione poſt lapidationem Stephani mota *Maximinus* de LXX diſcipulis Chriſti ad Gallias tranſiens, *Mariam Magdalenam* ſecum adduxit, eam etiam apud Aquenſem urbem, cui præſidebat, defunctam ſepelivit. Unde poſt iſtam deſolationem dictæ civitatis corpus ipſius Mariæ Magdalenæ à Girardo *Comite Burgundiæ*, ſicut poſt ſuo loco dicetur, ad cœnobium Vizeliacum à ſe conſtructum eſt translatum. Quod verò aliqui ſcribunt, quòd hæc apud Epheſum quieſcat nullum ſuper ſe tegmen habens, omnino eſt apocrifum & falſum. ☙ Petrus Damaſcenus Epiſcopus & Petrus Maiomenus in Siria martirizantur à Sarracenis.

Anno DCCXLVII Quidam presbyter Archalongus, cum esset cæcus, ammonitus est quærere corpus Kiliani martyris sociorumque ejus. Inventis sanctorum corporibus visum recepit, eaque re sanctus Bonifacius Moguntinus Episcopus ab Athalongo ad se relata castrum *Wirziburg* ad honorem Kiliani martiris qui ad prædicandum à Papa canone ibique [f. canonicè] Episcopus ordinatus fuerat, ibique mortis & quietis locum à Deo receperat, Episcopalis sedis privilegio insigniri decrevit; *primumq; ibi Episcopum* sanctum Burchardum ordinavit, Karolomannus frater Pippini Romæ à Zacharia Papa in monachum tonsus primo in Serapti monte in cænobio quod ipse fundavit, deinde apud castrum Cassinum laudabili vita enituit. ☙ Episcopi Ottonis recapitulatio: Anno principatus Pippini secundo & Karlomanni primo in Aquitaniam contra Hunaldum eiusdem provinciæ ducem procinctum movent captoque castello, qui Lucas dicitur, in loco qui vetus Pictavis dicitur, regnum dividunt, Karolomanno Austriam, Alemanniam, Thuringiam, Pipino verò Burgundiam, Neustriam, provinciam sortito. Deinde multis præliis commissis anno principatus sui quinto cum iam Fuldense Monasterium à sancto Bonifacio fundari ceperat, Karolomannus aperit fratri suo Pippino se seculo renunciare velle, quod sequenti anno ad effectum perducens, & ad Zachariam Romanum Pontificem veniens inspiratione divinâ tactus, & ab eo Clericus factus est, mundanæ contemtor gloriæ efficitur in monte Serapti [monte Soracte] Monasterio constructo, monachus in latibulo beati Silvestri. ☙ Guido. Sed ob frequentiam ad ipsum & propter ipsum jus convenientium & impedientium eius institutum clam cum quodam, qui fideliter olim militaverat ei, transmigrat ad montem Cassinum. Exemplum patientiæ & humilitatis Viri nobilissimi Karolomanni; qui in monte Cassino susceptus à loci fratribus patientiæ simul & humilitatis memorabile satis ostendit exemplum. Nam occultandi quis esset & unde, studio; cum se moribus inconditum & sensus inopem exhiberet, & injuncto sibi parandæ refectionis officio propter levis ignorantiæ

rantiæ culpam à nequissimo quodam inquilino graviter & contumeliosè tractari se, cum multa patientia sustineret, memoratus ille miles olim, tunc sub regula commilito suus, zelo debitæ fidelitatis armatus & animositate militari in eo regerminante maleficum eundem valido prosternit ictu seminecem, statimque pariter ambo capiuntur & rapiuntur ad pœnam; ac regibus atavis editus, licet absconditus, Christi servus eiusque mandati servator cum disponeret, ut poneret causam pro amico seque retento ligatum solveret à tormento; se tanti mali causam præbuisse, pœnam meruisse, fuisse socium clamat innoxium; alter è contrario non illum seditionem incepisse, sed susceptisse læsionem, & quòd illatam sibi jure fuisset ulcus injuriam cum suus esset Comes & dominus, Franciæ quondam princeps, & principum Pippini frater & Karoli filius, quibus dictis non adhibentibus fidem fratres monasterii, huius rei veritatem ab eodem Karolomanno constricto vinculis obedientiæ vix extorquent. Et stupefacti non minus patientia, quam reverentia tanti viri suppliciter ad pedes eius veniunt & veniam petunt, quod non fuit labor impetrare difficilis, apud nobilem & humilem Karolomanni animum.

Anno DCCXLVII Sarraceni intestino bello colliduntur. Pippinus fratrem suum Grifonem contra se rebellantem in Saxoniam persequitur. *Quatuor habuit filios Karolus Martellus*, Pippinum principem, & Karolomannum monachum, & Remigium Virum sanctum Rothomagensem, postea Archiepiscopum, & istum Griffonem. ☙ Episcopus Otto. Hic Griffo qui minor natu erat, consilio uxoris suæ Sunahildæ, Odilionis Bavvariorum Ducis consanguineæ, occupata Lauduno, fratribus bellum indicit, qui collecto milite Laudunum obsidione cingunt, fratremque in deditionem acceptum in castello juxta Alvernam custodiæ manciparunt. ☙ Auctor. Postea contigerunt quæ præmissa sunt de conversione Karolomanni & de iterata rebellione Griffonis.

Anno DCCXLIX Pippinus Griffonem in Saxonia & eius complices Tassalionem, Landfridum & Sindigeth bello victos capit, & Tassalio-

salionem quidem Baioariæ ducem facit, Griffoni verò in Neustria duodecim comitatus concedit, quod illi non suffecit, sed ad Waifarium in Aquitania fugit. In Calabria & Cecilia fit pestilentia & mortalitas hominum nimia, in vestibus hominum & in velis ecclesiarum apparent cruciculæ quasi oleo designatæ. Apud Leodium post dominum Florebertum fuit Episcopus Fulchritius, deinde Agilfridus. ☞ Sanctus Bonifacius scribit Papæ Zachariæ, quod ipse fecit eligi tres Archiepiscopos, Grimonem Rothomagi, Hadbertum Senonis & Abel Remis, qui Archiepiscopus Abel apud Lobias se contulit, ubi & obiit.

Anno DCCL Hic recapitulamus ex dictis Ottonis Episcopi, Hugonis & Sigiberti, quod Imperator Constantinus impius Leonis impiissimi Imperatoris filius patrem per omnia malitia supergressus maleficiis ac cruentis sacrificiis & incantationibus dæmonum, luxuriæ quoque & immunditiæ deserviens ecclesiamque Dei more antiquorum tyrannorum persequens tam crudelis ac impius fuit, ut justo Dei judicio, ut dicit Episcopus, tam ob eius quam ob patris scelera regnum illud nobilissimum videatur imminutum; ita quod *ecclesia Romana Romam & totam Italiam*, ut supra dictum est, ab eorum dominio subtraxerit & Imperium Romanum, ut postea dicetur, *regno Francorum conjungeretur;* siquidem dictum est superius, quod Gregorius secundus, quia Leonem Imperatorem incorrigibilem vidit, Romam & Italiam & Hesperiem totam ab eius iure descire fecit, & vectigalia interdixit, *quod nullus Pontificum antea fecerat.* Tertius autem Gregorius non solùm vectigalia interdixit, sed etiam (Guido) Karolo Martello Francorum principi missis reliquiis & muneribus pretiosis, salutavit eum Apostolicis scriptis, quibus ei significavit quòd Romanus eum clerus & populus elegissent *Romanæ patricium Urbis* & ecclesiæ defensorem. ☞ Auctor * Itaque Karolus Martellus fuit patricius Romanus, Pippinus filius eius fuit patritius Romanus, Karolus Magnus filius eius fuit patricius Romanus, donec factus fuit Imperator, quod majus est, ☞ Sequitur Guido: dictus Karolus Martellus su-

per

per Yſaram fluvium obiit in Cariſiaco, & apud ſancti Dionyſii monaſterium ſepultus eſt, quod ditaverat prædiis & donariis ornaverat pretioſis, qui Karolus ſignificantibus ſibi cum regnum tam nobile poſſideret, quod inſignire diademate regio ſe deberet, fertur elegans dediſſe reſponſum, ſcilicet, quod ei ſufficeret; cum ſi nomen regis aſſumeret eſſet poſſibile maiorem ſe vel parem alicubi regem, inveniri, nusquam verò ducem vel principem poſſe ſibi parem repperiri. Cætera omnia quæ de eodem & de morte eius dicuntur & de pœna illius poſt mortem,* unde ſatis dictum eſt in vita Sancti Eucherii Aurelianenſis Epiſcopi ab eodem exiliati: ☞ Ex libello qui cancereſius dicitur. Apud Leodium corpus ſancti Huberti Epiſcopi de eccleſia ſancti Petri translatum eſt XVI anno ſuæ migrationis & humatum in Eccleſia ſancti Lamberti. Hic igitur annus Pippini principis nonus, fuit decimus regni Hilderici ultimi Francorum Regis de proſapia Clodovæi. Eodem anno Rex Longobardorum Rachis, dum rapto fœdere Romam inquietare nititur, à Zacharia Papa ita correptus eſt, & compunctus, ut non ſolum à malo * reprimitur, ſed etiam ejusdem Papæ inſtinctu cum uxore & filiis Romam veniens Monachus efficitur, cui frater eius Haiſtulfus ſuccedens ſeptem annis regnavit, quorum primus hoc anno annectitur. In Anglia hoc tempore quatuor fuerunt regna, quorum & maius & tunc cæteris potentius dicebatur Merciorum, quorum Rex Ethelbaldus erat in anno regni ſui XXXII & poſtea novem annis regnavit, Weſt-Saxonum Rex Cuthredus erat in anno regiminis ſeptimo, & poſtea ſimiliter IX annis regnavit. Nordanimbrorum quoque Rex Egbertus erat in anno regni ſui undecimo, qui & ipſe poſtea novem annis regnavit. Rex autem Cantuariæ Edbertus hoc anno regni ſui XXXIII fuit mortuus, cujus ſucceſſores ab hinc omittendos judicamus, Iſta quatuor regna qualiter ad unum pervenerint, habetur in ſequentibus. ☞ Apud Sarracenos moti ſunt in exterioribus partibus Orientis *Turci Mauropbiſi* qui & Choroſamitæ dicuntur contra Maruthan Arabum principem & omnem cognationem eius, quæ principata fuerat Perſis ab ipſo Mahu-

Mahumet pseudopropheta usque ad hunc Maruthan. Abubalas igitur qui & Muhaïmet *Turcorum Mauropholorum* princeps comprehendit Maruchan & occidit & sedit in Persida, transtulitque sub se principatum Persarum. Unde hii, qui prius principati fuerant in Damasco, transmeaverunt in Affricam & repleverunt Hyspaniam usque in præsens tempus. Et hic igitur Abulabas erat in anno regni sui secundo & postea tribus annis regnavit. Super *Bulgares vero ante paucos annos de Scythia egressos*, qui partem imperii Constantinopolitani invaserant, jam erat tertius nomine Cormesius. Consuetudo namque est ecclesiasticæ historiæ, non solum amicos ecclesiæ seriatim in ordine suo collocare, sed etiam inimicos illius tetro colore depingere.

Anno DCCLI Misit Princeps Pippinus sanctum Burchardum Episcopum de Wisceburg quæ *Herbipolis* dicitur, & Fulradum capellanum suum, ad Zachariam Papam scisitandi gratia. * Pontifex ergo melius esse, ut ille, qui curam omnium haberet, Rex diceretur, quàm qui solum nomen Regis gereret, remandavit. Eo tempore Hildricus memoratus inane regium nomen tenebat, sc. Hugo. De quo cum esset vir inutilis & remissus & nichil præter regis nomen & precarium victum, quod ei aulæ præfectus Regiæ ministrabat, de tota regni potentia possideret, Pipinus major Regiæ domus per legatos suos, ut dixi, studuit interrogare Papam Zachariam, an ille deberet esse Rex Franciæ, qui otio deditus solo regiô nomine erat contentus, cui Pontifex remandavit illum debere regem appellari, qui bene rem gereret. Cassinenses interea monachi sumentes secum Karolomannum monachum, cujus supra meminimus, Romam venerunt, rogantes Zachariam Romanum Pontificem, ut literas Pippino principi dirigeret quatinus corpus beatissimi Benedicti, quod Floriacenses Monachi furtim sibi vendicarent, avito restituant loco, quibus Romanus Pontifex annuens per eundem Karolomannum Episcopis Franciæ coram fratre suo Pipino in magno convento præsentavit. Tunc pius princeps hæc audiens fratrem suum Remigium Rothomagensem Episcopum cum tribus Episcopis Floriacum potestative direxit, ut maxima cura partem

Digitized by Google

tem non modicam corporis ſancti Benedicti Caſſinenſibus monachis redderent, partemque ſolatio loci reſervarent; pertractans prudenti conſilio, ut nec fratrem contriſtaret, nec tamen regnum Francorum tanto honore privaret. Quid inde factum ſit, continetur in capitulo quod ſequitur. Inter hæc autem & iſta ſanctus Bonifacius Germaniæ Legatus qui ſedem archiepiſcopatus, quæ erat in Wormatia, poſuit in Moguntia; miſit in Anglia epiſtolam regi Merciorum Ethebaldo quæ ſcripta eſt in corpore Canonum, in qua epiſtola regem eundem caſtigat & redarguit in multis, maximè ſuper violatione monialium & ſacrarum virginum, quod quam ſit (inquit) ab honeſtate peregrinum, doceat nos alienæ gentis inſtitutio. Nam *in antiqua Saxonia*, ubi nulla eſt Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo vel maritata ſub conjugio fuerit fornicata, manu propria ſtrangulatam cremant, & ſuper foſſam ſepultæ corruptorem ſuſpendunt, aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis flagellant eam caſtæ matronæ & cultellis pungunt, & de villa in villam miſſæ occurrunt novæ aliæ flagellantes, donec interimant. *Windi* quoque, id eſt Sclavi, quod eſt fædiſſimum genus hominum, hunc habent, *ut mulier viro mortuo ſe in rogum cremari pariter aſſura præcipitet.* Si ergo gentes deum ignorantes zelum caſtimoniæ habent, quid tibi convenit, fili kariſſime, qui Chriſtianus es & Rex? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi, tuo pereuntis exemplo.

Anno DCCLII Reverſis à Roma nunciis Pippinus auctoritate Zachariæ Papæ à beato Bonefacio Moguntino Archiepiſcopo aliisque regni principibus in Sveſſionica civitate ad imperium eligitur, &c. Unde Sigebertus: Hildricus Rex Francorum in monachum tonſoratur; Pipinus verò princeps auctoritate Apoſtolica & Francorum electione à ſancto Bonefacio Moguntiæ Archiepiſcopo in regem ungitur & conſecratur, & regnavit annis XVII, poſt annos circiter LXXXVIII, ex quo majores domus ceperant principari ſub regibus Francorum; quod autem Sueſſionis coronatus ſit, teſtatur etiam *Guido hiſtoriographus*, cuius coronationi *Dux Herminus* pater Garrini

Lothoringi & Beggonis interfuit. Sed jam de corpore ſancti Benedicti, quod ſupra diſtulimus, proſequamur. ☙ Scribit Sigibertus, Karolomannus monachus oſſa ſancti Benedicti Abbatis ab Eccleſia Floriacenſi, ubi olim translata fuerant, tollere nititur, ut ea ad caſtrum Caſſinum transferret, ſed miraculis à Deo oſtenſis & Francis obſiſtentibus ab incepto prohibetur. Quæ autem fuerint illa miracula, Guido Hiſtoriographus & *Hugo Monachus de Sancto Benedicto ſuper Ligerim*, breviter declarant. Pipinus rex contra Saxones pugnat, qui etiam Galliarum eccleſias *cartibus* Romanæ auctoritatis ſuo ſtudio melioravit. Frater eiusdem Remigius Rothomagenſis Archiepiſcopus in Gallia claret; Griffo verò frater eorum cui Pipinus duodecim Comitatus dederat in Alemannia, ſed neque ſic in pace eſſe poterat, à fidelibus Regis, eo tamen ignorante perimitur, à Theodoeno Viennenſi & Frederico Ultrajurano Comitibus in *Mauriana* civitate, ſed & illi Comites in eodem bello mortui ſunt.

Anno DCCLIII Zacharias Papa moritur Ydus Martii & ceſſavit Epiſcopatus diebus duodecim. Quidam presbyter Stephanus electus tertio die obtinuit, & obiit, & ideo non computatur. Cui ſuccedit venerabilis vir Stephanus ſecundus & ſedit annis quinque diebus XXIX. Qui mox Romæ reſtauravit duo Zenodochia & alia quinque fundavit. Haiſtulphus verò Longobardorum rex ceperat Romanos vehementer affligere, cui Stephanus Papa tertio menſe ordinationis ſuæ multa munera miſit pro pace, qui percuſſit cum eis fœdus in XL annos & quarto menſe rupit, & per * unum quemque ſolidum auri imponere cupivit & ſibi Romam ſubdere. Pontifex verò *miſit Conſtantinopolin pro auxilio*, ſed nihil profecit, quia Imperator erat hæreticus. Interim opprimebat eos valde, Papa verò propriis humeris imaginem domini noſtri Jeſu Chriſti & eius Genitricis & crucem ſanctam pedibus nudis incedens portabat ad proceſſionem, poſito in omnium capitibus cinere. Inde Stephanus Papa miſit ad Pipinum Regem Francorum & patricium Romanorum pro auxilio contra Haiſtulphum, qui Pipinus miſit Crodegangum Sororis ſuæ filium,

lium, prius Abbatem, post Metensem Episcopum, & Auctarium Ducem, qui *in cantilena* vocatur *Lotharius superbus*, ut Papam adducerent in Franciam, qui dum veniret, apparuit in cœlo globus igneus à parte australi declinans à Galliæ finibus in partes Longobardorum. ☞ Unde Sigebertus : Haistulpho Longobardorum rege contra Romanos adeò excandescente, ut tributum exigeret ab uniuscujusque capite, Stephanus Papa ad expetendum Pipini Regis auxilium cogitur in Franciam venire, cui in veniendo in una noctium apparuit signum magnum in cœlo : globus scilicet igneus à parte Australi declinans à Galliæ finibus in partes Longobardorum, Haistulphus verò Karolomanno monacho Casinensi quædam dederat in mandatis ad Pipinum Regem, volens sibi conciliare gratiam ipsius ad perturbandam Apostolicam petitionem, qui nihil profecit, quia Karolomannus non est ultra reversus in Italiam, sed remansit in Franciam de voluntate Papæ, & factus est ibi monachus. Ancelmus vir illustris, cuius soror erat uxor Haistulphi Regis, transfert corpus sancti Sylvestri Papæ ad cænobium Nonantulam à se fundatum; est autem Nonantûla in Lombardia inter Mutinam & Parmam. ☞ Episcopus Otto : Pipino interea ab expeditione Saxonum revertenti, ubi & nuncium de morte fratris sui Griffonis audivit, in villa quæ Carisiacus dicitur nuncius occurrit nuncians Papam advenire. ☞ Elimandus : Pontifex verò venit ad monasterium sancti Mauritii, Pipinus properavit ei occurrere cum uxore & filiis, præmittens filium suum Karolum, qui postea dictus est Magnus, qui jam erat duodecim annorum ; ipse verò Pipinus in palatio suo pontigonæ, descendens de equo suo & terræ prostratus cum uxore & filiis & optimatibus in die sancto Epyphaniæ eum suscepit & *vice Stratoris* usque in aliquantum locum juxta eius * solarem [equum] præparavit [f. properavit]. ☞ Quod etiam Guido sic attestatur : Papa deducitur ad Pontigonense palatium, aliquantum viæ per spatium ipso Rege vice Stratoris equum regente per frænum; & quoniam hyemps erat, duxit secum Pontificem Parisius, & apud sanctum Dionysium eum hyemare fecit.

Anno DCCLIIII ☙ Episcopus Otto : Pipinus à Stephano Papa primo à fidelitatis sacramento, quam Hilderico promiserat, cum aliis regni Francorum primoribus absolvitur, ac Hilderico detonso & in monasterium truso postmodum in regem ungitur, qui *Hildricus*, ut dicitur, jacet in Abbacia Maurimontis. ☙ Sigebertus : Pipinus à Stephano Papa cum filiis suis Karolomanno & Karolo in regem ungitur, & per eos eorum generatio in hæreditatem regalis successionis in perpetuum benedicitur, & omnis alienigena ab eius invasione Apostolico anathemate interdicitur. ☙ Episcopus Otto : *Ex hoc Romani Pontifices regna mutandi auctoritatem trahunt.* Pipinus igitur re prius, ex hinc nomine simul ac re, regnum Francorum gubernavit. ☙ Hugo Floriacensis : Dum venerabilis Papa apud Regem aliquamdiu moraretur, ægritudinem incurrit, qua detentus molestiæ apud sancti Dionisii cænobium, non longè à Parisiaca urbe lecto decubuit, sed ipsius sancti Dionisii meritis tandem convaluit. In eadem basilica altare in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum etiam precibus convaluerat, consecravit. Visio pulcherrima, quam vidit, ipsius Papæ verbis est recitanda : ☙ Ego Stephanus Episcopus servus servorum Dei ad dominum Pipinum Christianissimum Regem & sancti Petri fidelem in Franciam veni, ubi ægrotavi usque ad mortem, & mansi aliquo tempore apud pagum Parisiense in venerabili monasterio sancti martyris Christi Dyonisii, quo cum jam medici de me desperarent, rui, [f. fui] sicut in oratione, in Ecclesia eiusdem martyris beati, subtus campanas, & vidi ante altare bonum pastorem dominum Petrum & Magistrum Gentium, dominum Paulum, & nota mente illos recognovi de illorum *furcariis*, & ter beatum dominum Dyonisium ad dexteram domini, subtilem & longiorem, pulchra facie, capillis candidis, colobio indutum candidissimo, purpura clavato, pallio toto purpureo auro interstellato, & sermocinabantur inter se lætantes, dixitque *bonus pastor dominus Petrus* : Hic frater noster postulat sanitatem, & dixit dominus beatus Paulus, modo sanabitur ; & appropinquans misit manum suam ad pectus domini

domini Dyonisii amicabiliter, respexitque ad dominum Petrum, & dixit dominus Petrus ad Dominum Dyonisium hilariter : tua gratia est sanitas eius ; & statim beatus Dyonisius thuribulum incensi & palmam in manu tenens cum presbytero & dyacono, qui in parte stabant, venit ad me, & dixit mihi : Pax tecum frater, Noli timere, non morieris donec ad tuam sedem prospere revertaris. Surge sanus & hoc altare in honore Dei & Apostolorum Petri & Pauli, quos vides, dedica, missas & gratias agens ; erat enim inæstimabilis claritas & suavitas, moxque sanus factus volebam implere, quod mihi præceptum erat, & dicebant qui ibi aderant quod dementabam, quapropter retuli ex ordine illis & Regi suisque optimatibus quæ videram, & quomodo sanus fuerim, & implevi quæ mihi sunt * omnia. Benedictus Deus. * Qui Papa postquam Romuleam remeavit ad urbem, ipso sancto Dyonisio intra modo dictam urbem monasterium ædificare cepit, quod morte præventus consummare non potuit. Iste Stephanus cum adhuc esset in Francia, *Chrodegangum* in Episcopum Metensem electum, fecit Archiepiscopum & ei pallium tribuit, quod *ad vitam tantum* constat ei fuisse collatum. ☙ Elimandus : Pipinus Rex rogatu Stephani Papæ Italiam aggressurus partem exercitus jam præmiserat versus Ravennam. ☙ Episcopus Otto : Pipinus Rex Italiam aggreditur, cui dum Longobardi in artis locis montium obsisterent, cæsis multis magno labore claustra penetrans in plano resedit. ☙ Sigebertus : Exercitus Haistulphi à Francis vincitur, Haistulphus pacem facere cum Romanis ad nutum Francorum compellitur. ☙ Hugo : Pipinus copiosum à Gallia movens exercitum ingressus Italiam Regem Haistulphum obsedit, qui victus fœdus iniit & scripto confirmavit, quod beato Petro Apostolo & sancto Papæ Stephano omnia prædia, quæ contra jus & fas eripuerat, & sibi retinebat, restitueret, quodque nunquam amplius Romanam Ecclesiam inquietare præsumeret. ☙ Elimandus : Sed remeante Pipino fœdus disrupit & Romam tribus mensibus obsedit, & multa sanctorum corpora extra cimiterium projecit. ☙ Hugo : Anastasius hæreticus falsus patriarcha

triarcha Constantinopoli passione nimia fatigatus, qua stercus ventris evomeret, anno præcedenti scilicet XIII Constantini miserabiliter mortuus est, & successit ei quidam hæreticus monachus nomine Constantinus. ☙ Per idem etiam tempus stellæ de cœlo cadentes apparuere, ita ut omnes hoc videntes consummationem seculi instare putarent. ☙ Sigebertus : Hoc tempore ultra Constantinopolim terræ motus terribilis factus est, quo urbes quidem aliæ ex toto, aliæ ex parte subversæ sunt, aliæ autem de montanis ad subjecta campestria cum muris & habitationibus suis integræ & salvæ plus quam ultra sex miliaria transmigraverunt. ☙ In Mesopotamia etiam terra dirupta usque ad duo miliaria, alia terra nimis alba & arenosa de profundo ejus ascendit, & ex ea animal mulinum incontaminatum humana voce loquens pronuncians incursionem gentis ab heremo adversus Arabes. ☙ Sequitur Hugo : Et eodem tempore mortuus est Abubabas princeps Mauriphilorum Turcorum, & successit ei Habdelas, qui multa mala ostendit sub imperio suo positis orthodoxis, sanctas sanctorum reliquias, ubicunque invenire poterat, effodiens, & sicut rem inutilem spargens, Ecclesias denique sanctas depopulans, armamentum & commune sterquilinium esse præcepit. Habdalas iste ab hoc anno regnavit annis XXI.

Anno DCCLV Sanctus Bonefacius Moguntiæ Archiepiscopus cum sociis in Fresia ab inimicis fidei martirizatur, & in Fulda cænobio, quod ipse in Thoringia fundaverat, honorificè tumulatur. ☙ Episcopus Otto : Qui Bonifacius verbum vitæ prædicans martirio coronatus est, hic, ut ajunt, terminos Episcopatuum Bavvariæ, sicut hodie manent, distinxit, prædictum cænobium fundavit, & multa ecclesiæ Dei profutura opera tam in Gallia quam Germania patravit. ☙ Guilhelmus : Successit ei quidam sanctus nomine Lullus, de quo sunt hii versus :

Antistes Lullus quo non est sanctior ullus,
Pollens divina tribuente Deo medicina,
Occurrit morbis ut totus prædicat orbis.

Post

Post quem fit Episcopus *Moguntinus* Ricolfus, qui montem sancti Jacobi construxit. ☙ Episcopus Otto : Floruerunt in eisdem diebus clarissimi regni Christi principes: Robertus Juvaviensium præsul, Burchardus Herbipolensis & *Sanctus Corbinianus* primus Frisingensis Episcopus. Hic Waldegiso patre ac matre Carbiniana, claris ad seculum parentibus generatus, in ipsa etiam pueritia divinam gratiam, quam postmodum plenè accepturus erat, prælibavit. Cum verò fide & virtute quo altius proveheretur dignus esset, à beato Gregorio hujus nominis tertio urbis Romæ Episcopo præsul ordinatus ad gentes destinatur. Eo ingresso Bawariam à Thasilione Duce ejusque filio Theodone benigne susceptus montem Frisitigis accepit, ubi cænobium monachorum construxit. Fertur de eo quòd quadam vice, dum pro ecclesiæ necessitate Romam pergeret ursus, Sagmarium suum occiderit, cui vir Dei capto Sagmam imposuit & ut eam deferret præcepit : ac verbum Dei omni gladio penetrabilius effectum indomitam bestiam mandatis viri Dei obtemperare coegit. Eodem itinere sociis suis in loco deserto fame laborantibus aquila subito piscem detulit, cujus esu cuncti qui aderant cum stupore & admiratione refecti & exhilarati sunt. Alio tempore ad Regem Pipinum iter faciens latronem suspendio adjudicatum, dum precibus à Judice liberare non valeret, signo crucis munivit profectusque ad regem reum illum jam suspensum sive vivum sive mortuum sibi donari postulat & impetrat, celeriterque remeans biduanum in patibulo vivum repertum illæsum deposuit & correctum abire permisit. His aliisque quæ longum exequi virtutibus virtutumque miraculis iste vir Dei præfatam Ecclesiam primus irradiavit antistes Karolomannus monachus frater Pipini regis Viennæ moritur.

Anno DCCLVI Haistulphus Rex Longobardorum rupto pacis fœdere Romam, ut supra tetigimus, obsedit. ☙ Pipinus Rex Italiam repetens eum Papiæ inclusum obsidet & circumdat, donec XL obsidibus receptis invitum ad fœdus pacis repetendum compellit, & sancto Petro, quicquid sui juris erat, restitui fecit, insuper etiam Ravennam

vennam cum aliis plurimis Italiæ urbibus beato Petro resignavit, & ita Pipinus prospere in Gallias revertitur, & Furaldus Abbas sancti Dionysii Parisiensis corpus sancti Viti martiris à Roma Parisius transtulit. ❧ Constantinus Imperator impius Constantinopoli Synodum CCCXXX Episcoporum congregat, in qua edicto promulgato de imaginibus Dei & Sanctorum eius deponendis ecclesiam Dei nimis scandalizat & contra orthodoxos tyrannizat. ❧ Qualiter Haistulphus Rex Longobardorum uxorem propriam interfecit, habetur in Epistola Stephani Papæ qui canones inscribitur.

Anno DCCLVII Cum Francorum regno crescente, jam Romanum imo Constantinopolitanum decrescerct, Constantini Augusti nuncii Pipino munera deferentes ad eum apud Conpendium veniunt, ❧ Unde Hugo : Pipinus Rex Francorum rediens ab Italia Constantini Imperatoris magna munera recepit, inter quæ secundum Elimandum fuit mirabile organum. Tassilio quoque Baioariorum Dux apud Conpendium cum majoribus gentis suæ veniens avunculo suo reconsiliatur; regi, filiisque suis fidelitatem sacramento promittens. ❧ Haistulphus Longobardorum Rex iterum rebellare attemptans & pacem violare, judicio Dei percussus moritur, Cui Desiderius qui erat Dux in partibus Tusciæ substituitur, sed non regnasset, nisi Papa Stephanus eum adjuvasset sub hac conditione, ut quod abstulerat, beato Petro redderet, qui XIX annis ab hoc anno regnavit.

Anno DCCLVIII Quinto Kal. Maji Stephanus Papa moritur, eique succesit Paulus frater eiusdem Stephani, seditque annis decem, mense uno. ❧ Huc usque pertingit *liber de gestis Pontificum Romanorum*, & abhinc de Romanis Pontificibus sparsim & variè tractant diversi autores. ❧ Paulus Papa Romæ illud Monasterium quod frater suus Stephanus antea inchoaverat, sed quia morte præventus, consummare non potuit, nobiliter consummavit, & quosdam Dei servos natione Græcos illic adunavit, locumque ipsum ad sanctos martyres in schola Græcorum appellari præcepit. Pipinus

fortitur

Digitized by Google

fortitur Saxonum munitiones irrumpit & [poſt] multam ſtragem eos ſub tributo redigit. ☙ Unde Epiſcopus Otto : Gravi ac laborioſo bello Saxones devicit, eosque tributarios fecit, *Coloniæ* poſt ſanctum Agilolfum præfuit Regenfridus, deinde Hildegerus.

Anno DCCLIX Tilpinus vir nobilis & monachus ſancti Dionyſii Pariſienſis in Archiepiſcopum Remenſem eligitur, rexitque epiſcopatum abhinc annis XLVII. ☙ Corpus *ſanctæ Petronillæ Petri Apoſtoli filiæ* à Paulo Papa transponitur, in cujus marmoreo ſarcofago ipſius Petri Apoſtoli manu ſculptum legebatur, Aureæ Petronillæ dilectiſſimæ filiæ. ☙ Walpertus Abbas in Italia. ☙ Chrodegangus Metenſium Epiſcopus Pipini regis ex Landrada ſorore ſua nepos claret in Gallia, qui Gorziam cænobium fundavit in Metenſi parochia. ☙ Waiferus Dux Aquitaniæ Eudonis filius frater Hunaldi res Francorum injuſte vexando iram Pipini incurrit, eoque Aquitaniam aggreſſo, fœdus fictæ pacis iniit. ☙ Epiſcopus Otto : Eo quod Eccleſias ſui juris infeſtaret, militem contra eum Pipinus inſtaurat, acceptisque ab eo obſidibus revertitur. ☙ Hiis diebus beatus Othmarus in inſula Reniſten relegatus, migravit ad dominum. ☙ Elimandus ex dictis Guilelmi. In Anglia Ethelbaldus Rex Merciorum moritur, ſuccedit rex Offa cognatus eius, per annos XXXIX, qui reliquias beati Albani martiris obſcurè usque ad hoc tempus abſconditas, gemmis & auro in ſcrinio reponi fecit, baſilica pulcherrimi operis ibi ædificata, & monachis adunatis. In regno Weſt-Saxonum præfuit Kinewlfus XXIIII annis, in regno Nordanimbrorum Sigebertus anno uno.

Anno DCCLX In partibus transmarinis Habdala perſequente, eccleſia Dei graviter perturbatur. Waifero à pacis fœdere averſo, Pipinus Rex Avernicum pagum depopulando premit, & multa caſtella ipſamque Avernis civitatem capit, & Blandinum Urbis Comitem cum multis abducit. ☙ Hugo : Pipinus contra Waiferum Aquitaniorum Ducem cum filio ſuo Karolo perrexit, & caſtella Aquitaniæ Santerram & Burbonem expugnavit & cepit, & Clar-

montem concremavit ac Lemovicas usque pervenit. ☙ Sequitur Sigibertus : Comites duo Chilpingus Avernensis & Amingus Pictavensis, congressi militibus Pipini perimuntur cum DCCLX. *Sanctus Gengulfus* claret in Burgundia. De hoc plenius habetur in anno DCCLXVI.

Anno DCCLXI Rediens Pipinus ab Aquitania Bituricas urbem capit & captam munit. Telezas Bulgaribus dominatur post Cormesium. In Anglia Rex Nordanimbrorum Molo XI annis regnavit. ☙ Hugo : Interea Constantinus Constantinopoleos falsi nominis Patriarcha, accusatus apud Imperatorem impiissimum Constantinum, accepit successorem Nicetam pessimum Eunuchum ex Sclavis ortum. Constantinus autem degradatus projectus est ab Ecclesia, Niceta, & Imperatore præcipiente gradiens retrorsum, & cum ludi ceperunt in circo, raserunt barbam ejus & pilos capitis ac superciliorum & indutum brevi laneo & sine manicis vestimento super asinum sagma ferentem obliquum fecerunt sedere, & ipsius asini caudam tenere, trahebat etiam asinum Constantinus nepos eius naso reciso, postea verò sententia data decollatus est, & caput eius in muro per aures tribus diebus pependit, corpusque eius pede resti ligato diu tractum est per plateam ad ostensionem plebis. ☙ Eodem anno Niceta falsi nominis patriarcha Yconas ex musio [musivo] factas, quæ in patriarchio suo erant, erasit, & imagines deposuit. Sedet eodem anno Constantinus Imperator Hyrenem speciosissimam puellam ab Athenis evocavit, & Leoni filio suo copulavit, major verò Hyrene uxor ejusdem Constantini fuit filia Cagani Avarum Regis, quæ viro suo apostatante fidem rectam tenuit.

Anno DCCLXII Per idem tempus Tracensium prætor, sicubi Lipsanum in tota sibi subdita provincia sanctarum comperit reliquiarum, igni combussit ; venumdavit etiam omnes sacros libros, & omnia sacra vasa, & horum pretia Imperatori transmisit, multos denique monachorum interfecit, & quorundam orthodoxorum oculos eruit, & quorundam barbas cera & oleo perungens ad ostentationem

nem

nem ſuccendit, quosdam autem exilio relegavit. Quod cum Imperator didiciſſet, ſcripſit ei taliter gratias agens : Inveni te virum ſecundum cor meum, qui facis omnes voluntates meas. ☙ Caput Johannis Baptiſtæ ab Alexandria in Aquitaniam transfertur hoc modo: quidam laudabilis vitæ monachus nomine Felicianus, ex Galliarum partibus cum paucis ſociis Jheroſolymam gratia orationis adiit, & poſt expleta piæ devotionis obſequia, Angelica collocutione commotus, Alexandriam expetiit, & caput Johannis Baptiſtæ à loco, in quo olim a Theophilo ejusdem urbis Epiſcopo reconditum fuerat, eodem Angelo revelante ſuſtulit, & ad Aquitaniam in territorio Engoliſmo detulit. ☙ Pipinus Rex tunc morabatur ibidem in palatio quòd Angariacum dicitur, cernensque per eum cotidiana indigenis beneficia ſibique crebras ex hoſtibus Aquitanicis victorias provenire, regii operis baſilicam conſtruxit non longe à Wltrani littore fluminis, & in eo ciborio conſtructo mirifici operis, caput decenter adornatum recondidit præcurſoris, Monachorum etiam cænobium illuc conſtituit & prædiis regiis magnifice ditavit. Idem Rex fecit fontem lacunarium, de quo à duobus fere milibus ſub terra per ædificia cæmentaria in palatium eius aquæductus defluebat & ipſam dividens aquam in baſilicam ſancti Johannis Baptiſtæ per ferrum & æs introduxit, ita ut ſub ciborio per marmoream columnam interius concavam ebulliret, ibique ſacri baptiſmatis ablutio in honore domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſancti Johannis Baptiſtæ fieret atque iterum in ipſa lacunaria remearet. Hoc cænobium Agilis vocatur.

Anno DCCLXIII Apud Virdunum poſt mortem Maldenei Epiſcopi Viri ſancti Amalbertus fuit Chorepiſcopus per annos XII. ☙ A Conſtantino Imperatore multi martirizantur, Telezas Conſtantino Imperatori congreſſus cum multo Bulgarum damno & opprobrio vincitur, & ob hoc a Bulgaribus reprobatus cum principibus gentis ab eis perimitur. ☙ Sabinus Bulgaribus dominatur. ☙ Thaſſilo Dux à Rege Pipino omnino avertitur. ☙ Epiſcopus Otto : Thaſſilo Bajoariorum Dux poſtpoſita fide avunculo ſuo Pi-

Digitized by Google

pino rebellare attentat. Difficilia & periculosa hæc tempora duobus fortissimis Aquitaniæ ac Bawariæ Ducibus regi rebellantibus. Nam Waifarum adhuc rebellantem Pipinus multis ac gravibus bellis pressit. ☙ Hugo : Pipinus Aquitaniam perambulavit usque Cadurcum, & inde rediens in Argentomago castello, & in Bituricensi civitate præsidium sibi collocavit, Waiferus diffidens suis viribus muros urbium Aquitaniæ subvertit solotenus, quas restaurans Pipinus ad suorum tutelam fidis commisit principibus. ☙ Hic annotandum est de *Duce provinciæ Reimundo* & filio eius Belino, sed & de duobus Bastardis filiis Pipini Holdrico & Raginfredo, si vera sunt ea, quæ dicuntur; & fuga Karoli Magni ad Galafrum Admiraldum Toleti. Hic est annotandum. Erant pro Karolo Milo de Angleris & Garnerus de Dinione [Dinia in provincia] pater alterius Milonis, cujus Garneri fuit frater, Samson de Valentia pater Reneri. Iste Dux Garnerus fundavit Abbaciam Monialium de Balmis, ubi & positus fuit, & adhuc nobilissimam habet ibi sepulturam. ☙ Episcopus Otto : *Turci* à Caspiis portis ea tempestate egressi *cum Avaribus* multis utrobique profligatis conflixere. ☙ Sigebertus: Turci à Caspiis portis erumpentes Armeniam infestant, in quorum patria cum antiquo tempore pestilentia exorta esset, suasu Christianorum in modum crucis totonderunt se, & quia per hoc signum salus patriæ reddita fuerat, hunc ritum tondendi tenuerunt, abhinc nulla fit mentio de Turcis in hoc opere usque ad annum MLIX.

Anno DCCLXIIII Gelu magnum à Kalendis Octobris usque ad Februarium fuit. ☙ Apud Tullum sanctus Bodo præfuit Episcopus, & post eum sanctus Jacob. Qui rediens à Roma sepultus est in cænobio sancti Benigni Divionensis; Civitati autem Avernis sanctus Bonitus vir nobilis præfuit; ☙ De hoc Petrus Damianus in Epistola sua meminit, quod hac occasione cathedram contemsit atque ad remotioris vitæ custodiam se contulit, quam [quoniam] de manu regis, Laici videlicet hominis, Episcopatum suscepisse eum contigerat. De eodem sancto Bonito habetur illa narratio ritmica in miraculis

Digitized by Google

culis beatæ Mariæ qui sic incipit : *Præsul erat Deo gratus ex Francorum genere natus, Bonus erat ei nomen quod designat bonum omen,* & cætera. ☙ Pipinus rex Lemoviacam regionem cæde & incendio depopulatur. ☙ Sabinus Bulgar cum Romanis fœdus iniit, pro quo à suis repudiatus ad Imperatorem fugit, Paganus Bulgaribus dominatur. ☙ Stellæ subito visæ de cælo decidisse, de hoc habentur in anno supra DCCLIIII.

Anno DCCLXV Chrodegangus Episcopus Metensis corpora martirum Gorgonii, Naboris, & Nazarii à Roma ad Gallias transtulit. Et Gorgonium quidem in Gorziam, Naborem verò in Hilariaco cœnobio, Nazarium verò reposuit in cœnobio *Lorisham*, quod Canthuir [Cancor aliis] Comes illustris à se fundatum Metensi Ecclesiæ priori anno tradiderat. Milo Remensis & Treverensis simul Archiepiscopus ante XL annos à Karolo Martello tyranno invasione constitutus hoc anno moritur.

Anno DCCLXVI Tilpinus vir nobilis qui & *Turpinus* dicitur jam erat præsul Remensis, & sanctus Hildolfus ordinatus est *Treverensis* Archiepiscopus. ☙ Pipinus Rex Agennum, detragoritas & Engolisma urbes Aquitaniæ multamque Aquitaniæ partem sibi subjugat. ☙ *Sanctus Gengulfus* fontem quendam Campaniæ in Gallia * quem oriri fecit in Burgundia, cuius venditor dum emtorem irrideret repente fontem suum vidit siccatum, cum ergo quadam die juxta fontem illum in orto suo mirabiliter orientem sederet, idem Gengulfus cum uxore sua adultera cepit illam arguere de adulterii sui infamia, quod crimen cum illa vehementer negaret, facillimam ei purgationem oppositi dicens, si vis ut credam, te sub hac infamiâ falso laborare, denuda brachium tuum & affer mihi lapillum de fundo fonticuli hujus, si illæsum brachium retraxeris, credam quod innocens sis, quod illa audiens secure brachium fonti immersit, & statim combustum velut ab igne retraxit. Tunc Sanctus ad illam : Ecce, inquit, apparet veritas flagitii tui, habe ergo tua, & mane per te vel cum tuo adultero, nam socia mea ultra non eris; & data sibi dimidia parte

ſubſtantiæ per ſe manſit. Non multo poſt dormiens juxta Wandreluez in domo ſua occiſus eſt à quodam clerico, qui cum ſua conjuge adulterare ſolebat; cujus corpus dum in feretro ad ſepulturam portaretur, multi infirmi de tactu illius ſanati ſunt, dumque hoc illius uxori referretur ab ancillà ſuà, videlicet dominum ſuum tanquam martirem ſanctum miracula facere, irridens illa & ſubſannans reſpondit: ita inquit Gengulfus miracula faciat, ut anus meus cantat, moxque ab ano ſuo turpes ſonos & numeroſos vellet nollet cepit emittere, quod ei poſtea contigit omni vitâ ſuâ in ſexta feria, ut quotiens in eadem feria, in qua vir ejus martir effectus eſt, aliquod verbum ab ore proferret, totiens ab ano turpem ſonum redderet, quod audiens Rex Pipinus ad majorem gloriam martiris Gengulfi experiri voluit, Clericus verò in quadam latrina cecidit usque ad latrinam inferni.

Anno DCCLXVII Tempore Conſtantini Imperatoris & Hyrene uxoris ejus in Syria civitate Beritho, quæ ſubjacet Antiochiæ Judæi imaginem domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri invenientes in domo cujusdam Judæi, ibi relictam à quodam Chriſtiano, qui ibi manſerat, eam injuriosè depoſuerunt, & omnia opprobria, quæ Judæi domino Jeſu intulerant, imagini eius inferebant, illudentes ei, in faciem conſpuentes, eamque percutientes, criminosè convitiantes, manus & pedes eius clavis configentes, acetum & fel ei porrigentes, tandem latere lancea ejus aperto exivit de eo ſanguis & aqua, quod illi ſuppoſita ampulla ſuſcipientes ad experimentùm, utrum vera fuerint miracula, quæ Jeſum feciſſe audierant, omnes infirmos in Synagoga collectos hoc ſanguine aſpergebant, & à quocunque detinebantur languore, omnes ſanabantur. Unde Judæi tandem compuncti ad Deodatum Urbis Epiſcopum omnes concurrerunt, eique re enarratà, imaginem cum ſanguine ei dederunt, quibus baptizatis Epiſcopus ſanguinem per ampullas diviſas longe lateque dirigens prædicabat magnalia Dei, obteſtans omnes, ut ſingulis annis quinto Ydus Novembris celebretur *paſſio dominica imaginis*. ☙ Floruit hiis diebus Ambroſius Aupertus, qui prolixam *expoſitionem ſuper Apocalypſin* edidit,

edidit. Quis iſte fuerit Ambroſius, ipſe de ſe teſtatur in fine libri dicens : *Ambroſius qui & Aupertus*, ex Galliarum provincia ortus, intra Samnii regionem apud monaſterium martiris Chriſti Vincentii maxima ex parte divinis rebus imbutus non ſolum * aurum, ſed & ſacroſanctis altaribus ad immolanda Chriſti munera traditus, operante beata & inſeparabili Trinitate, ſuffragantibus etiam meritis beatæ Mariæ virginis temporibus Pauli Pontificis Romani, nec non & Deſiderii regis Longobardorum, ſed & Arochili Ducis eiusdem provinciæ quam incolo; hoc opus feci atque complevi, quodque propter facilitatem intelligendi ſpeculum parvulorum vocavi. Samnii verò regio ultra Romam ſita eſt. Scripſit autem prologum ſuum ad Stephanum Romanum Pontificem, de quo ſequens capitulum ſuo loco annotabimus.

Anno DCCLXVIII Conſtantinus Imperator & Habdalas Amiras pari veſania in orthodoxos deſæviunt, multosque eorum pro Chriſto perimunt, Conſtantinus inſuper ægrè ferens gloriam Sanctorum miraculis coruſcantium etiam Lipſana eorum ubique jubet effodi & jactari in profundum. De hoc ſuperius dictum eſt in anno DCC & LXII. ☙ *In præſentia Pipini Regis inter Græcos & Romanos celebratur Synodus de ſancta Trinitate & Sanctorum imaginibus.* Pipinus Rex Remiſtannum fratrem Eudonis, patruum ſcilicet Waiferi, qui de Waifero ad ſe & à ſe ad Waiferum confugerat, captum à ſuis in bello, ſuſpendit in patibulo. ☙ Rex Sarracenorum Amyrmonon ab Hiſpania miſſis legatis & muneribus datis & acceptis, affectat gratiam & amicitiam Pipini Regis.

Anno DCCLIX Pipinus ultimo exterminio Aquitaniam atterit. Sancconas capit, ibique Waiferi matrem ſorores & neptes captas ſecum abducit. ☙ Hugo : Tertia expeditione Pipinus Aquitaniam intrans usque Garumnam fluvium pervênit, & cum inde reverteretur, tandem intra pagum Petragoricum prædictum ducem Waiferum interfecit. ☙ Epiſcopus Otto : Pipinus multis ac variis bellis patratis ad ultimum Waiferum interfecit, ac non multo poſt in re-

in reditu Turonis infirmatus & inde Parisios deportatus diem obiit. ☙ Guido : Cum Pipinus ecclesiis restituisset ex illis multa pro illis quæ patrem suum metuebat ab ecclesiis ad ecclesiarum transtuliſſe minùs legitime defensores ; apud sanctum Dyonisium committit animam Deo, corpus terræ, regnum filiis. ☙ Sigebertus : Hunc locum ita prosequitur, longa contentio inter Pipinum & Waiferum finitur, quia Waiferus à suis malorum pertæsis in gratiam Pipini perimitur, & non multo post idem Pipinus moritur. ☙ Unde Magister Hugo de sancto Victore : Hic obiit Pipinus Francorum Rex & Patricius Romanorum anno XV, ex quo à Papa Stephano fuerat inunctus, à morte verò patris sui anno XXVII, sepultus est in Abbacia beati Dyonisii. Karolus filius ejus pro felicitatis magnitudine agnominatus magnus, compartito cum fratre suo Karolomanno regno regnavit XLVI, de quibus tres fecit cum eodem Karolomanno, reliquos vero solus. ☙ Hugo Floriacensis : Karolus in Noviomensi urbe regiam susceptt coronam, & frater ejus Karolomannus Suessionis ; de anno autem incarnationis Domini omnes concordant, de die autem invenitur auctoritas, quæ dicit XIIII Kal. Octobris die Dominica ; *revolvendo autem compotum, invenio hæc omnia in hoc anno concurrere*, & secundum magistrum Hugonem eodem anno Constantinus fuit Papa uno. ☙ De quo Sigebertus ita : Romæ Paulo Papa mortuo Constantinus quidam, subito ordinatus Sacerdos ex Laico, tyrannica ambitione papatu invaso ecclesiæ Dei magno fuit scandalo : contra hunc Philippus à quibusdam Romanorum Papa constituitur, & non multo post deponitur, Constantino autem tandem per zelum fidelium ab Ecclesia deturbato, oculisque privato, Stephanus tertius Romanæ Ecclesiæ præsidet annis tribus, mensibus quinque, diebus XXVIII. Hic tam à Gallia, quam ab Italia Episcoporum Synodum Romæ congregat, in qua omnia a Constantino ordinata exordinat, *præter baptismum, & crisma* : decernente Synodo, ut Episcopi ab eo consecrati ad gradum, quem ante hanc consecrationem habebant, redirent, & si digni judicarentur iterum electi, iterum consecrarentur ;

Digitized by Google

tur; presbyteri verò ac Diaconi ab illo consecrati, similiter ad priorem gradum redirent, & ipsi, si digni essent, iterum quidem consecrarentur, sed ad altiorem gradum vel ordinem nunquam ascenderent. Laici verò ab illo in Dyaconos vel Presbyteros ordinati, omninò degradarentur & in religioso habitu perseverarent. Venerationem etiam sanctarum imaginum confirmat, earumque anathematizat prophanatores, constituit etiam, ut omni die dominico ad missam *gloria in excelsis* canatur.

Anno DCCLXX Karolus primo regni sui anno Aquitaniam ingressus, ducem Hunaldum fratrem Waiferi, qui post mortem ejus ipsam sibi provinciam retinere parabat, est aggressus, quem etiam Guasconiam petere compulit; sed Karolus Lupo duci Guasconensi mandavit, ut per fugam recedat, & nisi hoc maturè faciat, bello se eum expetiturum, Lupus vero Leonis audacia territus & saniori consilio usus non solum Hunaldum reddidit, verum etiam se ipsum cum provincia, & * cui præerat ipsius potestati permisit. ☙ Sigebertus ita dicit*: Hunaldo rebellionem in Aquitaniam meditante, Karolus Aquitaniam petit, omnesque Aquitanos & Guascones in deditionem accipit, Hunaldum, qui ad Lupum Guasconensem Ducem fugerat, à Lupo sibi cum uxore remissum abducit, & sic Aquitanicum bellum finitur. ☙ Desiderius Longobardorum Rex sub obtentu Romam ingressus, aliquos nobilium Romanorum captos excæcavit. ☙ Berta Regina mater fuit in Lombardia ad placitum. ☙ Sequitur secundum Alcwinum : Cum matris hortatu filiam Desiderii Longobardorum Regis Karolus magnus duxisset uxorem, incertum qua de causa, post annum repudiavit, & Hildegardem Alemannam duxit de genere Suevorum præcipuæ nobilitatis fæminam, de qua tres filios genuit, Karolum, Pipinum, & Ludovicum & filias tres. Super repudiatione prædictæ reginæ, quæ dicta est *Sibilia à cantoribus gallicis pulcherrima contexta est fabula* : de quodam vano turpissimo, cujus occasione dicta regina fuit expulsa; de Alberico milite montis Desiderii, qui eam debuit conducere à Machario proditore occiso ; de cane

Digitized by Google

venatico ejusdem Albrici, qui dictum Macharium in præsentia Karoli Parisius duello mirabili devicit. De Gallerano, de Bachare, & eodem Machario tractis turpiter & patibulo affixis; de rustico Asinario Warochero nomine, qui dictam reginam mirabiliter reduxit in terram suam; de latrone famoso, Girimardo in itinere invento; de heremita & fratre ejus Richero Constantinopolitano Imperatore dictæ reginæ patriæ [patre], de expeditione in Franciam ejusdem Imperatoris cum Græcis; & de filio ejusdem Sibiliæ Ludovico nomine, cui Dux Naaman filiam suam Blancafloram in uxorem dedit, & de Karolo magno in monte Widomari à dicto Ludovico & Græcis obsesso; de reconsiliatione ejusdem Reginæ cum Karolo, quod omnino falsum est; de sex proditoribus *de genere Ganalonis* occisis, quorum duo supra dicti Macharius & Galerannus perierunt Parisius, duo ante portam montis Wimari, quorum unus fuit Almagius, & duo in ipso castro, & cætera isti fabulæ annexa ex parte magna falsissima. Quæ omnia quamvis delectent, & ad risum morveant audientes, vel etiam ad lacrimas; tamen à veritate historiæ comprobantur nimis recedere, lucri gratia ita composita.

Anno DCCLXXI Constantinus imperator omnino à Deo aversus, virum sanctum Stephanum per XL annos inclusum, etiam gentilibus reverendum, amarà morte martirizavit; omnes sibi subjectos jurare coegit super sanctæ crucis lignum, ne aliquam Dei sanctorumque ejus imaginem venerarentur, eosque, qui Dei genitricem invocabant, eos, qui vigilias Deo agebant, eos, qui à juramentis & immunditiis abstinebant, eos, qui sanctorum reliquias penes se habebant, hos & hujusmodi damnans patrimoniis privabat, & omnibus modis cruciabat; qui reverentiores erant barbis, cera & pice illius * eos adurebat; monachos, ut uxores, monachas, ut viros ducerent, cogebat, quod multi vitantes martirium, meruerunt; nec sub alicujus gentilis persecutione plures quam sub hoc martirizati sunt. ☙ Telerigus Bulgaribus dominatur. ☙ Episcopus Otto: Karolus in Wormatia generalem curiam celebrans, orationis causa limina Aposto-

Apoſtolorum viſitare diſponit, quod eodem anno devotè complevit.

Anno DCCLXXII Karolomannus rex frater Karoli magni obiit apud Salmontiacum Lugdunenſis pagi palatium. In Salmontiaco eſt modo Grangia ſancti Martini Laudunenſis; Pars autem regni Karolomanni defuncti partibus Karoli Magni ſe unit, uxor ejus cum filiis & Auchario Franco ad Deſiderium Regem Italiæ confugit. ☙ Hunaldus Dux Aquitaniæ Romam, quaſi ibi perſeveraturus, venit; qui ad Longobardos fugiens apoſtatavit, ibi non multo poſt maligna eis adhortans lapidibus obrutus male periit. ☙ Conſtantinus Imperator contra Bulgares navali prælio pugnaturus, navibus ſuis fere duabus milibus, impetu aquilonis contritis, totum pene amiſit exercitum. ☙ In Anglia Rex Nordanimbrorum Alredus annis decem. Rex verò Merciorum Offa Karoli amicitias frequentibus legationibus expetiit. Iſte Rex Offa ſedem Archiepiſcopatus olim Cantuariæ fundatam in Linchisfelda, ubi tunc erant epiſcopatus, transferre * Conventrenſis voluit, tempore Archiepiſcopi Jambrithi. Huic ſucceſſit Ethelardus. ☙ Hic dicitur de Alcwino, qui poſt ſanctum Adelinum & Bedam omnium Anglorum doctiſſimus. Rex Offa depoſito Ethlardo inſtituit quendam Euthbertum, Alcvvinus ab Archiepiſcopo Eboracenſi Egberto enutritus, venit in Franciam liberalitate Karoli provocatus.

Anno DCCLXXIII Adrianus Romanæ Eccleſiæ præſidet annis XXIII, menſibus decem, diebus XXVIII. Hic ad reprimendam rabiem hæreticorum, imagines Dei Sanctorumque execrantium nimis laboravit, & *libro adverſus eos edito*, multisque ſcripturarum inductionibus confirmato & roborato, errores eorum infirmavit, fidemque rectam ſolidavit. Hic in offertoriis in offertoriorum verſibus quod geminatum eſt geminavit. ☙ Karolus rex ad *Saxonicum bellum* animum intendit, Heresburch caſtrum Saxonum capit, *Hormenſul* fanum deſtruit, ibique ſiti laborante exercitu, ſubito in torrente largiſſimæ aquæ effuſæ ſunt divino nutu, votique compos;

Karolus obsides pacis accepit à Saxonibus. Bellum hoc Saxonicum hic inchoatum per triginta tres annos duravit.

Anno DCCLXXIIII Adriano Papa contra Desiderium conquerente de multis injustitiis, Karolus Italiam petit, & Desiderium intra Papiam clausum obsidet. ☞ Recapitulatio Guidonis de Karolo & triumphis ejus : Karolus igitur, cum paternum ascendisset solus ad solium, pro singularis excellentiæ titulo velut olim Alexander & Pompejus magnus accepit cognomentum. Tunc tantum studium operibus magnificentiæ regalis impendit; tantum, ut apud Deum & homines gratiam inveniret, intendit, quòd pia contendit æmulatione virtutum, esse præcessoribus suis ad gloriam, successoribus ad exemplum. Primum fuit victoriæ decus decussus ab arce ducatus Aquitaniæ Gaiferi principatûs hæres & rebellionis Hunaldus, de quo dictum est; Secundum Italia Karolo dat triumphum, dum Adriano Summo Pontifici tanquam antecessorio jure Romanæ patricius urbis, ecclesiæque defensor, imploratum & desideratum contra Desiderium Regem Longobardorum præbet auxilium, & Alpes cum armipotentibus Francis exuperans in Papiam per obsidionem & deditionem coactum & captum Desiderium trahit in Franciam, fugat in Græciam ejus filium Adalgiscum. ☞ Quoniam *Amicus & Amelius* hoc anno passi sunt IIII Ydus Octobris, videndum est, si de historia illorum aliqua reperiri possit concordia. Primo itaque dicitur, quod temporibus Pipini regis nati sunt, quod si ita est, eodem anno, quo Pipinus principari cæpit post mortem patris vel potiùs ante triennio, concedamus, ut nati sint. Amicus fuit filius viri Nobilis de castro Bericano natione Theutonica, sed possessione Franci. Hoc castrum dicitur esse prope Cluniacum : Amelius verò filius Comitis Alvernensis, Papa, qui eos baptizavit, Deus-dedit dictus est, quod nullo modo stare potest, nisi Papa binominis sit. Cùm essent ambo annorum XXX, pater Amici mortuus, & ipse juvenis à castro suo expulsus est, & ivit quærere Comitem Amelium, in quo itinere filiam cujusdam nobilis duxit uxorem, manens cum ea per annum & dimidium, & Comes Amelius quærebat

eum

cum jam per biennium, euntes autem Parisius juxta Sequanam se recognoverunt. Quid multa? venientes ad Regem Karolum, Amicus factus est *thesaurius* Regis, & Amelius dapifer : triennio transacto, Amicus dedit mandata socio dicens, quod uxorem suum vellet invisere ac citius redire, Amelius Comes mandata socii neglexit, super filiam regis oculos injecit, & eam, quam citò potuit, indecenter oppressit; ne multis morer, per Hardericum accusatus, & in periculo constitutus, per Amicum liberatus est, qui eidem Harderico in duello caput amputasse legitur. Hardericus istè senior hic occisus pater Fromundi senioris & Haymonis de Burdegala notatur fuisse, & isti duo fratres habuerunt de matre, non de patre, Guillelmum de Monclin & quendam alium Fromundum Comitem Burdegalensem, qui Fromundus Comes genuit Fromondinum & Ludiam uxorem Ernaldi, Guillelmus de Monclin genuit Fromondum, quem Gerbertus interfecit. Igitur ut ad superiora redeamus. Amelio filia regis prædicta Belisfendis nomine in uxore data est, cui Rex dedit quandam juxta mare civitatem, Amicus ad uxorem reversus, Dei disponente clementia, factus est leprosus, juxta illud : flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Amicus autem fugiens uxorem, assumsit duos servos, Ozontem & Ozatum, qui eum perduxerunt ad limina Apostolorum tempore Constantini Papæ, qui Pontifex cum Romanis humanitatis ei auxilia præbuerunt. Hic dicendum est, si ille fuit Constantinus Neophitus, qui depositus est anno Domini DCCLXIX, oportet, ut tota historia duorum, quam præmisimus, ante mortem Pipini facta sit, quod si ita est, videtur, quod Karolus vivente patre curiam suam per se tenuerit, quod non legimus. Sequitur : post triennium, urgente fama, à Roma reversi venerunt ad curiam Comitis Amelii. Amicus itaque per Ciphum[Scyphum]recognitus, receptus est & mansit ibi cum duobus servis suis. Sequitur quod Raphael Angelus præceperat Amico, ut diceret Comiti Amelio, quatenus duobus filiis occisis in sanguinem illorum Amicum abluat sanitatem recepturum. Factum est quod jussit, & secutum est quod promisit. Erant infantes trium annorum,

qui hora prandii viventes inventi sunt & in collo cicatrices quasi rubei fili pro signo inventæ sunt. Exinde auxilio Amelii Amicus Berichanum castrum recuperavit. Licet igitur prædicta *narratio* videtur in aliquibus *apocrifa*, ea tamen, quæ sequuntur, autentica sunt. Erat Karolus in Theodonis villa dyocesis Metensis, ubi venit ad eum nuncius Adriani Papæ Petrus nomine, rogans, ut succurat Romanæ Ecclesiæ, Karolus autem ad occupandas cunctas clusas, de exercitu suo quosdam direxit, inter quos venerabilis Albinus fuit Andegavensis urbis Episcopus, cujus vita & meritum jam seculo valdè floruerat. Ipse quoque Rex cum pluribus bellatoribus Francis per montem Sinensem [Mont lenis] ad easdem appropinquavit clusas, & per montem Jovis Bernardum avunculum suum cum cæteris fidelibus Italiam intrare præcepit. In hoc exercitu Karoli fuerunt Amicus & Amelius priora agentes officia. In curia Regis, ubi Desiderius habebat sacerdotem, Karolus Episcopum; si ille monachum, iste Abbatem; si ille militem, iste principem; si ille peditem, iste Ducem & Comitem; & tamen per tres dies Longobardi contra exercitum Karoli fortiter pugnaverunt *in loco, qui mortalis dicitur*, eo quod ibi ex utraque parte multi occisi sunt, & ibi ceciderunt Amicus & Amelius, quos Deus sic unanimi concordiâ in una conjunxit tumba, * ita & in morte eos separari noluit. Postea Desiderius in Papiam fugit & Karolus civitatem obsedit. Karolus mittens in Franciam fecit venire Hildegardim Reginam. Sanctus Albinus Episcopus dedit consilium Regi & Reginæ, ut corpora interfectorum sepeliri, & ibi ecclesiam construi juberent. Karolus fecit ecclesiam in honore beati Eusebii Vercellensis, & Regina ecclesiam beati Petri. Rex duas archas lapideas de Mediolano fecit afferri, in una conditus est Amelius in Ecclesia beati Petri, in altera Amicus in Ecclesia sancti Eusebii, mane autem facto, dispositione divinâ inventum est corpus Amelii cum sarcofago, juxta sarcofagum Amici in regali Ecclesia, super quod miraculum Rex & Regina gavisi sunt, & maximas dotes eidem ecclesiæ contulerunt : & beatus Albinus, qui multa miracula jam fecerat, Presbyteros, diaconos & clericos in ipsa

Digitized by Google

in ipsa ordinavit ecclesia, & adhuc monachi regulares *de mortaria* magnæ religionis esse dicuntur & opinionis.

Anno DCCLXXV decem mensibus fuit obsessa à Karolo civitas Papia, ibique, ut scribit Episcopus Otto, dimisso exercitu Karolus Romam orationis gratia pergit, inde reversus urbem fatigatam ad deditionem compulit, regemque captivum abduxit. ☙ Guido : Inter hæc Karolus visitare festinat urbium urbem causa devotionis, & orationis ecclesiarum caput ecclesiam; ad quod Dei templum, ad humilitatis exemplum singillatim universos osculando gradus ascendit, ibique mox ab Adriano Papa, Stephani successore, cleri simul & plebis favorabili, *tanquam Cæsar & Consul*, acclamatione susceptus, ecclesiæ privilegia, quæ sacrilegia temeraverant perversorum, renovat & nova concedit. ☙ Sigebertus ita : Inter obsidem dum rex dimisso exercitu multas urbes ultra Padum comprehendit, inter quas Veronam capit, in qua Ancharius Francus *cum uxore Karolomanni & filius ejus* latens, se cum eis regi dedit. Adalgisus verò, Desiderii filius, qui illic fugerat, inde elapsus Constantinopolim fugit. Obsidione Papiensium pestilentia mortalitatis aggravante, civitas regi Karolo aperitur, Desiderius rex cum uxore & filia & cunctis principibus capitur, & perpetuo exilio ad Gallias Agilfrido Leodicensium Episcopo dirigitur : quicquid per longa tempora Longobardi Romanis abstulerunt, Karolus eis restituit; Regno verò Longobardorum destructo, totam Italiam sub jure regni Francorum redigit. Taliter Longobardi victi regnare destiterunt post annos CCIIII, ex quo in Italia regnare ceperunt. ☙ Elimandus autem ad supra dicta quædam addidit. Dicit enim quod Karolus relicto in obsidione Papiæ exercitu Romam venit, & pascha ibi fecit, rediens Papiam cepit eam, quæ verò sequuntur, quære in Gratiano distinctione LXIII. Iterum Romam rediens Synodum constituit cum Adriano Papa aliis CLIII Episcopis & Abbatibus, in qua Adrianus Papa cum universa Sinodo *dedit ei jus eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem*; dignitatem quoque patriciatus, insuper Archiepiscopos, Episcopos

ſcopos per ſingulas provincias *ab eo inveſtituram accipere definivit*; & ut niſi à Rege laudetur, & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur; omnesque huic decreto rebelles anathematizavit; & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicari juſſit. ☙ Petrus vir Italicus, donatus vero à Carolo magno Epiſcopatu Virdunenſi, qui per annos XXV præfuit. ☙ Habdalas Amiras mala morte moritur, poſt quem Madi annis IX Sarracenis principatur. ☙ Epiſcopus Otto: Inter hæc *Saxones* abſentia Regis elati, fide poſthabita, contigua terræ loca populantur. ☙ Unde Sigebertus: Saxones rupto pacis fœdere Francorum fines premunt igne & cæde, ſed tamen Eccleſiam in *Fricislar* nequeunt incendere, quam ſanctus Bonifacius benedixit, eamque nunquam igne concremandam eſſe prædixit. Carolus Rex Saxoniam repetens tripertito exercitu occurrit Saxonibus, eique provénit victoria in omnibus. ☙ Unde ſequitur Epiſcopus Otto: Rex ſubacta Italia reverſus in Franciam, tripertito ordine militum Saxoniam ingreditur, incendiisque vaſtatâ terrâ, immenſam prædam diripuit, & non multo poſt regreſſus, denuò ab eis obſides accepit.

Anno DCCLXXVI. Ab hoc anno per annos XXV Carolus fuit ſimul rex Francorum & Longobardorum & Patritius Romanorum, antequam fieret Imperator. Italia verò, ut ait Einardus, ab Auguſta prætoria usque ad Calabriam inferiorem, in qua Græcorum & Beneventanorum confinia ſunt, decies centum & eo amplius paſſuum milibus longitudine porrigitur. ☙ Hoc capitulum reperitur in libro, qui Canones inſcribitur. Ex geſtis Caroli juxta Alcvvinum: cum matris hortatu filiam Deſiderii regis Longobardorum nomine Sibillam Carolus duxit uxorem, incertum eſt qua de cauſa poſt annum repudiavit, & Hildegardum de genere Suevorum præcipuæ nobilitatis fœminam in matrimonium accepit, de qua tres filios totidemque filias genuit, unde certiſſime poſſumus dicere, quod illa Beliſſendis, quæ data eſt Comiti Amelio, non fuit filia hujus Hildegardis. ☙ Carolus Rex *Sigeburch* caſtrum *Saxonum* capit, ter cum eis confligit, & victor obſides pacis ab eis accepit. ☙ Conſtantinus Imperator contra Bulgares

gares vadit, sed pax inter eos convenit, non multo post rupto à Bulgaribus pacto Imperator eos ex improviso aggressus nobiliter ex eis triumphavit, in reditu autem horribilem infirmitatem incurrit, qua & defunctus est non minus quam Dyoclesianus martirum sanguine plenus. ☙ Unde sequitur Sigebertus : Constantinus Imperator plaga pessimi incendii divinitus percutitur & clamans adhuc vivus, igni sum inextinguibili traditus, miserabiliter moritur.

Anno DCCLXXVII Leo filius Constantini cognomento Cazarus imperavit annis quinque in Italia, * quibus rebellionem meditantibus, Italiam repetit. ☙ Karolus urbem forum Julii capit, & Ducem ejus Rothgandum rebellionis incentorem decollari præcipit, captaque Tarviso urbem * cæteris maiestate sui nominis terrorem incutit. *Saxonibus Heresburch* castrum, quod Karolus ante quatuor annos contra eos acquisierat, obsidentibus, gloria Dei super ecclesiam apparuit omnibus, duobus scilicet scutis sanguineo colore flammantibus, quosdam * ut in bello per aera dantibus. Karolus Saxoniam velut tempestas proterit, munitiones irrumpit, & ad hoc eos impellit, ut se & patriam ei reddant, & datis obsidibus Christianos se futuros spondeant. ☙ Waldricus Pontifex Lingonensis claret. Qualiter Karolus perrexit usque ad regiam Calabriæ civitatem, & qualiter *Rothlandus* nondum miles Eadmundum Sarracenum interfecerit, ac deinde Karolus patrem ejusdem Eadmundi Aigolandum nomine in ipsa Regensi civitate comprehenderit & occiderit, & qualiter Gerardus de frado exercitum suum per se habuerit, nusquam habetur nisi *in cantilenis*.

Anno DCCLXXVIII per idem tempus secundum Episcopum Ottonem Saxones more suo non semel, sed sæpè mentientes Karolus diversis præliis pressit ac plurimis ex eis fidem Christianam accipere persuasit. ☙ Guido : Jam totiens in sua damna regerminans velut ydra rebellio mentitæ fidei Saxonum, pariebat Karolo triumphum tertium. Sed primum ex eis quibus perfidia cervicosa, victoriosâ Francorum sic animositate calcatur, quòd totius gentis excidium

aliter evadere desperarent, nisi Christi jugum & Karoli susciperę, communi confugio præpararent. ☙ Sigebertus : *Guichicindus* Dux Saxonum in Normanniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur, ut ingenuitatem suam & sua omnia perdant, si unquam à fidelitate Christi & Regis desistant. Hic nota, quod *Normannia* illa ad quam fugit Guichicindus non fuit Normannia ultra Parisios, quia nec dum hoc nomine vocabatur, sed dicebatur Neustria. Ista verò antiqua Normannia ultra Daciam versus Norvvegiam sita est. ☙ Hugo : Interim tamen dum adhuc bellum Saxonicum protraheretur, dispositis per loca congrua præsidiis, Hyspaniam est ingressus, saltuque pyrenæi superato, omnia quæ adivit oppida atque castella in deditionem accepit. ☙ *Turpinus Remensis Archiepiscopus Luitprando Aquisgrano Decano* : Laudanda trophæa quæ propriis oculis intuitus sum XIIII annis perambulans Hyspaniam & Galiciam una cum Carolo & exercitibus suis tibi pro certo scribere non ambigo : Glorioßissimus Apostolus Jacobus in visione apparens Karolo, ostendit ei quendam Caminum [id est viam] stellarum, incipientem à mari Frisiæ & tendentem inter Teuthoniam & Italiam, inter Galliam & Aquitaniam rectissimè transeuntem per Gasconiam *Basclamq;* & Navarram & Hyspaniam, usque Galeciam, in qua beati Jacobi corpus tunc latebat incognitum. Tunc Karolus cum exercitibus suis Hyspaniam ingressus est; primo circa Pampilonam sedit tribus mensibus, tandem ad ejus precem muri ceciderunt. ☙ Unde Sigebertus : Karolus in Hyspania Cæsarauguſtam vastando delet, Pampilonam obsidet, ejusque captæ muris destructis Guascones duosque Sarracenorum Regulos sibi subigit, aliasque urbes in deditionem accipit. ☙ Sequitur Turpinus : Inde venit Karolus *ad Petronium beati Jacobi*, & *infixit in mari lanceam* suam, dicens : quod in antea ire non poterat. Galecianos verò qui baptizati non erant per manus Turpini Archiepiscopi regeneravit, deinde ivit per totam Hyspaniam. Hic subjiciuntur nomina Urbium Hyspaniæ, quæ causa brevitatis omisi. ☙ *Nomina provinciarum* Tellus, Alandalus, maritima terra Portugallorum, Parthorum,

Digitized by Google

thorum, id est, Sarracenorum, Castalorum, Maurorum, Navarrorum, Alanorum, Biscajorum, Basclorum, Palargorum, Luzernam quæ est in valle viridi. Karolus maledixit ventosam Kapartam & Adamam, & omnia ydola destruxit, præter illud quod est in terra Alandasuf maritima & vocatur *Salayn Cadis*. Cadis dicitur locus ille; Salay, Arabicè Deus dicitur. In hoc est legio dæmoniaca sigillata. Karolus in Hyspania per tres annos commorans beati Jacobi Ecclesiam augmentavit. Circa finem hujus anni natum esse Ludovicum Karoli filium sequentia manifestant. ☞ Unde Hugo : Karolus ab Hyspania regressus reperit conjugem suam Hildegardem in villa regia quæ vocatur *Chasmogilus*, & est inter Droth & Varumnam *geminam edidisse prolem*, quorum unus antequam nasceretur interiit, alter verò baptizatus vocatus est Ludovicus.

Anno DCCLXXIX Carolus Rex subjugatis Narbonensibus in Franciam est regressus. Hanc civitatem *Narbonam* petivit à Karolo Arnaldus de Bellanda pro filio suo Nemerico & obtinuit. Unde in hoc loco *genus Nemerici*, quod fuit nominatissimum, ex aliqua parte declarandum est. Garrinus de Montglane versus Tolosam quatuor habuit filios exercitio militari nominatissimos : Arnoldum de Bellanda, qui fuit in Lombardia, Gerrardum de Vienna, Renerum Gebennensem & Milonem de Apulia. Gerardus de Vienna filios habuit Sanericum & Bovonem, quorum frater fuit vel nepos ille Gerardus, qui inscribitur de novo Vico. De Renero Oliverus & Alda nati sunt, de Milone Symon de Apulia & quædam soror illius. Nemericus verò Arnoldi filius septem filios habuit : Bernardum patrem Bertrami, Bovonem de Commarceio (cujus fuerunt tres filii, Guido, Guielinus [Guielmus] & Gerardus,) Guilelmum Auraicensem, Arnaldum Aurelianensem & Garinum de Anscona, Annerum captivum, (patrem Rogonis Venetiani) & Guibelinum. Horum fuerunt sorores *uxor Imperatoris Ludovici Ermengardis*, Mater Viviani martiris (qui sororem habuit matrem Fulconis,) Mater Richardi Normanni, Mater Helye de provincia. Uxor verò Guilelmi Domina Guibursis

fratres habuit, quorum fuit unus Remiardus vir nominatiſſimus, de horum omnium cognatione dicitur fuiſſe Archiepiſcopus Remenſis Turpinus filius ſcilicet Gerardi de Frado. De una ſorore Guilhelmi Julianus de Provincia genuit Helyam & ſororem ejus Olynam, qui Helyas multa contra Sarracenos geſſit tempore Machrabei, & de ſorore Ludovici genuit *Aiol de quo canitur à multis*, item mater Gandini Brimi fuit ſoror Guilerlmi. Item ſub Karolo magno quædam hiſtoria contigit de innocentia & venditione Urſonis Beluacenſis Ducis, de incarceratione ejus in Colimbria ſub Yſoredo & de liberatione ejus per Milonem filium ſuum, & de traditore Ugone Bituricenenſi, qui Belliſſendem uxorem Urſonis & terram faiſivit, ſed ad malum exitum pervenit. Angerannus fit Metenſis Epiſcopus annis XXIII, & Saxones ſuaſu *Guitbecindi* Franciam atterunt, ſed à Karolo victi fuga ſibi conſulunt. Telerigus Bulgar ad Leonem Imperatorem fugit, quem baptiſatum Imperator patricium facit. Chardamus Bulgaribus dominatur. Multas feroces & barbaras nationes, quæ ad ſeptentrionalem Oceanum à Danubio diſtenduntur, Karolus adeò potenti virtute perdomat, quòd inde quibus hoſtili direptione Germaniam, Galliam, Italiamque nudaverant, ſpolia revehit; & theſauros diſtribuens cuncta victoribus erogans, pauperibus eccleſiisque reſtaurans, multo magis Evergetes dignus appellari quam Ptolomæus filius Philadelphi.

Anno DCCLXXX Leo Imperator Syriam incurſat; & Iſte Leo, ut dicit Epiſcopus Otto, primo viſus eſt mitior, unde & Principes filium ejus Imperatorem poſtulant. Hilterannus Dux Spoleti Karolo Regi ſe ſubdit ejusque gratiam multis muneribus redimit. & Karolus Rex in Saxonia *Weſtfalos* ſibi ſubjugat.

Anno DCCLXXXI Karolus Rex Albiam fluvium transgreditur, ibique in ejus gratiam *Bardogavenſes & Norduita* baptizantur. Ab iſtis cepit Epiſcopatus Verdenſis. & Taſſilo Dux Bawariæ contra Karolum Regem rebellat hortatu uxoris ſuæ, quæ filia erat Deſiderii Regis, & exilium patris ſui per maritum ſuum vindicare temptabat.

& Obiit

Obiit ſanctus Scrinus primus Abbas Fuldenſis. Ultimo anno imperii Leonis Cazari (ut Hugo ſcribit) mortuo Niceta Conſtantinopoleos patriarcha hæretico, Paulus genere Cyprius verbo & actu choruſcans, conſecratus eſt in eadem ſede. Prædictus Leo Imperator cum inſaniret cupiditate circa pretioſos lapides, adamavit magnæ eccleſiæ coronam, & accipiens portavit eam, & exierunt carbunculi in capite ejus, & correptus febre, mortuus eſt.

Anno DCCLXXXII Hyrene uxor Leonis cum filio ſuo Conſtantino imperat decem. Mady Amiras multos utriusque ſexus pro Chriſto martirizat. Karolus rex orationis cauſa vadit Romam, ibique filii ejus unguntur in reges. Pipinus ab Adriano baptizatus ſuper Italiam, Ludovicus cum eſſet quatuor annorum ſuper Aquitaniam. Epiſcopus Otto: Anno primo Conſtantini & Hyrenæ, Karolus Rex Romam veniens ab Adriano Pontifice honorificè ſuſcipitur, ibique paſcha celebrato Pipinus filius ejus in Regem Italiæ, & Ludovicus in Regem Aquitaniæ ab eodem Pontifice unguntur. Ipſe verò acclamante populo univerſo patricius Romanus, quod iam erat, appellatur. Miſit etiam Adrianus Papa nuncios ad Thaſſilonem, qui eum de fidelitate Regis monerent. Sigebertus: Thaſſilo Rex Bavvariæ ab Adriano Papa Karolo Regi reconciliatur. Hugo; Conſtantinus Imperator facta pace cum Arabibus per Stauratum Patricium de Sclavis triumphavit. Huic filia Karoli Rotrudis deſponſata à matre & promiſſa, alii copulatur. Unde Hugo: Hyrene direxit ſatellarium ſuum ad Karolum regem Francorum rogans, ut filiam ſuam nuptui traderet Imperatori Conſtantino filio ſuo, ſed hoc poſtmodum irritum fecit, & hoc anno filia Karoli Gisla baptizata eſt Mediolani ab Archiepiſcopo Thoma, & eodem anno Alfunoldus in Anglia ſuper Nortdanimbrorum * annis undecim regnat.

Anno DCCLXXXIII Conſtantinopoli quidam lapideam auream [arcam] invenit & in ea virum jacentem cum hac ſcriptura: Chriſtus naſcetur ex Maria virgine, & credo in eum. Sub Conſtantino & Hyrene Imperatoribus, ô ſol iterum me videbis. Iſta erat pro-

phecia cujus antiqui (ut dicit Abbas de valle ſancti Petri) *Platonis*, longo tempore ante incarnationem Domini, ut credimus, ibi ſepulti. ☙ Obiit Regina Hildegardis II Kalend. Maji vigilia aſcenſionis, & magno honore ſepelitur apud ſanctum Arnulphum Metis. Sequente menſe Julio quarto videlicet ydus ipſius menſis Bertrada ſive Berta regina mater Caroli mortua eſt, quæ in magno apud eum honore conſenuit. ☙ *Saxones* rebellant & à Karolo victi bello ſeditioſos usque IIIIM. Dei tradunt & obſides ei tribuunt. ☙ Aliter : Saxones rebellant & à Karolo rege victi penè usque ad internecionem delentur.

Anno DCCLXXXIIII In Anglia Weſt-Saxonum Bithricus regnavit annis XVI. ☙ *Saxones & Friſones* rebellant & vincuntur. *Weſtfali* à Karolo, Karoli regis filio debellantur. ☙ Anno imperii Conſtantini & Hyrene quarto Mady, qui & Mahumez dicebatur, Dux Arabum mortuus eſt, & ſucceſſit ei Moyſes filius ejus annis II. ☙ De obſeſſione Karoli in Wormatia ſcilicet in quadam vetuſta turri ultra Renum quam fecerant antiquitus Gygantes non longe à Wormatia, & de *Rothlando* Granopolim obſidente hic eſt annotandum. ☙ Poſt ſanctum Hildulphum Treverenſem Archiepiſcopum præfuit Weomaclus [Reomaclus] *Abbas ſancti Maximini.*

Anno DCCLXXXV Poſt Agilfridum Leodienſem Epiſcopum fit Epiſcopus Gerbaldus. Karolus Saxoniam debellatur, *Gvitichindus & Albion Duces Saxonum* Karolo reconciliantur, & baptizantur, & motus Saxonum reprimuntur. ☙ Patriarcha Conſtantinopolitanus Paulus infirmatus reliquit thronum ſuum & Monachicum ſuſcepit habitum, conſecratusque eſt in eadem ſede Tharaſius vir fide catholicus. Hic libellum fidei ſuæ Romam deſtinavit & receptus eſt ab Adriano Papa. A Karolo verò Rege bellum *Sclavis* illatum eſt. *Dani verò & Svevi* Sclavis erant fœderati : Sed hos omnes una tantum expeditione Rex ſæpè dictus ita edomuit, aut contudit, ut ulteriùs ſibi mallent ſubeſſe, quàm rebellare.

Anno DCCLXXXVI Moyſes Amiras moritur, poſt quem Aaron frater ejus Sarracenis XXIIII annis principatur. ☙ Karolus

Adul-

Adulfum Seneſcalcum ſuum contra Britones mittit, & per eum multa Britonum caſtra & principes eorum capit. Totam Friſiam atque Britanniam Karolus ſuo dominatui ſubjugavit. Signum crucis in veſtibus hominum apparebat. ☙ Offa rex Merciorum moriturus regem pro ſe conſtituit Egbertum filium ſuum, quo poſt quatuor menſes mortuo factus eſt rex Merciorum Kenevvlfus per annos XXIIII, cuius fuit filius ſanctus Martir Kinelinus.

Anno DCCLXXXVII Karolus ad Capuam Campaniæ urbem per Italiam perrexit, & inde rediens bellum Beneventanis indixit. Verum Dux provinciæ Aragiſus nomine, Regis ferocitatem ferre non prævalens, filios ſuos Romaldum & Grimaldum obſides ei pro ſervanda fidelitate permiſit. ☙ Sigebertus: Karolus rex contra Aragiſum Beneventi Ducem vadit, Aragiſus muneribus & obſidibus datis ejus gratiam redimit. Bellum inter Francos & Avares oritur. Sanguis de cœlo in terram profluxit.

Anno DCCLXXXVIII Taſſilo Dux Bavvariæ contra Karolum regem reus majeſtatis adjudicatur, unde à Karolo attonſus cum filio ſuo Theodone in monaſterio relegatur. ☙ Epiſcopus Otto. Circa idem tempus rege paſcha domini celebrante Inglinheim, Taſſilo cum majoribus gentis ſuæ venit, ubi dum accuſatus à Bajoariis, quod fidem Regi non ſervâſſet, quinimò Avares ad vaſtandum regnum induxiſſet, cum de hiis & aliis hujusmodi convictus fuiſſet; majeſtatis reus, ac capitali ſententia plectendus judicatur. Rex tamen misericordia motus, in monaſterio Laureacenſi, quod ipſe conſtruxerat, eum monachatum aſſumere, & de peccatis ſuis pœnitentiam agere permiſit. In Italia inter Græcos & Romanos pugnatur primò, ſecundò inter Francos & Avares pugnatur, tertiò inter Avares & Bajoarios pugnatur, quartò inter Avares & Francos pugnatur, & in omnibus Carolus ſuis proveniſſe victoriam lætatur. Inſtantia Tharaſii patriarchæ Konſtantinopolitani & Adriani Papæ, ſecundo apud Nichæam univerſalis Synodus CCCL Epiſcoporum congregatur, in qua fides catholica in præſentia Hyrenei & filii ejus Conſtantini cunctorum

rum ſubſcriptione roboratur, & hæreſis execrantium ymagines Dei in perpetuum abdicatur. ☙ Conjuratio valida facta eſt *ab Auſtraſiis* contra Karolum Regem auctore Harderico, quâ detectâ multi aut membris truncantur, aut exiliantur, itaque aut duo fuerunt Harderici, aut mendacium eſt quod Amicus ſcribitur ſuprà interfeciſſe Hardericum : &, ut in cantilena dicitur, ad iſtam conſpirationem cognoſcendam Karolus magnus monitu angeli ivit de nocte furari.

Anno DCCLXXXIX Karolus Coloniæ ſuper Renum pontes duos conſtruxit & munit, & Sclaviam ingreſſus eam ſibi ſubjugat. Item Karolus in Saxoniam ſuper Albiam fluvium duos pontes conſtruxit, & in uno eorum ex utroque capite caſtellum ligneum. ☙ Adalgiſus filius Deſiderii Regis, qui victo patre ſuos ad Græcos confugerat, animatus Græcorum auxilio, ad Italiam venit, aut ad repetendum regnum, aut inferendam ultionem, qui inito cum Francis bello tentus, ab eis amara morte peremtus eſt, Karolus recepit in ſua ditione reges Sclavorum & Winidorum.

Anno DCCXC Karolus Rex in Wormatia conventum habuit & exercitum contra Hunos miſit. Karolus rex honeſtati eccleſiaſticæ omninò intentus, legendi & pſallendi diſciplinam diligenter correxit, perpendens enim iterum *Gallos à Romanis in cantando diſcrepare, Metenſes verò ſola naturæ levitate paululùm quid diſſonare*, per cantores rurſum ſibi ab Adriano à Roma directos diſſonantiam cantus correxit. Circa pauperes etiam ſollicitus, non ſolum in regno ſuo, verùm etiam trans maria in Ægypto, in Syria, in Affrica, præcipue Jheroſolymis liberalitate eleemoſynarum Chriſtianis pauperibus ſolaciabatur. Transmarinorum regum amicitias ob hoc maximè expetens, ut Chriſtianis ſub eis degentibus eſſet relevatio. ☙ Hugo : Karolus religionem Chriſtianam ſumma pietate ſemper excoluit, & eccleſiam manè & veſpere, nec non & nocturnis horis & ſacrificii tempore impigrè frequentavit. Circa pauperes quoque liberalitate maxima præditus erat, ut qui non ſolum in ſuo regno illis ſubvenire, verum etiam in transmarinis regionibus in Syriam, in Ægy-

in Ægyptum, & Africam, & Jheroſolymis & Alexandriæ atque Carthagini pecunias multas mittere ſolebat. Ob hoc etiam maximè transmarinorum Regum amicitias expetebat, ut ſub eis degentibus Chriſtianis aliquod refrigerium proveniret. ☙ Idem præterea ſereniſſimus rex corpore fuit amplo atque robuſto ſtatura eminenti, & apice capitis rotundo, naſo paululum mediocritatem excedente, oculis pulchris, canitie venerandâ, facie lætâ, voce clarâ, valetudine proſperâ, denique convivabatur rariſſime, cœnâque cotidianâ quaternis tantum ferculis præbebatur; præter aſſam carnem quam venatores verubus inferre ſolebant, qua ille libentius, quàm ullo alio cibo veſcebatur. Inter cænandum autem aliquod acroama aut lectorem audiebat, legebantur ei hyſtoriæ antiquorum, & res geſtæ. Delectabatur in libris ſancti Auguſtini, præcipueque hiis, qui de civitate Dei prætitulati ſunt. Vini verò & omnis potus adeò in bibendo parcus erat, ut ſuper cænam rarò plus quàm ter biberet. Æſtate poſt cibum meridianum, pomorum aliquid ſumens ac ſemel bibens depoſitis veſtimentis ac calceamentis velut noctu, ſolitus erat duabus aut tribus horis quieſcere. Noctibus ſic dormiebat, ut ſomnum quater aut quinquies non ſolum expergiſcendo, ſed etiam ſurgendo interrumperet. ☙ Turpinus de forma & fortitudine Karoli: Longitudo ejus octo pedum ſuorum erat, facies palmum & dimidium habebat, & barba unum palmum, frons unius pedis erat, oculi ejus ut carbunculus; quatuor ferra equorum ſimul manibus facile extendebat, militem armatum ſtantem ſuper palmam ſuam à terra usque ad caput ſuum levabat, lectum ejus CXX fortes orthodoxi per tres quadragenarios in tres vigilias diviſi cuſtodiebant. Quemadmodum Galafrus Amiraldus Toleti illum in pueritia exulatum ornavit habitu militiæ in palatio Toleti, & quomodo occidit Braymantum regem Sarracenorum Galafri inimicum, & qualiter terras & urbes adquiſivit, & Abbacias & eccleſias multas inſtituit, & multorum ſanctorum corpora & reliquias in auro & argento collocavit, ſcribere nequeo. ☙ *Alcvvinus* de Britannia oriundus, magiſter delicioſus regis Karoli, ſanctitate literarum præ-

polletin Gallia; cujus præcipuè magiſterio ipſe Rex multas liberales artes didicit, hic multa ſcripſit, inter quæ eminent libri de trinitate ſcripti ad ipſum Regem : Hic etiam juſſu ipſius Regis *divinam hiſtoriam correxit.* ☞ Hugo : In diſcendo grammaticam Rex Karolus *Petrum Piſanum* habuit adjutorem, & in cæteris diſciplinis Albinum cognomento Alcvvinum. Anno imperii Conſtantini & Hyrene decimo excitavit dyabolus livorem diſcordiæ inter ipſam Hyrenem & filium ejus Imperatorem, & ſeplit eum cuſtodia imperavitque ſola annis duobus.

Anno DCCXCI Karolus Rex regnum Avarum terra marique impetit, eisque ſola fuga ſpem evadendi reliquit. ☞ Conſtantinus Armeniorum auxilio fretus rurſus recepit imperium, quod ubi reſumſit, mox Stauratium Patricium & Hecium Protoſpatharium matris ſuæ amicos omnesque ſimul Spadones domeſticos in exilium truſit, ipſam tamen locavit cum affluentiâ copiosâ in palatio Eleutherii, quod ipſa ædificaverat, & in quo pecunias multas abſconderat. ☞ Unde Sigebertus : Conſtantinus matrem ſuam Hyrenem imperio privat ſolusque annis V imperat.

Anno DCCXCII Conſtantinus Imperator congreſſus Chardamo Bulgari turpiter victus dehoneſtatur, Chardamus ſublato omni regio apparatu ditatur. ☞ Hugo : Movit exercitum Conſtantinus adverſus Bulgares, ſed victus ab eis rediit in urbem multis amiſſis, qua de re quidam Principum contra eum indignati, Nicheforum filium avi ſui Conſtantini parabant facere Imperatorem, quod cum comperit Conſtantinus, eundem ſtatim Nicheforum & fratrem ejus Chriſtoforum linguis privavit. Alexium quoque patricium Armeniorum luminibus orbavit, ſed & uxorem ſuam Mariam monacham fieri coegit, & Theodotem cubiculariam ſuam coronavit Auguſtam. ☞ Super hunc locum dicit Sigebertus in ſequentibus : Conſtantinus Imperator multos Principum ſibi ſuſpectos oculis privat. ☞ Pipinus Karoli regis ex concubina filius gibbo deformis à quibusdam Francorum primoribus promiſſione regni in Bajoariam illectus contra

Digitized b

tra patrem conjuravit, unde convictus tonsoratur & in Prumia cœnobio retrusus usque ad finem vitæ Deo militavit, complices verò conjurationis alii exiliantur, pauci perimuntur. Prædictum *cœnobium Prumiense* fundatum fuisse dicitur sub Pipino Karoli magni patre in Dyocesi Treverensi.

Anno DCCXCIII *Feliciana hæresis* in Ratisbona condemnatur, ut in præsentia Adriani Papæ ab ipso Felice auctore abdicatur. Hæc hæresis asserebat, filium Dei in divina natura verum Deum esse, in *humana natura* nuncupativum. Item in divinâ naturâ eum esse verum filium Dei, in humanâ verò adoptivum, unam personam Dei & hominis dividens in duas personas, scilicet veri filii & adoptivi. ☞ Saxones in fide Dei & fidelitate regis vacillant. ☞ Elimandus: Pons de navigiis ita de anchoris & funibus factus est ab Officialibus Karoli, ut jungi & dissolvi posset. ☞ Hugo: Præçipuè sacras ædes Karolus ubicunque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, Pontificibus, & patribus ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur imperavit, adhibens curam per legatos ut imperata perficerentur. Unde multa sub ejus imperio reparata, imò à fundamentis ædificata *monasteria*. Sed præcipue hæc: Monasterium sancti Philiberti, monasterium sancti Florentii, Monasterium Caroffi, monasterium Conchas, monasterium sancti Maxentii, Monasterium Menatæ, monasterium magni loci, musiacum, & sancti Savini, Noviliacum, sancti Theofridi, sancti Pascentii, monasterium Dorosa, Solempniacum, Puellare sanctæ Mariæ, Puellare sanctæ Radegundis, monasterium de Vera, de Ucera in pago Tolosano, Valida vel Vadala in Septinia, sancti Aniani galunæ, sancti Laurentii, sanctæ Mariæ quæ dicitur in Rubine. Item monasterium Caunas, & cætera plurima, quibus veluti quibusdam lichnis, totum decoratur Aquitaniæ regnum. Quæ omnia ipse piissimus Rex Karolus magnis auri & argenti ponderibus gemmarumque pretiosarum exornavit muneribus, & honoribus ditavit; & insuper quod est pretiosius, sanctissimis reliquiarum patrociniis insignivit. Cùm alia innumera cœnobia sub Karolo re-

parata ſint, iſta ſpecialiter in ſolo regno Aquitaniæ, quod tenuit Ludovicus vivente patre, reparata fuerunt. ☙ In Anglia ſuper Nordanimbros Rex Ethelbertus, qui & Alredus regnavit annis V.

Anno DCCXCIIII *Karolus* Rex non ſolum patria lingua, ſed etiam peregrinis linguis eruditus, *barbara & antiquiſſima carmina*, quibus veterum regum bella & actus canebantur, ſcripſit, & memoriæ mandavit. Inchoavit etiam Grammaticam patrii ſermonis, menſibus anni juxta propriam, id eſt, teutonicam linguam vocabula impoſuit, ventos etiam duodecim propriis nominibus appellavit, cum antea quatuor tantum Cardinales in illa lingua nominarentur. ☙ Hugo : Nec patrio ſermone contentus erat Karolus, ſed etiam peregrinis linguis ediſcendis operam impendit : verum græcam linguam melius poterat intelligere, quam pronunciare; tentabat etiam ſcribere tabulasque ferebat, ut cum vacuum tempus eſſet, manum literis efficiendis aſſueſceret ; ſed parum profuit labor præpoſterus, ac ſerò inchoatus. Item condemnata eſt Feliciana hæreſis ſecundò in oppido quod *Franckevort* dicitur. Ibi mortua eſt Faſtrada Regina uxor Karoli, & in ſancto Albano tumulata, & facta fuit *quæſtio de ſeptima Synodo Græcorum*, utrum eſſet recipienda; ſed tandem recepta eſt ab Adriano Papa.

Anno DCCXCV Saxones virtute Karoli conterriti reddunt ſe Chriſti & Regis fidelitati. *Karolus Rex* Chriſtianam religionem ſanctè ac pie colens, eccleſias Dei omnimodis honorabat & ornabat ſacris vaſis ac veſtibus, edicens, ut ne janitoribus quidem liceret communi habitu in eccleſia miniſtrare: *In Weſtfalia* vero Karolus Rex quatuor Epiſcopatus, Padeburnenſem, Monaſterienſem, Oſnaburgenſem, & Mindenſem : quatuor ſimiliter fecit *in Saxonia*, Hildeneſemenſem, cujus primus conventus exivit à Remenſi eccleſia, Halverſtatenſem, cujus primus conventus à Cathalauno fuit miſſus, Verdenſem quoque, & Bremenſem. Exſtruxit etiam Aquisgrani Eccleſiam plurimæ pulchritudinis, ad cujus ſtructuram à Roma & Ravenna columnas & marmora devehi fecit ; hanc exſtru-

exſtruxit in honore beatæ Mariæ virginis, fecit ibi balnea calida, aqua frigida temperata, vel potius reparavit, quia jam ibi erant; & palatium juxta eccleſiam : ipſam vero *eccleſiam depingi fecit veteris & novæ legis hiſtoriis. Palatium verò ſeptem liberalibus diſciplinis & bellis Hyſpanicis.* ☞ Turpinus : Karolus, inquit, fecit eccleſiam beati Jacobi in eadem villa, item ſancti Jacobi apud urbem Biterrenſium, & ſancti Jacobi apud Toloſam, & illam, quæ eſt in Gaſconia inter urbem, quæ vulgo dicitur Axa, & ſanctum Johannem Sorduæ [an Corduæ] via Jacobitana, & eccleſia ſancti Jacobi Pariſius inter Sequanam fluvium & montem Martirum, & Abbacias innumeras per mundum. Interea quidam Rex Affricanus nomine Aygolandus terram Hyſpanorum adquiſivit. Contra hunc Karolus profectus cum Milone de Angleris qui fuit pater Rollandi. Nota quod duo fuerunt Aygolandi, iſte & alter Rex de Calabria. In hoc itinere cum apud Bajonam urbem Baſclorum eſſet Karolus, miles quidam de exercitu ejus nomine Romaricus accepta pœnitentia & viatico obiit, qui equum ſuum cuidam conſanguineo ſuo commiſit, & ut pretium ejus Clericis & egenis daret præcepit. Sed ille aliter egit & totum in proprios uſus expendit. Poſt triginta dies prædictus mortuus eidem apparuit dicens, ſe eſſe in gloria, illum in craſtino futurum in pœna; Cum hæc ille exercitui referret à dæmonibus vivus ac ſanus rapitur, & poſt duodecim dies ultra deſerta Navarrorum & Alvarrum reperitur corpus ejus confractum, in cujusdam ſilicis faſtigio, cujus aſcenſus tribus leugis habebatur ſupra mare diſtans à præfata urbe quatuor dietis. Aygolandus autem inventus eſt in terra de campis ſuper flumen Coyam, in loco qui [ubi] poſtea beatorum Martyrum Facundi & Primitivi baſilica juſſu Karoli fabricatur & in Monachorum Abbaciam conſtruitur. Mandat Aygolandus Karolo bellum ſecundum velle ſuum, inde miſſis centum Chriſtianis contra centum Sarracenos occiſi ſunt Sarraceni; Inde duo millia contra duo millia venerunt, pars Sarracenorum occiſa fuit, pars altera fugam iniit. Aygolandus tertia die ſortes jecit, & vidit Karoli detrimentum in pugna plenaria in craſtinum; quidam autem ex Chriſtianis haſtas ſuas mane corticibus & frondibus

decoratas invenerunt, de quibus creverunt magna arbuſta, quæ adhuc in illo loco apparent. Die illa occiſi ſunt XL millia Chriſtianorum & ibi occiſus Dux Milo de Angleris pater Rollandi & Gundebœf de Wandoilh Dux Laudonenſis, Karolus cum duobus millibus, qui remanſerant, evaginavit Spatam ſuam nomine Gaudioſam & multos Sarracenorum ſecuit per medium. Alterâ die quatuor Marchiſi de Italia cum quatuor millibus venerunt Karolo in auxilium : ſed Aygolandus fugit Legionem & Karolus revertitur in Gallias. ☙ Hic etiam inſerit Elinandus ex dictis Turpini de obſeſſione Karoli in Wormatia & de Rotlando Granopolim obſidente, & de Navarris, qui non ſunt de vera progenie.

Anno DCCXCVI Adrianus Papa moritur, cujus mors cum nunciata eſſet Karolo ſic flevit, ac ſi filium amiſiſſet. ☙ Leo tertius ſedit annis XX menſibus quinque, diebus XVI, qui mox *clavim confeſſionis ſancti Petri cum velo Romanæ urbis* Karolo Regi miſit. ☙ Hugo : Obeunte beatæ memoriæ Papa Adriano Romæ conſecratur in eadem ſede Leo vir per omnia venerandus. *Colonienſis* Archiepiſcopus dictus Bertennius, & poſt eum Richolphus. *Treveri* Richodus : *Metis* poſt Agetrandum ſedit Gundulfus, *apud Tullum* ſancto Jacobo ſucceſſit Borno, deinde Wavincus; apud *Cathalaunum* Richoarius fuit Epiſcopus, & poſt eum Willeboldus. Winthan Rex Abroditorum à Saxonibus perimitur.

Anno DCCXCVII Henricus Dux Forojulianorum expoliato in Pannonia Avarum principi Yringo inæſtimabilem theſaurum ejus miſit Regi Karolo. *Thudin princeps Avarum* ſe & patriam ſuam Regi Karolo dedit, & baptiſmi gratiam percepit. Interea Hyrene, quæ fuit Imperatrix, muneribus & poſſeſſionibus ſibi conciliare * Duces & Principes regni, ita ut à ſuis domeſticis Auguſtus Conſtantinus ſecundo comprehenderetur. Conſiliarii namque matris ejus, eum oculis privaverunt tam nequiter, ut ſtatim cruciatum mors ſequeretur. Sicque ſecundo imperavit Hyrene uno ferè quinquennio. ☙ Sigebertus : Hyrene Imperatrix ſuper erepto ſibi imperio fæmineo

Digitized by Google

mineo dolore abusa, Constantinum filium suum oculis privat, & sola annis quatuor imperat. ☙ In Anglia regnum Nordanimbrorum finitur. ☙ In regno Merciorum adhuc regnabat Kenulphus, & super West-Saxones Bithricus. ☙ Aldefonsus Rex Galaciæ & Asturiæ misit Carolo Regi pavilionem miræ pulchritudinis.

Anno DCCXCVIII Karolus Rex Saxones gravi bello vicit. ☙ Turpinus : Aygolandus inter hæc cum decem Regibus reversus est, quorum hæc sunt nomina ; scilicet Terephius Rex Arabiæ, Burrabellus Rex Alexandriæ, Avitus Bugiæ, Ospinellus Agabibæ, Fatimus Barbariæ, Aylis de Marroth, Aphynorgius Majoricæ, Maymon Meccæ, Hebrayn Sibiliæ, Altunaior Cordubæ, & venit Aygolandus usque ad urbem Gasconiæ Agenni, & cæpit eam, quam obsedit Karolus quinque mensibus, & septimo fugit Aygolandus per fluvium Garunne, qui fluit juxta urbem ; decem milia Sarraceni occisi sunt. Inde Aygolandus usque Sanctonas venit, bellum factum est in pratis inter urbem & castrum Tala burgum juxta fluvium Tharantam. Quatuor milia Christiani, quorum similiter hic hastæ floruerunt, occisi sunt, & equus Karoli in hoc bello fuit occisus. Nocte fugit per fluvium Aygolandus, Rex Agabibe & Rex Bugiæ occisi sunt, tunc Aygolandus transmeavit portus Cysereos & venit Pampilonam & Karolus redit in Galliam. Adelfonsus Rex Galigiæ & Asturiæ deprædata in Lixibona ultima Hyspaniæ civitate, insignia victoriæ suæ loricas muros & Mauros captivos Karolo misit per legatos Frosan & Basiliscum. Taharim Hispanus Barcinonæ præfectus se Karolo dedit, & Barcinonam, quæ ab illo desciverat, reddidit. Sol obtenebratus est per dies XVII. ☙ Elinandus : Hoc sydus quod dicitur martis isto anno à superioris Julio mense usque ad hujus anni Julium nusquam in toto cœlo videri potuit. Constantinus Imperator moritur. ☙ Guido : Hæc circa tempora, post Constantini sexti quartum Leonem, qui Leo Cazarus dictus est, filius ejusdem septimus Constantinus & Hyrene dicta mater ipsius, cum unà per decennium unanimiter imperassent, irruente subito turbine dissensionis primo mater

ter filium, ſecundo filius matrem, & tertio filium mater turpi nimis & impia reciprocatione cuſtodiæ ſe concludunt; Sed ultimâ concluſione filio Conſiliarii matris oculos eruunt hoſtiliter adeò, quod ab eo lucem & vitam ſimul excludunt. Ipſa poſtea per quadriennium ſola gubernavit imperium. ☙ Epiſcopus Otto : Signa cujus diebus * orbis imperium in manus fœminæ non digne devenerat transfertur ad Francos. ☙ Elinandus : Hæc legatos miſit ad Karolum Aquis de pace, Michaelem patritium & Theophilum presbyterum.

Anno DCCXCVIIII In Hiſpania civitas Barcinona Sarracenis reddita, à Karoli militibus eſt obſeſſa. Baleares autem inſulæ ſe Karolo dederunt, quia priori anno à Sarracenis deprædatæ fuerant, claves etiam urbis Oſtæ ei allatæ ſunt, tota inſula Britanniæ Karolo ſubjugatur. ☙ Pluvia ſanguinis fuit in Eboraca civitate in quadrageſima. Egyberthus Rex Cantuariorum cognomine Pren à Kenulpho Rege Mercyorum victus abductus eſt, ſed apud Wilcelcumbam, ubi Eccleſiam, quæ adhuc ſupereſt, Deo ædificaverat, ipſo die dedicationis Regem captivum manumiſit in conventu XII Epiſcoporum & X Ducum , ex quibus nullus largitatis Regiæ paſſus eſt repulſam ; Præter illa xenia, quæ Magnates exceperant inæſtimabilis pretii, & muneris utenſilia, veſtes, equos , omnibus, qui agros non habebant, dedit Kenulphus Rex libram argenti ; presbyteris marcam auri, Monachis ſolidum unum ; poſtremò toti populo multa erogavit, multa monaſteria ampliſſimis redditibus ampliavit. Miſit etiam Leoni Papæ CXX *naviculas* pro benedictione & impetravit ab eo, ut Ethelrado Epiſcopo ſucceſſori Jambriti priſtina dignitas, quam ei Rex Offa abſtulerat, redderetur. Egybertus autem Rex Cantuaritarum in Franciam venit ad Karolum, ut diſciplinam regnandi à Francis acciperet ; eſt enim gens illa & exercitatione virium & comitate morum omnium occidentalium facile princeps. Defuncto Weſt-Saxonum Rege hoc anno Britanniam reverſus eſt & regnare cæpit anno ſequenti, qui fuit annus Karoli XXII. Leonem Papam celebritatem Letaniæ majoris agentem Romani capiunt & linguam ei oculosque evellunt, cui voce & viſu

Digitized by Google

& visu reddito divinitus, iterum ei oculos & linguam eruunt radicitus, qui de manu eorum erutus ad Karolum fugit quam citius. ☙ Elinandus : Isti Romani fuerunt Adriani Papæ consanguinei. ☙ Hugo : Præfati Adriani Papæ cognati Romæ moventes populum contra Leonem Papam, tenuerunt eum, & excæcaverunt, non tamen lumen ei penitus extinguere potuerunt. ☙ Guido : Post hæc Regis virtus invicta Romam invitata contendit ad facinus vindicandum supra facinora judicandum, quod commiserat in venerabilem Papam Leonem tertium quorundam execrabilis impietas Romanorum; quem die Letaniæ majoris ad celebranda missarum solennia cum multa cleri populique frequentia procedentem, captum & raptum laceratum vestibus, ictibus maceratum, linguam truncaverant, oculis cæcaverant, & pene necaverant vinculatum. Sed idem vir venerabilis in tanta miseria non est à Dei misericordia destitutus, quia per eam est officio linguæ restitutus & oculis & vinculis absolutus. ☙ Episcopus Otto : Qui cum ad Karolum Regem venisset, eventum rerum deplorans, Karolus dignus qui altius proveheretur, Papam ulturus ad urbem tendebat. ☙ Henricus Dux Forojulianorum à suis perimitur.

Anno DCCC Regnat in Anglia Egbyrthus West-Saxonum Rex per annos XXVIII. Iste est qui diversas regni portiones ad unam reduxit & revocavit. In mense Julio contra naturam aspera & gelu concreta fuit pruina, sed nichil fructibus nocuit. Karolus Rex Leonem Papam in sede Romana relocat, ipse quoque Romam properat, causas examinat, reos legaliter damnat, sicque omnes Romanorum motus sedat, & ibi tota hyeme residet. ☙ Episcopus Otto : Cui pridie quam urbem intraret Leo ad duodecimum lapidem occurrit, eumque honorificè suscepit, mane facto urbem ingressus à Pontifice cunctoque populo susceptus in Ecclesiam beati Petri inducitur. Postea septem diebus transactis Rex concione facta causam adventus exponit. Leo quoque cui æmuli sui magnum crimen imposuerant; nemine cogente ex bona conscientia de objecto crimine coram omnibus

bus ſupra ſacroſancta Evangelia ſe purgavit. ☙ Elinandus : Cum enim Rex vellet audire crimina Papæ impoſita, & eorum nullus probator exiſteret, ipſe Papa coram omni populo in baſilica ſancti Petri Evangelium portans, conſcendit ambonem, invocatoque ſanctæ Trinitatis nomine, jurejurando ab objectis criminibus ſe purgavit. Gens Avarum à fide deficit. Baleares inſulæ auxilio Francorum à Sarracenis defenſantur. Per Guidonem Karoli Ducem Britones vincuntur & in deditionem recipiuntur. Geroldus Dux Bajoariæ in Pannonia Avaribus congreſſus perimitur, de quo *in viſione Witbini* legitur, quod inter martires annumeratus ſit. Apud *Virdunum* Anſtrannus *cantor Karoli Magni* factus eſt Epiſcopus & per annos quinque præfuit.

Anno DCCCI Romani, qui à Conſtantinopolitano jam diu animo deſciverant, nunc acceptâ occaſionis opportunitate, quia mulier excæcato Imperatore Conſtantino filio ſuo eis imperabat, uno omnium conſenſu, Karolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis Papæ coronant, Cæſarem Auguſtum appellant. Nam in die Natalis Domini cum Rex ad miſſam ante confeſſionem beati Petri ſurgeret ab oratione, Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit, & à cuncto populo Romano acclamatum eſt: Karolo Auguſto à Deo coronato Magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. ☙ Guido : Sicque primus de Regum Francorum genere Karolus Magnus Romanorum Imperator *ex Conſule de Cæſare fit Auguſtus*. ☙ Sequitur Elinandus : Et poſt laudes acclamatas *ab Apoſtolico more antiquorum Principum adoratus eſt*, & ablato patricii nomine Imperator & Auguſtus appellatus. Poſt paucos dies juſſit Imperator eos qui Pontificem ſuperiori anno depoſuerant exhiberi, & habita ex eis quæſtione ſecundum legem Romanam tanquam rei majeſtatis capite damnati ſunt : pro quibus tamen Papa interceſſit, ut nec vitam nec membra perderet, & ideo exilio deportati ſunt. Cujus factionis Principes fuerunt Paſchalis Nomenculator & Campulus *Scatellarius* & multi alii Romani nobiles. ☙ Guido : A

glorio

glorioſus Imperator juſtitiæ cultor, ultor injuriæ, habita de quæſtione ad ejusdem Pii Pontificis interventum, redonat eis vitam cum integritate membrorum. Pro tanti tamen enormitate flagitii ſuis eos ut reos arceri jubet à rebus & exilio coarceri. ❧ Epiſcopus Otto: Anno ab incarnatione Domini DCCCI ab urbe condita MLII Karolus XXXIII anno regni ſui Romæ in Imperatorem coronatur. Porro Hyrene Conſtantinopolitana Imperatrix miſſis legatis ad Karolum pacem inter Græcos & Romanos firmari rogavit. Cum quibus Imperator miſſis nunciis Hyrenem in uxorem poſtulavit, quod cum illa annuiſſet, Hecius Patricius votum Reginæ impediens manentibus in urbe regia legatis Karoli Nicheforum fratrem ſuum Imperatorem facit eamque in monaſterium retruſit. Nicheforus ergo Rex factus cum legatis Imperatoris Apocriſiarios ſuos miſit fœdusque literis ac nunciis firmavêre, Rexque Perſarum muneribus Imperatorem honoravit. ❧ Sigibertus : Item Romani Pipinum filium Karoli Regem Italiæ ordinatum collaudant. ❧ Sequitur idem : Immutato ordine regnorum immutandus eſt etiam titulorum , quia abhinc ſub uno comprehendendum eſt regnum Francorum & Romanorum, & Conſtantinopolitanum regnum diſtinguendum eſt à regno Romanorum. Ex quo Bizantium Thraciæ civitas à primo Conſtantino in novam ampliata eſt, & in regiam urbem exaltata Conſtantinopolis dicta eſt, & translata eſt in illam omnis Romanæ dignitatis gloria, in ſedem Romani Imperii dedicata & nova Roma appellata eſt; ex tunc evolutis annis circiter CCCCLXVIII diviſo à Conſtantinopoli Romano Imperio Karolus de genere Francorum primus imperavit Romanis ferè XIIII annis. ❧ Hugo : Octavo Kalend. Januarii anno quarto Hyrene , quæ imperabat Conſtantinopoli, Karolus recepit Imperium, & dum imperaret Romæ, eo tempore quo Byzantium Nicephorus patricius adverſus Hyrenem rebellavit Auguſtam , & concludens eam in palatium Eleutherii, proceſſit ad magnam eccleſiam & coronatus eſt ibi à Patriarcha Tharaſio faventibus ei Leone Patritio & Sinopeos *Scatellario* , & Tripholo æque Patritio, qui plurimis dilati ab

Imperatrice fuerant donis. Porrò vulgus, quæ gerebantur, moleſtè ferebat maledicens coronato & coronanti cunctisque faventibus eis: Sequenti verò die aſcendit Nicheforus ad Imperatricem cuſtodiæ mancipatam ſimilans, ut ei moris erat, falſam benignitatem, cepitque ſe ante eam excuſare, quod invitus ad principatum acceſſerit, nec hunc usquam deſideraverit : maledicebat enim his, qui ſe provexerant, & fiduciam dolosè monebat habere eam, cum juramentis magnis ſpondens illi, illud obſequium conſequi quod dominam à ſervo deceret. Ad extremum quoque commonuit, ut nichil ei occultaret Imperialium theſaurorum & dampnabat avaritiæ vitium, quaſi peſtiferum virus. Sed ad hæc Hyrene forti & ſapienti freta prudentia reſpondit ; qui heri ſervus perjurus fuiſti, hodie ſolers & ſeditioſus Tyrannus es, me autem Deus, cum eſſem orphana, gratis quidem exaltavit & provexit ſua munificentia, ut ſederem ſuper ſolium Imperii hujus, nunc autem meæ diſpoſitionis infortunium mihimet applico, & peccatis meis aſcribo, quoniam non eram imperio digna ; Verum in cunctis , quæ in me operatus eſt Deus, ſit nomen ejus benedictum, tuam autem provectionem minime fieri credidi. Scis denique mihi ſæpè delatum fuiſſe, quòd me circumvenire parabas, quod verum fuiſſe rerum finis oſtendit, quam rem ſi moleſtè tuliſſem, facilè mihi erat olim, ut interficerem te ; Sed modò tuis juramentis fidem accommodans, modo tibi parcens, vitam tibi reſervavi, ſpem ſemper habens in illo per quem Reges regnant, & Principes obtinent poteſtatem ; nunc autem cum ſis adeo provectus, te ut Imperatorem adoro, & peto ut meæ parcas infirmitati. Deprecor etiam ut concedas mihi à me conſtructam Eleutherii domum in refectionem incomparabilis calamitatis meæ. Ad hæc ille : Si hoc tibi vis fieri, jura mihi per omnem divinam virtutem non abſconſuram te mihi quidquam Imperialium theſaurorum, quæ protinus ei juravit ſuper pretioſum crucis Chriſti ſignum : Ille verò quod deſiderabat adeptus ſtatim eam exilio relegavit, in inſulam Lesbon, ubi & ſequenti defuncta eſt anno. ☞ Unde Sigebertus ; Hyrenem imperio depoſi-

tam

tam exilio relegat & Constantinopolitanis novem annis imperat. ☙ *Sanctus Salvius* veniens ab Aquitania *ad fiscum Valencianas* & à Winigardo filio Genardi *procuratoris ipsius fisci* martirizatur, & super ejus corpore requirendo Karolus magnus Imperator divinitus tertio ammonitus corpus inventum honorificè sepelivit, interfectores autem ejus gravi pœna multavit, nec tamen per hoc ultio Dei cessavit. ☙ Amymurlylin qui & Aaron Rex Persarum elephantem, quem solum habebat, Karolo Imperatori misit, cujus elephantis nomen erat, ambulabat; & præter eum munera multa Imperatore apud Spoletum existente. Pridie Kalend. Maji hora noctis secunda terræ motus maximus factus est, qui totam concussit Italiam; quo motu tectum Basilicæ beati Pauli magna ex parte cum suis trabibus accidit, & in quibusdam locis urbes & montes corruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum in Germania & in Gallia tremuerunt & pestilentia propter mollitiem hyberni temporis facta est. ☙ Gundolfus fit Metensis Episcopus per annos XXIII.

Anno DCCCII Legati Imperatoris Karoli ab Aaron Amiras venientes inter cætera munera etiam ossa *Cypriani* Carthaginensis martiris & Sperati primi Scillitanorum martirum & caput Panthaleonis martiris in Franciam afferunt. ☙ Hugo: Circa hoc tempus delata sunt ossa Cypriani martiris cum reliquiis Scillitanorum martirum Sperati sociorumque ejus, & posita sunt in ecclesia sancti Johannis Baptistæ in civitate Lugdunensi. ☙ Interea Ludovicus Imperatoris filius Hispanias est ingressus & Barcinonam, quæ contra patrem suum rebellaverat, iterum sibi subjugavit. ☙ Unde Sigebertus: Barcinona capitur. ☙ Et Elinandus: Barcinona capta est biennio jam ante obsessa. Zatus Præfectus ejusdem civitatis & alii plures Sarraceni comprehensi sunt; Abhinc super Aquitaniam certius & manifestius regnavit Ludovicus, * quod Comes Aurelianensis Arnais voluit regnare & esse tutor Ludovici, sed Guilelmus Auraicensis fortiter restitit, qui Arnais fuit pater Samsonet de una sorore Karoli, in Italia quoque Theate civitas à Francis capitur. ☙ Elinan-

dus : Theate civitas Italiæ capta est & succensa, Roselinus præfectus ejus cum Zato prædicto missus est in exilium. Civitas Italiæ Ostona & Luceria contra Karolum sentientes in deditionem accipiuntur. Karolus Imperator per omne Imperium suum legatos ad faciendum judicium & justitiam dirigit, & legis capitula XXIII instituit. ☙ Hyrene Imperatrix in exilio moritur. ☙ Elinandus : Patriarcha Jherosolymitanus pro benedictione dominici sepulchri & loci calvariæ, & *claves* civitatis & montis *cum vexillo* Karolo misit. ☙ Deinde sequitur Elinandus : Legitur quod eo tempore, quo Karolo datum Imperium Romanum, Patriarcha Jherosolymitanus de civitate expulsus à paganis venit Constantinopolim ad Constantinum Imperatorem & filium ejus Leonem, & cum eo Johannes Neapolis Sacerdos & David Jherosolymitanus Archiepiscopus, quos ille ad Karolum misit cum Epistola Johannis Patriarchæ manu ipsius scripta, & cum duobus præfatis præfuerunt duo alii legati Hebræi, Isaac & Samuel, in cujus epistolæ ultima parte scriptum erat : quadam nocte in extasi factus vidi ante lectum meum quendam juvenem stantem, qui me blande vocans pauxillum tetigit & ait : Constantine, rogasti dominum auxilium ad hanc rem, accipe Karolum magnum Regem Galliæ Ecclesiæ in domino propugnatorem; & ostendit mihi quendam militem armatum & ocreatum & loricatum, *scutum rubeum* habentem, ense præcinctum, cujus manubrium erat purpureum, hasta altissima, cujus cuspis flammas emittebat & in manu tenebat cassidem auream, & ipse senex prolixa barba, vultu decorus, statura procerus, cujus oculi fulgebant tanquam stellæ & canis caput albescebat. Age jam Auguste, qui jussionibus Dei refugit obedire, minime culpam poterit evadere Emmanuel Genian * Jesu ; *In Domino gaude memor ejus fungere laude, Justitiæ zona lumbos caput atq; corona. Perpete succingat te Christus bonoreq; stringat. Nil opus est ficto Domini quo jussio dicto. Ergo tene fundum Domini præcepta secundum.* Hic Constantinus sexies expulerat paganos ab Jherosolimis, sed tamen prævaluerunt. Hii legati Regem Parisius invenerunt, & epistolam sibi

sibi tradiderunt, quibus perlectis Rex lacrimari cepit pro sepulchro Domini, has epistolas jussit Rex Turpinum Archiepiscopum exponere coram omni populo, quibus auditis omnes proficisci Regem precabantur, quo audito Rex edictum mox proposuit, ut omnes, qui possent arma ferre, irent secum contra Paganos [f. alias] ipse & filius ejus servus quatuor nummorum esset. Itaque majorem exercitum, quam unquam ante habuisset, congregavit & profecti sunt. Cum autem eis Jerusalem venissent, in nemore quodam, quod vix duorum dierum spatio solet transiri, in quo erant Grifones, ursi, Leones, & tygros & aliæ feræ diversæ, Karolus putans se posse illud transire uno die ingressus cum exercitu, adveniente nocte & exercitu errante Karolus præcepit castra metari. Transacto autem noctis silentio Rex in lecto suo accubans inchoavit psalmos, & cum diceret hunc versum: deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Ecce ad aures ejus vox cujusdam alitis prope lectum clamantis audita est, quam qui aderant audientes experrecti sunt. Rex autem psalmos continuavit usque ad illum locum, educ de custodia animam meam &c. Quod cum diceret ales iterum clamavit, France quid dicis: France quid dicis? hanc alitem prosecutus est Rex parvula semita, donec recognoverunt callem quem diem præteritum amiserunt. Peregrini dicunt, quod ab illo tempore ceperunt audiri alites sic loquentes in illa terrâ. Huc usque Elinandus, & sicut ipse dicit, de nomine Imperatoris Constantini & filii ejus Leonis habetur discordia nisi fortè fuerit uterque binominis. ☞ Guido autem noster se liberat omni quæstione, & ita prosequitur: Nichephorus inquit hic primus dictus Imperator Græcorum ad Romanorum Imperatorem & Francorum Regem Karolum magnum missis legatis honorabilibus & dignis Imperatore tam mittente, quam suscipiente, muneribus, eum salutat, magnificat, atque significat, quod ad terram promissionis & sanctam civitatem Jerusalem à Sarracenorum dominatione tyrannica liberandam cum paratus esset, nec inferiores tam arduo negotio terra marique copias instruxisset, divinitus accepisset non sibi sed Impera-

peratori Romanorum Karolo titulum tantæ victoriæ & virtutis munus à Deo conceſſum, ideoque ſollicitè monet, ut vocationi ſupernæ reſpondens, dextræ ſibi porrectæ de cœlo celer aſſurgat ſuppliciter rogat, ut ad reſtituendum Deo jus ſuum & relevandas fidelium miſerias captivorum, alacritati regiæ ſe magnanimitatis accingat; obſecrat affectuosè, ne ſuper hoc ulla fatiget adverſitas, cum ſuorum triumphorum univerſos una victoria titulos hac faſtiget. Promittit ſe promtum & protinus obviare, ſe viam ſeu viæ neceſſaria præparare, ſe totis opibus & viribus adjuvare. His Karolus Imperator auditis, & ſuper deſolatione ſanctorum & oppreſſione locorum pariter & populorum cum multo fluore fletuum in celebri Principum & Optimatum conſilio recitatis, animatis omnibus ad tantæ virtutis opus, cum invincibili robore bellatorum ardue contra Chriſtiani nominis inimicos iter aggreditur expeditionis. Et dum in Græcia fortè deficeret exercitus ejus in invio, gravi labore ſimul ac tædio, clementiamque ſuper hoc ſupernam devotus implorat, & orat horam diei pſallendo tertiam & dicendo, deduc me Domine in ſemita mandatorum tuorum, avem pictam colore, vario naturæ ſtudio, videt & audit: Francedic, voce ſibi gratiſſima concinentem, & crebra repetitione vocis ejusdem tam ad iterandum prædictum pſalmi verſiculum, quam ad ſequendum ſe, volatu reciproco devios invitantem. Hoc Imperator ut cernit, animo ſagax, pro ſe ſuisque perpendens eveniſſe miraculum, avem ſequendam, & nuncium pronunciat eſſe certum ejus, qui traduxit populum ſuum per deſertum: moxque ſecutus alitem redit ad limitem & avem præviam primus [f. priùs] incognitam primus inſtituit ab eo, quod fuerat elocuta, Francidicum appellari. Deinde properat Conſtantinopolin, cujus ab Imperatore ſuſcipitur cum honore, nec mora Karolus in ulteriora progreſſus multis ſubjugatis regionibus verſis in fugam aut cæſis hoſtibus, captis urbibus aut ſubverſis, cum ſanctum à tyrannide Sarracenica liberaſſet locum & gentem, & orans in templo, præputium carnis dominicæ ſacroſanctum ſuſcepiſſet ab Angelo, regreditur Conſtantinopolim inæſtimabili

mabili cum triumpho. Huc usque verba Guidonii. ☙ Meminit autem facti hujus Magister Petrus manducator in scolastica historia, videlicet quod Angelus attulit *præputium Domini* Karolo dum oraret in templo, & quod Karolus illud attulerat Aquisgrani, sed post à Karolo Calvo delatum est inde, & positum est apud Abbaciam sancti Salvatoris de Caroffio, quæ sita est in Aquitania. Item Turpinus Archiepiscopus tam illa gesta breviter, quæ de Karolo magno scribere omittebat, * inter cætera dicit : qualiter dominicum sepulchrum adiit, & qualiter dominicum lignum secum attulerit, unde multas ecclesias dotavit, scribere nequeo.

Anno DCCCIII Anno secundo Imperii sui Nicephorus, ut scribit Hugo, coronavit Stauracium, inutilis & ineptus ad tantam modis omnibus dignitatem tam specie quam robore, simul & sensu. Eodem etiam anno cum adversus Arabes pugnare exisset, superatus est multis amissis, & ipse vivus erat capiendus, nisi quidam principum ejus ipsum à necessitate extraxissent. Aaron quoque Dux Arabum cum eo dimicans illum exsuperavit, unde ei Nicephorus persolvebat tricenalia numismata, & tria specialiter in tributum capitis sui. ☙ Sigebertus ita : Aaron Amiras cum CCC M contra Nicephorum Imperatorem ascendit, quem non ferens Nicephorus, turpe fœdus iniit, pactus se daturum annuatim tricena millia numismatum & tria numismata in tributum capitis Imperatoris & tria pro capite filii sui; hoc infortunium totum credimus accidisse Nicephoro, antequam Karolus adveniret, & terram sanctam visitaret. ☙ Guido : Græcorum Imperator regressu Romanorum Imperatoris superatoris infidelium & terræ sanctæ recuperatoris audito, jubet infra civitatem suam & extra, dextra lævaque viam per quam venturus erat in longum aromaticarum frondium & herbarum aspersam odore, virore vestitam offerri conspectibus prætereuntibus exercitus ejus, omnimodæ cupiditatis incentiva, rerum quarumlibet speciosa, pretiosa mercium desiderabilia thesaurorum, & sic adventantis properat in occursum : quod Karoli magni virtus maxima nec minus vitiis invicta quam bellis, ubi

percipit, præcipit Francis, ut contemnerent patriæ magnanimitatis nobilitate divitias, niſi triumphaliter adquiſitas, & ita vociferante licet præcone Græci Imperatoris edictum, ut Francis, quicquid tollere libitum, eſſet & licitum, indignantibus oculis ad oblata, pertranſeunt, caſtitate manuum illibata. Tunc Imperator alteri miranti quærentique cauſam ab altero tanquam contrariorum in eodem, hujus obedientiæ pariter & contemtus in exercitu ſuo, reſpondit Græco Romanus non veniſſe pro lucro, ſed pro ſepulchro domini liberando, non Chriſtianos ſed ſpoliare paganos, nec propria Græcis auferre, ſed perdita reſtaurare; divitias tamen illas quibus ſolus indiget appetere ſuppliciterque petere de ligno videlicet vitæ, clavis & ſpinis dominico ſanguine purpuratis, quibus per ſacerdotum reverendas manus oblatis cum ad eas adorandas & honorandas oſculo debitæ devotionis Imperator Karolus acceſſiſſet; pietas, ut ex humanis cordibus omnem ſcrupulum dubitationis auferret, utrumne vera noſtræ redemtionis pignora hæc eſſent, in corona Domini ſpinea, jocundam florum mollitem & gratioſæ delicias venuſtatis ex rigore ſpinarum & ſiccitate, cum odoris longè plusquam aromatica ſuavitate produxit. Nimirum in tam mira cæleſtis exhibitione virtutis ſi per carnales oculos, lacrimarum, ex habuntia fidei, præ gaudio fons erupit, quos inundabat tantæ dulcedinis affluentia de theſauro gloriæ Spiritualis, genua ponens ingenua Romanorum Imperatoris humilitas cum de eâdem coronâ pars incideretur, ut ei daretur loculum, quo de parte particulas exceperat excidentes, aſtanti propter uni de ſuis Epiſcopo ſervandum extendit & revocata manu, dum rebus intendit, uterque divinis alterum neuter attendit, ſuperna virtus in aera locum illum & intuentium oculos in illo ſuſpendit. Sic ergo pependit quousque reſpiciens eorum alter ad alterum recipiens illud alter ab altero repoſuit perferendum, ad tam corpori quam animæ remedia conferendum. ☞ Elinandus hoc modo: Fugatis paganis & recuperata terra petivit Rex licentiam repatriandi ab Imperatore Conſtantinopolitano & Patriarcha Jheroſolymitano, quem per unum

diem

diem retinuit Imperator apud Conſtantinopolim, & iterum parari fecit ante portas civitatis animalia diverſi generis & coloris & aurum & gemmas; Karolus autem, ne inurbanus videretur, ſi nihil acciperet, quæſivit conſilium à proceribus ſuis, quid facere deberet, qui reſponderunt, à nullo eum debere munus aliquod accipere pro labore, quem pro ſolius Dei ſuſceperat amore; qui laudans conſilium juſſit omnibus ſuis, ut omnes res appoſitas nec reſpicere dignarentur; tandem adjuratus & coactus aliquod munus pro Dei amore accipere, petivit de reliquiis paſſionis Dominicæ. Inito ergo conſilio indictum triduanum jejunium omnibus noſtris & duodecim perſonis Græcis, quæ electæ ſunt ad hoc ſanctuarium dividendum, tertia die Karolus confeſſus eſt peccata ſua Ebroino Archiepiſcopo, deinde utrique cleri pſalmos cum letania inchoant; cum autem Daniel Neapolitanus Antiſtes aperuiſſet techam, in qua ſpinea corona erat, tantus odor inde exiit, ut omnes putarent, ſe in paradiſo eſſe. Tunc Karolus proſtratus in pavimentum plenus fide oravit Dominum, ut propter gloriam nominis ſui miracula paſſionis ſuæ & reſurrectionis renovaret, & cum oraſſet, ſtatim ros cœlitus veniens lignum infudit & inebriavit, & flores emittere cæpit, tantaque lux cum odore affuit, ut omnes ſua veſtimenta cæleſtia putarent, cumque Daniel adunca forcipe robur ipſius ligni ſecare inciperet, tunc magis & magis florere cæpit. Tunc Karolus arboreo pallio quod ad hoc præparaverat ſuſcepit de floribus & implevit Wantum ſuum, dehinc alium Wantum ad ſuſcipiendas ſpinas præparans, tradidit illum Ebroino Archiepiſcopo; cum lacrimis præpediti eſſent, ille putans ſe accepiſſe & iſte dediſſe, uterque Wantum dereliquit, qui ferè unius horæ ſpatio pependit in aëre, cumque alterum Wantum rex ſpinis impleſſet & illud Epiſcopo tradere voluiſſet, vidit illum pendere in aere. Poſt hæc cum flores de Wanto ejicere cuperet, converſi ſunt in manna, & hoc manna modo eſt apud ſanctum Dyoniſium, quod à multis putatur eſſe de illo manna antiquo quod pluit Dominus in deſerto, omnes ægri qui ibi aderant ad odorem florum ſani facti ſunt. His ita geſtis ecce turba in-

Digitized by Google

finita eccleſiam violenter intrans clamare cepit, vere hodie eſt reſurrectionis dies; Nam odor de floribus exiens totam civitatem impleverat, & ccc & unum ægros curaverat, quidam æger ibi erat, XXIII annos & menſes tres habens in infirmitate ſua, cæcus, ſurdus & mutus; Hic in extractione ſpineæ coronæ viſum recepit, in ſectione auditum, in florum emiſſione loquelam. Poſt hæc præfatus Daniel Dominicum clavum manibus elatis Regi tribuit; qui, cum de alabaſtro, in quo reconditus erat, extraheretur, ſanatus eſt puer quidam ſiniſtram manum & totum ſiniſtrum latus ex utero matris habens aridum, & cucurrit ad eccleſiam dicens, quod circa horam nonam lecto jacens, quaſi in extaſi poſitus videre ſibi viſus eſt quendam canutum fabrum adunca forcipe extrahere ex ſiniſtra manu ſua arida, & ſiniſtro pede ſimiliter arido clavum & à latere lanceam. Data præterea Karolo fruſtum crucis Dominicæ, & ſudarium Domini & Camiſia beatæ Mariæ, & faſcia, qua puerum Jeſum incunabulis cinxit, & brachium ſancti Senis Symeonis, quæ omnia Rex recondidit, in ſacco de bulbanio tergore facto, & ad collum ſuum ſuſpendit, ad inſtar petræ; veniens autem ad caſtrum nomine Ligmedo puerum mortuum per tactum reliquiarum reſuſcitavit, & L ægri promiſcui ſexus ibi curati ſunt, ibi ſedit Karolus ſex menſibus & uno die. Huc usque Elinandus. ☙ Quæ omnia Guido breviter tranſilit dicens: Hiis & aliis quod pluribus pignoribus ſacroſanctis à Græcorum Imperatore ſuſceptis vix tandem mutuis amplexibus oſculi ſeparatoria conjunctione disjunctis cum multa proſecutione benedictionis Imperator Karolus per Dei gratiam retranſit Græciam, redit in Franciam, non minus gratioſus reliquiarum in Gallias invectione ſanctarum, quàm victoriis glorioſus; tunc reponit *Aquisgrani* cœleſtem cum debita veneratione theſaurum, quem locum in principale palatium ſibi dicaverat, à nonnullis *aquile capella* vocatum, ab aquila deaurata radiante ſuper capellæ regalis ibi faſtigium tanquam inſigne dignitatis Imperialis & ſignum, & in memoriale perpetuum, tam adventus ſanctuarii pretioſi, quam ſui reditus triumphalis ex tunc annuatim ibidem

Digitized by Google

dem fieri generalem Imperiali proponit edicto conventum. ☙ Sequitur Elinandus : Veniente autem eo Aquisgranum, sanati sunt ibi cæci innumeri, febricitantes innumeri, dæmoniaci duodecim, leprosi octo, paralitici XV, claudi XIIII, manchi XXX, gibbosi LII, caduci LXV, gutturnosi plures & ex vicinis locis quam plures; denique indixit per totum orbem, ut ydibus Junii venirent Aquisgranum videre reliquias, quas de Jerusalem & Constantinopoli advexerat, prius peccata sua confitentes; & statutum est ibi, ut semper quartâ feria jejuniorum quatuor temporum in Junio fieret Indictio istarum reliquiarum. In hoc consilio fuit Leo Papa, & Turpinus Archiepiscopus Remensis, & Achilleus Alexandrinus Episcopus, & Theophilus Antiochenus & alii plurimi Episcopi & Abbates ibi etiam suscitatus est mortuus. ☙ Sigebertus : Leo Papa ad Karolum Imperatorem in Franciam venit. Karolus Imperator per omne Imperium justitias pacis & legis capitula XXIX instituit, omnesque *Saxones trans Albiam* morantes in Franciam transtulit & pagos eorum Abroditis dedit. ☙ Unde Hugo : Saxones ita virtute Karoli sunt perdomiti, ut X Mill. hominum ex eis cum uxoribus & parvulis sublatos transtulerit, & per Galliam & Germaniam multimoda divisione distribuerit. ☙ Elinandus : In Mantuâ civitate dicitur sanguis Christi fuisse repertus : Abhinc electio Walfarii Remensis Archiepiscopi.

Anno DCCCIIII Nicephorus Imperator fœdere cum Sarracenis soluto incommoda multa contulit imperio suo. Godefridus Rex Danorum multa contra vicinas gentes abutens insolentia pacem ab Imperatore Karolo expetit. Avares qui & *Huni* longo contra Francos bello perdomiti, adeò à fortitudine sua & potentia sunt diminuti, ut qui alios solebant ultro lacessere, jam nec se valeant ab aliis tueri, quia in hoc bello omnis eorum gloria & nobilitas eorum periit, & quicquid pecuniæ & thesauri per tot secula orbem terrarum vincendo sibi congesserant, totum modo victoriæ Francorum cessit, & nullo unquam bello tanta spoliorum quantitate Francia ditata sit. ☙ Elinandus : Tantum auri & argenti & tot spolia pretiosa in regia

Cagani reperta ſunt, ut meritò credatur Francos juſte eripuiſſe Hunis, quod illi aliis injuſte eripuerant. ❧ Hugo : Bellis igitur ſupra dictis feliciter conſummatis, Karolus Rex Francorum regnum, quod patrem ſuum Pipinum * fortè quidem jam magnum ſuſceperat, ita nobiliter ampliavit atque dilatavit, ut duplum ei adjecerit; nam cum prius non amplius quam illa pars Galliæ [f. Germaniæ] quæ inter Saxoniam & Danubium Renumque ac Salam fluvium, qui Thuringos & Sorabos dividit & à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alemanni atque Bojoarii ad regni Francorum poteſtatem pertinerent, ipſe per bella memorata [f. adjunxit] primò Aquitaniam & Gaſconiam, totumque Pyrenæi montis jugum usque ad Hyberum amnem, qui apud Vacarios oritur, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans ſub Tortoſæ civitatis mœnia Balearico mari miſcetur; & Italiam totam quæ ab Auguſta prætoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum conſtat eſſe confinia; totam præterea Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica eſt, & utramque Pannoniam & in altera Danubii ripa appoſitam Daciam. Primum itaque bellum Karoli Magni & orthodoxi Imperatoris contra Aquitanos fuit, Secundum contra Longobardos, Tertium contra Saxones, Quartum contra Hiſpanos Sarracenos, Quintum contra Britones, Sextum contra Bavvarios, Septimum contra Slavos, Octavum contra Hunos; Omnesque præterea barbaras nationes, quæ inter Rhenum ac Wiſeram fluvios, Occeanum atque Danubium poſitæ ſunt, lingua quidem pene ſimiles, ſed habitu vel moribus valde diſſimiles, inſuper & alias quamplures nationes per univerſum mundum per ſe vel per ſuos ita perdomuit, ut eas ſibi tributarias faceret. Auxit etiam gloriam regni quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam ſibi conciliatis, adeo namque Adelfonſum Galiciæ atque Aſturiæ Regem in ſocietatem devinxit, ut is cum ad eum literas vel legatos mitteret non aliter ſe apud illum quam *proprium filium* appellari juberet. Scotorum quoque Reges ſic habuit ad ſuam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter niſi Dominum,

ſeque

Digitized by Google

seque ei subditos & servos ejus pronunciarent. Extant Epistolæ ad eum missæ, quibus hujusmodi affectus eorum erga illum indicatur. De amicitia Regis Persarum & muneribus ejus habetur postea in anno DCCCVII.

Anno DCCCV Karolus Imperator indignantibus contra se Imperatoribus Constantinopolitanis propter invidiam Imperatorii nominis à Romanis sibi impositi; magna patientia & magnanimitate eos tulit, & quia suspectam habebant potentiam suam, crebris legationibus sibi eos firmissimo fœdere conciliabat, Romanis & Græcis semper fuit suspecta *Francorum potentia*, unde illud Græcum est proverbium, Francon filon exis [echis] giton loy exis [ouk echis]. Avares non ferentes infestationem Sclavorum à Karolo Imperatore inter Sabariam & Karentanum impetraverunt habitandi locum, ibique sine regni nomine sederunt sub ditione Francorum. Karolus filius Imperatoris Karoli Behemanos rebellantes devicit & Lethonem [f. Lechonem] eorum Ducem perimit. Hi sunt, qui *Boëmi* dicuntur, & ista est prima mentio quæ fit in hoc libro de ipsis. ☙ Apud Virdunum Herilandus factus Episcopus præfuit annis XXIII. ☙ Sequitur bellum Hyspanicum, & mors Baronum in Runcia Valle secundum Turpinum: Karolus contra Aygolandum novissimè iturus omnes exercitus suos mandavit, amicos & inimicos sibi sociavit, & hæc sunt Baronum & virorum fortium nomina, qui cum eo fuerunt atque Nobentes [habentes] secum centum milia bellatores & XXIV Mill. Ego Turpinus Archiepiscopus, qui populum ad bellandum fortem & animatum & à peccatis absolutum reddebam, & Sarracenos propriis armis sæpe expugnabam, Rothlandus Concenomanensis [f. Com. Cenemanensis] & Blavii dominus filius Milonis de Angliers ex Berta sorore Karoli cum IV Mill. Alius tamen Rolandus fuit, de quo nobis nunc silendum est; Oliverus Comes Gebenar, filius Rameri Comitis cum III Mill. hic erat miles acerrimus, bello doctissimus, brachio & mucrone potentissimus; Estulcius Comes Lingonensis, filius Comitis Odonis cum III Mill. Arastagnus Rex Britanniæ cum VII Mill.

Tem-

Tempore istius fuit alius Comes in Aquitania scilicet Pictavensis: Hic verò Agelerus genere Gasconus, dux urbis Aquitaniæ, quæ scilicet urbs sita est inter Semonicas [Lemovicas] & Bituricas & Pictavum, quam etiam Cæsar Augustus primum in illis horis fecit, & Aquitaniam nominavit; cui etiam urbi Bituricas & Lemovicas & Pictavum, & Sanctonas & Engolismam subjugavit, unde tota illa provincia Aquitania vocatur. Hæc post Angleri obitum in vastitatem vertitur, eo quod cives ipsius omnes in Runcia valle gladio obierunt. Hujus etiam Angleri sororem, Hugonis filiam habuit Guido de Nantalio filius Ayæ de Avenione, cujus Guidonis pater dictus est Garverus Dodonis filius de genere Gerardi de Rossilione & quatuor filiorum Haymonis. Pater Ayæ Antonius tenuit Valentiam & Avenionem, quæ post mortem Garneri mariti sui nupsit Regi Gonori Sarraceno, qui per eam baptizatus est, de qua genuit Anthonium & Richerum. Gayferus Rex Burdegalensis cum III Mill. Gaiferus fuit Ageliri & Ayglentinæ avunculus, Galerus Gelinus, Salomon socius Estulti, Balduinus frater Rothlandi, Gandeboldus Rex Frarigiæ cum VII Mill. Arnaldus de Bellanda cum II Mill. Hic Pater Nemerici de Narbona. Naaman Dux Bavvariæ cum X Mill. Non est iste *Dux Haymo*, qui quatuor habuit filios, Renaldum, Alardum, Richardum & Guichardum, qui dicuntur fuisse de una sorore Karoli, de quibus quædam fortia gesta referuntur. Horum major natu sanctus Renaldus tandem fuit monachus apud sanctum Panthaleonem Coloniæ & martirizatus à cæmentariis translatus est in *Trumonia*, & cum honore sepultus. Ogerus Rex Daciæ cum X Mill. De hoc canitur in cantilena, quod innumera fecit mirabilia. Lambertus princeps Bituricensis cum II Mill. Sanson dux Burgundiæ cum X Mill. Constantinus præfectus Romanus cum XX Mill. Rainaldus de alba spina, Galterus de thermis, Guielinus Garinus Lotharingiæ dux cum IIII Mill. Beggo de Belin. Fuit iste Beggo frater ejusdem Garrini; Dux namque Hervinus duos habuit filios, Garrinum & Beggonem; de Garrino natus est Gebertus, de Beggone Arnoldus & Gerinus. Iste Gerinus Comes

mes multa fecit & vixit ultra ccc post obitum Karoli magni. Bernardus de Nublis, Albricus Burgundio, cujus patrem dicunt fuisse Basinum, Bernardus de monte Desiderii, Guimardus, Esturmitus, Tedricus, Ynorinus, Berengarius, Hatto, *Ganalorius* traditor. Dicitur quod iste Ganalo natus fuit apud Ramerut Trecensis diocesis. Proprius exercitus Karoli XL Mill. militum, peditum non erat numerus. In Landis Burdegalensibus coadunantur, cooperiebant terram longitudine & latitudine duabus dietis; spatio XII milium in latitudine audiebatur sonitus. Arnoldus de Bellanda per portus Cisereos venit Pampilonam, quem sequuntur Estultus & Arastagnus, Angelerus & Gandeboldus, Rex Ogerus, & Constantinus, & novissimè Karolus. Cooperuerunt terram à flumine Rimæ usque ad montem qui distat ab urbe tribus leucis via Jacobitana, quæ dividebat exercitum nostrorum & Sarracenorum. Didicerat autem Arabicum Karolus juvenis apud Toletum. Post multam igitur inter eos disputationem dixit Aygolandus, quod si gens sua vinceretur, ipse baptizaretur. Venientibus itaque XX Sarracenis contra XX Christianos, occisi sunt Sarraceni. Inde XL contra XL similiter Sarraceni, & C contra C similiter ducenti contra ducentos Christianos occiduntur, mille contra mille adunatis occisi sunt Sarraceni. Postea venit Aygolandus per conductum videre Karolum, qui videns ordines ducum, clericorum & Monachorum in convivio Karoli, tandem de XIII pauperibus, quos seorsum vidit, scandalum sumsit, & baptizari renuit. Facta igitur plenaria pugna in crastinum, in exercitu Karoli erant CXXXIIII Mill. in exercitu Aygolandi centum millia, Christiani quatuor acies fecerunt, Sarraceni quinque de quibus duæ in bello ceciderunt, & Arnoldus de Bellanda Aygolandum peremit : deinde occisi sunt omnes Sarraceni præter Sibiliæ * & Alcumajorem Cordubæ cum paucis turmis, mille autem de Christianis ad spolia retro abierunt, & ab eis occisi sunt. Altera autem apud montem Garizim Princeps Narvarorum fuere * cum IIII Mill. fuit occisus, sed cum crucis fuit visum in vestibus C.L. Christianorum significans imminere passionem

nem eorum. Karolus humana providentia ductus jussit eos recludi & inventi sunt mortui. Venerunt nostri apud Nageram contra Ferracutum gygantem, qui de genere Golyath venerat de Syria cum viginti milibus à Babilonis Admiraldo missus; hic vim XL fortium possidebat, Statura ejus cubitos habebat XII, facies erat unius cubitus, nasus unius palmi, brachia vel crura quatuor cubitorum, digiti trium palmorum, qui Rogerium Dacum, Rainaldum de Alba spina, Constantinum Oellum misit in carcerem. Contra hunc Rothlandus cum venisset ad singulare certamen, occidit equum ejus gladio, & Gygas equum illius pugno, exinde usque ad nonam pugnis & lapidibus debellarunt, Gygas impetravit treugas usque in crastinum, in mane satis pugnaverunt, inde sedentes ceperunt quæstionari, & unus contra alterum, ibi Rothlandus optimè de fide nostra disputavit. Tandem post luctam Rothlandus punxit eum mucrone in umbilico, & ille moritur exclamando, & nostri à carcere capto castro eripiuntur, inde Ebinus Rex Sibiliæ & Altumaior Cordubæ, & viri de septem urbibus contra nostros venerunt, id est, de Sibilia, Granada, Satina, Manbeda, Abula, Baetia & Corduba, ab hac tribus milibus prope similes convenerunt. Sarraceni X Mill. & Christiani VI Mill. ubi fuit bellum quod dicitur larvarum, ante singulos eorum equos veniebant pedites habentes larvas barbaras cornutas dæmonibus consimiles & tenentes timpona, quorum usu & sonitu equi nostrorum retro fugere ceperunt. Pervenimus ad montem ab urbe duobus milibus proximum, in crastino Karolus præcepit, ut oculos equorum lintheis velarent & aures obturarent, & hoc facto multos Sarracenorum occiderunt. Karolus acies iniquorum penetrans propria spata perticam super plaustrum quæ vexillum sustentabat abscidit, ilico VIII Mill. Sarracenorum cum Rege Sibiliæ interfecti sunt. Altumaior cum duobus millibus evasit, qui tandem baptizatus civitatem Cordubam à Karolo recepit.

Anno DCCCVI *Sanctus Guilelmus* invictus triumphator & dominator Sarracenorum ex duce Aquitano relicto seculo factus est monachus

monachus in desertis dyocesis Latavenensis, pater ejus Theodericus mater Algana dicta est. ☙ De Guidone filio Samsonis Ducis Burgundiæ in Regem à juvenibus in Francia elevato, dum Karolus magnus esset in Hyspania, & de gestis ejusdem Guidonis satis pulchra decantatur sive fabula sive historia. Karolus in Hyspania divisit terram Navarrorum & Basclorum Britannis, terram Castellanorum Francis, terram Nageræ Cæsaris Augustæ Græcis & Apulis, terram Arragonum Pictavis, Alandalus maritimam Teuthonicis, deinde tenuit in Compostella Concilium, & instituit profectionem ad Sanctum Jacobum, Yrtam ubi fuerat ab antiquo Episcopatus præcepit esse subjectam sedi Compostellanensi & Archiepiscopatum Emeritæ in Compostellam transtulit, tunc in eodem consilio ego Turpinus cum LX Episcopis Basilicam & altare Sancti Jacobi Kalend. Junii dedicavi, & sicut beatus [Johannes] requiescit in Epheso in orientali parte ad dextram Christi, ita beatus Jacobus in Compostella in occidente secundum ejusdem Domini nostri dispositionem quasi ad sinistram ejus videtur esse locatus. ☙ Sequitur de *proditione Ganaloni* & de *bello Runciæ vallis* & de passione pugnatorum Karoli. Karolus rediens ab Hyspania Pampilonam cum exercitibus venit, erant tunc temporis apud Cæsar-Augustam Marisirius & Belligandus duo Reges Sarracenorum ab Amiraldo Babylonis de Perside missi, quibus Karolus per Ganalonum mandavit, ut baptismum subirent aut tributum mitterent, qui miserunt xxx equos onustos auro & argento & CCCC oneratos vino & mille Sarracenas formosas, Ganaloni vero xx equos oneratos dederunt, qui reversus dixit Karolo per proditionem, quod Marsirius volens effici Christianus, præparabat iter suum, ut in Galliam veniret, Karolus credens ei, Rothlando & Olivero cum cæteris principibus commisit ultimam custodiam in Runcia valle cum XX milibus, ut ipse cum aliis exercitibus portus cysereos transiret, quidam autem Christiani prædicto vino ebrii cum Sarracenis & Christianis fœminis fornicati sunt, Marsirius interea & Beligandus frater ejus cum L milibus supervenerunt, quorum xx Mil. nostri occiderunt,

Digitized by Google

statim alia XXX Mill. Sarracenorum lassos aggressi sunt & omnes nostros videlicet XX Mill. percusserunt præter Rothlandum & Balduinum & Theodericum; Rothlandus insonuit tuba eburnea & redierunt ad eum centum Christiani, qui Marsirium insecutus peremit eum, & ibi pasi sunt centum prædicti Christiani, Rothlandus etiam cum quatuor lanceis vulneratus & lapidibus attritus evasit, qui fatigatus usque ad portus ciseræ pedem pervenit, & sub arbore quadam juxta marmoreum lapidem consedit, ibi spata suam *durenda*, id est durum ictum cum ea da, deflere cepit; & timens ne in manus Sarracenorum veniret, in marmoreum lapidem ter percussit, & ita lapis in duo dividitur, gladius tamen illæsus educitur, tunc tanta virtute tuba insonuit, ut tuba per medium scissa sit, & venæ colli ejus & nervi rupti fuisse feruntur, vox usque ad Karolum octo milia versus Gasconiam ductu angelico pervenit: Balduinus etiam superveniens equum ejus ascendit, & Karolum insecutus est, ilico etiam advenit Theodericus, in cujus præsentia devotissimam orationem fecit Sanctus martir Rothlandus: Domine Jesu Christe, pro cujus fide & amore patriam meam dimisi, & cætera. Ego Turpinus eram cum Karolo XVI Kalend. Junii missam celebrando, ubi raptus in extasi audivi choros in cælestibus, & vidi dæmones transeuntes, quorum uni dixi, quid fertis, nos, inquit, Marsirium portamus ad inferna, tubicinem vestrum * cum multis fert ad superna; dum hæc Karolo referrem, ecce Balduinus supervenit, & quæ facta fuerant, intimavit & statim Karolus cum exercitu retro rediit, invenit igitur Karolus Rothlandum qui decesserat brachiis supra pectus in effigie crucis positis, obiit anno ætatis suæ XXXVIII. Oliverum etiam à Sarracenis excoriatum invenit, crastina die Karolo persequente Sarracenos tale factum est miraculum, quod sol visus est stetisse immobilis spatio trium horarum & invenit eos super fluvium Ebro juxta Cæsar-Augustam, & interfectis ex eis quatuor milibus ita reversus est, deinde cepit inquirere si verum esset, de proditione Ganaloni, & facto super hoc duello coram eo, Theodericus Pinabellum peremit, & sic Ganalonus

lonus captus & quatuor fortissimis equis agitatus contra quatuor plagas cæli discerptus interiit. Iste Ganalonus traditor olim quandam fundaverat abbaciam quæ dicitur Nigella in Dyocesi Trecensi, & idcirco fratres loci collegerunt membra ejus, & in eadem abbacia tanquam fundatorem suum sepelierunt, de sorore autem ejus Theiberga fuerunt Pinabellus & Griffanellus. ☞ Sequitur de corporibus mortuorum aromatibus & sale conditorum, de duobus cimiteriis sacrosanctis, uno apud Arelatem, altero apud Burdegalam, quæ dominus per manus septem Episcoporum sanctorum benedixit, Maximini Aquensis, Trophini Arelatensis, Pauli Narbonensis, Saturnini Tolosani, Frontonis Petragoricensis, Martialis Lemovicensis, Eutropii Sanctonensis; in hiis sepulti sunt, qui ceciderunt in monte Garizim; Rothlandus in ecclesia sancti Romani Blaviæ sepultus est, mucro ad caput ejus, tuba ad pedes, quæ postea Burdegalam in ecclesia sancti Severini translata sunt. Apud Belinum Olyverus, Gandeboldus, Ogerus, Arastagnus, Garinus & alii multi positi sunt, modò verò Ogerus dicitur esse in abbacia Pharonis Meldis & Garinus Metis, & sicut isti, ita etiam plures ex aliis ad loca sua potuerunt referri, apud Burdegalam Gaiferus, Engelerus, Lambertus, Gelerus & Gelinus, Rainaldus, Galterus, Guielmus, Beggo cum quinque milibus aliorum, Oellus apud Nantas reportatus est; apud Arelatem in aliis campis per Gasconiam & Tolosam deportati sunt Estultus, Salomon, Samson, Arnaldus, Albricus, Guinardus, Esturmitus, Hacco, Theodericus, Yvorius, Bernardus, Naaman cum decem milibus aliorum & ibi sepulti, ibi rediit ad nos exercitus, qui à nobis in hoste * valle discesserat, & per Morlanum & Tolosam venerat, Constantinus verò Romam per mare relatus est. ☞ De Turpino Archiepiscopo multis vulneribus debilitato colligimus ex dictis Calixti Papæ, quod apud Viennam remansit, & sibi successorem fecit institui, de quo ita invenitur in annalibus; Turpino Archiepiscopo Remensi Wlfarius succedit per annos decem, sed ante ordinationem suam jam diu rexerat ecclesiam Remensem sub Turpino, qui tamen Turpinus vixerit usque post obitum Karoli

Magni, ſicut habetur in ſequentibus. ☙ Et notandum quod Hugo ſcribit, duos Principes cecidiſſe cum Rothlando, quorum nomina non continentur in Turpini cathalogo, videlicet Egibardum regiæ menſæ præpoſitum, & Comitem palatii Ancelmum. ☙ Karolus ab Hiſpaniis rediens conſilium tenuit apud beatum Dyoniſium & poſtea Aquisgranum verſus Leodium perrexit : Hic inter filios ſuos partitionem regni facit, & inde teſtamentum factum ſua & Leonis Papæ auctoritate roboravit. Behemanni Sclavis auxiliantibus ubique graſſantur, ſed à Karolo Imperatoris filio fortiter debellantur. ☙ Quarto nonas Septembris facta eſt eclipſis Lunæ ſole exiſtente in XVI parte virginis luna in XVI parte piſcium. Pridie nonas Junii, Luna XIII, feria quinta prima aurora incipiente, ſignum crucis mirabili modo in luna apparuit, quaſi hoc modo, [an hic pictum adjecta?] dehinc tertio Kalend. Septembris Luna XII die Dominicâ horâ quartâ corona mirabilis in circuitu ſolis apparuit.

Anno DCCCVII Pridie Kalend. Februarii luna XXVIII facta eſt eclipſis ſolis in medio die ſtante utroque ſidere in XXV parte aquarii, item IIII Kalend. fuit eclipſis lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & ſol ſtetit in XI parte piſcium, & luna in XI parte virginis, nam & *ſtella Mercurii* XVI Kalend. Aprilis *viſa eſt in ſole* quaſi parva macula nigra, tamen paululum ſuperius medio centro ejusdem ſyderis, quà a nobis per octo dies potuit videri, ſed quam primum intravit vel exiit nubibus impedientibus annotari non potuit, item XI Kalend. Septembris Lunæ fuit eclipſis horâ noctis tertia, ſole in quinta parte virginis exiſtente, luna in quintâ parte piſcium, ſicque ab anni ſuperioris Septembri usque ad Septembrem præſentis anni luna ter obſcurata eſt, & ſol ſemel. Hucusque Elinandus. ☙ Ex quibusdam annalibus, Chudemeid Amireus miſſus eſt ab Aaron ad exſcindendam Liciam, cum veniſſet Mirream niſus ſancti Nicholai conterere archam, & pro ea contrivit aliam & pro temeritate incurrens Dei vindictam ſubſequente inevitabili tempeſtate claſſem amiſit totam, prædictus autem Aaron Rex Perſarum

Digitized by Google

sarum Karolum Imperatorem pretiosis muneribus per Legatos honorat. ☙ Hugo: Cum Aaron Rege Persarum, qui excepta India totum pene tenebat Orientem, Karolus talem habuit in amicitia concordiam, ut hic gratiam ejus omnibus qui toto terrarum orbe erant regum ac Principum amicitiæ præponeret, solumque honore ac munificentia colendum judicaret, ac proinde cum legati ejus, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Salvatoris nostri sepulchrum, locumque resurrectionis miserat, ad eum venissent, non solum, quæ petebantur, fieri permisit, sed etiam sacrum Sanctæ Mariæ Latinæ locum, ut illius potestati ascriberetur, concesit & revertentibus legatis suos adjungens, vestes & aromata, & cæteras orientalium opes ingentia illa dona direxit, cum ei ante paucos annos eum quem tunc solum habebat roganti misisset Elephantem. Porro inter munera, quæ legati Imperatoris à Perside detulerunt, horologium ei ex auricalco arte mechanica compositum attulerunt, in quo XII horarum cursus ad Clepsidram visebantur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subjectum sibi cimbalum tinnire faciebant, abditis in eodem horologio ejusdem numeri equitibus, qui per XII fenestras horis completis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras aperiebant. ☙ Elinandus: & alia multa erant in horologio illo, legatus verò missus à Rege Persarum dicebatur Abdella, qui detulit Imperatori Karolo papilionem & tentoria atrii vario colore miræ magnitudinis & pulchritudinis; erant enim omnia bissina, tam tentoria quam funes diversis tincta coloribus, & præterea pallia multa, serica pretiosa & odores aromatum & unguenta & balsamum, fuerunt etiam inter munera & duo candelabra ex auricalco miræ magnitudinis & proceritatis. Chruninus Bulgaribus dominatur. Sarraceni Sardiniam depopulantur, sed à Rege Italiæ Pipino Karoli filio superantur. ☙ Hugo: Sarraceni Sardinia pulsi primo cum Sardis prælium commiserunt, & amissis tribus milibus suorum in Corsicam directo cursu pervenerunt, ubi cum classe, cui Bulgarius Comes præerat, decertantes victi fugati atque

que peremti sunt amissis xiiii navibus suis. Karolus Imperator *per manus Pauli Dyaconi* decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum Patrum *lectiones unicuique festivitati convenientes*, per circulum anni in ecclesia legendas compilari fecit. ☙ Hugo de eodem Paulo : Claruit hiis temporibus Paulus gentis suæ, id est, Longobardorum historiæ scriptor, qui de monasterio montis Cassini venit in Galliam attractus amore & opinione præfati Principis Karoli præcellentissimi Imperatoris; fertur idem Paulus composuisse ymnum de sancto Johanne Baptista.

Anno DCCCVIII In Britannia, immo in Anglia secundum Elinandum & Wilelmum, mortuo Rege Merciorum Kenulfo, qui xxiiii annis regnaverat, & cujus filius Kinelinus puer à sorore Quendrida innocue cæsus martir effectus est, regnavit Theonulfus frater ejus in regno Merciorum anno uno, qui à Sigeberto vocatur Cardulfus. Altero autem anno à Bertulfo patria & regno pellitur, sed ad Karolum Imperatorem veniens per eum patriæ & regno restituitur, nec multò post Rex West-Saxonum & Cantuariorum Egbirthus, de quo supra diximus, totum regnum Merciorum suo regno copulavit. ☙ Hugo: Eodemque tempore floruit *sanctus Ægidius* confessor præcipuus natione Græcus, qui Dei nutu veniens ad Gallias in provincia, cui septimania nomen est, heremiticam duxit vitam, hujus quidem meminit Sigebertus, sed non in tempore quo debuit. ☙ Sanctus, inquit, Ægidius veniens à Græcia sanctitate claret in provincia; quod enim tempore Karoli magni floruit, satis est autenticum, & ille ponit eum sub Karolo Martello. ☙ Item Hugo de liberis Karoli magni: habuit de Regina Hildegarde tres filios, Karolum, Pipinum & Ludovicum, habuit & tres filias de eadem Rothrudam, Bergam & Gislam. De Fastrada quoque Regina secunda uxore duas alias habuit filias; Fastrada verò mortua Leodegardam Alemannam duxit uxorem, & ea mortua habuit iterum duas concubinas Gersuindam Saxonici generis, de qua nata est ei filia nomine Adaltrud, & Reginam, quæ peperit Drogonem & Hugonem. Drogo iste fuit postea Metensis Episcopus,

Digitized by Google

pus, Hugo frater ejus fuit Abbas in Francia venerabilis, longo tempore fratribus omnibus supervixit, hic Hugo ut dicitur hodie quiescit in cœnobio Elnonensi apud sanctum Amandum de Padua. Liberos suos Karolus ita censuit instituendos, ut tam filii quam filiæ primo liberal[illegible] studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur, tum filios cum primum ætas patiebatur more Francorum & armis ac venationibus exercen fecit, filias verò lanificio assuescere coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri jussit; ex hiis omnibus duos tantum filios ac filiam, priusquam moreretur, amisit, quod suo loco declarabimus. ☙ Leo Papa tertius legatos misit in Britanniam, Adulfum Dyaconum *natione Saxonem*, cum quo ab Imperatore Karolo missi sunt Abbates duo, Linotherdus Notarius & Nantharius de sancto Othmaro. ☙ Hiemps mollissima & pestilens hujus anni fuit.

Anno DCCCIX Aaron Amiras moritur, post quem Michamati annis quinque principatur, in Thuscia Populonium civitas maritima à Græcis, qui Orbiolæ vocantur, deprædata est, mense Novembri habuit Imperator Aquis *concilium* de processione Spiritus Sancti, quam quæstionem Johannes quidam Monachus ab Jherosolymis primo commendavit, cujus diffiniendæ causa Bernarius Episcopus Wormatiensis & Adalardus Abbas Corbeæ Romam ad Leonem Papam missi sunt, & eclipsis Lunæ fuit. Pipinus Rex Italiæ Venetiam bello sibi subegit & non multo post obiit. Imperator denique Nicephorus Constantinopolitanus ad Karolum misit & firmissimum fœdus cum eo disposuit, *totamq; Venetiam illi voluntate spontanea donavit*, qui Nichephorus Imperator novis & injustis legibus omnes suos exacerbavit, & iram Dei in se exaggeravit. ☙ De quo dicit Hugo: Hic fuit vir crudelis & avarissimus, per singulos enim ecclesiarum & focos census primus Imperator exigi præcepit, sed & ab hiis quos repente formidaverat quasi ab inventoribus thesaurorum pecunias exigebat, naturaliter etiam ei inerant muliebres lacrimæ quas multo * pseudo-Christianis inesse procul dubio constat, quibus multos benignitatem

ſimulans decipiebat. ☙ Sigebertus : Godefrido Danorum Rege mortuo , Hemingus filius ejus pacem expetit ab Imperatore Karolo. ☙ Apud Leodium mortuo Gerbaldo Epiſcopo Walcandus Epiſcopatum ſuſcipit, qui in Ardenna Andagium cœnobium conſtruxit, hæc eſt Abbacia ſancti Huberti de Ardenna. ☙ Andavium fundavit quidam ſanctus Beregiſus ſub Pipino principe & ejus uxore Plictrude per literas cælitus deſtinatas & ab ipſa Plictrude repertas, in quo loco fuit Caſtrum Ambra caput Amberlaci fiſci, quod caſtrum ab Hunnis ex toto fuit deſtructum ante CCC & XXXVII annos, & eccleſia ſancti Petri in eodem caſtro omnino diruta, quam Eccleſiam dictus Beregiſus per Pipinum reſtituit, & ordinem Canonicorum ibi ſtatuit, iſte vero Epiſcopus *Leodienſis* Walcandus ordinem monachorum ibi poſuit per Papam Leonem & Hildeboldum Colonienſem Archiepiſcopum qui Richolfo ſucceſſerat.

Anno DCCCX Karolus in tres partes regni ſui tres exercitus miſit, unum trans Albiam, qui Bilmones [f. Linones] debellantur, unum in Pannoniam, qui reliquias Hunorum & Sclavorum compreſſit, unum contra Britones, qui eorum perfidiam contudit, & ubique ſibi victoria provenit; Octavo autem Ydus Junii obiit Rothrudis major natu filia Imperatoris, ſed & Pipinus Rex Italiæ, de quo in anno præcedenti dictum eſt, obiit in octavo Ydus Julii, qui Pipinus unum filium Bernardum, filias autem quinque Adalaidem, Atulam, Gundradam, Bertaidem ac Theoderatam ſuperſtites reliquit, in quibus Rex pietatis ſuæ præcipuum documentum oſtendit cum filio defuncto nepotem patri ſuccedere & neptes inter filias ſuas educari feciſſet; ab iſto Pipino & Bernardo filio ejus antiquitas *Comitum Campaniæ* deſcendit. ☙ Mortuus eſt etiam hoc anno Sevvinus Dux Burdegalenſis, cui fratres fuerunt Alelmus & Ancherus, hujus Sewini filii Gerardus & Hugo, qui Karolum filium Karoli caſu interfecit, Almaricum proditorem in duello vicit, exul de patria ad mandatum Regis fugit, Alberonem virum mirabilem & fortunatum reperit, & cætera ſive *fabuloſa* ſive hiſtorica connexa. ☙ Karolus Imperator rerum ſua-

rum

rum hæredem Christum testamento facit, & quicquid in re mancipi habebat in tres partes dividens, tertiam earum pauperibus & familiaribus palatio delegavit, duas verò partes in XX & unam subdivisit, & Metropolitanis Episcopis qui totidem sibi suberant, distribuit, ut metropolitana tertiam assignatæ sibi partis haberet, & duas inter suffraganeos Episcopos divideret, & hæc sunt nomina Archiepiscopalium civitatum, quæ erant sub Karolo: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, quæ & Aquileia dicitur, Gradus in Venetia, Moguntia, Juvavum in Bavvaria, quæ & Salzeburch dicitur, Colonia, Treveris, Remis, Turonis, Vienna, Lugdunum, Vesuntio qui & Besuntium, Rothomagus, Arelas, Tharencasia, Ebrodunum, Burdegala, Turonis Bithuricas, unamquamque partem sub proprio conditorio sigillatam reposuit, addens nomen civitatis metropolitanæ cui mittenda erat. Has omnes idem potentissimus Imperator honorabiliter multis muneribus excolebat, sed præcipuè Romanam inter eas ecclesiam & fideliter defensabat, & suis opibus exornabat. ☙ Vuasco Abbas Mediolaci fuit Archiepiscopus Treverensis & post eum *Amalarius Fortunatus* Cardinalis, qui librum officiorum Ecclesiasticorum composuit. Sol & Luna bis defecerunt, Sol VII Idus Junii & pridie Kalend. Decembris, luna XI Kalend. Junii & XVIII Kalend. Januarii. ☙ Pridie Kalendarum Decembris Karolus Rex filius Imperatoris magnatu obiit, magna quoque fuit boum mortalitas per omnes provincias Imperatori subjectas. ☙ Nichephorus Imperator Bulgariam ingreditur, & quia victoriæ temperare nescivit, à Bulgaribus cum magno senatorii ordinis numero perimitur, Stauracius filius ejus post cum parvo tempore imperat, Hæc Sigebertus. ☙ Hugo verò ita: Nicephorus Imperator perrexit cum Stauracio filio suo præliaturus contra Chrunnum ducem Bulgarum, in quo prælio cum maxima cædium parte superatus est & occisus, & caput ejus in ligno suspensum ad derisionem plebis, Stauracius quoque filius ejus ibidem vulneratus est in dextera colli parte satis periculose, rediens autem ad urbem imperavit post obitum patris sui mensibus duobus & diebus sex. ☙ Ka-

rolus Imperator per quatuor annos vitæ suæ extremos crebris febribus correptus est, ad extremum etiam uno pede claudicavit, & tunc plura suo arbitratu quam Medicorum consilio faciebat, quos exosos habebat, qui ei assa interdicebant quibus assuetus erat, delectabatur vaporibus aquarum naturaliter calentium.

Anno DCCCXI Constantinopoli Stauracio Nicephori filio depositio Michael Curopalates sororis ejus, gener videlicet Nicephori, imperavit annis duobus: hic nuncios Karoli ad antecessorem suum missos honorificè dimisit, suosque cum eis ad Augustum destinans fœdus pacemque cum eo renovavit. Ab hoc Michaele exegit reverendus Patriarcha Nichephorus scriptum propriæ manus de recta fide, & ut mundas manus ab Orthodoxorum semper sanguine conservaret; proinde Mychael cum esset magnanimus donavit Patriarchæ post consecrationem suam auri libras L & clero XXV. Recreavit quoque magnis & multis donis senatum atque militiam quam læserat valde Nicephorus Imperator avaritia sua, coronavit denique Theophilaceum filium suum Imperatorem & obtulit sancto altari pretiosissimum ornamentum in vasis aureis & lapidibus pretiosis & in velis ex auro & purpura contextis ac mirabiliter sanctis imaginibus variatis, donavit etiam secundo * patriarchæ auri libras XXV & venerabili clero libras centum. ☞ Per idem quoque tempus apparuit cometes in figura duarum lunarum & eodem anno Mahumath & Abdelas filii Aaron intestinum bellum excitaverunt inter se in interiori Perside, sed superatus Muhamath cessit fratri invitus & obtinuit Baldach opulentissimam urbem; ante ista tempora nulla mentio in omnibus antiquis historiis de *Baldach* civitate invenitur. ☞ Sigebertus: Sic Muhamath Amiras fratri suo Abdelæ congreditur, à quo superatus eam sibi conregnare invitus patitur, & hoc bello regnum Sarracenorum per aliquot annos descinditur, contigit etiam hoc eodem tempore loca sancta, quæ erant Jherosolymis prophanari, opinatissimas scilicet ecclesias sancti Karithonis & sancti Sabbæ, unde multi venientes venerunt in Cyprum & in Constantinopolitana urbe, quos Mychael

pius

pius Imperator & Nicephorus ſanctiſſimus patriarcha benigna munificentia receperunt, & donis ſuis conſolati ſunt univerſos; nam hiis qui venerunt ad urbem donavit Imperator monaſterium inſigne, & hiis qui in Ægypto remanſerunt, talentum auri transmiſit, erat quippe Michael Imperator erga omnes Catholicos ſuavis & clemens Chriſtianus, circa verò diſpoſitionem Imperialium negotiorum erat iners & remiſſus. ☙ Hemingus Rex Danorum moritur, poſt quem duo inter ſe de regno contendentes bello colliduntur, in quo penè undecim milia Danorum perimuntur. ☙ Moguntiæ pons quingentorum paſſuum longitudinis trans Renum, quem Karolus Imperator per decem annos ingenti labore & mirabili opere de lignis conſtruxerat, ita ut perpetuo durare poſſe videretur, ita tribus horis conflagravit, ut ne una quidem aſſula ſuper aquam remaneret. ☙ Hugo: Pons quem fecit Karolus apud Mogunciacum in Reno quingentorum paſſuum longitudinis, nam tanta eſt ibi fluminis latitudo, uno anno vel duobus antequam decederet ita incendio conflagravit, quod refici non potuit propter feſtinatum illius deceſſum, quanquam in ea meditatione eſſet ut pro ligneo lapideum reſtitueret, inchoavit autem Karolus & palatia operis egregii haud longe à Moguntia civitate, juxta villam cui vocabulum eſt Inglinheim & alterum Novomagi vel Neomagi ſuper Wahalam fluvium, qui de Reno fertur in Moſam & Bathavorum inſulam in parte meridiana præterfluit. ☙ Epiſcopus Otto: Cæterum actus Karoli & bella quæ geſſit, de ponte quoque quem fecerat ultra Renum Moguntiæ, de palatiis etiam quæ Novimagi, Inglinheim aliisque regni locis opere regio conſtruxerat, qui ſcire vult, legat hiſtoriam ejus & geſta à multis deſcripta.

Anno DCCCXII Karolus Imperator Ludovico filio ſuo coronam imperialem imponit & Bernardum filium, Pipini Regis, Regem Italiæ facit. ☙ In Francia apud cænobium Elnonenſe ſanctus Amandus à Lothario cuſtode ſive lantharius elevatur à depoſitione ejus anno circiter CLII, cujus corpore adhuc invento integro cum ejus capilli & ungues qui excreviſſe videbantur ſuccideréntur, & de

ejus ore dentes adhibita forcipe extraherentur, sanguis idem profluxit qui ad memoriam posterorum adhuc servatur, corpus sancti Salvii Episcopi & martiris, de quo Karolus magnus ter fuit ammonitus, inventum est, facta est ejus elevatio XII Kal. Octobris apud Valencianas in Hainiaco, ubi multi variis infirmitatibus detenti pristinæ redditi sunt sanitati. Legati Mychaelis venientes Aquis dixerunt laudes Imperatori Karolo græca lingua Idus Martii. ☙ Post meridiem facta est eclipsis solis.

Anno DCCCXIII anno secundo Imperatoris Constantinopolitani Mychaelis tertio Nonas Martii sol deficit in ipso ortu suo circa duodecimam partem Tauri, & eodem anno exivit Imperator ab urbe præliaturus contra Chrunnum Bulgarum Ducem, sed cum procul ab Adrianopoli pariter decertarent, superatus est Imperator, & fugiens remeavit ad urbem, tunc prætores assumentes Leonem Bardæ Patricii filium coronaverunt Augustum & adduxerunt eum ad urbem, cui cum applauderet populi multitudo, Mychael voces eorum exaudiens accurrit in oratorium una cum Procopia uxore sua & filiis suis, & tonso capite, monachali circumdatus est vestimento, Chrunnus verò Adrianopolim comprehendit. ☙ His præterea diebus Arabes sibimet adversantes regni sui soliditatem amiserunt, & ex uno quatuor tyranni efficiuntur, quorum unus Ægyptum & Affricam simul sibi vendicavit, Hyspaniam verò duo & Palestinam quartus inter se divisere. ☙ Karolus Imperator per totas Gallias concilia super statu Ecclesiarum ab Episcopis celebrari edicit, unum fuit Moguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilonis, quintum Arelati; regni verò Karoli terminus fuit à Bulgaribus usque ad Hispanos, & à Danis usque ad Calabros exceptis adjacentibus quibusdam regionibus, Polonia, Bohemia, Dalmatia, Histria, Venetia & Britannia, & quicquid tenuit Karolus adhuc duo regna sunt Romanorum & Francorum, sola Pannonia excepta. Erat autem Karolus corpore amplo ac robusto, statura eminente, apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululò mediocritatem excedente, canitie pulchra,

Digitized by Google

pulchra, facie læta & hilari, eloquentia copiosus & exuberans, in cibo & in potu temperans, sed in potu temperantior. Mauri Centumcellas Tusciæ civitatem & Niceam Narbonensis provinciæ vastaverunt.

Anno DCCCXIIII Vulfarius Remensis Archiepiscopus apud Novionium Synodum celebrat, pro eo quod Wendilmarus Noviomensis & Rothardus Suessionensis Episcopi contendebant, de quibusdam terminis suorum Episcopatum, quæ loca ultra Ysaram sunt de Noviomensi diœcesi Varinnæ, Urscampus, Turpiacus, Jherusalem & cætera, qui Wlfarius ante Episcopatuum fuit judex per totam Campaniam. ☙ Karolus gloriosus Imperator regno & imperio suo ampliato & pacato, statu quoque ecclesiæ sanctæ ordinato, qui pro magnitudine operum agnominatus est magnus anno ætatis suæ LXXII, moritur V Kalend. Februarii & sepelitur in ecclesia beatæ Mariæ Aquis Indictione VII. ☙ Guido: Cum latè culturam Christianæ fidei propagâsset, multas fundâsset aut renovâsset, honorâsset beneficiis, donariis ornasset ecclesias, pretiosa in conspectu calice mortis invitatur ad vitæ coronam quam præparavit Deus diligentibus se, qui apud Aquisgrani palatium in ecclesia sanctæ Dei genitricis sol alter in terram occidens subit, sepulchrum quam pulchrum habere nulli de prioribus est concessum, ô quantus orbi Romano tanto sibi sublato principe dolor! qui non tantum suis decus fuerat & tutela subjectis, sed magnum præstabat consolationis remedium tributariis etiam sub dominatione Sarracenica Christianis, ô quanta præcipuè lamenta Francorum, quorum genus opibus, sed plus operibus, non moribus curiosis, sed curialibus, non auro, sed ferro gentibus cæteris anteferri, dulcemque Franciam moderamine reginiinis sui meruerat appellari, magna tamen est consolatio regno Francorum imperioque Romano, quod ejus ubique viget in flore suo memoria, mundique totius auditum terrore concutit & recreat blandimento gestarum ejus altisona tuba. ☙ Eram ego Turpinus apud Viennam & cum precibus insisterem in Ecclesia, Karoli mors fuit demonstrata, Vidi dæmonum agmina versus Lotharingiam tendere, & uni eorum

rum dixi: quo tenditis? Aquisgranum ad Karolum. Adiuro te dixi per nomen Domini, ut ad me revertaris, & vix expleto psalmo, Deus in adiutorium meum intende, eisdem reversis illi primo dixi, quid existis? Galecianus inquit sine capite tot ac tantos lapides & ligna innumera basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona ejus quam mala, post XV dies per nuncium didici usque ad diem mortis illum ægrotasse, & XVI Kalend. Julii XII milia uncias argenti totidemque talenta aurea, vestes etiam & cibaria annuatim in omni vita sua pro illis, qui mortui fuerant in Runcia valle pauperibus erogàsse, & eadem die & hora qua visionem ego videram, scilicet quinto Kalend. Februarii, illum ab hàc vita migrâsse, & apud Aquisgranum * *boris* [foris, hors] Leodii in beatæ Mariæ basilica honorifice fuisse sepultum. In prædicto exemplo detur intelligi quod qui ecclesiam ædificat, regnum Dei sibi præparat. ☙ Vitam Karoli Einardus descripsit, de eodem Einardo habetur in sequentibus in anno DCCCXXVI. Post Karolum Imperatorem Ludovicus pius imperat annis XXVI. ☙ Guido: Ludovicus Rex Aquitaniæ adhuc vernanti venustus ætate jam paternis instructus monitis, de imperii gubernatione debellatione rebellium, humilium exaltatione, promotione nobilium, dejectione superborum, de morum disciplinâ, pacis securitate, juris æquitate, dilectione divini cultus, ecclesiarum veneratione; monitis inquam instructus, precibus invitatus, exemplis incitatus; præcepto patris & assensu communi principum, Imperialem nanciscitur thronum, quem ad Imperii regnum superna providentia reservavit, quod non solum ex piis ejus actibus innotuit, sed etiam Alcvvino Secretario Karoli Imperatoris & sancti Martini Turonensis Archiclavo reverentissimo literisque tam secularibus eruditissimo, quam divinis adeo legitur & ab eo revelatum Karolo patri dum eo fundente preces in Ecclesia Turonensi notasset, instinctu cælico, cæteris ejus filiis oculos per ecclesiam jactare sublimes & incedere pectorosos, hunc videlicet Ludovicum humilem incessu, simplicem vultu, moderatum cultu, sacra venerantem & considerantem

tem

tem ſacras vel legendo ſcripturas, vel intuendo picturas. Ludovicus morte patris comperta ab Aquitania ad palatium aquis veniens conſenſu omnium, ſicut pater ordinaverat, rex creatur.

Anno DCCCXV. Anno regni ſui primo Ludovicus delatione quorundam comperit quosdam Primates regni adverſus Leonem Papam conſpirantes juſſu Pontificis interfectos fuiſſe, ad quod perſcrutandum vocatum ad ſe nepotem ſuum Bernardum Italiæ Regem Romam miſit, qui in urbe infirmatus rei eventum per Heroldum Comitem Auguſto mandavit, Leo quoque Papa miſſis ad Imperatorem nunciis de his quæ impoſita ſibi fuerant ſe purgavit. ☙ Inter Ludovicum & Leonem Conſtantinopolitanum Imperatores pax firmatur. ☙ Conſtantinopoli factus eſt terræ motus magnus per continuos quinque dies, quo multa urbis ædificia & aliarum civitatum corruerunt, & in Aquitania apud Sanctonas in menſe Septembri factus eſt terræ motus, Renus fluvius Alpinis nivibus auctus ultra ſolitum exundavit. ☙ Harioldus Rex Danorum patria pulſus & regno à filiis Godefredi, ad Imperatorem Ludovicum veniens implorat opem recuperandi. ☙ Chrumnus ſucceſſu lætatus Conſtantinopolos incurſat inſolentiùs, & usque ad portas urbis vagatur crebris incurſibus. ☙ Miraculum quod factum eſt in Hyſpania poſt mortem Karoli magni hic annotandum cenſemus; Quidam Altumajor Cordubæ terram Galecianam ſubjugando beati Jacobi urbem & baſilicam devaſtavit, ſed mox factus cæcus, fluxu inteſtinorum interibat, qui ad conſilium cujusdam captivi ſacerdotis Deum invocavit, dicens: O Deus Chriſtianorum, Deus Jacobi, Deus Mariæ, Deus Petri, Deus Martini, Deus omnium Chriſtianorum, ſi ventri meo & oculis ſanitatem dederis, quicquid ô Jacobe à domo tua abſtuli reſtituam; & omnibus dupliciter reſtitutis, ad ſanitatem revocatus eſt, qui pervenit ad villam, quæ dicitur Oniz; in qua ſita eſt beati Romani baſilica, ubi dum quidam Dux ejus in columnas eccleſiæ cuneum ferreum infigeret, idem Dux in lapidem verſus eſt, quod ut Altumajor vidit, ait ſuis, Jacobus lumen oculorum meorum abſtulit, Romanus de homine lapidem

pidem fecit, sed Jacobus clementior est quam iste Romanus, fugiamus ergo ab hiis *horis* [foris, hors] & confusi abscedunt.

Anno DCCCXVI Leo Papa moritur anno Episcopatus XXI quinto Kalend. Junii, post quem sedit Stephanus quartus mensibus septem, hic mox in Franciam venit, & Ludovicum coronavit in Imperatorem. ℘ Episcopus Otto : Cui Imperator Remis occurrens eum honorificè suscepit, Papa ergo celebratis ex more missarum solemniis diademate coronatum Romanorum Imperatorem pronunciavit Ludovicum. ℘ Guido : Ludovicus evocato in Franciam precibus Papa Romano Stephano quarto tam ut Imperialis ejus promotio benedictionis Apostolicæ sumeret incrementum, quam ut detrimentum ordinis ecclesiastici vitæque clericalis in multiformes excessus eo tempore vacillantis aufferret Sumoni Pontificis solertia pastoralis ; in planicie Campaniæ præjacenti urbi Remensium cum optimatum, tam Imperii quam regni, multa frequentia non minus festivus quam festinus occurrit, quem ibi appropinquantem attendit, equo descendit, humiliatur ad genua, sublevatur ad osculum & *Apostolicum equum apprehensâ regens habenâ*, non parvo pedes itinere præcedere gloriatur, eumque sic ad urbem ecclesiam & palatium usque, cum favorabili processione producit, ibi cum Imperiale dyadema die solemni, reverenda caterva Pontificum, & Optimatum nobili circumstante conventu, cum infusione benedictionis Apostolicæ suscepisset ; cum fuisset de fidei juris & pacis observantia diu diligenterque tractatum, regia largitate distribuit ecclesiis donaria, dona populo, militibus donativa. ℘ Wlfario Archiepiscopo Remensi Ebbo succedit annis XIX. Ludovicus Imperator exercitum mittit contra Danos, & per eum obsides accipit. ℘ Stephanus Papa postquam redierat, tertio mense moritur VIII Kalend. Februarii.

Anno DCCCXVII Paschalis Papa primus hujus nominis sedit annis septem, diebus XVII. ℘ Luna defecit Nonas Septembris hora noctis secunda. ℘ Cometes in signo Sagittarii apparuit. ℘ Guascones ab Imperatore Ludovico desciscunt, sed ab ejus exercitu edomiti

Digitized by Google

miti cito resipiscunt. ☙ Scloamir Rex Abrodritarum ab Imperatore Ludovico deficit, & ad Danos transit. ☙ Guido : Inter hæc studio dilectionis, quâ fervebat gratia Dei, honorem & decorem domus Dei Imperator Ludovicus humilitatem ecclesiastici status exaltat, & rigorem clericalis disciplinæ temperat admixtione gloriæ secularis, ut mediante gratia, quam amicitia familiaritatis apud Principes ordo meretur Ecclesiasticus, regnum & sacerdotium jungerentur fibula pacis & commoditatis alternæ solatio fruerentur; tantum etiam delectabatur amplificare servitium Dei, quod & Pipinum, qui filiorum tertius erat, illius adhuc ævo tenerum quia cæteris præstare cerneret elegantior formæ decerneret & in clericali gradu divino cultui mancipandum, idque compleſſet nisi Lotharius qui major ipsius existebat in natis & plerumque piis ejus actibus obsistebat abstractum vi, patris è manibus & oculis absentasset, propter hæc & hiis similia ob devotionem erga Deum & Ecclesiam ejus, miserationem super afflictionem miserorum, Eleemosinarum in pauperes largitatem, tantam apud Deum & homines invenit gratiam, quod agnomen à pietate est sortitus, & in cathalogo Regum Franciæ vel Imperatorum mereretur inscribi pius, ob pietatis opera, Ludovicus; dehinc adipiscendis operam virtutibus & plus animum studet ornare quam corpus, tametsi in ejus ornatu non ut placeret, sed ne displiceret tantam diligentiam adhiberet, quod ut magnorum plerisque solet evenire ridendi nunquam contingeret eis dentes ostendere quamvis decentissimos, indecenter. ☙ Distinctione LXIII legitur, quod Imperator Ludovicus dedit Paschali Papæ privilegium, in quo videtur renunciasse privilegio quod Adrianus Papa dederat Karolo patri suo.

Anno DCCCXVIII Ludovicus Imperator Britones sibi subigit, Murmanus Dux eorum qui nomen Regis sibi usurpaverat ab eis perimitur. Harioldus in regno Danorum à Ludovico mittitur. ☙ Guido : Ludovicus justitiæ cultor effectus æquitatem iniquitati præponit, juri supponit injuriam, imperium pace componit, humiliat armis colla rebellium, & Affricanos multis gravibus præliis ab Hyspa-

niæ deturbat invaſione paganos. ☙ Hugo : Ludovicus pius fuit vir clementiſſimæ naturæ, unde cum juxta ſuorum lenitatem morum, rem publicam diſponeret, tulit finem multis adverſitatibus plenum, tam à liberis quam à regni proceribus crudeliter impugnatus. ☙ Elinandus : Conjuratio facta eſt contra Imperatorem à Bernardo nepote ſuo, cujus principes fuerunt Ægidius inter amicos Regis primus, & Eginardus Camerarius ejus, & Reginarius Meginarii Comitis filius, & Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus & Wolfoldus Cremonenſis & Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopi. ☙ Epiſcopus Otto : Imperator generalem curiam Aquis celebrans primogenitum Lotharium Imperii ſocium legit, nam alios duos Pipinum & Ludovicum Reges vocatos, unum Aquitaniæ, alium Bajoariæ præfecit. Non multo poſt Bernardum Regem Italiæ cum regni ſui civitatibus adverſum ſe conjuraſſe comperit. ☙ Eclipſis ſolis fuit VIII Idus Julii. ☙ Et Ermengardis Andegavis obiit V Nonas Octobris.

Anno DCCCXIX Dum Imperator contra Bernardum procinctum movet, fractus animo Bernardus apud Cabilonem Imperatori ſe tradidit. Porrò Imperator ad palatium Aquis veniens ibique ſanctum paſcha celebrans, habita de his, qui conjurationis rei fuerant, quæſtione, judicio curiæ capitali ſententia damnatos una cum Rege ſuo luminibus tantum orbari fecit. ☙ Elinandus : Epiſcopi in conjuratione deprehenſi ſinodali decreto depoſiti ſunt, & monaſteriis mancipati, alii nobiles cum Bernardo Rege juſſi ſunt oculis privari. ☙ Sigebertus : Aquisgrani generali conventu habito per diſpoſitionem Imperatoris Ludovici Epiſcoporumque & Abbatum aliqua capitula adverſus regularium Monachorum * addita ſunt, multaque ſanctarum Scripturarum compilatione facta clericorum & clericalium & ſanctimonialium regulæ conſtitutæ ſunt. ☙ Elinandus : Idem Ludovicus cum eſſet annorum XXXIIII, Clericum Aquitaneum, qui antea ſub tyrannis degens equitationi & bellicæ exercitationi & miſſilium librationi magis quam divino cultui operam dabat, adductis hinc inde magiſtris legere & pſallere inſtituit, in hoc autem concilio fecit componi

componi *librum, perfectionem vitæ canonicæ continentem*, in quo etiam inseri jussit cibi & potus & omnium necessariorum summam, quem librum per omnes civitates & monasteria regni sui fecit describi, tunc ceperunt deponi ab Episcopis & Clericis cinguli balthei aureis & gemmeis cultris onerati, ornatæ exquisitæque vestes & calcaria talos onerantia; nam simile monstro dicebat virum ecclesiasticum aspirare ad secularis gloriæ ornamentum. ☞ Hugo: Fuit semper Ludovicus præceptorum domini ferventissimus executor & legis sanctæ strenuissimus propagator. Congregatis namque Episcopis & nobilissimis viris fecit componi & ordinari librum canonicæ vitæ normam continentem, ipsius denique tempore coeperunt deponi ab Episcopis & Clericis balthei gemmeis cultris ornati, & cingula auro compicta & exquisitæ vestes & alia secularia pariter ornamenta. Adjecit præterea quædam secularibus legibus perneccessaria capitula; monachos præcipuè dilexit, qui etiam monachus fieret nisi pater prohibuisset, hic dicitur quod etiam pellicias nigris monachis auctoritate Papæ concessit, item *de novem lectionibus in tribus noctibus tenebrarum* quas receperunt & adhuc observant nigri monachi. ☞ Sclomir Rex Abodritarum & Lupus Dux Guasconum damnati capite, ab Imperatore Ludovico exiliantur. ☞ Deficiente historiarum relatione cessat etiam relatio de regno Bulgarum & Sarracenorum. ☞ Albricus erat Episcopus Lingonensis.

Anno DCCCXX. Paschalis Papa corpus beatæ Ceciliæ Virginis ipsa revelante invenit aureis velatum indumentis sanguine ipsius adhuc infulis & ipsam & corpora Sanctorum Valeriani sponsi sui & Tyburtii, Maximini, Urbani quoque Papæ in Ecclesiam à se eis ædificatam transposuit. ☞ Ludovicus Imperator partitionem regni inter filios suos factam confirmat sacramentis optimatum suorum. ☞ Leo Imperator Græcorum perimitur in palatio suo conspiratione optimatum suorum præcipue Mychaelis domesticorum Comitis, & ipse Michaël imperavit annis IX. ☞ Secundum quædam cronica facta est pestilentia hominum & boum per totam Franciam propter ju-

ges pluvias & aerem nimio humore ſolutum frumenta & legumina corrupta ſunt, quæ aut colligi non poterant aut collecta putreſcebant, vinum defecit propter caloris inopiam & illud quod remanſit acerbum & inſuave fuit, autumnalis ſatio adeò impedita eſt, ut nichil penitus frugum ante vernam temperiem ſeminaretur. ❧ Luna defecit VIII Kalend. Septembris hora noctis ſecunda, anno quoque præſenti ſcribunt quidam Bernardum reconſiliatum fuiſſe avunculo ſuo Imperatori, ſed non multo poſt mortuus eſt. ❧ Hugo de ſupra dicto Epiſcopo *Theodulpho Aurelianenſi:* floruit his temporibus Theodulphus Floriacenſis Abbas & Aurelianenſium Epiſcopus, qui cum inſimulatus multis criminibus apud Ludovicum Imperatorem falſo fuiſſet, Andegavis eſt exilio relegatus, quo dum in cuſtodia teneretur, contigit, ut ibidem die Palmarum veniret jam dictus piiſſimus Imperator, & cum ſecus domum, qua cuſtodiebatur idem Theodulphus Epiſcopus, proceſſio pertranſiret, facto ſilentio præſente Imperatore illos pulcherrimos verſus, qui nunc usque per Galliam in eadem pſalluntur ſolemnitate, à ſe editos per feneſtram decantavit, quorum hoc eſt exordium: *Gloria, laus & honor tibi ſit Rex Chriſte Redemtor, cui puerile decus promſit Oſanna Pium*, quibus Imperator emollitus mox eum à vinculis abſolvi præcepit & priori gratia redonavit, Sed dum ad ſua revertitur, veneno ſicut fertur extinguitur; ❧ De morte verò ſupra dicti Regis Bernardi Guido ita dicit: Cum nepotem ſuum Bernardum Ludovicus privaſſet honore regni paterni primo recompenſatione principatus alterius mitigatum, poſt de ſecundæ conjugis Judith Imperatricis amoribus accuſatum jubet orbari luminibus, quibus amiſſis ille ſtatim extinguitur, in luce quam videre non poterat vivere dedignatus, iſtam cauſam ponens Guido nullam omnino mentionem fecit de cauſa conſpirationis quæ verior fuit, & de qua idem Bernardus publice convictus fuit. ❧ Autumnalis ſatio in quibusdam locis jugitate pluviarum impedita eſt, cui ſucceſſit hyems tam prolixa & aſpera, ut etiam famoſiſſimi amnes, ut Renus & Danubius, & Albis & Sequana, & cætera per Galliam & Germa-

Germaniam flumina adeo solida glacie stringerentur, ut XXX vel eo amplius diebus plaustra velut pontibus juncta sustinerent, cujus resolutio tilis juxta Renum constitutis magnum damnum intulit.

Anno DCCCXXI Concilio habito Atteniaci Imperator publicè confessus est se peccasse contra eos omnes quos invitos fecit attondere; in Thoringia cespes longitudine pedum quingentorum, latitudine XIII altitudine sexquipedali sine manibus de terra præcisus & sublatus est, & ultra pedes XXV translatus est. In Saxonia tellus in modum aggeris limite unius leugæ intumuit. ☙ Elinandus: In parte Orientali Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco juxta lacum qui dicitur Aruſco in modum aggeris terra intumuit, & limitem unius leugæ porrectum sub unius noctis spatio absque humani operis molimine ad instar calli surrexit. ☙ Aurelianensi Episcopo supra dicto Theodulpho succeſſit in Episcopatu *Jonas* vir nobilis, qui contra Claudium Episcopum Taurinensem hæresiarchem librum edidit de adoranda cruce, dogmatizabat enim memoratus hæreticus, crucis dominicæ signum non oportere adorari, quod nisi adhibeatur frontibus nostris sive aquis regeneratis, aut crismate quo linimur, aut sacrificio quo vegetamur nichil rite perficitur, sed ei memoratus Jonas Episcopus satis lucide catholiceque illo suo respondit libello, iste Jonas vitam Sancti Huberti edidit ad Walcandum Leodiensem Episcopum, alter verò Jonas fuit antiquior isto qui vitam sancti Columbani & discipulorum ejus edidisse invenitur, & ex monacho Flaviniacensi factus fuit Episcopus Augustidinensis. ☙ Drogo frater Ludovici Imperatoris fit post Gundulfum Metensium Episcopus per annos XXXII.

Anno DCCCXXII Ludovicus Imperator filium suum Lotharium in Italiam destinavit, ipse verò dum in opido Franckeneford curiam celebraret, inter cæteros barbarorum legatos duo fratres pro regno Wilzorum contendentes veniunt, quos Augustus sibi subjectos & fidelitate astrictos, decisa lite ad propria remisit; verum Lotharius ordinatis rebus in Italia dum ad patrem redire parat, à Paschali Papa

ad

Digitized by Google

ad urbem invitatur, ubi honorificè ſuſceptus ac in die ſancto Paſchæ ab ipſo coronatus Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. ☙ Sigibertus : Ita Lotharius Imperatoris filius à patre in Italiam dirigitur, qui à Paſchali Papa conſecratus coronam regni & Imperatoris atque Auguſti nomen accepit. Romæ quidam nobilium perimuntur pro eo quod proniores juſto eſſe viderentur ad fidelitatem Lotharii Imperatoris, quod crimen cum etiam in ipſum Papam retorqueretur Paſchalem, Papa ſe apud Imperatores excuſat, & de hoc crimine coram populo & legatis Imperatoris Romæ cum magno Epiſcoporum numero ſe jure jurando expurgat, & hâc de causâ Theodorus Romanæ eccleſiæ primicerius & quidam Leo gener ejus in patriarchio Lateranenſi *primo excæcati ſunt, deinde decollati*, tunc miſſi ſunt Romam. Adalungus Abbas ſancti Vedaſti & Humfridus Comes Curienſis. Ebo Remenſis Archiepiſcopus conſilio Imperatoris & auctoritate Romani Pontificis prædicandi gratia ad Danos profectus eſt, & multos ex eis baptizavit; elevatio ſancti Uſmari confeſſoris Lobienſis celebratur. Tempore Hecci Trevirenſis, Ebonis Remenſis, Haiſtolphi Maguntinenſis Epiſcoporum *concilium* fuit *apud Theodonis villam*. Apud Tulium poſt Wavincum fuit Epiſcopus quidam ſanctus Arnulfus, & apud Cathalaunum poſt Willeboldum præfuit Widegrinus. Terræ motus factus eſt in palatio Aquis In Saxonia *in pago qui vocatur Frizai* XXIII villæ igne cæleſti concrematæ ſunt, homines & animalia ictu fulminum exanimati, fruges grandine vaſtatæ, cum ipſa grandine veri lapides immenſi ponderis ceciderunt, & poſthæc prodigia grandis hominum mortalitas ſecuta eſt, propter quod Imperator jejunia præcepit fieri, in quo anno natus eſt ei Karolus ex Regina Judith. Fulgura de cælo ſereno interdiu ceciderunt. ☙ In territorio Cremonenſi civitatis Italicæ in vico Grabadona in eccleſia ſancti Johannis Baptiſtæ imago Dei Genitricis puerum Jeſum gremio continens ac magorum munera offerentium in abſide ejusdem eccleſiæ depicta & ob nimiam vetuſtatem obſcurata, & pene abolita tantâ claritate per duorum dierum ſpatium effulſit, ut omnem ſplendorem novæ picturæ vetu-

vetuſtatis pulchritudine vincere videretur. ☙ In territorio Tullenſi villa Commerciaco puella duodennis poſt ſacram communionem in paſcha à Sacerdote ſuſceptam primum per X menſes pane, deinde omni cibo & potu per triennium abſtinuit, & poſtea ad communem vitam hominum rediit.

Anno DCCCXXIII Hyems ſecundum Elinandum aſperrima facta eſt & prolixa, quæ non ſolum cætera animalia, ſed etiam quosdam homines immanitate frigoris extinxit, in Gallia territorio Eduenſi paucis diebus ante ſolſtitium æſtivale aëre in tempeſtatem repentè converſo ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cujus longitudo pedes XV, latitudo ſex, groſſitudo duos pedes habebat. ☙ Legati Mychaelis Imperatoris inter cætera munera detulerunt Ludovico Imperatori *libros Dyoniſii Ariopagitæ* ab eo deſcriptos, de Ierarchia id eſt de ſacro Principatu, petente ipſo Ludovico de Græco in Latinum translatos, qui libri Pariſius in ipſo ſancti martiris feſto miſſi cum gaudio ſuſcepti ſunt, quod gaudium ſancti martiris virtus auxit XIX ægrotis in ipſa nocte ibi ſanatis.

Anno DCCCXXIIII, Walcandus Leodienſis Epiſcopus corpus Sancti Huberti à Leodio ad Andagium monaſterium transfert, poſt annos circiter LXXV ex quo in eccleſia ſancti Huberti fuit transpoſitum. ☙ Paſchalis Papa obiit, poſt quem ſedit Eugenius primus annis tribus, menſibus duobus, qui erat Archipresbyter tituli Sanctæ Sabinæ, corpora Sanctorum Severi Ravennatum Epiſcopi, & uxoris ejus Vincentiæ & filiæ Innocentiæ ab Othtgario Moguntiam translata ſunt & in *Bopardia* poſita. ☙ Rabanus Sophiſta & ſui temporis Poëtarum nulli ſecundus fit Abbas Fuldenſis, qui multa de Sanctis Scripturis diſſeruit. Luna deficit pridie Nonas Martii hora noctis ſecunda.

Anno DCCCXXV Harioldus Rex Danorum cum uxore & filiis & ſua parte Danorum Moguntiæ baptizatur, & ab Imperatore muneribus & parte Friſiæ in beneficium ſibi data honoratur. Hic dicitur quod Imperator Karolus civitatem *Bremam* ſuper mare in Friſiam

siam & Daciam fundavit, & Ludovicus filius suus ultra Albiam oppidum de *Hamborch*, quod adhuc cernitur inter Bremam & Daciam : portus autem Stada situs est ad ostium Albiæ inter Bremam & Hamborch. ☙ Hujus primus Episcopus Sanctus Anscharius qui multos convertit, licet postea ex magna parte reselierint, ante fuit Archiepiscopatus in Hamborch quam in Brema. Ad Eugenium Papam misit Hilduinus Abbas Sancti Dionysii sanctique Medardi, postulans ab eo sibi transmitti ossa Venerabilis Martiris *Sebastiani*, quod & impetravit. ☙ Sigibertus: Hilduinus Abbas Sancti Dyonisii sacrique palatii Archicapellanus Romam mittens à Papa Eugenio Sancti Sebastiani martiris corpus accepit, & Suessionis in basilica Sancti Medardi honorabiliter ut decebat juxta corpus Sancti Medardi collocavit, ubi dum adhuc inhumatum in loculo in quo allatum fuerat jaceret, tanta signorum & virtutum gratia in nomine ejusdem martiris enituit, ut à nullo mortalium vel enumerari vel enarrari possint, quorum quædam tanti stuporis esse dicuntur, ut humanam fidem excedant, nisi certum esset Deum, pro quo idem martir passus est, omnia facere posse.

Anno DCCCXXVI Eodem etiam tempore, ut scribit Hugo, Sanctorum martirum Ypoliti atque Tiburtii corpora, à Roma delata & in Sancti Dyonisii ecclesia non longe ab urbe Parisiaca sunt tumulata, corpora etiam Marcellini & Petri martirum à Roma sublata & in Francia translata multis signis clarificata sunt, quæ per *Einardum quondam Karoli magni Clericum* sui temporis doctissimum in diocesi Moguntina locati sunt, ubi Abbaciam *in suo territorio* propriis sumtibus condidit, & ibi etiam sepultus est, & filia Karoli magni *Emma* nomine. ☙ Corpus etiam Sancti Gregorii Papæ ad urbem Suessionis translatum esse dicitur.

Anno DCCCXXVII Visæ sunt in cælo acies & horribiles choruscationes nocturnæ in aere discurrentes. ☙ Obiit Abbas Fulradus Lobiensis, succedit *Ansigisus* qui & Anso, hic edicta Imperatoris Karoli Magni & Ludovici filii ejus ad ecclesiasticam legem pertinentia in duobus libellis digesit, Idem edicta eorundem ad mundanam

Digitized by Google

niam legem pertinentia in duobus æque libellis dīgesſit. ☙ Rabanus Abbas tractatus in libro ſapientiæ & in eccleſiaſtico ad Adgarum Archiepiſcopum edidit. Eugenius Papa obiit à Papa Petro centeſimus, ſuccedit Valentinus dyaconus qui poſt XL dies obiit, poſt quem Gregorius quartus Presbyter tituli Sancti Marci ſedit annis XV, qui etiam Leo quartus dictus eſt.

Anno DCCCXXVIII Italicus Imperatoris Ludovici exercitus claſſe in Affricam tranſiit, conſerto prælio magnam Affrorum ſtragem fecit. In Guaſconia annona de cælo pluit frumento ſimilis, ſed grana breviora & rotundiora habens. ☙ Corpora Sanctorum Valentini & Geneſii in Augiam Monaſterium translata ſunt, Augia, quam fecit Sanctus Priminius eſt in lacu Lemanno juxta civitatem Conſtantiam. ☙ Luna defecit Kalend. Julii primo diluculo, Similiter VIII Kalend. Januarii mediâ nocte obſcurata eſt.

Anno DCCCXXIX Facta eſt conjuratio contra Imperatorem à filiis. ☙ Unde Sigebertus. Contra Ludovicum Imperatorem commotio & ſimultas filiorum ejus & optimatum exoritur. In Anglia regnat Ethewlfus Egbirchi filius per annos XXIX. ☙ Apud Virdunum Hildinus fuit Epiſcopus per annos XXIIII, Secundum quosdam finitur novies *magna tabula Dyoniſii*, quæ eſt annorum DXXXII hoc anno ab initio mundi.

Anno DCCCXXX Apud Conſtantinopolim Theophilus imperat XV annis, Gregorius Papa dolens crebris Sarracenorum incurſionibus vexari & vaſtari *ſuburbium Romanæ Urbis*, circa eccleſiam Apoſtolorum principis Petri intendit illuc novam urbem ædificare, ad quod conſilio & auxilio Imperator animatus novam fabricam cepit.

Anno DCCCXXXI Sarraceni Siciliam incurſitantes etiam Lipparim inſulam vaſtant, ubi corpus beati Bartholomæi quieſcebat, quod olim in loculo plumbeo injectum & in mare immerſum à paganis non ferentibus illud propter nimiam ſignorum claritatem ab omnibus venerari, ab India vel ab Albana civitate Armeniæ majoris usque ad hanc inſulam ultro delatum fuerat, cujus oſſa à Saracenis

modo huc illucque diſperſa & à quodam monacho ipſo revelante collecta Beneventum transferuntur. Ludovicus Imperator adverſantes ſibi alios exauctoravit, alios bonis privavit, alios exiliavit, ac per hoc filios & Optimates ſuos contra ſe magis exacerbavit.

Anno DCCCXXXII Gregorius in Galliam veniens contra Imperatorem cum filiis agebat, Imperator uxorem ſuam Judith quaſi cauſam malorum abdicavit. ☙ Apud Leodium poſt Walcandum Epiſcopum præfuit Pirardus. Coloniæ præfuit ſupra dictus Hildeboldus qui & Acheboldus.

Anno DCCCXXXIII Ludovicus Imperator à ſuis deſertus ac proditus & in poteſtatem filiorum redactus, Epiſcoporum judicio arma depoſuit & ad agendam pœnitentiam incluſus eſt. ☙ Hugo: Annuente Papa Gregorio quarto Lotharius patrem ſuum Ludovicum Imperatorem comprehendit, & apud ſancti Medardi monaſterium cuſtodiri mandavit, uxorem quoque ipſius Judith exilio relegavit, & Karolum, quem ex ea Ludovicus ſuſceperat, caſtro Pruvino commendavit. ☙ Guido : Conſilio nequam inſpirante conſpirant in Ludovicum tres ejus filij, Lotharius ſcilicet, & cum Ludovico Pipinus ex Ermengarde progeniti nobiliſſima conjuge ſua, filia Nemerici ſorore Sancti Guilelmi, qui Dux Narbonenſis provinciæ decus erat, & tutela Chriſtiani nominis, & terror fulmineus inimicis, ſerpente quoque veneno ſerpentis in eos antiquo prorumpunt in tantum facinus, quod circumventum fraude ſuum capiunt genitorem, & cum parvulo filio, qui poſtea Karolus Calvus dictus eſt, & ex Judith alia conjuge genitus, Sueſſionico ſancti Medardi retrudunt monaſterio, Judith verò prædictam concludunt ambitus habitatione clauſtralis, & ſub jugo gravis cuſtodiæ ſpoliatos ſuis inſignibus monachis indumentis includunt, Ibi tunc perfidus Ebo, quem de generis humili conditione ſuſtulerat ad Remenſis eccleſiæ * Imperator, ſervilem non potuit non redolere naturam, ſed primus inter alios fidem Imperatori mentitus eidem impudentia temeritatis, o nimis auſa! non timuit baltheum rapere militarem & gladio viduare latus ablato. ☙ Sol & Luna per eclipſin deficiunt.

Anno

Anno DCCCXXXIIII. ☙ Non multo post, ut dicit Hugo, Franciæ Principes Ludovicum Imperatorem à custodia liberaverunt. ☙ Guido: Cum aliquanto tempore tantæ procella malignitatis in regno serenum pacis imperioq; turbasset, nubulam confusionis istius justitiæ sol luce magnæ miserationis infusa detersit, & filiorum Imperatoris animos saniore consilio mitigatos præcipue per Gerardum nobilissimum *Burgundiæ Ducem* ac potentissimum paternos revocans ad amplexos Priorem restituit illos ad gratiam, illum ad gloriam & honorem. ☙ Unde Sigebertus: Ludovicus Imperator relaxatus arma imperium & uxorem recipit, ac Filium Lotharium in Italiam redire cogit.

Anno DCCCXXXV Monente Gregorio Papa & omnibus Episcopis assentientibus Ludovicus Imperator statuit, ut in Gallia & in Germania *festivitas omnium Sanctorum* 1. Kalend. Novembris celebraretur, quam Romani ex institutione Bonefacii Papæ celebrabant. Primum sermonem scilicet legimus in Ecclesiasticis historiis, videlicet præcedentes lectiones, quæ sunt usque hodie dilectissimi, fecit Rabanus, qui, ut habetur in sequentibus, factus est Moguntinus Archiepiscopus; Secundum verò sermonem scilicet: hodie dilectissimi, videlicet extremas lectiones fecit dominus Albinus Doctor, qui & *Alcuinus* ejusdem Rabani magister; quamvis enim hii duo sermones absque differentia in passionario Clarevallensi inscribantur sub nomine *Rabani*, tamen non videtur esse unus stilus amborum, & in quodam antiquo libro de Bullencuria scriptum invenitur super hodiè dilectissimi, sermo domini Albini Doctoris, hoc tempore reliquiæ Viti Martiris à Parisius ad Corbejam Saxoniæ transferuntur. Unde ipsi Franci testati sunt, quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata sit, ☙ Ebo Remensis Archiepiscopus deponitur aliique multi, qui cum eo in dejectione Ludovici Imperatoris conspiraverant, dampnantur & exiliantur. ☙ Hugo Frater Imperatoris factus est Abbas sancti Quintini.

Anno DCCCXXXVI Ludovici XXII Abbatis Hugonis fratris

tris ejusdem anno secundo elevatum est corpus Sancti Quintini VIII Kalend. Novembris & optimo loco repositum in præsentia Eychardi Noviomensis & Symonis Laudunensis Episcoporum, Siquidem Abbas Fulradus, qui fuit ante dictum Hugonem, ecclesiam illam in melius renovando dilataverat. Gregorius Papa confirmatam novæ Urbis fabricam solemniter dedicavit eamque urbem Leoninam appellavit, vel à Leone tertio hujus nominis Papa qui hujus operis fundamenta olim jecerat, vel à se ipso, quia & ipse Leo quartus dictus est.

Anno DCCCXXXVII Prima Northmannorum incursio. De qua Sigebertus: Northmanni Gallias graviter infestant, *Doreſtandum* vastant, *Andoverpiam* oppidum & Withland emporium suum juxta ostium Mosæ incendunt & à Fresonibus tributum accipiunt. Hic notandum quod primo concurrerunt per Gallias cum Duce suo Crosco, à quibus martirizati sunt Desiderius Lingonensis, Antidius Bisuntinensis, Privatus Mimatensis Episcopi, & plures alii sancti. Alani & Wisigothi Wandalos secuti, sed Alani erant pro Wandalis, Wisigothi verò erant eorum inimici. Post istos fuit generalis impetus Hunorum sub Attila Rege, eorum tempore beatorum Episcoporum Germani Antisiodorensis, Lupi Trecensis, Nychasii Remensis, Alpini Cathalaunensis & Aniani Arelianensis & quorundam. Tertia autem generalis discursio fuit ista Normannorum & Danorum, quæ ab anno præsenti duravit per annos ad minus LX modo vehementior, modo tolerabilior, secundum quod habetur in sequentibus. Quartus generalis fuit impetus Ungarorum Normannis post illos LX annos succedentium, qui duravit per annos ad minus L, de quibus in sequentibus suo loco multa invenies. Translatio Sancti Philiberti Abbatis ab Herio Insula Pictaviæ apud castrum de Tornu Burgundiæ timore Normannorum. Hecci Archiepiscopus Treverensis corpus sancti Castoris in Confluentia posuit. Gregorius Papa, ut Sigebertus dicit, plures Italiæ urbes aut vetustate aut hostilitate dirutas novis fabricis aut muris restaurat. Sarracenis ad deprædandum usque ad portum Romanum venientibus Romani instantia Gregorii Papæ auxili-

Digitized by Google

xiliantibus sibi etiam Neapolitanis eos bello excipiunt, & cooperante sibi divinitus gravi turbine ventorum usque ad internecionem pene victos delent. ☙ Hic inserenda est etiam historia de Aymero captivo, Nemerici de Narbona penultimo filio, qualiter auxilium Romanis & Papæ præstitit contra Sarracenos & captus & vulneratus ibi fuit, & in Venetiam ductus & multa alia quæ sequuntur. ☙ De nomine Papæ, qui *à cantoribus* dicitur Milo, non est curandum, quia ita solent nomina mutare vel per ignorantiam vel curiose.

Anno DCCCXXXVIII Cometes in signo libræ apparet. Normanni Wallachiam vastant Insulam & tributum exigunt. Clementissimus Imperator Ludovicus inter filios suos quatuor divisit Imperium, & Lothario quidem Italiam, Ludovico autem Germaniam atque Saxoniam, Pipino Aquitaniam, Karolo verò Franciam atque Burgundiam delegavit, sed Lotharius hanc Imperii divisionem non æquanimiter tulit, sed totum Imperium sibi subjacere tentavit. ☙ Elinandus ex dictis Guilelmi. Lotharius etiam vivente patre nomen Imperatoris usurpans regnavit in partem Austriæ, quæ nunc Lotharingia quasi Lotharii regnum dicitur, & in tota Italia cum Roma, Vir omnium ante se immanissimus, qui proprium patrem crebro captivatum in ergastulo vinxit, quia mortua Ermengarde, de qua priores liberos tulerat, Carolum ex Judith uxore natum crebrius exosculabatur. ☙ Ludovicus alter filius Ludovici præter Noricam, quam habuit, tenuit Allemanniam, Thoringiam, Orientalem Franciam & Avarorum regnum id est Hunorum. ☙ Pipinus tertius filius Ludovici regnavit in Aquitania & Gasconia, ☙ Karolus verò medietatem Franciæ ab occidente & totam Neustriam, maximam partem Burgundiæ & Gothiam tenuit, & totum postea regnum Pipini, secundum quod dicetur in sequentibus, Et quia per unum auctorem alias intelligitur, sequuntur verba Guidonis: ☙ Recuperato Ludovicus Imperio quo contentionem à filiis prorsus eliminet, regnorum sibi subditorum partitionem facit in eosdem & regendam, se facto de medio, solemni constitutione designat eorum cuique portionem. Et iste

iſte fuit tenor paternæ diſpoſitionis: quia eorum major Lotharius Imperiale decus, Italiamque ſortitur, & cum ea Provinciæ atque Burgundiæ partem & regnum inferioris Germaniæ, *quod Auſtria tunc dicebatur*, quæ terrarum partes ab Alpibus ſecus flumina Rodanum, Ararim qui & Sagonam, Moſam & Scaldum Reni præcingentibus undis ad ſeptentrionalem Oceanum extenduntur. ☞ Secundus ab eo trans Renum obtinet regnum in ſuperiora Germaniæ Ludovicus & inferioris Scythiæ partes ab Oceano ſeptentrionali per transverſum ad usque Danubium & ultra Danubium pertingentes. Tertius ſit Aquitaniæ Rex Pipinus, quod regnum à curſu Rodani fluminis ad nubiferum Pyrenæum à littore Narbonici maris ad ripas Ligeris eſt extenſum. ☞ Quartus eorum de Patre non de matre Karolus *Franciæ* ſolio ſublimatur, quæ terris aliis multimoda commoditate præcellens inter flumina Ligerim, Ararim, Moſam & Scaldum & illum includitur Occeani ſinum, qui majorem dividit à minori Britannia, inter noctem mediam & occaſum, Verum Karolus cum eſſet inter fratres ſuos junior & non uterinus, ditionis paternæ portionem obtinuerat potiorem multimodis naturæ commodis, videlicet ſalubris aëris amæni ſitus & uberis glebæ, morum ornatus & exercitii præſtantioris armarum, cultioris habitus & eloquentiæ dulcioris.

Anno DCCCXXXIX Ludovicus Imperator filio ſuo ſub fide ad ſe venienti Lothario reconciliatur, eique dignitatem imperii & regni coronam tribuit. *Cometes* in ſigno arietis apparet & per aliquot dies plurimi ad inſtar ſtellarum igniculi per cælum diſcurrere videntur, Item Cometes ſydus apparuit in ſigno virginis in ea parte ejusdem ſigni, qua penultima ejus ſubtus caudam ſerpentis ſimiliter corvumque perſtringunt, quod cum non more ſeptem ſiderum errantium orientem verſus pergeret, quod dictum mirum eſt, deinde ſydus Leonis & Cancri & geminorum tranſiens ſigna in capite tauri, tandem ſub aurigæ pedes igneum globum jubarum prolixitate, quas usquequaque porrexerat, terminavit.

Anno DCCCXL Ludovicus Imperator ad mortem infirmatur,

tur, cujus cibus per XL dies ſolummodo die Dominica Dominicum corpus fuit. Cum vidiſſet dæmonem aſtare dixit, *huez*, *huez*, quod ſignificat foras, foras. ☙ Obiit XVII Kalend. Julii anno ætatis ſuæ XL, regni Aquitaniæ XXXVII, Imperii verò XXVI, cujus corpus à fratre ſuo Drogone Epiſcopo Metis delatum & in eccleſia ſancti Arnulphi Epiſcopi & confeſſoris eſt tumulatum. ☙ Guido : Imperator cum opera multa pietatis, & meritoria perpetuæ quietis egiſſet, & ad reſtringendum refumigantis inter ſe & filios ſuos ignem diſcordiæ præpararet, ſupervenit hora dormitionis ejus in domino, cui precibus & meritis animam ſuam commendat & corpus eccleſiæ ſancti Epiſcopi Arnulphi proavi ſui ſpectatæ quondam nobilitatis & conſummatæ juſtitiæ viri. Gregorium Presbyterum, qui ſe promittebat *more Græcorum facturum organum*, ſummo ſuſceperat gaudio. Lotharius ſolus imperium uſurpans annis XV imperat.

Anno DCCCXLI Karolus & Ludovicus filii Imperatoris dolentes ſe à fratre ſuo Lothario debita regni parte privari, contra eum inſurgere parant. Normanni prima vice vaſtaverunt Rothomagum, ſicut ſcriptum eſt in vita ſancti Audoeni. ☙ Elinandus : Lotharius ante obitum patris ſui XVIII annis in Imperatorem unctus eſt, qui poſt mortem patris contra tres fratres ſuos Ludovicum regem Bajoanorum & Karolum exercitum duxit adjuncto ſibi Pipino cum Aquitaniæ populo. ☙ Epiſcopus Otto : Dum Lotharius reverſus ab Italia regnare intentat mortuo patre, fratres ejus Karolus & Ludovicus graviter ferentes quod ſigno paterno privari deberent, bellum fratri indicunt. Lotharius autem venienti Ebo apud Wormatiam occurrit, cui Lotharius Archiepiſcopatum Remenſem reddidit de aſſenſu Drogonis Metenſis Epiſcopi, Othogarii Moguntini, Hecci Treverenſis & aliorum duorum Archiepiſcoporum & XV Epiſcoporum, quorum unus Samuel & ita per unum circiter annum Remis præfuit & ordines fecit, ſed iterum per Synodum Karoli expulſus eſt. Poſtea etiam Lotharii gratiam amiſit, & ad Ludovicum veniens quodam Epiſcopatu *in Saxonia* donatus eſt usque ad obitum, Sequitur : Cum

regnum Francorum, ad quod post innumeras mutationes regnum Romanorum devenerat, cum & ipsum ad ostendendas mortalium miserias ac instabiles mundi rotatus auctor omnium Deus in illo ad quem profecerat statu manere nollet, in se ipsum miserabiliter dividi ac per hoc desolari & imminui permisit.

Anno DCCCXLII Cometes in signo Aquarii apparuit. ☞ *Audradus* dicit ita: Mense tertio quinta & vicesima die, ebdomadis autem quarta dum annua consuetudine Letaniarum festa ab ecclesiis generaliter agerentur, sol conversus est in tenebras, & factum est verbum Domini super Audradum Sacerdotem dicens; Tu vir doloris, quia posuisti cor tuum, ut assiduè pro salute fratrum tuorum periclitantium te affligeres coram me, ecce ego constitui te hodie ut sis mihi servus fidelis in omnibus quæ ostendam tibi & cætera quæ tibi dicuntur, dedi hoc signum in cœlo volens adhuc parcere filiis stultis, si tamen gratiæ maternæ se cito restituere non timuerunt. Tribus fratribus de regni partitione discordantibus conseritur inter eos pugna in pago Antisiodorensi juxta villam Fontiniacum, & tanta cædes utriusque facta est, ut nulla ætas meminerit tantam stragem hominum factam fuisse in gente Francorum, & ita eorum vires ibi attenuatæ sunt, ut jam nec suos terminos ab externis tueri possint. Guilelmus: Ibi Franci cum nationibus sibi subjectis mutua se cæde prostraverunt. ☞ Hugo: Apud Fontiniacum campum atrociter inter se dimicaverunt, in quo bello Franciæ, Aquitaniæ, Italiæ, Alemanniæ, Saxoniæ, Burgundiæ, omnesque pene milites mutuis sese concidere vulneribus, victoriam tamen Karolus Calvus & Ludovicus obtinuerunt. ☞ *Guido* autem more suo Gallicano coturno incedit ita dicens: quod tres fratres contra Karolum fuerunt; Reges ait & fratres tres adversus quartum, ut eum aut cedere regno compellerent, aut vita pellerent, coactis undique copiis apud Fontanicum Antisiodorensem locum pagi conveniunt, sed eundem Karolum non sicut imperitum inveniunt imparatum nec confusum ideo, sed in Deo plus quam in suis viris viribusque confisum. Cumque solemnis illuxisset Dominicæ

ascen-

aſcenſionis dies exiſtimantes, ut erat in vero tres Reges Karoli fratres quod ob reverentiam tantæ ſolemnitatis eâ die neque Karolus neque Franci forent arma ſumturi, ſed arbitrarentur, quod nec hoſtes id poſſent facere præſumturi coactis cunctis copiis armatorum clam prorumpere properant & irrumpere caſtra Francorum, ſed opinione longe decepti mox Francorum gente non negligenter agente, verum quaſi torrente vehementius occurrente haud ſegniter excepti migrante favore divinæ virtutis ad Francos, ordinibus diſſipatis agminibus laceratis non ſolum fugæ præſidium implorare compulſi ſunt, ſed & eorum regno potenter expulſi, propter cujus eventum prælii Regum fratrum reverſus eſt alter ab altero. ☙ Epiſcopus Otto qui ſemper maturius incedit ſic ait : Contractis undecunque regni viribus fratres prædicti apud Fontiniacum conveniunt, acerrimeque pugnantes ita ut in hoc bello ex utraque parte regni vires imminutæ fuerunt, ut ex hinc fortiſſimi omnium Franci non ſolum terminos non dilatare, ſed & parta conſervare vix potuiſſent, lacrimabili ergo pugnâ inter fratres acta cruenta tandem victoria Karolo & Ludovico ceſſit. ☙ *Andradus* verò dicit, quod anno iſto menſe primo ſecunda die menſis rapuit eum Spiritus ante Dominum, & ecce Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſedebat in excelſis & beata Dei genetrix à dextris ejus, & in parte illius omnes Epiſcopi ordinati, à ſiniſtris autem ſancti martires ſtabant ; & ecce duo dæmones advenientes genus humanum in multis accuſare ceperunt, Domino nihil ſuper hoc innuente dæmones ad ordinem ſanctorum martirum ſe verterunt, & eorum interfectores in memoriam reduxerunt, ſed beatus Martinus de choro Epiſcoporum proceſſit & contra dæmones propoſuit & alios Dei Sacerdotes in partem ſuam advocavit, beata quoque Dei genetrix ejus petitionem promovit & unam cucullam ei dedit, quam cum beatus Martinus induiſſet, angeli facto impetu dæmones illos præcipitaverunt, quibus cadentibus facta eſt lætitia in excelſis qua major non fuit, ex quo Dominus aſcendit. Poſt hæc ſuccreſcentibus malis ad nullam pœnitentiam populis concurrentibus tres ſimul fratres Reges Franco-

Digitized by Google

rum cunctis exercitibus Christianorum gravissimo & plus quam civili bello in pago Antisiodorense circa locum qui dicitur Fontanetus invicem se debilitaverunt, ibiq; pater filium, filius patrem, frater fratrem, consanguinei propinquos pro scelere in ecclesiis admisso & violatione fraternæ caritatis scelestissimè perdurante mutua se cæde interfecerunt, & nisi beati Martini oratio interveniisset, nullus Regum illorum mortem illam effugeret. Huc usque Audradus.

Anno DCCCXLIII. Fratribus nondum à bello desistentibus Concilio tandem optimatum de pace agitur & de partibus singulorum XL primores eliguntur, qui in unum venientes regnum æqualiter dividerent, & ita pax in annum sequentem induciatur. Ludovicus interim pergens *Saxoniam* validissimam *libertorum conspirationem dominos suos opprimere volentium* fortiter compescuit autoribus sceleris capitali sententia damnatis ☞ Guido: Karolus ad agendas Deo gratias, Lotharius ad irrogandas est conversus ad ulciscendas in res divinas pretio suos impunitatis invitans, quod imperium tyrannicæ dominationis edictum subjectæ Lothario regionis illius homines, quæ tunc Austria vel Austrasia dicebatur, arciùs amplectentes concessionis iniquæ gratiam à nomine Domini tam pernitiosè munifici patriæ suæ dominatione compensat, unde Lothariani seu Lotharienses seu regnum Lotharii nuncupatur, & nunc quoque prædones existunt & variis dissensionum tumultibus bellorumque turbinibus agitantur, ☞ Unde Audradus: Illi vero qui a cæde fraterna de prælio trium fratrum superstites remanserunt inde reversi non Deo ereptori suo per pœnitentiam se subdiderunt, sed more suo ad prædationes ecclesiarum & miserorum, omnem vim suæ superbiæ contulerunt, tunc ecclesias quæ adhuc stabant de suo ordine subverterunt easque ad votum suum suis quæstibus publicarunt, tunc omnis ordo ecclesiasticus cepit ventilari & super hoc doluit Deus & dixit, quod novem eos plagis flagellaret. ☞ Episcopus Otto: Considerari Dei judicia mundiq; volubilitatem etiam nolentes compellimur; ecce enim in modum

cæli

cæli quod ab Oriente ad Occidentem vertitur ſimul cum tempore res mundanas rerumque poteſtates volvi cernimus.

Anno DCCCXLIIII Obiit Papa Gregorius quartus, ſuccedit Sergius ſecundus annis tribus, ad hujus electionem confirmandam Ludovicus filius Imperatoris Lotharii à patre miſſus ab eodem Papa *in regem Longobardorum* unctus eſt, ab hoc Sergio Papa Notingus Epiſcopus Brixiæ corpus Kalixti Papæ impetravit, & ad ſuam dyoceſim transferens in cella aurea ad tempus repoſuit, qui Calixtus jejunia quatuor temporum inſtituit. ☙ *Rabanus* librum de laude ſanctæ crucis figurarum varietate diſtinctum difficili & mirando poemate compoſuit, & Sergio Papæ Sancto Petro offerendum miſit. ☙ Hugo. Hoc tempore vir quidam Rabanus nomine de laude ſanctæ crucis librum metrice compoſuit diverſis ſcematibus decoratum. Mauri Beneventum occupant. Deſcripto in tres partes regno fratres ad urbem Galliæ Virdunum conveniunt, & inter ſe pacificantur & datis & acceptis invicem Sacramentis quisque ad deſcriptas ſibi partes regni tuendas revertitur, Karolus accepit occidentalia regna à Britannico Oceano usque ad Moſam fluvium, in qua parte terræ modo nomen Franciæ remanſit. Ludovico Orientalia regna ceſſerunt, omnis ſcilicet Germania usque ad Reni fluenta & aliquas terras * Retum civitates cum adjacentibus pagis propter vini copiam. ☙ Lotharius qui major natu erat, & Imperator appellatur, omnia Italiæ regna tenuit cum ipſa Roma, nec non & provinciam, & mediam partem Franciæ inter Scaldum & Renum quæ mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia, & hinc diviſo regno *regna modo duo Orientale ac Occidentale* inveniuntur, quorum alterum partem Ludovici ac Lotharii ſedemque regni Francorum palatium Aquis ac imperium urbis Romæ habet, aliud Occidentale quod adhuc Francorum vocatur, partem Karoli tenet & Pipini; Poſt factam ergò diviſionem Karolus calvus regnat in Francia annis XXXIIII, Ludovicus frater ejus in Germania annis XXXIII.

Anno DCCCXLV Apud Conſtantinopolim mortuo * filius

ejus Michael cum matre Theodora imperat annis XI. Liber sextus Episcopi Ottonis ab hoc anno incipit. ☙ Hingmarus ordinatur Remensium Archiepiscopus, rexit ecclesiam annis XXXVII, mensibus VII; fuerat enim Monachus sancti Dyonisii sub Abbate Hilduino. Mense primo vicesima die mensis, aurora diei, eram orans, ait *Andradus* pro salute ecclesiarum ut daret Deus cor pœnitens omnibus & misereretur illis, & cecidit super me mentis excessus, & rapuit me Spiritus Domini in excelsum & ait Angelus ad me: Scias Normannos Parisios esse venturos & inde reversuros, & huic genti decem annos ad pœnitentiam dari, ☙ Factum est autem ut ascendentibus Normannis per Sequanam fluvium, occurreret eis Karolus Rex cum exercitu peditum & equitum & non potuerunt prohibere eos, quin Parisius sicut dixerat Dominus intrarent vigilia Paschæ V Kalend. Aprilis, & Karolus apud monasterium Sancti Dyonisii resedit, & dederunt rex & populus Normannis pecuniam multam & reversi sunt in terram suam. Unde Sigebertus: Normanni regnum graviter infestant, & usque Parisius navigio veniunt, cum Frisonibus tribus præliis confligunt in primo victi, in duobus victores existunt, Ludovicus Rex Germaniæ Abrodtos à se deficere molientes bello perdomuit occiso Rege eorum, eorumque terram & populum sibi divinitus subjugatum per Duces ordinavit, Primus annus induciarum secundum Andradum. ☙ Theuthaldus Lingonensis Episcopus claret.

Anno DCCCXLVI Ludovicus Rex Germaniæ XIIII Duces Boemorum cum suis baptizari fecit. ☙ Episcopus Otto: Eo tempore Karolus Rex Francorum Pipinum Aquitaniæ Regem cepit, ac Episcoporum consilio tonsum Monachum Suessionis in monasterio Sancti Medardi fecit. ☙ Elinandus ex dictis Guilelmi. Karolus regnum Aquitaniæ obtinuit submoto inde Pipino & in monasterio sancti Medardi truso. Legitur quod hoc anno Angelus Domini femur sinistrum Andradi maceravit & illusiones nocturnas ab eo abstulit & à dolore epatis sanavit.

Anno DCCCXLVII Sergius Papa moritur, post quem sedit

Leo

Leo quartus annis VIII, mensibus tribus, diebus quinque, ☙ hic decrevit, ut dum missarum solemnia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare vel sedere vel ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs quæ ad ministrationem sacri officii constituta est, decrevit etiam ut octavæ assumtionis sanctæ Mariæ in ecclesia celebrentur quod ante non fiebat. ☙ Apud Senonas Wasilo Archiepiscopus elevavit corpora sanctorum Saniniani, Patentiani & aliorum, & reposuit in ecclesia Sancti Petri. In Anglia Rex Ethevvlphus filius Egbyrthi West-Saxonum, regno avito contentus regna appendentia quæ pater acquisierat filio Elstano contradidit. Hic Ethevvlfus decimam omnium bladorum infra regnum suum Christi famulis concessit liberam ab omnibus functionibus, absolutam ab omnibus inquietudinibus, compositoque regno Romam abiit, ibique *tributum quod hodieque Anglia pensitat sancto Petro* obtulit coram Leone Papa quarto, qui etiam antea Elfredum filium suum ad se missum honorifice susceperat & Regem inunxerat, ibique anno integro moratus scolam Anglorum, quæ ab Offa Rege primo dicitur instituta & proximo anno conflagraverat, reparavit egregiè, inde demum per Galliam repatrians Judith filiam Karoli calvi in conjugium duxit, de ista Judith dicemus in anno DCCCLXXII. ☙ Anno induciarum tertio secundum Audradum evocavit ipsum Archiepiscopum Warulo Senonensis, & habita synodo eundem per electionem Corepiscopum Senonensem consecravit, & modium tritici quatuor denariis vendebatur.

Anno DCCCXLVIII Rabanus Abbas Fuldensis ordinatus Moguntiæ Archiepiscopus, celebrata synodo Moguntiæ jussu Ludovici regis multa utilia ecclesiæ decrevit. Quædam pseudoprophetissa dicens instare diem judicii Moguntiam sollicitabat ita, ut etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret, quæ ab Archiepiscopo correp[illegible] confessa est se per suggestionem cujusdam Presbyteri quæstus ca[illegible] hoc fecisse.

Anno DCCCXLIX Godescalcus hæreticus à Rabano Archiepiscopo rationabiliter, ut multis visum est, convincitur, sed tamen i[illegible]

Dominus arrepto pugione præparaverit se ad vindictam de inimicis suis, contra beata virgo in precibus institit quod iram ejus avertit & sanctus Petrus & sanctus Paulus & sanctus Martinus & Michael Archangelus; horum propriè singulorum orationes in libro Audradi continentur, deinde ordinati sunt principes & dedit Dominus unicuique principi horum trium partem unam: beato Paulo Germaniam totam, superiorem scilicet & inferiorem, beato Martino Gallias & Hyspanias, Sequitur ibi quod tribus continuis diebus sol obscuratus est & Luna similiter. De culpa Regum dissidentium & quod jussit dominus ante se adduci Ludovicum pium & dixit ad eum, quare posuisti inter filios tuos discordiam omnes simul Reges constituendo? respondit putans quod filius meus Lotharius tibi vellet obedire secundum tuam voluntatem & ecclesiam tuam regere constitui illum loco meo ad regendum populum tuum, sed postea videns eum in superbia contra te erectum & nolle acquiescere, ut secundum te gubernaret plebem tuam, submovi eum & parvulum Karolum videns humilem & obedientē, intellexi dona misericordiæ tuæ in eo esse, & ideo constitui esse loco majoris, ut humilis semper & obediens secundū tuam voluntatem serviret tibi in ministerio gubernationis populi tui, respondit dominus: Certe verum dicit, Lotharius propter superbiam decipiatur, [dejiciatur] Carolus propter obedientiam & humilitatem stabiliatur. Dixerunt sancti, Domine quid de tertio qui arma movet contra Patrem, & alii responderunt, Domine opus bonum inventum est in eo; nam licet ejus causa multi sunt de tuo absumti servitio, tamen ille studet, ut de alienigenis loco eorum tibi alios acquirens subroget, & iste, ait Dominus, stabiliatur, & constituit Dominus Karolo sceptrum regni & coronam, & ut inter eum & fratrem suum Ludovicum pax firmaretur & alium Ludovicum Lotharii filium. Ecce do tibi Karole, ut Hyspanias duce Martino iterum ab infidelibus liberes, & tuo regno associes, propter illa tamen quæ fecisti scias te sequenti anno Britanniam venturum & ita dehonestandum, ut vix vivus evadas, & ibi morietur perfidus Vivianus majoris monasterii falsus Abbas.

Anno DCCCLI Karolus Rex Francorum cum Britonibus infeliciter pugnat & filios fratris sui Pipini, quondam Regis Pipinum & Karolum regnum inquietantes, capit, & in monachos attonsos in monasterium trudit. ❧ Elinandus : Quorum Pipinus de monasterio sancti Medardi per fugam elapsus, Aquitaniam regressus, multo tempore fugiendo ibi latuit, iterum à Ramulfo præfecto per fidem deceptus & comprehensus & ad Karolum adductus, Silvanecti perpetuo exilio est detrusus. ❧ Obiit Hecci Treverensis Archiepiscopus, succedit Tyegaudus. ❧ Coloniæ erat Episcopus Hatheboldus, & post eum fuit ibi Guntharius.

Anno DCCCLII Normanni per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi urbem Nannetum invadunt, Episcopum Sabbatho Paschæ baptismum celebrantem trucidant, & Clerum & populum perimunt, inde Andegavis, inde Turonis occupant, & ut tempestas omnia diruunt, templum etiam sancti Martini incendunt. Et hoc totum Episcopus Otto verbis suis attestatur : ❧ Apud Virdunum Hacco Episcopus præfuit annis XXIII. Translatio sancti Remigii Episcopi.

Anno DCCCLIII Hingmarus Remorum Archiepiscopus in Francia claret, qui vitam sancti Remigii scripsit. Adventius fit Metensis Episcopus. Leo Papa obiit, succedit Benedictus tertius, qui à quibusdam vocatur Bonefacius, quo conspiratione quorundam malignorum deposito, Anastasius Præsulatum invadit, sed Anastasio à legatis Imperatoris Lotharii electo & in carcere truso, Benedictus honorificè relocatur, sedit annis duobus, mensibus sex, diebus decem. ❧ Apud Lingonas Ysaac fit Episcopus per annos XXV. ❧ Normanni illi, qui per XX annos Franciam attriverant, in patriam suam reversi intestino inter se bello usque ad internecionem delentur, ut de regia eorum stirpe nullus nisi unus puer remaneret.

Anno DCCCLIIII Terræ motus, aëris insolita commotio, turbines, tempestates, grandines, fulmina, multa multis modis incommoda hominibus inferunt, quidam etiam homo igni cælesti consumtus est, veste illæsa manente. ❧ Episcopus Otto : Lotharius Impe-

Digitized by Google

Imperator tribus filiis regnum, quod eum contigerat, partitur, Ludovico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Karolo Provinciam tradens, ipse verò ordinatis omnibus in Prumiensi monasterio, XVI imperii sui post mortem patris anno, monachus efficitur, vide ad quantum defectum Romanum Imperium devênit, ut in tres partes Francorum regno diviso tertiæ partis tertia pars fuerit. ☙ Guido, pro suæ temeritatis excessu nimia veritate præsumto, quia non est desperatus Lotharius Imperator, pia multarum largitione eleemosynarum, vultus confusione, cordis & corporis contritione, veniam meruisse speratur; apud Prumiam ejusdem patriæ Lotharingiæ monasterium habitu monachisæ religionis assumto; reliquit autem tres filios, primum ultimæ, secundum primæ suæ conversationis in seculo simul & dominationis, hæredes; nam major eorum Italiæ Prælatus & Imperio Ludovicus; quantum vitæ suæ tempus extendit, expendit in extirpandis ab Italia Paganis Affricanis, qui Romanam graviter opprimebant urbem & ecclesiam; at Lotharius Lotharii filius alius, Austriæ Rex datus est, quæ dicta, sicut prædictum est, *Lotbariana* sive Lotharii regnum, inter flumina Mosam & Renum, pertingit à Burgondia ad septentrionalis Oceani sinum; tertius filius Lotharii Karolus est Provinciæ Rex constitutus. ☙ Hoc anno Comes Everhardus cognomento Radulfus, Dux Foro Julii à Lothario constitutus corpus Kalixti Papæ ab Episcopo Brixiæ Notingo impetravit & in prædio suo apud Tizonium Tornacensis diocesis attulit.

Anno DCCCLV Secundum Episcopum Ottonem Imperatore Lothario supra dicto deponente militiæ cingulum, privatumque habitum assumente Ludovicus filius serenissimus imperium suscepit. ☙ Unde Sigebertus: Lotharius Imperator partito inter filios regno abrenunciat seculo in Prumia monasterio, habitu monachi suscepto, non multo post tertio videlicet Kalend. Octobris dormivit in Domino. Ludovicus filius ejus olim à Sergio Papa in Regem unctus, imperat annis XIX. Lotharius verò frater ejus Lotharingiam tenet; de tertio autem fratre istorum Karolo nullam facit mentionem Sige-

bertus, horum trium mater fuit secunda Ermengardis filia cujusdam *Hugonis Provincia Ducis.* ☙ *Rabanus* egregiæ vitæ & scientiæ Maguntinus Archiepiscopus obiit, cujus discipulus fuit Strabus, qui supra pentateuchum quoddam opus laudabile edidit. Karolus Pipini filius fit Archiepiscopus Moguntinus. Maginardus heremita martirizatur. Apud Constantinopolim Michael solus imperat annis XII. Usque ad hunc annum *minor ecclesiastica historia Hugonis monachi* pertingit, quem etiam *Magister Richardus* in exceptionibus suis non transit, unde quoniam tales viri, qui multa & bona & benedicere potuissent, in medio itinere non relinquunt, de Domini nostri Jesu Christi gratia confisi prout melius poterimus, quæ ab istis quasi despecta conculcata sunt, colligere & secundum præscriptam formulam ordinare conabimur. ☙ Apud Leodium Franco fit Episcopus annis XLIIII, qui primus Episcoporum Leodiensium contra Normannos Paganos ecclesias destruentes arma tulit & ut suo loco annotabimus *lobias* & fossas acquisivit.

Anno DCCCLVI Coloniæ orta tempestate populo in basilicam beati Petri fugiente, fulmen subito instar ignei draconis basilicam scidit ac penetravit, & tres homines diversis quidem locis, sed uno ictu in mortem dejecit, alios etiam sex eodem impetu semivivos reliquit. ☙ Elinandus ex dictis Wilhelmi : Obiit Rex Anglorum Ethewlfus. Ab hoc in cronica Anglorum texitur linea generationis regum Anglorum sursum versus *usq; ad Adam* hoc modo : Ethelwelfus iste fuit, Egiberth filius, qui fuit Elimundi, qui fuit Casæ, qui fuit Copæ, qui fuit Ingildi fratris Ynæ Regis, qui ambo fuere filii Regis Kenredi, qui fuit Cedwaldi, qui Cudæ, qui Cudwini, qui Ceaulini Regis, qui Cinricii Regis, qui Cerditii primi in Anglia West Saxonum Regis, qui fuit Elelii, qui fuit Wigii, qui Frevvini, qui Fredegarii, qui Brendii, qui Beldegii. Beldegius iste fratres habuit Weldegium & Withlegium, ab eodem Beldegio fuerunt Reges West-Saxonum & Reges Nordanimbrorum. A Withlegio Reges Merciorum. A Weldegio Reges Cantuariorum, tres isti fuerunt filii *Woden*, qui *Mercu-*

rius

rius dictus, & *in Gothlandia insula* habitavit, quæ est in illo mari mediterraneo, quod inter Daciam & Poloniam situm vergit ad orientalem Septentrionem, ibi in illa insula dabat responsa quasi divinus. Unde legitur in historia Longobardorum, quod cum Ybor & Agyon primi Duces eorum ad istum Woden venissent, prædixit eis quod fortunati esse deberent, & ita quasi Deus habitus est, licet etiam post incarnationem Christi extiterit. Sequitur: Woden iste fuit filius Fridevvaldi, qui Frelasii, qui Finnii, qui Godpulfi, qui Gethii, qui Rethlii, qui Bedvvii, qui Sceldii, qui Sceaf. Iste Sceaf, ut fertur, navi sine remige in Scania insula, quæ est in Dacia, impulsus puerulus posito ad caput frumenti manipulo dormiens inventus est, ideoque Sceaf nuncupatus; qui ab hominibus regionis pro miraculo exceptus, & sedulo nutritus, adulta ætate regnavit in opido Slesvvyck, quod Hartebi dicitur. Est autem regio illa vetus Anglia dicta, inter Saxones & Gothos constituta. Sceaf iste fuit filius Heremodii, qui fuit Gvvale, qui Bedvvegii, qui Stereſii, qui ut dicitur fuit filius Noe & post diluvium fuit natus. Utrum iste sit quartus filius Noæ, quem Methonius [f. Methodius] Jonithum appellat in sua prophetia, ignoramus. ☙ Romæ post Benedictum Papam tertium Nicholaus primus ordinatur, cujus ordinationem Ludovicus Imperator suâ præsentia roboravit, sedit annis IX, mensibus II, diebus XX.

Anno DCCCLVII In Anglia regnant simul duo filii Ethvulfi, qui regnum ita partiti sunt, quod Ethelbaldus regnavit in West-Saxonia, Ethelbricus in Cancia. ☙ Sigebertus: Franci super crudelitate Karoli Regis sui apud Ludovicum fratrem ejus expostulant & eum ad regnandum super se contra Karolum invitant, quod ille inconsultè aggressus turpiter alienis excessit finibus. ☙ Hoc factum Episcopus Otto ita prosequitur: per idem tempus Ludovicus Orientalium Rex occidentalia regna vocatu quorundam Principum ingreditur, regnique terminos occupans Senonas usque progressus est; Sed dum relicto ibi exercitu ad propria rediisset, & principes, qui eum invitaverant, à Karolo in gratiam recepti fuissent, qui remanserant

fines illos egredi compelluntur. ☙ In Parochia Moguntina malignus Spiritus evidens nequitiæ ſuæ ſignum dedit: nam primo lapides jaciendo & parietes domorum quaſi malleis pulſando, inde manifeſtè loquendo, furta etiam prodendo, diſcordias inter homines ſeminando vicinos inquietabat, denique animos omnium contra unum hominem commovit quaſi pro ejus peccatis talia paterentur, cujus fruges in unum coacervatas incendit, qui ubicunque intraſſet ſtatim domus illa exurebatur, ut jam ei niſi in agris locus manendi nullus eſſet, propter hoc presbyteris Letanias agentibus, & benedictam aquam ſpargentibus inimicus lapides multis jaciendo cruentatis tandem aliquamdiu quievit, Presbyteris recedentibus inimicus flebiliter ululans tandem Presbyterum quendam nominatim exprimens ſe quando aqua benedicta ſpargebatur ſub cappa illius quaſi familiaris ſui latuiſſe profeſſus eſt, accuſans eum cum filia Procuratoris concubuiſſe, ſic per triennium inſtitit donec ibi cuncta ædificia incendio conſumeret.

Anno DCCCLVIII *Probus Presbyter* obiit, cujus converſatio & ſtudium *Moguntinam* eccleſiam illuſtravit. ☙ Ludovicus Rex Germaniæ plurima prælia contra Sclavos ſtrenuè geſſit & capto principe eorum Raſtriz nomine, propter violatam fidem oculos eruere juſſit, ☙ quod etiam Epiſcopus Otto non tacuit. Sequitur: Principibus Karoli inter ſe diſcordantibus, Britones deſtitutam auxilio terram invadentes usque Pictavis omnia vaſtando veniunt, quos redeuntes Rex Karolus proſecutus Britanniam intrat & pugna conſerta Franci vincuntur, Britones in cæde graſſantur. ☙ Epiſcopus Otto, Hiis diebus in regno Karoli principibus ſuis mutuis inter ſe vulneribus cadentibus, Britones tanquam deſtitutam terram irrumpunt ac transmiſſa Lidgeri ferro flammaque cuncta vaſtantes progrediuntur, & ſic Francorum ſpoliis ditati ad propria revertuntur. Itaque Karolus conductis pretio *Saxonibus* Britones bello petit, nec mora commiſſo prælio Saxones in prima acie poſiti territi ſpiculis hoſtium terga vertunt; dehinc diſcurſantibus hac illacque Britonibus Franciſque ab antiquæ fortitudinis gemina virtute viriliter dimicantibus, multis ex utra-

utraque parte cæsis ac vulneratis, noctis præsidio bellum dirimitur, mane facto dum rursus pugna conseritur Karolus fugiens suis etiam fugiendi præbuit exemplum, quo viso Britones castra Francorum cum clamore irruunt captisque & occisis plurimis, papilionibus eorum cum multis aliis spoliis ablatis, revertuntur. Ac Karolus Roberto viro forti ob hanc molestiam inter Ligerim & Sequanam ducatum ad domandos Britones dedit. ☙ Guido dicit: Fecit eum Andegavensium Comitem & adjacentis patriæ defensorem. Hunc Robertum fuisse *de nobili genere Saxonum*, Ivo Carnotensis Episcopus in quadam Epistola testatur: ab hoc autem Roberto descendit genealogia Regis Francorum Philippi & Antecessorum ejus, sicut invenire poteris in sequentibus.

Anno DCCCLIX. Numeneus Rex Britonum dum instaret regnum Francorum depopulari, visum est ei, assistere sibi sanctum Maurilionem Andegavensis urbis olim Episcopum, à quo baculo in capite percussus iram Dei morte persensit. ☙ Episcopus Otto: His diebus Neometicius Rex Britonum multis modis ecclesiam Dei persequitur, vidit in visu beatum Maurilionem Andegavensem Episcopum sibi occurrere, dicentemque ut ab oppressione cessaret ecclesiarum baculo se percutere, nec frustratur visu; nam continuo corruens à suis domum reportatur manifestisque Dei indiciis vitam simul eum tyrannide finivit, eique filius ejus Herispous in regnum successit. ☙ Hic etiam inserendum est de Sancto Ciriaco qui apparuit Karolo Calvo in visione, & aprum sibi periculosè imminentem, licet puer & nudus videretur, interfecit & paupertatem suæ civitatis scilicet Nivernensis Karolo intimavit, ibi erat Episcopus quidam Iheronymus nomine, qui asinum equitabat causa paupertatis & Karolus castrum de Primeriaco cum appendiciis & multa alia ei dedit. ☙ Hoc tempore Leuthulphus dux Saxonum pater Brunonis & Ottonis Ducum, avus Henrici Regis primi Romanorum, corpus Innocentii primi Papæ à Roma in Saxoniam transtulit, *ab isto Leuthulfo descendit omnis nobilitas Saxoniæ, Germaniæ, Galliæ, Normanniæ, Bavvariæ, Svevia, Ungariæ, Ruscia, & Poloniæ.* Anno

Anno DCCCLX Karolus rursum, ut scribit Otto, adversum Britones bellum instaurat parumque proficiens hoc tantum obtinuit, ut datis ex utraque parte obsidibus pacem mutuo firmarent; dehinc tamen Herispous Rex eorum ad ipsum Karolum veniens suæ potestati se subjecit, quem multis donatum muneribus ad propria remisit. ☙ Unde Sigebertus: Herispous filius Numenei Rex Britonum Karolo Regi confœderatur & Muneratus se ejus subdit dominationi. Metis post Drogonem præfuit Adventius. Et apud Tullum post sanctum Arnulfum Arnuandus. ☙ Apud Cathalaunum verò post Hildegrinum Elchanradus.

Anno DCCCLXI Lotharius Rex Lotharingiæ Waldradam pelicem superducens uxori suæ Thiebergæ consentientibus sibi Archiepiscopis Gunthario Colonienſi & Tiegaudo Treverenſi magnam sibi calamitatem paravit. ☙ Episcopus Otto: Ea tempestate cum regno Francorum multipliciter diviso ecclesia proficeret, Nicholao summum gerente pontificatum, Lotharius amore Waldradæ concubinæ suæ occasionem repudiandi Thiebergam Reginam quærit. Itaque Guntharium Colonienſem Archiepiscopum, qui tunc in regno præcipuæ fuit autoritatis, ad id quod animo conceperat pellexit falsa spe promittens ei, quod si ab ista liberaretur, neptem suam acciperet. ☙ Guntharius ascito sibi Treverorum Archipræsule Thiegaudo concilium Metis congregat, vocatamque Reginam, in medio statuunt falsisque productis testibus inter alia nepharia de incestu Reginam convincunt, proinde ad voluntatem Regis sententia divortii datur, reginæque pro commisso scelere pœnitentia injungitur. Igitur Rex desiderata potitus occasione conventu Aquis habito damnationem Thiebergæ scripto protulit, seque continere non posse pronunciavit, consilio Guntharii omnibus acclamantibus melius nubere quam uri Waldrada producitur ac regio cultu decorata comitatuque famulorum stipata Reginæ nomen sortitur, sicque Rex dum ea quæ mente conceperat ad effectum perducit, Guntharium quem suæ nequitiæ socium falsis promissionibus fecerat versutè decepit. ☙ Guido Lotharius

tharius vanitati dedicatus & luxuriam amplectatus est in tantum, quòd Thieberga Regina legitima relicta uxore, non erubuit Bosonis Comitis consilio, cujus innitebatur, Waldradam nomine fædo sibi fædere copulare uxorem, ac propter hoc apostolicæ gladio districtionis à communione fidelium separari. ☙ Eodem anno obiit Rex Burgundiæ Junior Karolus ejusdem Lotharii germanus, qui apud Lugdunum sepultus est, & ejus regnum Rex Francorum Karolus Calvus obtinuit.

Anno DCCCLXII *Hugbertus Abbas* & Dux frater Thiebergæ Reginæ pro repudio sororis suæ contra Lotharium insurgit. ☙ De Hugberto isto in quadam notula reperitur, quod Abbatiam *Lobiensem* invasit fugato Hardberto Abbate, ☙ & de eodem dicit Episcopus Otto, quod antequam hæc fierent, dum adhuc haberet Lotharii gratiam, idem Lotharius eidem Hugberto ducatum inter Jurum & montem Jovis commisit. ☙ Guntharius & Thiegaudus Archiepiscopi Romæ à Papa Nicholao pro adulterio Lotharii Regis examinati, cum & suis Synodalibus gestis quæ proferebant, & suo etiam ore convicti fuissent, Episcopatu & sacris ordinibus exordinati anathematizati sunt, eisque tantum laicalis communio concessa est. Qualiter hoc factum sit, Episcopus Otto ita prosequitur: dum ad notitiam domini Nicholai Papæ hæc, quæ fecerat Lotharius, venissent, religiosus ac zelo Dei plenus sacerdos missis legatis Regem de commisso scelere redarguit & ad condignam pœnitentiam invitavit; at Legati pecunia corrupti minime ad effectum perducenter multis ditati muneribus revertuntur, dicentes, se penè nullum in præfato regno qui canones sciret inveniisse, quos Treverorum & Colonienſium Præsules subsecuti, dum à summo Pontifice de facto judicio rationem reddere cogerentur, rei inventi deponuntur, dumque multis modis ad restaurationem sui laborarent, exules in Italia, permissa sibi tantum laicali communione, moriuntur. ☙ Obiit in Anglia Rex Canciæ Ethelbertus & totum regnum tenuit Ethelbaldus frater ejus.

Anno DCCCLXIII Per istos septem annos fuit Colonia sine

Archiepiſcopo. Excommunicatâ pellice Waldrada à legato Apoſtolico, videns Rex Lotharius etiam ſibi excommunicationem intentari, Thiebergam uxorem recepit, ſed id non multum profuit, quia non multum poſtea repudiata, pelicem recepit nec ultra ullo correptionis modo ab ea ſeparari potuit. ☙ Epiſcopus Otto : Lotharius poſt crebras ammonitiones, poſt violatum Sacramentum, quod ſub præſentia Arſenii Epiſcopi Romanæ eccleſiæ Apocriſiarii fecerat, à ſummo Pontifice communione privatur. Extant de hoc Epiſtolæ quam plurimæ utrobique miſſæ. Vide jam regno decreſcente Eccleſiam tantæ autoritatis factam, ut etiam Reges judicet. ☙ Obiit Adremarus Abbas fundator monaſterii Arremarenſis ; de iſto Adremaro dicitur quod ipſe fuit unus *de ſeptem gemellis* fratribus, quos domina de Triangulo uno partu peperit, item per Epiſcopum Cathaunenſem Elchanradum corpus ſancti Urbani allatum eſt à Roma, & Abbacia quæ dicitur ſancti Urbani fundata.

Anno DCCCLXIIII Corpora ſanctorum martirum Euſebii & Ponciani dono Nicholai Papæ ad Gallias translata in monaſteriis voto religioſorum ſancto Petro collatis honorifice tumulantur. ☙ Rex Bulgarum ad Chriſtianiſmum cum ſua gente converſus miſſis ad eum à ſede Apoſtolica miniſtris ſacri ordinis, acceptis etiam à Rege Ludovico ſubſidiis adeo in fide ſolidatur, ut non multo poſt filio majore in regnum ordinato ipſe abrenuncians ſeculo monachus fit, ſed cum filius ejus juveniliter agens ad gentilitatis cultum vellet redire ; militiæ cingulo & regio cultu ſumto filium perſecutus cepit, & oculis ejus effoſſis eum in carcerem truſit, & filio minore in regnum locato ſacrum habitum recepit, & in eo usque ad finem vitæ perſeveravit. ☙ De hac nova Chriſtianitate Bulgarorum teſtes ſunt illæ epiſtolæ quæ totiens inveniuntur in libro canonum, quarum titulus eſt Nicholaus Papa ad conſulta Bulgarorum. Bertulfus abbas Mediolaci fit Archiepiſcopus Treverenſis. Hujus fuit conſanguineus Adventius Metenſis. ☙ Sub Nicholao Papa floruit Romæ *Anaſtaſius Bibliothecarius*, qui vitam Johannis eleemoſinarii, paſſionem decem

cem milium martirum, & quædam alia de Græco in Latinum tranſtulit, qui etiam Romanam hiſtoriam & multa alia ſcripſit.

Anno DCCCLXV Heriſpoo à ſuis peremto Salomon filius ejus ſuper Britones regnat & Karolo contra ſe venienti confæderatur. Nortmanni Galliam repetentes, Nannetis, Andegavis, Pictavis & Turonis terminos depopulantur; quibus occurſantes Dux Aquitaniæ Ramnulfus & Robertus fortis Marchio, dum ipſi incautè præliantes perimuntur, cæteri à Nortmannis ut oves à lupis perimuntur, acervatim ſternuntur. ☙ Epiſcopus Otto: Eodem tempore Normanni per Ligerim Nannetenſem, Turonenſem, Andegavenſem provinciam vaſtantes Robertum Ducem occurrentem ſibi occidunt. ☙ Guido: Hic Robertus poſt egregios de Normannis multiplicesque triumphos cum eos die quadam in prælio victos in quandam eccleſiam fugere compuliſſet, & variis armorum machinarumque tormentis viriliter expugnare niteretur incluſos; ex armato capite, pro mitigando fervore ſolis, lenioris auræ blandimento; propius ut ſuos animaret accedens, & ſagitta vulneratus vitam ſimul & victoriam amiſit, & dimiſit Chriſtiani nominis inimicos exultantes, quàm inſultantes, quod ſalvati forent inde Pagani ab Eccleſia videlicet, unde confuſi fuerant Chriſtiani. ☙ Hiis diebus Hugbertus Abbas frater Thiebergæ Lothario diu rebellans ad ultimum à Conrado Comite necatur. Nicolaus Papa Rothardum Epiſcopum Sueſſionenſem à Synodo ſub Karolo condemnatum reſtituit. Inveniuntur ejusdem Papæ literæ ad Karolum Moguntinum Archiepiſcopum. Ludovicus Rex Norictorum, id eſt, Bavvariorum, filius Ludovici pii, anno ante mortem ſuam circiter XII poſt feſtivitatem Paſchalem regnum ſuum inter filios ſuos diviſit, & Karolo dedit Noricam, id eſt, Bajoariam, Pannoniam, Carentanum, Boemiam, Moraviam & *Marchas* contra Sclavos & Longobardos; Ludovico Thuringiam & Auſtraſios Francos, & Saxoniam, Freſiam & Lotharingiam; Karolo alteri Alemanniam & quasdam civitates Lotharingiæ, propter vini copiam, nichil tamen in Lotharingia tenuerunt, quamdiu vixit Lotharius eorum conſobrinus.

Anno DCCCLXVI Sarracenis Beneventanam regionem incursantibus Ludovicus Imperator viriliter occurrit, ad cujus auxilium Lotharius frater ejus properans multa quidem prælia cum eo strenue gessit, sed exercitu suo propter intemperiem aeris morbis & *morsibus aranearum* aggravato cum multo dispendio suorum rediit. ☞ Episcopus Otto : Hiis dein diebus Sarraceni ex Affrica venientes Beneventanam regionem, quæ olim Samnium vocabatur, devastant, contra quos Ludovicus Augustus vires undecunque comparat & Lotharium fratrem suum in auxilium invitat, qui collecto milite Italiam ingressus pravorum operum suorum multipliciter pœnas solvens tam ex insueto calore, quam aranearum morsibus, multos de exercitu suo perdidit. ☞ Guido : Per recapitulationem, qualiter Karolus Calvus Rex Francorum regnum Aquitaniæ & regnum Burgundiæ suo conjunxerit regno, cum frater ejus Aquitaniæ Rex Pipinus cum prius ne voto paterno tonderetur in clericum impediente fratre Lothario, post hortatu seductus adulatorio per corruptores mentium, ebrietati luxuriæque vacando de numero factus est amentium, Pipinum filium suum tam regni sui quam pravæ suæ reliquit institutionis hæredem; cujus ob similia dejecti solio, vinculis injecti, nec ab hiis nisi de corpore simul ejecti, principatum Karolus regno suo conjunxit; sed & alterius Karoli nepotis sui, qui tertius Imperatoris Lotharii filius regnabat in Provincia, cum per idem tempus obisset, regno præfecit se violenter, & de tribus unum effecit. ☞ Episcopus Otto : Karolo, qui in divisione regni Provinciam acceperat, mortuo, inter Lotharium fratrem patruumque Karolum controversia orta est, sed inde Lotharius tam pro excommunicatione sua pro adulterio, quam pro expeditione quam fecit ad Italiam ita fuit occupatus, quòd non potuit ad altiora aspirare. ☞ Sequitur Guido, quod regnum Burgundiæ quia spectare constabat ad Imperatorem fratrem defuncti Karoli Ludovicum, qui tunc expellendis adhuc ab Italia Sarracenis instabat, tantæ præsumtionis & cupiditatis invasionem à Karolo Rege factam, Gerardus Viennensis utriusque Burgundiæ Dux potentissimus,

adeo

adeo tuliſſe graviter, & ob hoc tam diu diſtuliſſe ſubjectus eidem Karolo fieri, & tot & tanta detrimenta rerum & hominum alter intuliſſe creditur alteri, quousque nimia fatigatione per ſemetipſum tam longa concertatio ſe conſumſit; regi tamen Karolo ceſſiſſe Gerardum & victoriam ei confeſſiſſe perhibent *Heroica cantilena.* ☞ Hic eſt ille Gerardus quem ſupra diximus pacis extitiſſe mediatorem inter Imperatorem Ludovicum pium & filios ejus; cujus etiam Gerardi inter plura ſuorum & religioſa geſtorum, magnificum fertur & præcipuum, feciſſe transferri glorioſæ Mariæ Magdalenæ pretioſam corporis glebam ab Aquenſi Metropoli Provinciæ, Sarracenica depopulatione vaſtata jam pridem, ad eum Burgundiæ locum, ubi ſuper fluvium Choram & rupem decoram in ejus honore eccleſia ſublimis eminet, & munitiſſimum ac nobile caſtrum quod Vizeliacum dicitur. Ejusdem quoque Magdalenæ fratrem beatum Lazarum quatriduanum à Domino reſuſcitatum, Maſſilenſem poſt Epiſcopum, & martirem glorioſum, ab eadem civitate deſtructa ſimiliter fecit idem Gerardus ad propria * apportari Avalonenſe caſtrum. Hic eſt Gerardus, qui plures Abbatias fundavit, quarum fuit præcipua Vizeliacum, & una de illis fuit abbatia Pultarienſis, nam & in anno DCCCLX, id eſt, ante præſentem annum reperitur anno ſexto annotatum, dedicatio eccleſiæ Pultarienſis, item in hiſtoria Remenſi, quando Rex Karolus calvus contra Gerardum Comitem qui à ſe deſciverat ad Viennam profectus eſt, Archiepiſcopo Hingmaro literas miſit, ut cohiberet & cohiberi faceret filium ejus Karolomannum clericum.

Anno DCCCLXVII Obiit Papa Nicolaus, Vir magnificus & religioſus, ſuccedit Adrianus Papa ſecundus annis quinque. De electione & de hiis, quæ propoſuerunt legati Imperatoris, continetur diſtinctione LXIII. *Synodus* habita eſt *Trecis* ſex provinciarum Remenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, Senonenſis, Bituricenſis & Burdegalenſis, VIII Kalend. Novembris contra quendam Wlfaudum. ☞ Hic dicitur quod paſſionem ſancti Dioniſii quidam Methodius Conſtantinopolitanus Græcè conſcripſit, Cometes manifeſtiſſimè

festissimè apparet. Michael Græcorum Imperator sensu divinitus adeo mente excedebat, ut familiares suos juberet occidi, quos tamen ad se rediens sibi præsentari exigebat. ❧ Elinandus ex dictis Guilelmi : Regnat in Anglia Ethelredus quartus Ethevvlfi filius annis quinque. ❧ Hic anno uno novies de Danis triumphavit, in quo novem Comites Danorum occisi & Rex unus. ❧ Eo tempore, id est, infra istos quinque annos Rex orientalium Anglorum sanctus Eadmundus vir adeo devotus cum aliquot annis regnum suum religiosè & pacifice tenuisset, à sacrilego Duce Danorum armis projectus, solo pronus & orans pro populo suo captus & post nonnulla tormenta decapitatus temporaneæ mortis compendio regnum emit æternum, caput ejus à corpore lictoris sævitia divisum & inter dumeta projectum, dum cives quærerent exanimati capitis expressa voce convocantur & invitantur ad reperiendum quod lupus custodiebat brachiis amplexum.

Anno DCCCLXVIII Basilius quem Michael Imperator pauperem ex familia unius Abbatis sibi asciverat & cubicularium factum ad tantos honores provexerat, ut alter ab Imperatore appellaretur sæpe ab Imperatore per insaniam occidi jussus timens ne tali occasione occideretur, elegit magis ipse Imperatorem occidere quam ab eo interfici & imperavit annis XVII. ❧ Episcopatum Metensium post Adventium Vir venerabilis Wallo nomine suscepit annis septem.

Anno DCCCLXIX Corpus Sancti Mauri Abbatis qui fuit discipulus Sancti Benedicti asportatum à Glanafolio in Burgundiam propter timorem Normannorum transfertur ad fossatense cœnobium, quod construxit Sanctus Babolenus Sancti Columbani discipulus. ❧ Et Karolus Calvus isto regressus à Burgundia visitavit ipsam Abbatiam Sancti Petri de Fossatis. Glanafolium verò à tempore Ludovici pii per annos ferè CCC fuit sub jure Fossatensis cœnobii usq; ad MXCV. Indictione secunda anno XXX Regis Karoli, sicut habetur in privilegio. ❧ Facta est restauratio Sancti Beningni Divionensis ad instantiam venerabilis Ysaac Lingonensis. ❧ Luitpardus Ticinensis : Basilius

filius Græcorum Imperator vidit in somnis Dominum nostrum Jesum Christum se interpellantem pro morte Michaelis Imperatoris domini sui, & super hoc ipsum corripientem, qui expergefactus tanti se reum novit esse reatus, moxque ad se rediens, quid super hoc faceret, excogitabat, bono itaque accepto consilio amicos sibi de Mammona iniquitatis effecit, ut quos hic temporalibus subsidiis consolaretur, eorum precibus ab æterno gehennæ incendio liberaretur, fabricavit autem pretioso & mirabili opere juxta palatium versus orientem ecclesiam quam novam vocant in honore summi & cælestis militiæ principis Archangeli Michaelis, qui græcè archistrangos [archistrategos] appellatur.

Anno DCCCLXX Post hæc, ut scribit Episcopus Otto, Lotharius Romam veniens ab Adriano Pontifice qui Nicholao successerat honorifice suscipitur, ac ab ipso, si monitis prædecessoris sui Nicolai obtemperaverit, subtiliter exquiritur, ille dum cum omnibus qui secum venerant principibus se bene injuncta servasse falso affirmaret, corpus dominicum sub attestatione conscientiæ sibi suisque tradidit. Fertur quod ipso redeunte omnes, qui ficto corde & polluta conscientia ad mensam domini accesserant, infra spatium anni mortui fuerunt, Lotharius etiam in via morbo correptus Placentiæ diem obiit. ☙ Sigebertus ita: Lotharius Rex Romam ad Adrianum Papam se excusaturum vadit; à quo, dum pro comprobatione innocentiæ suæ ad examinationem corporis & sanguinis Domini tam ipse, quam optimates regni invitati essent, & ipse & omnes, qui corpus Domini cum eo temere accipere præsumserunt, infra ipsum annum perierunt ipso statim in redeundo Placentiæ defuncto. ☙ Factus est Colonienſis Archiepiscopus nomine Willibertus.

Anno DCCCLXXI Karolus Calvus Rex Francorum defuncto fratruele suo Lothario, dum Lotharingiam solus usurpare nititur, per moderantiam & industriam fratris sui Ludovici Germaniæ Regis, ad hoc attractatus est, ut æqualiter inter se regnum fratruelis sui dividerent. ☙ Guido: Regnum Lotharii quod fratri suo jure successorio

cessorio debebatur Imperatori Ludovico, cui paganis ab Italia propellendis intento regredi non licebat sine populi Christiani detrimento; Francorum Rex Karolus Calvus occupavit; sed dissidentibus ab eo terræ potentibus & insurgente magnis viribus adversus eum suo Germanorum Rege Germano Ludovico, pro regno nepoti restituendo, relicto quod invaserat, vix evasit. ☙ Episcopus Otto: Karolus audiens fratruelem mortuum regnum ejus invadit, quod Ludovicus frater ejus impedire conaretur, facta contentione prædictum regnum apud Narsannam ex æquo dividunt, Ludovico palatium Aquis sortiente. ☙ Guido: Regrediens tamen inde Karolus imperialem spoliat Aquisgrani vel Aquilæ capellam, His quæ Karolus magnus avus ejus à Constantinopoli detulerat & ibidem obtulerat, pretiosis thesauris & pignoribus sacrosanctis; quibus in Franciam ad ecclesiam sancti Dyonisii celebri cum honore translatis ad recurrentem annuatum diem translationis istius, quot annos ibidem populos de subjectis undique partibus concurrere præcepit edicto regali, quemadmodum avus ejus Karolus magnus olim fieri constituerat Aquisgrani. ☙ Sigebertus: Coloniæ celebrata Synodo ad dedicationem ecclesiæ à tribus *metropolitis Lotharingiæ*, Luithperto Moguntino, Bertulfo Treverensi, Wiliberto Colonienſi, cum ab eis etiam major ecclesia quæ est sancti Petri deberet dedicari; præcedente nocte auditæ sunt voces malignorum Spirituum inter se dolendo conquerentium, se à possessis diu sedibus debere expelli. Ab exercitu Ludovici Germani vario eventu varia bella contra Slavos geruntur. ☙ Elinandus: Secundum quosdam octava Synodus celebrata est hoc anno, quære in Gratiano distinctione LXIII. Sine dubio ista octava Synodus congregata fuit in urbe Constantinopoli & in auctoritatem recipitur, sed post istam nulla Græca Synodus à Latinis recipitur.

Anno DCCCLXXII. ☙ Guido: Karolus Calvus Rex Francorum cum tot regnorum habenas haberet ad manum, per opera magnifica in bellis, largitatis in milites, pietatis in pauperes, beneficio-

ficiorum in ecclesias, devotionis erga cultum divinum, & aliorum insignium multiplices gestorum titulos, circumquaque famosum & formidabile nomen adeptus est, & à nuditate frontis agnomen ; Sed quantum per successus exteriores ad superiora prosperitatis ascendit tantum, per varias clades in domesticis malis in adversitatis inferiora descendit; nam de fructu ventris sui multa doloris anxiatus est amaritudine, dum primo genitum * cum filiis Karolum, viro ferocitatis & fortitudinis giganteæ congressum excessu temeritatis amisit. ❧ Sigebertus : Ita Karolum Regem Francorum domestica calamitas in filiis suis afflixit : Nam filius ejus Karolus dum inconsultè voluisset experiri expertam cujusdam Albuini militis fortitudinem, & solus soli congressus fuisset, ab eodem Albuino ignorante quis esset, peremtus est. ❧ Karolomannus verò in clericatum usque ad dyaconatus officium provectum ipse pater cepit & excæcavit, pro eo quod ad apostasiam conversus & omni genere nocendi regnum perturbans alter quidam Julianus effectus erat. ❧ Guido : Eo quod per corruptores morum Karlomannum, per abrupta vitiorum ferretur effrenis cum ad refrenandam ejus insolentiam vitæ clericalis officio mancipasset invitum, & usque ad Dyaconii gradum promoveri fecisset ingratum, nec tamen revocare posset ab impetu quo rapiebatur in præceps; oculis eum orbari præcepit; sed cum nec tunc ab illicitis abstineret regni finibus, expulit & compulit ad patruum confugere Regem Germaniæ Ludovicum. Iste fuit natu tertius, secundum quoque scilicet Ludovicum balbum, qui post ipsum venit ad solium irritantem paternos animos, in multis invenit & in eo maximè, quod contra voluntatem suam vel præparato nimis vel minus splendidiori conjugio se conjunxit, sed nec in filia Judith læsionem indignationis animus ejus evasit, dum eam relictam Ethevvlfi qui Egbirthi filius, Elfridi pater, avus Edvvardi primi Regum Anglorum inconsulto patre rapuit, abduxit & duxit uxorem Princeps Flandriæ Balduinus, qui primus ob fortitudinem exercitiumque bellandi brachium ferreum est vocatus. Super cujus præsumtionis excessu vindictæ modum indi-

gnationis paternæ gladius exceſſiſſet, ſi non interceſſiſſet pro ſupplice Balduino Papa Romanus, ut in decretis habetur, ne propter hoc præpotens idem Princeps Galliarum partes occiduas jam incipientibus infeſtare Normannis auxilio jungeretur. In Anglia regnat Elfredus quintus & ultimus frater ſupra dictorum per annos XXVIII & dimidium. ☙ Baſilius Imperator Græcorum inter munera mittit Ludovico Regi Germaniæ criſtallum miræ magnitudinis auro gemmisque mire ornatum cum parte non modica ſanctæ crucis.

Anno DCCCLXXIII Romæ *Johannes Papa octavus* ſedit annis X, diebus II. Iſte ſcripſit quasdam interpretationes ſive *decreta ſuper librum Gothica legis*, ſicut invenitur in *libro qui Canones inſcribitur*. Ad hunc Johannem, Johannes Romanæ eccleſiæ dyaconus vitam primi Gregorii Papæ ſcribit in quatuor libellis laudabiliter editam. ☙ Epiſcopus Otto: Adalgiſius Beneventorum Dux fiducia Græcorum Ludovico Imperat. aſcitis ſibi Samnitis Lucanis, Capuanis rebellare parat. Auguſtus contractis copiis Beneventum bello premit, cui Adalgiſus occurrens fraude circumventum muneribus conciliatum finibus ſuis egredi perſuadet, porro Imperator Campaniam ac Lucaniam peragrans omnes civitates eorum, excepta Capua, absque gravi negotio cepit, quæ ex quadro lapide conſtructa dum non facilè poſſet expugnari obſidione cingitur cunctis à circuitu vaſtatis, Capuani deſperatis omnibus apertis urbis portis cum Epiſcopo corpus Germani portante lacrimabiliter ad pedes Imperatoris veniunt, veniam poſcentes miſericordiæ ſuæ ſe committunt, Imperator ut erat piiſſimus, cives in gratiam recepit expulſisque Græcis omnes Lucaniæ & Campaniæ Urbes Romano Imperio reſtituit. Inter hæc Adalgiſus doliis iterum Regem circumvenire intentat, occurrensque ipſi ſuadet ut militem dimittat, regionem parcat; adjiciens neceſſarium non eſſe Regem ſubjectum ſibi inaniter conſumere populum, Rex ad monitum Ducis omnibus præter paucos ad propria remiſſis Beneventum ingreditur, nichilque perperam ſperans dum circa meridiem ſtrato cubat ſubito à Beneventanis irruentibus arma corripere cogitur, Cives

ves autem cum Duce suo Adalgiso palatium incendere volentes, principem pacem petere, ac interposito jurejurando, ne amplius sine voluntate ipsorum fines illorum ingrederetur, promittere cogunt, Imperator hâc ignominiosâ pactione factâ Romam venit ibique coram summo Pontifice Johanne qui Adriano successerat, totoque Senatu causam suam exponit. ☙ Sigebertus ita : Adalgisus Dux Beneventorum à Græcis seductus contra Ludovicum Imperatorem rebellat, & multas Italiæ urbes ab eo deficere fecit, cui Imperator viriliter repugnans, Beneventum & Capuam capit, sed Adalgisi dolo persuasus exercitum dimittere, ita ab eo est circumventus, ut non posset evadere nisi turpi fœdere facto compulsus jurâsset Adalgiso ; se nunquam in vitâ suâ Beneventi fines intraturum, ob hoc Adalgisus à Senatu Romanorum reus majestatis & hostis publicus dijudicatus, & bello contra se decreto in Corsico fugit. ☙ Unde sequitur Episcopus Otto : Adalgisus à Senatu hostis ac tyrannus pronunciatur Augustusque à Pontifice auctoritate Dei ac beati Petri à Sacramento, quod nolens & pro conservandâ vitâ fecerat, absolvitur : Verum princeps quamvis à Sacramento liberatus juste videretur, tamen ad removendum scandalum per se ad compescendum Tyrannum ire recusat, collecto tamen milite Reginam eo destinat, Audiens Adalgisus timore perculsus in Corsicam Insulam fugit, & sic iram principis declinavit. Karolus Junior Ludovici Germaniorum Regis filius à dæmonio graviter in præsentia patris Regis & optimatum ejus vexatur, & in ipsa vexatione confitetur hoc sibi ideo contigisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur. ☙ Boso Comes dedit ecclesiæ Derventi sanctum Desiderium quod Karolus Calvus Rex Francorum confirmavit.

Anno DCCCLXXIIII In Italia Brixæ tribus diebus ac noctibus sanguis de cælo pluisse narratur ; Normanni etiam à regno Ludovici Germanorum Regis tributum exigentes ab exercitu illius graviter cæsi vincuntur. ☙ Episcopus Otto de locustis : Locusta innumerabilis cæteris locustis major ac senas alas habens veniens ab Orien-

& Gallias operit depastisque ibique segetibus tandem in mari Britannico resedit, ubi à vento raptæ ac in salo mersæ postque mari exa[ctu]te ad littus in immensum cumulum actæ vicinas fætore regiones [in]rumpere. ☙ Hugo scribit ita : Locustæ Galliam depopulant[es] numerabiles, cæteris locustis majores sena alarum remigia, sex[pe]duos dentes lapide duriores habentes, ut castrorum acies turm[a]volantes duces cum paucis itinere unius diei præmittentes ac[ies] tanda venturæ multitudini loca circa horam nonam ad locum [de]visum venientes ibique solis ortum exspectantes, per spatium [to]diei aerem velabant ipsum solis splendorem obnubilantes ; orc[is] extenso intestino, omnia viridia in herbis & arboribus vastaban[t] tium diurni itineris quatuor aut quinque milibus extendentes. [Ita] miserabili spectaculo ad mare Britannicum pervenientes tande[m] tu ventorum in profundum maris submersæ sunt, sed æstu Ocean[i] littus rejectæ ex putredine sua aere corrupto multos perire fecer[unt] secuta fames valida multos consumsit inedia, ut penè tertia pars hom[i]num consumta sit. ☙ Episcopus Otto : Anno DCCCLXXII [...] Ludovicus suavissimus Imperator dium ultimum clausit anno Imper[ii] XIX. ☙ Sigebertus : Ludovico Imperatore in Italia mortuo K[a]rolus patruus ejus Romam ire disponit.

Anno DCCCLXXV Hyemps solito & prolixior nix & g[e]lu à Kalend. Novembris usque ad vernale æquinoctium Ludovico Re[ge] Germaniorum apparuit in somnis genitor suus Ludovicus pius olim Imperator, adjurans eum per nomen trinitatis, ut eum eriperet a [tor]mentis, in quibus detinebatur, ut tandem æternam requiem mereret habere, ob hoc ad diversa monasteria eleemosynis destinatis, obn[ixe] filius succurrebat patri, unde datur intelligi, licet idem Imperator in[ul]ta Deo & hominibus placita fecisset, plura tamen Deo contraria in [suo] regno fieri consensit, in quibus graviora videbantur, quod hæresi[bus] cholaitarum non restitit & monita Gabrielis Archangeli XII capitu[lis] comprehensa, quæ Emarcus ei legenda & observanda obtulit, [ser]vare non studuit Normanni urbem Andegavis, quasi in ea habitaturi [es]sent

omnibus

omnibus suis occupant, ad quam oppugnandam Karolus Rex antequam iret Romam, ascito Salomone Britonum Rege multis diebus eam obsedit, sed cum Normanni ad desperationem adducti fuissent, invito exercitu pecunia ab eis accepta egressum [eis] annuit, eisque super hoc pacto pejora faciendi locum dedit. ❧ Episcopus Otto: Ea tempestate Karolus occidentalis Rex Normannos, qui occiso Roberto cæterisque regni primoribus ubique debachabantur, cum Britonum auxilio obsidione in Andegavensium quam occupaverant clausit urbe; at Britones videntes totam spem in amne fore, ab alveo eum derivare conantur, quo viso Normanni dextras petunt promissaque pecunia Regem turpiter obsidionem solvere persuadent, ipsi verò more suo secuti sunt nequissimi, minime promissa servantes, per Ligerim Franciam intrabant, multa graviora quam prius Regi faciebant mala, quanta autem prædicta gens regno Francorum fecerit, ab aliis satis dictum invenitur; est enim levissima & instabilis nec propriis contenta terminis, gratiosa tamen quocunque venerit & affabilis, hæc, ut dixi, occidentale regnum, sicut Saxones qui & ipsi instabiles sed feroces sunt, orientale semper investant. ❧ Sigebertus: Karolus ergo Romam veniens Johanne Papa & Romanis per munera sibi consiliatis, VIII Kalend. Januarii Imperator creatur & imperavit annis tribus. ❧ Episcopus Otto: Karolus Rex Romam veniens à summo Pontifice Johanne civibusque Imperium pecuniâ, ut dicitur, obtinuit. ❧ Guido: Cum Rex Karolus imperio jure successorio appropinquaret & in operum magnificentia tenendo justiti[illegible] potentia militari principibus aliis videtur esse excellens; in Imperatorem electus, & profectus Romam regaliter est ad culmen Imperiale provectus, ubi tunc Sarracenis solo magnanimitatis ejus auditu turbatis, adventu fugatis pacatis Italiæ rebus, ecclesiæque Romanæ, ad Gallias revertitur. ❧ Apud Virdunum sanctus Berchaldus fit Episcopus per annos X.

Anno DCCCLXXVI Cometes solito rutilantior apparuit. ❧ Subita & nimia aquarum inundatio facta est in Junio ita, ut in Saxonia

xonia villa quædam longè à torrentibus & fluminibus remota in momento cum hominibus & beſtiis, cum arboribus & ædificiis, cum eccleſia & altari, penitus abſorta ſit & nullum habitationis remanſerit veſtigium. ❧ Britones Rege ſuo Salomone mortuo pro contentione regnandi inteſtino inter ſe colliduntur bello, ſicque inviti ceſſant a Galliæ exterminio. ❧ Karolo Imperatori a fratre ſuo Ludovico bellum paratur, quod ſe inconſulto ſolus Imperium fratris uſurpavit, Karolus vero poſt adeptum Imperium ultra ſe elatus conſuetudines Francorum vilipendens Græcas glorias & inſolitos habitus affectabat & talari Dalmatica indutus, & deſuper baltheo accinctus, pendente usque ad pedes, capite vero involuto velamine ſerico & dyademate ſuperimpoſito procedebat, & cum eſſet lepore timidior & hoſtes fugere quam fugare paratior, fratrem ſuum Ludovicum laceſſebat minatus tantas copias ſe conducturum ut ab equis flumine exhauſto ipſe per aridum alveum germaniæ regnum intraret. ❧ Ludovicus interea Rex Germanorum moritur, Karlomannum relinquens patrem Arnulphi Imperatoris, Ludovicum juniorem & Karolum etiam juniorem qui non multo poſt etiam imperavit, Karolus Imperator quaſi de morte fratris gaviſus injuſtitiam, quam contra fratrem conceperat, contra filios fratris perficere paratus cum L & eo amplius hominum milibus regnum eorum aggreſſus Coloniam usque pervenit filiis Ludovici alias occupatis. ❧ Epiſcopus Otto : Ludovicus ſenior orientalis Rex apud Frankevort diem obiit, tres filios reliquens. Porro Karolus Imperator morte fratris audita, regnum Lotharingiæ invadere molitur, collectoque milite primo palatium Aquisgrani occupans, Coloniam usque progreditur. Inter hæc Karlomannus Italiam ingreſſus Imperium arripere tentabat, verum Ludovicus, qui patris exequiis interfuerat, Orientalium Rex à principibus creatus jam regnare ceperat, audiens ergo patruum ſuum Karolum fines regni intraſſe miſſa legatione regno eum cedere monet, quo non acquieſcente collecto milite ad pugnam progreditur. Nec mora in pago Mognienſi, non longe ab Andrenaco juxta Renum pugna conſeritur,

Digitized by Google

feritur, fusisque ex utraque parte militibus tandem Karolus terga vertere compellitur. ☙ Unde Sigebertus : Ludovicus junior legatione ad patruum missa rogabat ea quæ sunt pacis, quod cum impetrare non posset, viriliter eum bello excepit eumque victum cum nimio exercitus damno & multo dedecore fugere compulit. ☙ Rollo Dux cum suis Normanniam penetravit & LIII annis in ea regnavit. Ab hoc derivatur Genealogia Ducum Normannorum, & regum qui ex eis nati fuerunt postmodum genti Anglorum. Nota : quod *Indictio* anni sequentis incipit in fine Octobris, scilicet Kalend. Octobris hujus anni & sic de singulis. Indictione ergo decima, anno XXXVII regni sui, & successione Lotharii VII, Imperii vero secundo, fecit Karolus calvus privilegium Bertoloni Abbati sancti Benigni Divionensis, & corepiscopo.

Anno DCCCLXXVII Wallo fit Metensis Episcopus per annos VII. Quidam *Henricus monachus vitam Sancti Germani Antisiodorensis heroico metro in sex libellis luculenter exaratam* Karolo Imperatori obtulit. Ingruente in Germania pecorum pestilentia, ut dum canes undique collecti cadaveribus incumberent, ita disparuerunt, ut nec vivi nec mortui reperirentur. ☙ Guido : Karolus Imperator nepotis sui Ludovici Imperatoris filiam Ermengardem *Bosoni* de suorum sublimioribus & cujus innitebatur consilio, dedit uxorem & Burgundiæ trans Rodanum atque Provinciæ constituit eum Regem. ☙ Unde Sigebertus : Karolus Imperator Romam secundo profectus Bosoni germano uxoris suæ neptem suam filiam Ludovici Imperatoris uxorem dedit, & data ei provincia in regem eum coronavit, ut etiam Regibus imperare videretur. ☙ Episcopus Otto : qui Boso etiam in Regem Burgundiæ coronatus est à Pontifice Lugdunensi. Karolus Imperator secundo Romam petiit, unde reversus ac per Lombardiam iter faciens Papiam se contulit, ubi dum audiret Karolomannum fratris sui filium cum magno exercitu intrâsse Italiam, in Franciam redire volens in via, ut dicitur, veneno anno Imperii tertio vitam finivit. ☙ Sigebertus : Audiens Karolus fratrue-

-les

les ſuos Karolomannum & Karolum contra ſe exercitum addu-
pavore ſolutus reditum parat à quodam Sedechia Judæo, mali-
natus Mantuæ moritur. Obiit itaq; Imperator Karolus calvus
Octobris anno imperii ſui tertio, regni vero XXXVIII. Tam-
Sanctum Benignum ſcribitur pridie nonas octobris, id est
diebus citius. ❧ Elinandus: Karolus iſtè calvus monaſte-
cti Cornelii apud Compendium fundavit & perfecit, hoc cat-
gitaverat ipſe facere ad inſtar Conſtantinopolis & de nom-
illud Karnopolin appellavit, hic in dictum diem, quem Karol-
gnus avus ejus apud Aquisgrani id eſt Aquilæ capellam ſuam
rat, inſtituit apud Abbatiam Sancti Dyoniſii, & quia in Eccle-
Dioniſii multa rapuerat quæ alii dederant, ſpineam coronam
ni & unum de clavis & de ligno crucis & alia quædam ibi attuli-
darium verò apud Compendium reliquit, & hoc inſtituit tem-
Nicholai Papæ, antequam reliquiæ oſtenderentur populo.
fames ſolebat eſſe in Gallia, ut aſinos & caballos comederent,
per Domini miſericordiam poſtea ceſſavit, quod cum Karolus
vus attuliſſet à Roma beati Papæ Cornelii corpus, in Imperat-
de novo creatus venit apud villam ſuam Pontigonem, quæ tunc
fiſcus Regius & ibidem cum corpore Sancti quievit, & cum vellet
cedere, non potuit corpus ſanctum moveri, donec eidem ſancto
Cornelio daret Rex in pago Depteto [De Perteto] id eſt Pertois,
vam de Hur inter Saum fluvium & Matronam & quædam alia incl-
❧ Qui Imperator Karolus cum mortuus eſſet Mantuæ [Nantuæ]
ſecundo ſuo reditu à Roma, & corpus ejus allatum eſſet Vercellis,
ſuaſum eſt quibusdam eum mortuum fuiſſe Vercellis, relatum
autem corpus ejus usque Lugdunum & ibi in quodam monaſterio
pultum. ❧ Elinandus: Poſt non multum tempus apparuit
Imperator in viſu noctis cuidam monacho ſancti Dyoniſii nom-
Erchengario & in eadem nocte cuidam Clerico ſancti Quintini
madenenſis nomine Alſoni, dicens utrisque ſe eſſe Karolum
vum, & ex Dei juſſu eis apparuiſſe, ut diceret eis, quod Deo &

Dyoni-

Dyonisio displicebat, quod corpus ejus non esset sepultum in ecclesia sancti Dyonisii, cui tanta munera pro Dei honore contulerat, irent ergo & dicerent Ludovico filio suo & proceribus regni, ut eum referrent. In historia Remensi fit mentio de visione cujusdam Bemoldi redivivi, quod viderit Karolum hunc jacere in luto in loco tenebroso, sed postea per subsidia quæ illi impendit ad ejusdem Regis petitionem & mandatum. Archiepiscopus Hingmarus vidit ipsum Regem in loco lucido sanum corpore, regiis vestibus indutum.

Anno DCCCLXXVIII Regnat in Francia Ludovicus cognomento Balbus Karoli calvi filius annis fere duobus. ☙ Guido: Ludovicus iste Franciæ Rex paternum corpus à prædicta civitate transferri fecit in Franciam, & apud ecclesiam sancti Dyonisii quam excoluerat, & exaltaverat præ cæteris, devotione magna dilexerat, multo cum honore more regio sepeliri in medio choro sub Abbate ejusdem loci Walthero. ☙ Sigebertus: *Adhunc Ludovicum* Johannes Papa transferre satagebat Imperium, quod adeptus junior Karolus Ludovici Germanorum Regis filius, quibusdam Romanorum nobilium eidem Karolo contra voluntatem Papæ annuentibus, Johannes verò Papa à Romanis injuriatus ut etiam in custodia teneretur, pro eo quod electioni dicti Karoli non favebat, veniens in Franciam cum Ludovico Balbo pene annum moratus est. ☙ Guido: Prædictus Ludovicus cognomento balbus Francorum solio sublimatus dum ad obtinendum imperium pro instruendis copiis, contrahendis auxiliis, consiliis prolixioribus uteretur; longos cunctationis anfractus sagaci celeritate prævenit filius patrui sui Ludovici Karolus, qui post ipsum, & fratres suos Karolomannum & Ludovicum regno Germaniæ præsidens, barbaricæ gentis irruptione subegit Italiam, & à Romanis per violentiam ut fieret Imperator exegit. ☙ Prædictus verò Papa Johannes dum esset in Francia Pontificatus sui anno sexto Metensium Episcopo, Waloni nomine, qui successerat Adventio, pallium Archiepiscopale concessit, cui concessioni Archiepiscopus Treverensis viriliter se opposuit, & post multas altercationes palmam victoriæ reportavit.

tavit. Idem Papa Johannes patriarcham Constantinopolitanum nomine Phocium Neophitum à Papa Nicholao quondam depositum in sedo sua restituit, interventu Basilii Imperatoris, & filiorum ejus Leonis & Alexandri, sicut in libro qui Canones inscribitur plenius continetur. Idem Johannes Papa Regi Bulgarorum Michaeli nomine scripsisse in eodem libro invenitur. ❧ Hoc tempore claruit *Johannes Scotus*, vir perspicacis ingenii & mellitæ facundiæ, qui dudum concrepantibus undique fragoribus bellorum ad Karolum Calvum in Franciam transierat, cujus rogatu Jerarchiam Dyonisii Areopagitæ de Græco in latinum, verbum è verbo, transtulit; composuit etiam librum, quem peryfisson merinnoy [peri physeon merismou] id est, de naturæ divisione titulavit, apud quæstiones solvendas bene utilem; si tamen ei in aliquibus ignoscatur, in quibus à Latinorum tramite deviavit dum in Græcos acriter oculos intendit. ❧ Hic succedentibus annis munificentia Regis Anglorum Elfridi electus venit in Angliam & apud monasterium Malmesberiense à pueris, quos docebat, graphiis, ut fertur perforatus etiam martir æstimatus est, hoc autem fuit ejus epytaphium:

Clauditur hoc tumulo sanctus Sophista Johannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro
Martirio tandem Christi conscendere regnum,
Quo meruit Sancti regnant per secula cuncti.

Scabri sunt hii versus & moderni temporis lima carentes, qualiter dictus liber per CCC circiter annos auctoritatem obtinuerit & tandem damnationem incurrerit, habetur inferius in anno Domini MCCXXV, quando idem liber jussus est comburi.

Anno DCCCLXXIX Normannorum plus quam L M à Francis in Gallia cæsa sunt. Hoc tempore clarebat *Milo monachus de sancto Amando*, qui *vitam sancti Amandi* metricè edidit, & *librum de sobrietate* ad Karolum calvum scripsit, sub hoc Milone adolescebat etiam Nepos ejus *Hubaldus*, qui in septem liberalium artium peritia clarus egregiè præter cætera in musica claruit & de multis sanctis

cantus

cantus dulci & regulari modulatione compoſuit. ☙ Obiit Francorum Ludovicus Rex Balbus VI Idus Aprilis. Unde ſequitur Sigebertus : Rex Francorum Ludovicus balbus moritur, uxorem ſuam ex ſe gravidam relinquens, de regno ejus Francis varie ſentientibus, aliis illud ejusdem Ludovici Balbi *ex concubina* [filiis] Ludovico & Karolomanno deberi judicantibus, aliis Boſoni Provinciæ regulo ad illud injuſte invadendum aſſentientibus ; aliis verò illud regno Germaniæ reſociare volentibus; naſcitur interim ex legitima uxore Ludovici balbi filius, qui ex nomine Karolus nominatus eſt. ☙ Guido : Ludovicus balbus poſt biennium ſepultus eſt apud Compendium relinquens duos ex priori conjuge filios, Ludovicum ſcilicet & Karolomannum, tertium ex ſecunda qui Karolus poſtea ſimplex dictus eſt, & in matris utero derelictus. ☙ Sigebertus : Qui Ludovicus & Karolomannus interim regnum Francorum inter ſe dividentes regnaverunt ſimul annis circiter quatuor, & Boſonem ſemper perſecuti ſunt. ☙ Epiſcopus Otto : Qui Boſo Lugdunum veniens à Pontifice ejusdem urbis in Regem Burgundiæ ungitur, ſed à prædictis adoleſcentulis Ludovico & Karolomanno arcetur. ☙ Guido: Quorum Ludovicus natu major regnum aſſecutus odiis eſt perſecutus & armis Boſonem de quo prædiximus, quia detrimento regni ſui Rex fuerat ab avo ſuo Karolo calvo conſtitutus, eumque bello & damnis, quoad vixit, afflixit; & ſi moras egiſſet in præſenti luce majores, provinciæ regnum in ſubjectam ſibi provinciam redegiſſet, qui Ludovicus apud Abbatiam de ferrariis Senonenſis dyoceſis *nullo præſente metropolitano* per quosdam Epiſcopos & Abbatem Hugonem coronatus eſt cum uxore, ſicut habetur in Epiſtola Yvonis : Mater Ludovici balbi uxor Karoli calvi Ermentrudis apud ſanctum Dyoniſium ſepulta eſt.

Anno DCCCLXXX. Sol hora diei nona ita obſcuratus eſt ut ſtellæ in cælo parerent. In Silva Franciæ Carbonaria plus quam IX Mill. Normannorum à Francis ceduntur. ☙ Guido : Ex dictis Guilelmi, de Barbarico per Angliam & Franciam furore Danorum : Eo tempore Rex Danamarchiæ Lotrocus filium ſuum Bier, ætate flo-

rentem, virtute ſtrenuum, qui maternisque venenis infectus, * offerre nudum ferreo latus acumini non timebat, *coſta ferrea* dicebatur; cum Haſtingo Principe militiæ ſuæ multaque manu juventutis electæ, multitudinis indigenæ pene ſe comprimentis onere levare patriam, & exteras ſedes armis adquirere jubet, more ſeptentrionalium nationum; quæ licet earum ſingulæ propriis nominibus cenſeantur, Scythæ tamen generaliter appellantur, quos à continenti profectos in Angliam per mare devectos & abradentes cædibus & incendiis habitatores cum habitaculis, rege magnifico reſiſtente potenter Elfredo, nunc prævalendo, nunc ſuccumbendo, nunc occumbendo, nunc perimendo * variis alternæ conflictationis eventus excepit; Sed Rex Elfredus quibus erat inferior aliquando marte factus eſt arte ſuperior, dum ſpeciem *joculatoris* indutus introductus principalibus tentoriis & conſiliis eorum ad plenum imbutus, cum pervidiſſet ea quæ libuerat & muneratus ab eis abiiſſet, repentinus aggreſſor abegit ab Inſula profligatos & redire coegit ad naves. ☙ Elinandus ex dictis Guilelmi & ex translatione ſancti Cuthberti : Rex Elfredus novem continuis annis cum hoſtibus pugnavit; hic cum quadam die in Inſula incluſus ſolus domi eſſet, ſociis per oram fluminis ad piſcandum diſperſis, corpus curis ægrum ſopori dedit, & ecce ſanctus Cuthbertus Lindisfarnenſis quondam Epiſcopus ſic dormientem alloquitur: Ego ſum Cuthbertus, ſi audiſti, miſit me Dominus ut tibi proſpera nunciem. Anglia jam dudum peccatorum ſuorum pœnas luit, modo tandem indigenarum Sanctorum meritis à Domino reſpecta eſt; tu miſerabiliter regno extorris, poſt paucum tempus in ſolio gloriosè reponeris, & hoc tibi ſignum : Venient hodie piſcatores tui, magnam piſcium multitudinem corbibus evehentes, quod mirum eſt cum gelante aqua fluminis nihil tale ſperetur, ſed & tempus frigidum omnem artem piſcantium eludit; tu fortunæ ſecundæ compos memento liberatoris tui, & ejus nuncii. Hoc idem viſum eſt per ſomnium matri ſuæ. Experrecti ambo ſua ſomnia referebant, & ecce piſcatores adveniunt cum magna piſcium copia, non multo poſt ergaſtulum

ſtulum exire auſus in quo à Danis tenebatur magnæ ſtutiæ periculum fecit, Regis illico Danorum ſubiit tentoria ſub ſpecie mimi, unius tantum ſibi fideliſſimi fervens [ſervientis] conſcia; ibi tanquam artis joculatoriæ profeſſor etiam in ſecretiora triclinii admiſſus omnia arcana oculis & auribus percepit, pluresque dies ibi moratus ad Helingiam rediit, exponensque ſociis omnia, irruit repente ſuper barbaros otioſos, quorum plurimis occiſis reliqui cum Rege ſuo dederunt obſides, quòd Chriſtiani fierent & ab Anglia diſcederent, Rex unius partis eorum Gudrum quem noſtri Gnormundum vocant cum XXX proceribus & omni pene populo baptiſatus eſt, & in filium ab Elfredo ſuſceptus. Cæteri ex Danis, qui Chriſtiani eſſe noluerunt, cum Haſtingo mare transfretaverunt. ☙ Epiſcopus Otto: Anno Domini DCCCLXXX Karolomannus Ludovici filius cui Bajoaria ſorte devenerat poſt multos triumphos, quos ſub patre & poſt patrem peregerat, regnique terminos plurimum dilataverat, paraliſi diſſolutus moritur ac in loco Bajoariæ, *Odingas* dicto, ſepelitur relinquens filium ex nobili fœmina ſed non legitima, quem de beati Arnulphi nomine tanquam Karolorum origine Arnulphum vocaverat, hic eſt *Arnulphus*, cui poſtea monarchia ceſſit. At Ludovicus Orientalis Franciæ Rex morte fratris comperta Ratisbonam Bajoariæ metropolim adiit omnesque terræ illius optimates ditioni ſuæ ſubjecit, Arnulfo quoque ducatum Carentani cum caſtro Moſeburg tradidit.

Anno DCCCLXXXI Karolus, qui in diviſione Alemanniam acceperat, in Italiam procinctum movet, totaque Longobardia in deditionem accepta, ad urbem usque progreditur, ubi a Johanne Papa omnique populo, Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. ☙ Unde Sigebertus: Karolus Romæ a Johanne Papa in Imperatorem benedicitur, item Karolus Imperator fratre ſuo Karolomanno defuncto & non multo poſt Ludovico altero fratre ſuo immaturâ morte prærepto, poſt claras de inimicis victorias regnum Germaniæ obtinuit. Normanni, adjunctis ſibi Danis Franciam & Lotharingiam pervagantes Ambianis Atrebatis, Corbejam, Tavernam, Cameracum, fines

Morinorum, Menapiorum, Brachatenſium, [Bracbatenſium] omnemque circa Scaldum flumen terram, monaſteria Walerici & Richarii, ferro & igne devaſtant. Rex Ludovicus de Francia frater Karlomanni bellum gerens contra Normannos in pago Veriminico ex eis VIII milia fundit & victoriam adeptus eſt, & non multo poſt obiit pridie Nonas Auguſti, & apud ſanctum Dyoniſium ſepultus eſt, regnavit annos duos, menſes tres, dies XXIIII, & quia tam cito ſubtractus eſt, quaſi nichil feciſſe dictus eſt. ☞ Guido de eodem: Sed ut fertur Yſembardus juvenis egregiæ probitatis atque militiæ, nepos ejus fuit occaſio, per quam ante meridiem ætatis ſuæ & magnificentiæ, vitæ eſt ſubire coactus occaſum; hic enim cum adultorum iniqua conſilia Regis avunculi, quam non meruerat, incurriſſet offenſam, non jure ſed per injuriam regno pulſus & ad Regem Gnormundum, cum adhuc erat paganus, fugere compulſus, tam arcto familiaritatis & amicitiæ vinculo colligatus eſt ei, quod ob ejus dilectionem ad ultionem de avunculo repoſcendam cum innumerabilibus armatorum milibus conjunctisque ſibi Normannis & Danis adhuc gentilibus, depopulatis Angliam, transfretavit in Franciam & devaſtavit adjacenti mari Britannico regionem, ibique cum multis aliis Centulum vicum regium & antiquum, ac nobile monaſterium ſancti Richarii concremavit, quo comperto Rex Franciæ magnanimis Ludovicus cum armipotenti virtute Francorum haud ſegniter occurrit furentibus impiis, & concurrit, magnam eorum multitudinem abraſit, cæteros fugere compulit, in quo conflictu, quia rotando fulmineos ictus graviter eſt afflictus per nimium laborem, vigorem perdidit & incidit in languorem, quo quaſi fractus in novitate à vita eſt præruptus, & regnavit Karlomannus frater ejus.

Anno DCCCLXXXII Normanni Wal fluvium ingreſſi, totam Batuam, palatium etiam Neomagi incendunt. Eodem anno Godofridus & Sigifridus Reges Normannorum cum innumerabili multitudine juxta Moſam in loco Hasion conſedentes, Leodium, Trajectum, Tungris, Coloniam Agrippinam, Bunnam, cum adjacentibus

tibus caſtellis comburunt, Aquis in palatio equos ſtabulantes, oppidum & palatium incendunt. Præterea monaſteria, Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam, ſacri ordinis in utroque ſexu miniſtri ubi poterant oportunius latebant & ſanctorum corpora & pignora tutioribus locis abſconderant. ❧ Epiſcopus Otto: Ea tempeſtate Normanni regnum Ludovici Regis Germaniæ per Wal fluvium ingreſſi Noviomagenſe palatium concremant, ac inde per circumquaque diffuſi, Coloniam, Bunnam, Aquis cum adjacentibus regionibus, caſtellis & vicis devaſtant. ❧ Sequitur Sigebertus: Ad hæc mala Hug filius Lotharii Regis in Lotharingia & Boſo ſupra ſcriptus in Burgundia tirannizabant. ❧ Elinandus: Haſtingus vero fugatus ab Anglia ab Elfredo Rege, ut ſupra dictum eſt, cum ſuis transfretavit, & Pariſius & Turonis, & multas alias urbes, quæ ſuper Sequanam & Ligerim ſitæ ſunt, civibus evacuans, usque ad Tyrrenum mare graſſatus eſt. ❧ Item Elinandus ex dictis Odonis Abbatis Cluniacenſis: qualiter corpus beati Martini à civitate Turonenſi translatum eſt usque Antiſiodorum. Hic Haſtingus ſupra dictus, vaſtatis ſuperioribus Galliæ partibus, Turonum obſedit, cujus cum murus crebro pulſaretur ariete, curritur ad corpus ſancti Martini & defertur illud ad locum debiliorem, mortuũ pro vivis defenſorem facientes, * mox fugerunt quos Turonici perſecuti ſunt usque ad ſextum lapidem, ubi ædificata eſt eccleſia una ſancti Martini in loco illo ubi ſanctum corpus ſubſtiterat, ibidem erant antiquarum maceriarum ruinæ, ubi dicebatur aulam fuiſſe Valentiniani, in qua ſedens non dignatus eſt aſſurgere Martino, donec afflante incendio invitus ſurrexit. Non multo [poſt] hanc fugam Haſtingi venit ab eisdem finibus Rollo, qui victis Britonibus & Flandrenſibus, & urbibus eorum & oppidis ſuccenſis venit Cenomannum, & obſedit eam & Præſides * exercitus ſui ad Turonum civitatem, ſed tunc Dei providentia Karus & Ligeris adeo inundaverant, ut ad Turonum accedere non poſſent. Porro monaſterium non longe à Turonis funditus everſum centum ibi & XVI monachi ibi gladio percuſſi ſunt. Abbas Herbernus & alii XXIIII

in ca-

in cavernis latitantes evaſerunt, qui ad hoc reſervati ſunt, ut patroni ſui corpus proſequerentur. Abbas tamen de latebris abſtractus nullis tormentis cogi potuit vel theſauros eccleſiæ prodere vel monachos latitantes. Horum nemo reſiduus fuit quem non Martinus poſtea eccleſiæ regimini præfeceret; tunc Abbas & illi XXIIII recedentibus Danis à Canonicis ſancti Martini cum reverentia ſuſcepti ſunt, & adducti ad urbem & ibi aliti. Transactis ſex menſibus, Rollo Genomannum cepit, tunc transmiſſum eſt corpus ſancti Martini Aurelianis cujus cuſtodes fuerunt Herbernus Abbas cum XXIIII monachis, illis & XII Canonicis & XII Burgenſibus novi caſtri, qui illis in omnibus neceſſaria providebant : poſtea venerunt ad ſanctum Benedictum ſuper Ligerim. ☙ Deinde audientes, quod Rollo jam Aurelianis veniſſet, perrexerunt Cablejam, poſtea Antiſiodorum, ubi innumera miracula facta ſunt in eccleſia. ☙ Unde Guido: Beati Martini venerabile corpus à Turonis apud Antiſiodorum in ſancti Germani monaſterio debita cum honorificentia collocatum, cum ſignis & miraculis propè & procul poſitos invitaret; inter Sanctorum Martini miniſtros atque Germani, ſuper oblationum commodo contentio fieri cepit, & finem accepit hoc modo: decernitur horrendum; lepræ contagione medius inter corpora ſacroſancta ponendus, ut ad cujus partem leproſi mundatio provèniret ad ejus miniſtros oblatio pertineret, à parte Martini facta mundatio, perhibet hoſpitali pro reverentia Germanum ceſſiſſe Martino; & ut fierent de miraculo certiores, alterum Martino latus objiciunt & mox curatum illud aſpiciunt; in Martino miraculorum gloria prædicatur, hoſpitalitatis in Germano benevolentia commendatur. ☙ Epiſcopus Otto : Inter hæc Ludovicus Germaniæ Rex ad Frankevoert diem obiit, & in monaſterio Laureacenſi juxta patrem humatur, cujus frater tertius Karolus Imperator factus in Italia morabatur translatio ſancti Remigii apud Sparnacum timore Normannorum. ☙ Et apud Abbatiam Orbaci eodem anno mortuus eſt Archiepiſcopus Remenſis Hingmarus apud Sparnacum, cujus corpus relatum eſt apud

ſanctum

ſanctum Remigium, ſuccedit Fulco vir nobilis *cognatus Regis Italiæ Guidonis*, de quo habetur in ſequentibus, rexit eccleſiam annis XVII & menſes tres.

Anno DCCCLXXXIII Otto Epiſcopus: Normanni morte Regis Germaniæ Ludovici comperta ſecuri facti nobiliſſimam urbem Galliæ * à Julio Cæſare quondam ſubverſam in ipſa cæna Domini Nonas Aprilis irrumpunt, ac ibi usque ad Paſcha morantes tam ipſam quam adjacentem regionem igne conſumunt. ☙ Unde Sigebertus: Normanni urbem Treverim incendunt & Metim usque pertendunt, ibique conſerto prælio Wallo Metenſium Epiſcopus cæſus eſt; Berthulfus verò Treverenſis Archiepiſcopus ſauciatus de prælio fugit, qui eodem anno deceſſit. Normanni vero præda Francorum onuſti ad claſſem revertuntur. In Anglia verò, ſecundum quod in hiſtoria translationis ſancti Cuthberti continetur, translatum eſt corpus ejusdem Sancti in villa de Cunkaæſtre & ibi facta eſt ſedes epiſcopatus quondam Lindisfarnenſis. ☙ Romæ mortuo Papa Johanne Octavo Martinus ſedit anno uno, menſibus quinque. ☙ Fulco Remenſis Archiepiſcopus corpus beati Remigii reduxit de Orbaco ad eccleſiam ſanctæ Mariæ Remis. ☙ Metis poſt Wallonem præficitur Epiſcopus Dominus Robertus reformator cænobiorum & murorum per annos XLI, qui pallium à domino Papa promeruit.

Anno DCCCLXXXIIII Karolus Imperator à Gallis & Germanis ad auxiliandum regno evocatus, Normannos obſedit. ☙ Unde Epiſcopus Otto: Principes tam Galliæ quam Germaniæ omnes Karolum precibus pulſant, quatenus ad ſuſcipiendum paternum regnum fratre mortuo redeat, patriamque ab incurſione hoſtium liberet, qui nil moratus, ab Italia revertitur aſſumtis Longobardis, Bajoariis, Saxonibus, Freſonibus, Alemannis, Thuringis aliisque pluribus contra Normannos, qui adhuc in Germania morabantur, procinctum movet: Itaque Godefridum Normannorum Regem, data ſibi filia Lotharii Giſila, cum Freſia provincia Chriſtianum fecit, eumque de ſacro fonte ſuſcepit, & ſic eum finibus regni cum ſuis

cedere persuasit; Sifrido quoque altero Rege eorum nimis munerato, à regno cedere fecit, qui mox Franciam repetentes à Karolomanno Francorum Rege XII Mill. talenta argenti probati pro tributo exigunt & sic in XII annos pacem promittentes, mare repetunt. ☙ Unde Guido : Karolomannus Rex Francorum tam ferro quam auro propulsata rabie Normannorum paulo post in silva quæ dicitur Evelina monte, qui vocatur aëricus *à singulari fero*, ferociter est peremtus VIII Idus Decembris. ☙ Quod Episcopus Otto sic testatur: Karolomannus in venatu ab apro percussus diem obiit. ☙ Treveri Abbas Mediolaci nomine Rothodus factus est Archiepiscopus, qui Robertum Metis & apud Virdunum Dadonem consecravit Episcopos.

Anno DCCCLXXXV Karlomanno Francorum Rege mortuo, Normanni Franciam petunt, dicentes se cum Rege Francorum, non cum Francis, pacis peregisse pactum. ☙ Guido : Audita Franciæ desolatione Normanni tum quia Rege carebant, tum quod hæres regni puerulus erat, ideoque dissidentium inter se principum tumultu multiplici quateretur; dant arma manibus, & naves fluctibus, & vela flatibus, pulsando remis pectora sectantes [pectore secantes] æquora, Sequanæ littora subeunt & quas pertranseunt pessundant undique regiones; hinc compulsi Franci Karolum Imperatorem ad auxiliandum sibi invitantes, Franciam ei subjiciunt. ☙ Episcopus Otto : Occidentales Franci principibus amissis Karolum Imperatorem, qui tunc solus *ex stirpe Karolorum* supersse videbatur, ultrò invitant, eique venienti subjiciuntur, unde multa ac varia cum Normannis gessit bella. ☙ Sigebertus : Contra quos apud Lovanium castra metatos, semel & bis exercitum misit, sed parum ibi profecit, regnavit ergo Karolus Imperator etiam in Francia annis IIII. Hic annus fuit Karoli in Italia quintus, & in Gallia primus, secundum privilegium sancti Benigni. ☙ Guido : Eo quod mortuorum Regum fratre Karolo puero, qui Rex futurus, & si supergresso vagitus infantiæ, vaginam tamen pueritiæ nondum egresso, cum simultates

quoque

quoque bellorum & tumultus multiplicentur, in regno prudentibus usi consiliis Imperatori prædicto regnum puerumque committunt.

Anno DCCCLXXXVI. Quidam Agapitus fuit Papa secundum Sigebertum, licet eum duobus annis tardius ponat quam in aliis libris non habetur, & post annum, id est ab hinc anno tertio ponit Adrianum, quem puto eundem fuisse binomium. ☙ Hic est Adrianus tertius qui secundum magistrum Hugonem sedit anno & mensibus tribus. ☙ Hugo filius Lotharii Regis ex Waldrada pelice paternum Lotharingiæ regnum rebellando assequi sperans Godefrido Normannorum Regi, cui soror ejus Gisila nupserat, medietate affectati regni promi[illegible] suadet, ut ab Imperatore imperiales fiscos ad libitum suum sibi addi peteret; per hoc utrinque Imperatorem circumveniri putans, quia si daret, Normanni hostes regni in visceribus regni immitterentur : Si negaret, justam rebellandi causam habere videretur. Ad hoc tractandum jussu Imperatoris Henrico Duce & Godefrido in Batuam ex condicto convenientibus inter agendum Godefridus cum suis perimitur, nec multo etiam Hugo ab Henrico captus excæcatur, & novissimè in monachum Prumiæ totonditur. Apud Constantinopolin Basilio Imperatore mortuo imperant simul Leo & Alexander filii ejus annis XVIII, hujus Leonis duo præclara facta habentur in sequentibus.

Anno DCCCLXXXVII Normanni à Lovanio exeuntes Parisius obsident, contra quos Henricus Dux exercitum ducens dum incautè equitat, in foveam quam Normanni factam quisquiliis operuerant lapsus, trucidatur. ☙ Guido : Dum Normanni Parisius obsidione circumdant imploratus à Francis, tanquam regni gubernator, Imperator Karolus ex præcipuis amicum Ducem Henricum cum valido mittit exercitu defensare Francos & debellare Normannos, qui cum suis appropinquans & obsidentibus & obsessis, cum in hostes prior irruisset, & equo ruisset rumpente fragilem operturam super terræ defossam ab hostibus aperturam, dum à suis quasi lente succurritur & ad ipsum cito recurritur, & à Normannis interficitur, unus à multis,

cæteris suorum vix fugæ subsidio evadentibus, invadentes. ☙ *Hugo Dux & Abbas* miræ potestatis & prudentiæ moritur, cujus consilio per septem annos regnum Francorum, ex quo Ludovicus balbus obierat, fuerat commissum. ☙ Apud Tullum post Arnaudum Ludelinus fuit Episcopus.

Anno DCCCLXXXVIII Genbaldus Episcopus Lingonensis. ☙ Karolus Imperator cum Normannos nequiret expellere, tandem facto fœdere concessit eis regiones quæ erant ultra Sequanam, quarum incolæ contra se rebellabant, quæ pars Franciæ à Normannis *Normannia* est dicta, quamvis esset eis regio propria, sed non ita, ut nunc est, dilata. ☙ Guido : Karolus Imperator [illegible] animoque remissus cum ad gubernandum regnum simulque imperium se sufficere non metiretur, tutelam pueri, videlicet Karoli simplicis, cum regni procuratione committit Odoni filio supra dicti Roberti Andegavensium Comitis, quia virtute militari præstare cæteris regni principibus morum & corporis elegantia videretur. ☙ Quædam notula dicit ita : Normanni fugati à civitate Parisius Senonas venerunt, quorum timore Waltherus Senonensis Archiepiscopus unxit *Odonem in Regem*, ut exiret contra eos. Fuit enim iste Odo frater ex matre supra dicti Hugonis Abbatis, filii Karoli magni ex Regina; unde aliqua erat ratio quod ei in tutela regni succesſit. Potuit igitur fieri, ut primò ungeretur ab Archiepiscopo, postea confirmaretur, quod factum erat à memorato Imperatore Karolo. ☙ Item Guido : Videntes Normanni civitatem Parisius armis situque munitam & recenti fultam auxilio, sibique laborem obsidionis incassum cedere, parant recedere, totumque per terram, quia non poterant per artapontium, incredibili suum arte navigium transfretant in superiora fluminis ultra Parisium, & percurrentes alveos tam Sequanæ quam Matronæ desolatis odiisque Campaniam regionibus atque Burgundiam, itinere quo venerant versus Occeanum reverruntur ; inde remigando circa Britanniam suæ non sinunt eam infestationis immunem, & ingredientes hostia ligeris præterfecantes, hinc Francia latus, hinc

hinc Campaniæ quocunque tendunt, cædunt, incendunt, diripiunt ſpolia, diruunt mænia, deſtruunt urbes, caſtra ſubvertunt, diſſipant villas, prædantur agros, exterminant vineas, ortos excidunt, de ovili pecus & armentum in præſepibus non relinquunt.

Anno DCCCLXXXIX ☙ Secundum Sigebertum Karolus Imperator zelatus uxorem ſuam, pro eo quod plus juſto familiarius ageret cum Luithwardo Vercellenſi Epiſcopo, proteſtatur in concione ſe nunquam cum ea coiſſe. Unde illa ſe virginem eſſe gloriata accepto repudio monaſterium petiit : videtur autem quod Karolus fecerit hoc ex zelo Chriſtianæ religionis. ☙ Sequitur enim mirabilis viſio quæ facta eſt hoc anno eidem Karolo, ſecundum Guilelmum Malmesberienſem ita incipit : In nomine Dei ſummi Regis Regum : *Ego Karolus Imperator* gratuito Dei dono Rex, patricius Romanorum atque Imperator Francorum una ſacra diei Dominicæ poſt celebratum nocturnarum horarum divinum officium, dum irem repauſare & vellem ſomnum capere, venit vox ad me terribiliter dicens, Karole exiet modo à te ſpiritus tuus hora non modica & mox ab aſtante mihi quodam aſpectu ſplendido, vultu candido, juſſus ut ſurgerem & iter agerem, filum lucidiſſimum quod manu tenebat & pollicem meum ligaverat ſequendo poſt eum, hoſpitio carnis eductus ſum, & deductus ab eo videre loca pœnis debita reproborum, & gaudia debita beatorum : intravi igitur præcedente meo ductore valles apertas in abyſſum, & caligine mortis opertas, in quibus fornaces ignivomas, puteos bullientes atque ſulphureos, & tartareos Spiritus volentes me arripere & non valentes : ductor enim meus filum lucidiſſimum ſuper me triplicaverat : ardores ſempiternos tamen, & multiformes expaveſco tormentorum horrores; recognoſco in eis quos [illegible] ſeculi principes & eccleſiarum Prælatos, ejulando mihi proteſtantes propter actus perverſos & quæ dederant Dominis & Regibus ſuis iniqua conſilia, ſe pati talia. Vidi & dolia duo, unum aquæ glacialis, alterum verò aquæ bullientis, patremque meum nunc in uno nunc in alio ſtantem dolio Ludovicum mihique dicentem, quòd ab hujus calamitatis

tatis onere levaretur, si per orationum & eleemosinarum suffragia vitaretur, [juvaretur] super quo contremiscens & ingemiscens, educor à ductore meo locis illis, & introducor in amæniſſimos vallis delicioſæ sinùs & paridisiacæ voluptatis; ibique conspicio sedentes super thronos ex lapidibus pretiosis Lotharium cum filio Ludovico, simul & quibusdam aliis Regibus glorioſis, à quibus blande vocatus admonitus sum, quòd ob morum correctionem meorum illuc missus, & quæ videram fueram permissus videre, paulò post reducturus ad corpus & animam iterum * rediturus. Unde præcipientibus ipsis videbatur mihi quod Imperialem redderem potestatem velut in præsentiam astanti *puero Ludovico*, cui jure debebatur hæreditario, quia fuerat genitus ex Imperatoris Ludovici filia Ermengarde, & Bosone Regulo. Cum hæc vidissem in Spiritu ego Karolus Imperator, statim reversus est Spiritus meus, & corpus meum valde fessum fuit & contritum. Huc usque visio, &c. Sequitur Episcopus Otto: Karolus Imperator cum corpore & animo super hiis quæ viderat ægrotare cepisset, principes regni apud Triburias circa transitum sancti Martini conveniunt & Arnulphum filium Karolomanni ad regnum trahunt, & mirum dictu Imperatorem, qui post Karolum magnum inter omnes Reges Franciæ maximæ fuit potestatis, in brevi ad tantam tenuitatem deveniſſe cerneres, ut panis quoque egens ab Arnulpho jam Rege facto, stipendia miserabiliter exigeret, ac ab ipso paucos fiscos in Alemannia gratanter susciperet. Vide rerum humanarum miserrimum statum: Rex iste qui in divisione Orientalis regni inter fratres minimam portionem acceperat, ad tantum primo fastigium, ut tam Orientalia quam Occidentalia regna cum Romano susciperet Imperio, ad tantam postremo dejectionem venit, ut panis quoque egeret. Dicere hic poterat: elevasti me super nubem & allisisti valide, & elevans allisisti me; quid enim prosperitatem mundi aliud quam nubem dixerim, quæ innitentem sibi cito transeundo decipit, levitate sui acclinantem sustentare nequit: quanto ergo quis super nubem altius elevatur, eo validiùs terræ allisus quassatur, hic tam miserrimus & juxta Philo-

Digitized by Google

Philosophos fortunæ in modum rotæ nunc summa nunc ima vertentis ludus, secundum rei verò veritatem juxta Dei regna mutantis nutum anceps rerum status, ad declinandam mundi miseriam & veram vitam appetendam nos provocare posset.

Anno DCCCXC Basilius fuit Papa secundum Sigebertum, licet eum ponat uno tardius & dicat ipse, quod hic in aliquibus libris non invenitur: unde Stephanus quintus, quem ipse postea ponit, ponendus est hoc anno ut melius Magistro Hugoni concordare possimus. Annis tribus diebus Octo sedit hic Stephanus, cujus invenitur decretalis ad Robertum Metensem Episcopum. ☙ Karolus Imperator corpore & animo deficiens ab optimatibus regni, quod jam præmisimus, repudiatur, & Arnulfus filius Karolomanni Regis fratruelis ejus in regnum sublimatur, & regnavit annis XII sive XIII. Hic Arnulfus patruo suo Karolo & Imperatori etiam necessariis egenti fiscos in Alemannia delegavit, qui eodem anno obiit. ☙ Episcopus Otto: Fertur de hoc Carolo, quod Christianissimus fuit. Unde hæc ei circa finem tentatio ad probationem evenisse creditur. Sequenti enim ex quo regno pulsus est anno, diem obiit, ac in monasterio Augiensi humatus est. Ex hinc confusè Romæ regnatum usque ad Ottonem invenitur, Karolo enim mortuo imperium multis modis scinditur, singulis provinciis singulos reges creare cupientibus, Arnulfo tamen pars maxima cessit. ☙ Unde Sigebertus: Romanum imperium & regnum Francorum misè decerpitur, Franci enim neglecto Karolo Ludovici balbi puero vix decenni, Regem sibi præficiunt Odonem filium Roberti Ducis quem à Normannis occisum supra diximus. ☙ Episcopus Otto: Occidentales Franci Odonem Roberti filium virum fortem consensu Arnulfi Regis Regem creant, qui multa prælia contra Normannos viriliter gessit. ☙ Sequitur Sigibertus: Rodulfus autem corona sibi imposita, *Rex Burgundionum* statuitur, quod regnum multo tempore duravit, id est, CXXX annis. Hic notandum quod *in collectaneo sancti Benigni Divionensis* legitur, quod *Dux Burgundiæ* Richardus tres habuit filios, regem de quo nunc agitur

tur Rodulphum, & Hugonem inferioris Burgundiæ Ducem [illegible] cognominatum, & Bosonem Vitriaci Comitem; fuerunt autem [illegible] nepotes superioris Bosonis, Rex verò Occidentalis Franciæ Od[illegible] bertus fratres filii Roberti Ducis Andegavensis, fuerunt fratres [illegible] tre Abbatis Hugonis supra memorati, ut ibi dicitur. ☞ *Iraclus Episcopus Leodiensis* acquisivit Episcopatui suo Abbatiam Lob[illegible] Præposituram Fossensem cum appendiciis suis. Ab hoc tempore *Luithprandus* Ticinensis Ecclesiæ Dyaconus historiam suam de Rebus & Principibus Europæ ad quendam Episcopum Libertanæ Ecclesiæ de Hyspania Regemundum nomine orditur. In prologo [illegible] minit illius Comici : Nichil dicetur quod non fuerit dictum prius. Sed sæpius Philosophi Ydropicorum more, qui quo amplius bibunt, eo ardentius sitiunt, quo sæpius legunt, eo avidius nova perquirunt, & nisi fallor mens Academicorum, Peripateticorum, Stoicorumque jugi meditatione infirmatur, si non aut utili Comædiarum ritu aut heroum delectabili historia refocillatur. Ad hoc autem tam ignavorum recitantur exempla quàm proborum, ut agnoscatur Deus & justè quosdam pro suis sceleribus comprimere, & alios justè dignis meritis exigentibus extollere.

Anno DCCCXCI In Italia Sarraceni castrum quoddam Fraxinicum occupantes magno excitio Italiæ esse ceperunt. ☞ De [illegible] castello & situ ejus ita incipit memoratus Luithprandus: hoc oppidum vocabulo Fraxinicum in Italicorum pr[illegible]ncialium confinio [illegible] manifestum est, cujus ut cunctis liquido pateat situs, mari uno [illegible] tere scinditur, cæterum densissima spinarum silva munitur, qua[illegible] ingressus quispiam fuerit, ita sensuum curvitate tenetur & acuti[illegible] rectitudine perforatur, ut neque progressionis neque reditus, nisi [illegible] magno labore habeat facultatem, hunc locum Sarraceni hoc [illegible] adepti sunt: occulto & quam secus esse non potest justo Dei [illegible] XX tantum Sarraceni linere parva |& Hispam egressi nolentes [illegible] vento delati sunt, qui sicut piratæ noctu egressi Christicolas proc[illegible] lor[illegible] jugulant locumque sibi proprium vendicant montemque [illegible]

[illegible]

rum villæ cohærentem contra vicinas gentes refugium parant, ſpineam ſilvam hoc pacto majorem & ſpiſſiorem ſua protuitione facientes, ut ſi quis ex ea vel ramum excideret, mucronis percuſſione hominem exiret; ſicque factum eſt ut omnes præter unius anguſtiſſimæ viæ aditus demerentur : loci igitur aſperitate confiſi vicinas gentes circumquaque perluſtrant. Inde plures in Hyſpaniam nuncios dirigunt, locum laudant, vicinas gentes nihil virium habentes promittunt, centum denique Sarracenos ſecum mox reducunt, qui veram rei hujus caperent aſſertionem. Interea dum provincialium Chriſtianorum unus contra alium ex invidia cepiſſet guerram habere, & quicquid mali excogitari poterat, hos quos prædiximus Sarracenos non minus callidos quam perfidos, pars contra partem cepit in auxilium advocare; & ita per Sarracenos ceperunt proximus proximum non ſolum conterere & trucidare, verum terram fructiferam in ſolitudinem reddere. Sarraceni igitur cum hoc ſuis viribus minimè poſſent, alteram alterius partis auxilio debellantes, ſuasque copias ex Hyſpania ſemper augentes quos primo defendere videbantur, modis omnibus inſequuntur. Hâc itaque tempeſtate Leo Porphyrogenitus Baſilii Imperatoris filius, Conſtantinopolitanæ civitatis regebat imperium, qui undique pace habita ſanctè & juſtè Græcorum regebat Imperium. ſo *Porphyrogenitum* autem non in purpura, ſed in domo, quæ Porphyria dicitur, natum appello, quam domum ut audivimus Conſtantinus magnus ædificari juſſit voluitque ſucceſſuram nobilitatis ſuæ ſobolem iſtic in lucem prodire : quatenus qui ex ſuo ſtemmate naſcerentur, luculenta hac appellatione porphirogeniti appellarentur, unde quia iſte Leo in ea fuit natus, porphirogenitus eſt dictus. ſo Sigebertus : Normanni Burgundiam aggreſſi Senonis urbem oppugnaverant, ſed non expugnaverant.

Anno DCCCXCII Normanni à Senonis Pariſiis repetunt & inde repulſi per Matronam & Sequanam fluvium Trecas urbem incendunt & usque Virdunum & Tullum urbes cuncta depopulantur. ſo Secundum Remenſem hiſtoriam, cui Magiſter Hugo concordat,

Digitized by Google

ponendus est hic Formosus Papa, qui hoc anno indictione decima consilium adunari fecit & Archiepiscopus Fulco suum tenuit consilium Remis, & eodem anno Guido cognatus ejusdem Archiepiscopi in Italia regnare incipit. ☙ Unde Episcopus Otto : Igitur Itali duos super se reges statuunt, Berengarium Forojulienſem & Guidonem Spoletanum Ducem. ☙ Luithprandus : Isti duo potentes principes Karolo calvo dum adhuc viveret serviebant, tanto amicitiarum fœdere ad invicem conglutinati, ut sibi hoc jurejurando promitterent, quia si Regi Karolo superstites forent, alterius alter ordinationi conveniret, scil. ut Guido quem Romanam dicunt seu occidentalem Franciam, Berengarius obtineret Italiam, quam amicitiam non observaverunt, quia vera amicitia nisi inter emendatos mores ejusdemque virtutis & propositi viros stare non potest. Igitur Guido, ut audivit mortem Karoli, Romam profectus est, & absque Francorum consilio totius Franciæ unctionem suscepit Imperii ; Franci interea Odonem super se Regum statuerunt. Berengarius verò Guidonis consilio, quemadmodum ei jurejurando promiserat, Italici regni suscepit imperium. Guido autem Franciam petit, cumque Burgundionum regna transiens *Franciam quam Romanam* dicunt (non à Roma sed à linguâ Romanâ) ingredi vellet, Francorum nuncii ei occurrunt, ut reverteretur nunciantes, eo quòd longa exspectatione fatigati, dum sine Rege diutius esse non possent, Odonem cunctis petentibus elegissent. Fertur autem hâc occasione Francos Guidonem Regem sibi non assumsisse, nam dum apud Metensem venturus esset urbem, quæ potentissima in regno Lotharii claret; misit dapiferum suum, qui alimenta illi more regio præpararet. Metensis verò Episcopus dum cibaria ei multa secundum Francorum consuetudinem ministraret, hujusmodi responsa à dapifero suscepit, si equum saltem mihi dederis, faciam, ut tertia obsonii hujus parte sit Rex Guido contentus ; quod Episcopus audiens, non decet inquit talem super nos regnare Regem, qui decem dragmis vile sibi obsonium præparat. Sicque factum est, ut Guidonem desererent, Odonem autem eligerent. Francorum igitur legatio-

gatio-

gationibus non parum Rex Guido perturbatus, nonnullis cepit cogitationibus æſtuare, tam ex Italico regno Berengario jurejurando promiſſo, quam ex Francorum præſertim, quia penitus illud ſe non poſſe ſciverat adipiſci. Inter utramque autem hanc æſtuationem quum Francorum Rex eſſe nequibat, frangere quod Berengario fecerat jusjurandum deliberat, collectoque prout potuit exercitu, traxerat ſane & à Francis quandam affinitatis lineam, Italiamque concitè ingreſſus, Camerinos atque Spoletinos fiducialiter ut propinquos adiit, Berengarii etiam partibus faventes ut infidos pecuniarum gratia adquirit: itaque Berengario bellum parat. Copiis denique utraque ex parte collectis, juxta fluvium Trebiam, qui duobus à Placentia miliaribus extat, civile bellum parant, in quo cum partibus ex utrisque caderent multi, Berengarius fugam petiit, triumphum Guido obtinuit. Nec mora, diebus paucis interpoſitis collecta Berengarius multitudine in Brixiæ latisſimos campos Guidoni bellum parat, ubi cum maxima ſtrages fieret fugâ ſeſe Berengarius liberavit. ☞ Et hoc totum Sigebertus ita comprehendit: Guido Berengarium bis victum ex prælio fugat. ☞ Odo Rex Franciæ Danos ſuper Axonam fluvium bello vicit. ☞ Arginus fit Epiſcopus Lingonenſis. Legitur in hiſtoria Remenſi, quod quidam potentes malitioſi Richardus Manaſſes & Rampo Lingonenſi Epiſcopo Theubaldo oculos eruerunt, & Archiepiſcopum Senonenſem Walcherum captivaverunt, unde ab Archiepiſcopo Remenſi excommunicati ſunt, ſcilicet Fulcone.

Anno DCCCXCIII Arginus fit Epiſcopus Lingonenſis. Porro Arnulfus totam *Orientalem Franciam, quæ modo Theutonicum regnum vocatur*, id eſt, Bajoariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Freſiam, Lotharingiam rexit; Occidentalem verò Franciam *Odo ejus auctoritate* habuit. ☞ Nota de Hungaris: His diebus *gens Ungarorum* ſub primo Duce ſuo nomine Alino ex Scythia egreſſa, ac à *Pezenatis* pulſa, Avaribus ejectis Pannoniam inhabitare cepit, hæc eo tempore tam immanis tam beluina fuiſſe dicitur, ut crudis carnibus utens humano quoque ſanguine potaretur, quod ne cui incredi-

bile videbatur, audiat quod Pizenati & hii qui *Falones* dicuntur crudis & immundis carnibus utpote equinis, catinis, usque hodie vescuntur, valent autem in sagittarum ictibus plurimum, quibus etiam dorsa vertentes nocere solent. Differunt verò à Frisonibus seu Britonibus in hoc, quod illi missilibus, isti sagittis nocent. ☙ Sequitur Luithprandus : Ungarorum gens cujus *penè nationes expertæ sunt sævitiam, nobis omnibus tunc temporis habebatur incognita, quibusdam namque difficillimis separata erat à nobis interpositionibus, quas Clusas nominat vulgus, ut neque ad meridianam neque ad occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem. Arnulfus ergo, earum quæ sub Arcturo sunt gentium Rex fortissimus, cum Zvendebaldum *Maravanorum* Ducem sibi viriliter repugnantem debellare nequiret, depulsis hiis, proch dolor! munitissimis interpositionibus, quas vulgò Clusas nominari prædiximus, Ungarorum gentem cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, scelerumque omnium non insciam, cædis & omnium rapinarum solummodo avidam, in auxilium convocat, si tamen auxilium dici potest, quod paulo post eo movente [f. morente] tum genti suæ, tum cæteris in meridie occasuque degentibus nationibus grave periculum, imo excidium fuit. Zvendebaldus vincitur, subjugatur & sic unius homuncii dejectio fit totius Europæ contritio, quo devicto Arnulfus pace habita regno potitur. Ungari interim observato exitu contemplatique regionem, cordibus malum, quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur. ☙ Episcopus Otto : Eidem Zvendebaldo concesserat Arnulfus ducatum Boemiæ filiumque suum ex sacro fonte levatum ejus nomine Zvendebaldum vocaverat. ☙ Dicit ergo Sigebertus : Arnulfus Zvendebaldo Duci Maraventium ducatum Boemiorum addens & Boëmanos per hoc sibi infestos fecit, & Zvendebaldo per adjectionem potentiæ materiam contra se bellandi dedit, ad quem debellandum cum non sufficeret, apertis clusis gentem Ungarorum Deo inimicam regno immisit eorumque auxilio Zvendebaldum vicit & tributarium fecit. ☙ Sanctus Ulricus in Bajoaria nascitur. ☙ Richardus Comes Burgundiæ

gundiæ pugnavit cum Normannis & occidit plures ex eis quinto Kalend. Januarii. ☙ De Archiepiſcopo Fulcone ſcribitur, quod *urbem Remenſem* novo muro circumdedit, caſtrum Altimontem de novo inſtituit, & in Sparnaco caſtrum fecit. Corpus ſancti Remigii ab Abbatia Orbaci retulit, & corpus Calixti Papæ à Ciſonio Remis deduci fecit & poſt altare beatæ Mariæ decenter collocavit. Marchionis Eurardi filius fuit Abbas Rodulfus, qui moriturus illud Remenſi eccleſiæ delegavit, & hujus ſororius Hucboldus de Hainaco contradicebat. ☙ Eo tempore Monachi ſancti Dyoniſii timore Normannorum Remis venerunt cum corpore ſancti Dyoniſii.

Anno DCCCXCIIII Normanni iterum à Pariſius pulſi, fines Britonum inceſſunt & primo victores, poſtea à Britonibus vincuntur duobus præliis XII milibus ſuorum peremtis. ☙ Gu do : Ad reprimendam quorundam inſolentiam ſuperborum, & retundendam latè bachantium rabiem Normannorum, de conſenſu principum, conſenſus ad regalis coronæ geſtamen eſt conceſſus Odoni, quousque ſpatia regius puer nudum ad regnandum ydoneæ percurriſſet ætatis; ſed Odo cum quod optaverat obtinuiſſet, & regium puerum non ſatis regaliter & minùs fideliter adoptaſſet, videns & invidens ob ejusdem pueri gratiam & debitam ei fidelitatem ſeparatus ab amicitiis ſuis & à domino ſuo regni Principes, exuere ſe paratos & in Regem ungere puerum adultum; fiſci detrimento, regni diſpendio, ſibi augmentare vires, illi minuere, diſtribuendo ſuis civitates, caſtra, provincias, regiones : quod attendentes, Karoli profectibus intendentes, raptum de ſub ala tutoris, ſolio regali ſublimant. ☙ Sigebertus : Odone Rege per conſilium Francorum in Aquitaniam demorante, Franci Karolum puerum duodennem Ludovici balbi filium in regnum paternum revocant & Remis a Fulcone Archiepiſcopo in Regem benedici faciunt, & oritur longa contricatio inter eum & Odonem. ☙ Unde ſequitur Guido : Qui Rex effectus armis & odiis inſectatur Odonem & tam longa fuit contricatio inter utrumque bellorum, donec amicorum mediante conſilio ceſſit Odo Karolo Fran-

ciam, Aquitaniam Odoni Karolus conditione post ipsum recipiendi concessit. ❧ Elinandus : Hoc igitur anno fuit initium regni Karoli pueri, cujus miles fuit Haganus. Contigit corpus beati Benigni ad civitatem Lingonensem timore Normannorum deferri.

Anno DCCCXCV Tullus civitas combusta est pridie Nonas Aprilis. ❧ Guido : At Danorum sæva barbaries sive Normannorum debachando per Gallias ab Oceano littore tota ora maritima usque ad mare Tyrrenum grassata multas nobiles urbes delevit, nullum ferè fuit oppidum, vicus aut civitas, quæ non strage ferali conciderit horum. Tunc nimia tempestate exorta ad urbem *Lunis* devolvuntur. Hastingus princeps eorum, quam armis non poterat, dolo tentat invadere; mandat civibus non sua sponte sed violentia tempestatis illic applicuisse pacificos se esse, pacem quærere, patriam velle repetere, se letali pressum languore ab eis Christianum velle fieri supplici prece deposcere; hiis cives auditis pacem cum nephandissimo pacis inimico firmant, fit communis utrique populo ingressus, tandem sceleste ad ecclesiam fertur Hastingus, baptizatur, ad sui perniciem, suorum manibus refertur ad navem; post hæc intempestæ noctis medio loricatus locatur in feretro innuens cæteris, ut suas induerent loricas sub tunicis, proinde fit intolerabilis luctus per exercitum. Hastingum obiisse Neophitum; resonat maris litus tanti principis excessu, dehinc navi effertur, ad ecclesiam defertur, fit commendatio animæ, ut corpusculum perditionis in baratro jam sepultum tradatur sepulturæ. Sed ecce prosilit de feretro, Episcopum cum Clericis obtruncat gladio, lupina rabie grassatur cum suis in plebe, jugulantur juvenes, trucidantur senes, civitas vastatur, mænia diruuntur, patratis tot malis inito consilio unde venerant revertuntur. Bier totius excidii signifer & exercituum Rex, iterum Gallias infestans ad extremum ab Arnulfo Imperatore & Francis multis preliis victus in Angliam, oportunum suæ tyrannidis suffragium, [suffugium] est expulsus, sed Anglis iterum victus indeque Frisiam petens mortuus est ibidem. ❧ Huic narrationi concordat Sigebertus ita : Normanni

manni Lotharingiam repetentes circa Leodium cum Chriſtianis pugnant & vincunt, inde Sunderoldus Moguntiæ Archiepiſcopus à Normannis Wormatiæ martirizatur. ☞ Epiſcopus Otto : In Bajoaria ad compeſcendos Sclavos morante [Arnulfo] Normanni regnum in Lotharingiam ingreſſi, principes qui eis occurerant cæſis multis fugant; quod Arnulfus audiens collecto milite hoſtem petit pugnaque conſerta tanta eos virtute ſtravit, ut paucisſimi fuga lapſi ad claſſem repedantes ſolam vitam ſervarent, Arnulfus vero victor Bajoariam revertitur. ☞ Unde ſequitur Sigebertus : Arnulfus Rex audita cæde ſuorum à Bajoaria contra Normannos pugnaturus properat cum valido exercitu, quos ſuper fluvium, qui Tilia dicitur, pedeſtri prælio adorſus tantam ex eis ſtragem fecit, ut ex innumerabili multitudine vix ſupereſſet, qui ad claſſem adverſum nuncium ferret. Normannorum reſidui transvadata Moſa Ribuariam & Arduennam vaſtando pervagantes trans mare recedunt. ☞ Sequitur Guilelmus de eisdem : Eo tempore Dani, qui per annos XIII Gallias infeſtaverant, tandem ab Arnulfo Imperatore & Britannis multis præliis victi in Angliam refugerunt, in quo ſpatio Elfredus Rex totam Inſulam præter id quod Dani habebant ſibi ſubdiderat, qui *Lundoniam, caput regni Merciorum*, dedit cuidam primario cum filia ſua Egelfleda, ex qua idem primarius nomine Egelredus tulit liberos Ethelſwidam & Edwardum qui poſt ſe regnavit. Fuit eo tempore *Comes in Flandria* nomine Balduinus calvus, natus de Judith filia Karoli calvi, cujus pater *Balduinus brachium ferreum* fuit cognominatus, huic ergo Comiti Balduino calvo dedit Rex Anglorum Elfredus filiam filiæ ſuæ, prædictam Ethelſwidam, de qua ille genuit Comitem Flandriæ Arnulfum. Iſte *Rex Elfredus* quando erat duodennis, expers omnis literaturæ fuit, ſed tunc à matre benigno ludo invitatus, ut pro munere ea, quæ in manibus tenebat, ſuſciperet; ſi cito addiſceret, *joco literas ingreſſus*, aviditate ſiticuloſa combibit. ☞ Item Guido ex dictis Guilelmi : Rex Elfredus liberalibus artibus adeo fuit imbutus, ut nullus Anglorum Regum fuerit eo vel intelligendo acutior vel interpretando elegantior:

tior ; adeo fuit religiosus, ut XXIIII horas diei & noctis ita divideret, quod octo in scribendo & legendo & orando, octo in cura corporis, octo in explendo regni negotia transigeret, semper in sinu gestabat libellum, in quo diurni cursus psalmi continebantur, ut si quando vacaret, arriperet & vigilanti oculo percurreret, ita vitam egit cum magna subditorum gratia. ☙ Item de eodem secundum Guilelmum: Quosdam libros de Latino in Anglicam linguam convertit, scilicet Orosium, pastoralem sancti Gregorii, gesta Anglorum Bedæ, & Boetium de consolatione. ☙ Sigebertus : Hoc tempore claruit in Burgundia *sanctus Berno* ex Comite Abbas Gigniacensis Cœnobii à se fundati, qui etiam ex dono Avæ Comitissæ construxit *Cluniacum*, cœnobium in cellam Gigniacensem. ☙ Claruit etiam hoc tempore *Remigius Antisiodorensis* in exponendis divinis scripturis & humanis studiosus.

Anno DCCCXCVI Formosus Portuensis Episcopus factus est Papa Romæ, sedit annis quinque, mensibus sex, contra voluntatem quorundam Romanorum, qui Sergium Dyaconum Romanæ ecclesiæ Papam facere voluerunt, sed non prævaluerunt. ☙ Hic Formosus cum aliquando in sinistram suspitionem venisset, octavo Johanni Papæ, timore ejus fugiens episcopatum Portuensem reliquit, & quia revocatus à Papa redire noluit, anathematizatus est, & tandem ad satisfaciendum Papæ in Galliam veniens usque ad laicalem habitum degradatus est, jurans se non amplius Romam intraturum, nec Episcopatum suæ urbis recepturum; confirmans etiam propriæ manus subscripto, se in laicali communione permansurum, postea à Martino successore Johannis in Episcopatu contra datum Sacramentum restitutus, non solùm Romam intravit, sed etiam Romanæ Ecclesiæ Papatum suscepit; Propter quod cum multo scandalo multa per multos annos quæstio & controversia agitata est in ecclesia, aliis ejus & ab eo ordinatorum consecrationem irritam esse debere præjudicantibus, aliis è contra qualiscunque erat Formosus, tamen propter sacerdotalis officii dignitatem & fidem eorum, qui ordinati fuerant, omnes consecra-

secrationes ejus ratas esse debere saniori consilio judicantibus; præsertim cum ipse Formosus à Martino Papa absolutus fuerit à Sacramenti perjurio. Contra istum Formosum Sergius Dyaconus ab una parte Romanorum fuerat electus, sed tandem pars Formosi prævaluit; qui Formosus scientia literarum fuit imbutus & satis religiosus, ut testatur Luithprandus, quæ tamen *religio* putatur *sophistica* fuisse, per ea quæ de fine ejusdem *Formosi* habentur in sequentibus. ☙ Arnulfus Rex Zuendebaldum filium ex concubina facit Regem Lothariensium. *Karolus simplex* Rex Franciæ opem Arnulphi Regis contra Odonem implorat, ad cujus auxilium Arnulfus Rex exercitum misit, sed parum commodi tulit. ☙ Episcopus Otto: Ea tempestate in regno Occidentali inter Karolum Ludovici filium & Odonem gravis orta est controversia, Karolum infirmioris causæ gratia ad Arnulfum supplicem venire ab eoque auxilium poscere compellit. Arnulfus verò præ ceteris regni sui locis metropolim Bajoariæ *Ratisponam* dilexit, unde & muros ejus ampliavit, monasterium beati Emmeranni plurimis ornamentis adornavit, ac largis possessionibus locupletavit. Tradunt ibi scriptumque monstrant, quod prædictus Rex Arnulfus *sanctum Dyonisium* à Gallis ad præfatum monasterium transtulerit, quod utrum ita sit, ipsi viderint. Rex tamen Franciæ potuit illi dare qualemcunque Sanctum sub nomine Dyonisii. ☙ Sequitur Sigebertus: Karolus Rex *Hundeum Regem Normannorum* baptisari fecit eumque de sacro fonte suscepit. ☙ Quis iste fuit Hundeus ex aliis libris non habemus, sed de Hastingo testantur Guido & Guilelmus, quod eundem Regem Karolum adiit, pacem petiit & ab ipso stipendium munere urbem Carnotensem accepit. ☙ Item Guido: Nec dum ex toto detonuerat bellorum fragor in Francia, cum Normanni furoris in eam violentiùs turbo invehitur Rollone Duce, qui de nobili sed per vetustatem obsoleta prosapia Noricorum editus, regis præcepto patria pulsus multos, quos vel æs alienum, vel conscientia scelerum exagitabat, magnis speciebus sollicitans ditatos secum abduxit; hic ferocitate gentilitatis & gentis Hastingo nihil inferior cum terribili mul-

titudine barbaricæ juventutis patriam, ut Franciam aggrediatur, egressus immensitate maris emensa, Scaldi fluminis alveum involat & circumjacentes hinc inde ferro devastat & incendio regiones; quem contra Rainerus *Hainonensium Comes & Hasbanii Dux* cum militiæ multa virtute clipeum defensionis obvertit, sed suorum quibusdam cæsis aliis captis, reliquis capientibus fugam, relictus victus & vinctus custodiæ mancipatur, quousque XII nobilibus ex Normannis, qui capti fuerant à Raineri militia, redditis est redemtus.

Anno DCCCXCVII. Secundum Luithprandum: In Italia cum Berengarius Guidoni resistere copiarum paucitate nequiret, potentissimum Arnulphum Regem in auxilium rogat, promittens se suosque ejus potentiæ servituros, si virtutis suæ municulo Guidonem superaret, regnumque Italicum vendicaret, hujus plane tantæ promissionis gratia accitus Rex Arnulfus filium suum Zventebaldum valido cum exercitu hujus in auxilium dirigit, venerunt pariter omni sub densitate Papiam, sed Guido fluviolum qui Papiam alluit, Vernavolum nomrne, tam sudibus quam exercitu ita munierat, quatinus altera alteram ipso medio discurrente pars partem oppugnare nequiret, at verò post XXII diem *Hubaldus Bonefacii pater qui post Camerinorum & Spoletinorum extitit Marchio*, quendam Bajoaricum Italis exprobantem in medio fluvio interfecit. Quod factum Bajoariis terrorem, Italicis audaciam intulit, inito quippe Bajoarii consilio nonnullisque Zventebaldus à Guidone argenti acceptis ponderibus in propria remeavit. ☙ Unde Sigebertus: Arnulfus Rex à Berengario Italico interpellatus ad auxilium suum, contra Guidonem Zventebaldum filium suum cum exercitu mittit in Italiam, sed Guido viriliter agens & primores exercitus donis corrumpens eos inefficaces redire fecit. ☙ Sequitur Luithprandus: Igitur Berengarius dum Guidoni nisi prospera sibi adversari prospiceret, cum Zventebaldo pariter Arnulfi Regis adiit potentiam, orans ac pollicens, ut si ipsum adjuvaret se totamque Italiam ut ante promiserat ditioni suæ supponeret; tantæ siquidem promissionis gratia excitus copiis collectis cominus Italiam

liam adit, cui Berengarius, ut promissionis suæ daret fidem, credulitatis arrabone clipeum portat. Susceptus itaque à Veronensibus ad urbem Pergamum proficiscitur. ☙ Sigebertus : Arnulfus Rex Longobardiam potenter ingressus Pergamum urbem armis cepit, cujus comitem Ambrosium ante portam urbis laqueo suspendens cæteris urbibus terrore incusso ad obsequelam suam omnes adduxit. Luithprandus: Mediolanenses atque Ticinenses hâc famâ perterriti ejus non passi sunt præstolari adventum, præmissa legatione jussioni suæ se obtemperaturos esse promittunt. *Ottonem* itaque *Saxonum potentissimum ducem* glorioſissimi atque invictissimi Ottonis avum, Mediolanum dirigit gratia defensionis, & ipse recta via Ticinum petit. Guido denique hujus impetum ferre non valens Camerinum Spoletumque versus fugere cepit. ☙ Episcopus Otto : Rex quoque Arnulfus Placentiam usque progressus per montem Jovis *in Galliam* rediens, Wormatiæ conventum celebrat, ac in vicino ejusdem urbis Laureacensium monasterio *Ludovico Bosonis filio* quasdam civitates & pagos juxta montana concesit. In his diebus fuit Pleimundus Archiepiscopus Cantuariensis, cui Papa Formosus, ut scribit Guilelmus, super restitutione dioceſum & Episcopatuum Angliæ literas comminatorias transmisit. ☙ Hic nota quod sanctus Gibrianus Scotus in Cosla Catalaunensis dioceſis requieverat & frater ejus apud Matugam nomine sanctus Veranus : itaque tempore Archiepiscopi Fulconis Remensis religiosus Comes Haidericus ab Episcopo Cathalaunensi Rodoardo impetravit, ut illud corpus sancti Gibriani ferret ad Ecclesiam sancti Remigii Remis, & prope in eadem ecclesia idem Comes sepultus est. Alii fratres sancti Gibriani fuerunt Tesanus, Cresanus, Germanus, Abranus, Petranus, & horum septem fuerunt, tres sorores, Fraucla, Promtia, Possenna.

Anno DCCCXCVIII Arnulfus Rex rursum conventum Wormatiæ celebrans Zvendebaldum filium suum cum voluntate principum in regno Lotharingiæ confirmavit. Odo quoque Rex Franciæ cum multis muneribus eum adiit & honorificè susceptus

omnibus pro quibus venerat impetratis revertitur. ☙ Et eodem anno Arnulfus Rex victorioſus vocatu Formoſi Papæ, qui gravem à civibus patiebatur perſecutionem, Italiam ſecundo ingreſſus, ad urbem usque progreditur, qua armis capta à præfato Pontifice coronatur & juxta quosdam Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur, hic eos qui adverſus Pontificem ſeditionem moverant decollari præcepit. ☙ Luithprandus : Plurima bellorum paraverant inſtrumenta, cum inter agendum populo conſiderante contigit, lepuſculum clamore ejus exterritum urbem verſus fugere, quem dum populus exercitusque, ut aſſolet, impetu vehementi ſequeretur, Romani putantes ſe impugnari de muro ſeſe projiciunt, quod populus cernens ſagmatibus ſellisque quibus equis inſederant juxta murum projectis per eorum acervum muros aſcendunt, populi verò pars quædam accepta trabe L pedum procera longitudine, portam quatiunt, & Romam, quam leoninam dicunt, in qua beati Petri Apoſtolorum Principis pretioſum corpus, vi capiunt. ☙ Sigebertus etiam : Lepuſculo forte, inquit, verſus urbem fugiente & exercitu cum clamore nimio ſequente, Romani timentes ſe de muro projiciunt & hoſtibus per interfectos * acervos, murum aſcendendi locum faciunt, ſic Roma capta illos, qui Papam injuriaverant, decollari fecit, & à Papa in Imperatorem benedicitur. ☙ *Odo muſicus* ex clero Turonenſi monachum profitetur ſub Bernone Abbate Gigniacenſi.

Anno DCCCXCIX Normanni Duce Rollone obſederunt ſanctum Florentinum : & Odo Rex Francorum moritur obteſtatus primates, ut Karolum in regno reciperent, qui Odo, ut ſcribit Epiſcopus Otto, in monaſterio ſancti Dyoniſii humatus eſt. ☙ Karolus ergo regno Francorum toto accepto regnavit annis XXVI. Apud Triburias celebrata Synodo contra Laicos, qui auctoritatem Epiſcopalem imminuere tentabant, plura ſuper ſtatu eccleſiæ decreta ſunt, unde *in libro, qui Canones inſcribitur*, inter cætera ſcriptum invenitur, ex conſilio Tiburienſi cui interfuit Arnulfus Rex. ☙ Luithprandus : Rex Arnulfus deſiderii ſui compos effectus, perſequi Guidonem non deſinit,

desinit, profectusque Camerinum, castrum vocabulo & natura firmum, in quo Guidonis uxor erat, obsedit, Guido autem in incertis latuit locis. ☙ Sigebertus : Guido Rex Arnulfum Imperatorem se usquequaque persequentem non ferens, quippe cui nec urbes nec castra natura munita resistere poterant, dum se fugiendo tutaretur, Imperator uxorem ejus obsedit, quæ jam rebus suis deficiens per unum Imperatoris familiarem multa pecunia corruptum ei poculum mortiferum dedit, quo hausto per triduum excitari non potuit, apertis oculis nihil sentire aut loqui valens; quæ res eum repedare coëgit, cujus justo Dei judicio, ut dicit Luithprandus, hoc contigit, cum homines ejus multa mala fecerint in Italorum ecclesiis, neque enim confugientibus poterant esse asilum; denique redeuntem Arnulfum cum magna multitudine paulatim Rex Guido persequitur, qui Arnulfus dum *per Bardum & montem Jovis* repedare disponeret, Eporegiam venit, sed *Anscharius Marchio* juxta murum in cavernis petrarum latuit, & ita licite cives juraverunt Regi Anscharium in urbe non esse. Justus interea Deus uxori Guidonis parat viduitatis dolorem; nam dum Arnulfum persequeretur, juxta fluvium Carum defunctus est. ☙ Episcopus Otto de imperio Arnulfi : Reperi in quibusdam Romanorum post Karolum tertium tanquam imperio à Francis ad Longobardos translato Arnulfum in cathalogo Imperatorum taceri & Ludovicum & cæteros post ipsum in numero Augustorum poni. Alii Arnulfum in catalogo ponunt, & eos qui post ipsum usque ad Ottonem confusè regnaverunt, non Imperatores & Augustos appellare consueverunt; de sorore autem hujus Arnulfi natus fuisse scribitur *sanctus Maingandus* martir de Hojo, cujus pater fuit Hugo Rex Anglorum, originem trahens à sancto & antiquo Rege Osvvaldo Nordanimbrorum. ☙ Fulco Remorum Archiepiscopus x v Kalend. * perimitur à Wanemaro scatellite Balduini Flandrensium Comitis, pro eo quod Abbatiam sancti Vedasti Atrebatis à Karolo in beneficium acceperat, quam Balduinus jam per aliquot annos, quamvis nullo concedente, invaserat. Succedit ei Herveius in Episcopatu

Digitized by Google

Remensi, nepos ex sorore Hucbaldi Comitis per annos XXII. Qui Archiepiscopus Hernejus *Mosonium* reparavit & ossa beati Victoris nuper inventa ibi reposuit. ☙ Florebant *hoc tempore Episcopi* Mansio Cathalaunensis, Richulfus Suessionensis, Dodilio Cameracensis, Othgarius Ambianensis, Rodulfus Laudunensis, Othfridus Silvanettensis. ☙ Hic nota quod Almiarus Comes Abbatiam sancti Medardi jure hereditario possidebat, pro qua Archiepiscopus Fulco commutaverat ei Abbaciam sancti Vedasti confessoris.

Anno DCCCC In Anglia vir Christianissimus Rex Elfredus hoc anno mortuus est, qui dimidiam portionem omnium censuum suorum juste duntaxat acquisitorum monasteriis delegavit, cunctosque præterea redditus in duas divisit partes, & primam rursus in tres, quarum unam dedit ministris suis curialibus, secundam operatoribus, quos jugiter in novarum ædium constructionibus mirabili & ignoto Anglis modo habebat, tertium advenis; secunda pars redituum ita divisa est, ut prima portio daretur pauperibus regionis suæ, secunda monasteriis, tertia scholasticis, quarta transmarinis ecclesiis: semper autem aliqua valitudine adversa aut aliquo morbo agitatus est, quod eum à Domino precibus exegisse ajunt, ut minus illecebras amplectaretur mundanas. *Centurias & decimas instituit* & tantam pacem patriæ infudit, ut etiam per publicos aggeres, ubi semitæ per quadruvium finduntur, armillas aureas juberet suspendi quæ viatorum aviditatem riderent, dum non essent qui raperent; Romam & *ad sanctum Thomam in Indiam* multa munera misit, legatus in hoc missus est Sigelinus Scireburnensis Episcopus, qui penetrans Indiam multas gemmas & plurima aromata inde retulit & partem ligni Dominici à Roma. Monasterium unum construxit in Helingia, ubi olim latuerat. Ista Helingia non longe est à Glasconia; alterum in Winconia, quod dicitur novum Monasterium; Item Scenesconiense monasterium, quod sanctimonialibus implevit, ubi & Abbatissam constituit filiam suam Elfginam. Hic itaque Rex qui tanta fecit, hoc anno mortuus, sepultus est Winthoniæ in monasterio suo, ad cujus officinas construen-

Digitized by Google

ſtruendas ſufficiens terræ ſpatium ab Epiſcopo & Canonicis nundinatus ad unumquemque pedem marcam argenti pondere publico penſavit. ☞ Luithprandus : In Italia Berengarius poſt obitum Guidonis Feſtinus Papiam venit, regnumque potenter obtinuit, fideles verò fautoresque Guidonis veriti, ne ab eis illatam Berengarius ulciſceretur injuriam, & quia ſemper Italienſes geminis uti dominis volunt, quatinus alterum alterius timore coherceant, Guidonis Regis defuncti filium nomine Lambertum, elegantem juvenem, adhuc ephebum minus bellicoſum Regem conſtituunt. Cepit denique hunc populus adire Berengarium deſerere; cumque Berengarius Lamberto cum exercitu magno Papiam tendenti copiarum paucitate obviare nequiret, Veronam petiit iſticque ſecurus deguit, Lambertus deinde, qui *Magnifredum Mediolanenſem Comitem* capitali ſententia damnavit, principibus gravis viſus eſt, expulſus à quibusdam & Berengarius revocatus. *Adelbertus etiam illuſtris Tuſcorum Marchio* cognomento dives, cujus uxôr fuit *Berta mater Comitis Hugonis poſtea Regis*, & Comes præpotens *Hildebrandus* collecto exercitu contra Lambertum Papiam tendebant; contra quos Lambertus cum centum militibus Placentiam venerat, cum juxta fluvium Seſterrionem ad burgum ſancti martiris Dominini caſtra illos metâſſe audivit, ſuper quos nocte irruens Hildebrandum fugavit, Adalbertum intra animalium præſepe latitantem cepit, & cum multis cuſtodiæ mancipavit. ☞ Deinde, ut ſcribit, Epiſcopus Otto, Lambertus idem Romam veniens Imperatorem ſe vocari faciebat. Item ſecundum Luithprandum, Imperator Leo Conſtantinopolitanus rem fecit dignam memoria quam in hoc loco depingimus : Conſtantinopolis civitas inter ferociſſimas gentes eſt conſtituta; habet quippe ab Aquilone Ungoras, Pincenatos, Chazaros, Ruſſios, atque Bulgares nimium ſibi vicinos; ab oriente Bagdas inter orientem & meridiem Ægypti Babyloniæque incolas, à meridie verò Affricam habet & notam illam vicinam ſibique contrariam inſulam Cretæ : Cæteræ vero quæ ſunt ſub eodem climate nationes, Armeni ſcilicet, Perſæ & Caldei, Avasgi hinc deſerviunt. Incolæ denique

Digitized by Google

nique civitatis hujus ſicut memoratas gentes divitiis, ita etiam ſapientia ſuperexcellunt, moris quippe eorum eſt, ne à vicinis gentibus opprimantur ſingulis quibusque noctibus per totius civitatis bivium, trivium, quadriviumque armatos milites cauſa cuſtodiendæ civitatis, qui eam invigilent, ponere; fitque ut ſi poſt crepuſculum quenquam deambulantem aliquo cuſtodi oſtenderint, captus protinus verberibusque cæſus cuſtodia pervigili compedibus in carcere conſtrictus usque in craſtinum ad publicum producendus ſervetur. Leo ergo Imperator prædictus hoc modo fidem vigilum probavit: Solus de palatio deſcendit quaſi unus eſſet è turba & lupanar illa nocte ingreſſurus, primi ergo vigiles XII aureis ab eo acceptis, abeuntem dimiſerunt, & à ſecundis cuſtodibus pro XX aureis eſt demiſſus, tertii autem cuſtodes pugnis & flagris verberatum compedibusque conſtrictum cuſtodiæ usque in craſtinum producendum mancipaverunt; quibus recedentibus cuſtodem carceris ad ſe Imperator vocans; amice, inquit, Leonem Imperatorem noſti? quomodo, inquit, noſcere poſſum, quem vidiſſe me non meminerim, ſed quid ad te, non æque vos fortuna fovet, te in carcere poſito & illum in aureo triclinio; deſine, inquit, deſine, Imperator, ipſe ſum Leo Auguſtus qui de palatii dignitate non bono omine prodii. Carceris autem cuſtos: quoniam, inquit, quem, temetipſum neglexiſti pro te ego diſpiciam matheſim; Mars trigonus eſt, Saturnus Venerem reſpicit, Jupiter quadratus, Mercurius tibi iratus, Sol rotundus, Luna in ſaltu, mala fortuna te premit. Imperator autem mecum, ait, ad palatium potiori quam ego deſcenderim omine venito, ſi me non ut Imperatorem iſtic recipi videris occidito; hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non potius præmium, quàm pro hac re ſumes ſupplicium. Igitur cuſtos dato ſigno ad palatium uſque comitatur; Ubi Imperator mirabiliter ſuſceptus eundem cuſtodem fere exanimatum nimia admiratione reddidit, qui dum omnes dignitates huic occurrere contemplaretur, emori ei ſatius tunc eſſet quam vivere; cui Imperator contemplare nunc, inquit, matheſim & ſi vere quo hic veneris omine dixeris, veram te augurandi ſcientiam

tiam habere probabis; quo respondente animam se amisisse; recipe, inquit, animam, recipe & cum hac bis binas aureorum libras assume, deinde Imperator custodibus & qui eum dimiserant, & qui eum cæsum carceri mancipaverant, coram se evocatis primos & secundos pene usque ad mortem verberatos urbe expelli jussit, tertios autem & illorum substantiis & multis aliis divitiis donavit, & ex tunc cæteri Imperatorem etiam absentem quam præsentem sperare, & civitatem diligentissime ceperunt custodire.

Anno DCCCCI In Anglia regnat Edwardus per annos XXII natus de Egelfleda Regis Elfredi filia : Hic filiam suam Edgitam sive Oginam nomine Karolo simplici Francorum Regi in uxorem dedit, filias suas instituit, primo literis erudiri, mox colo & fuso & acu exerceri, filios quoque suos primo fecit literis imbui, deinde regni gubernacula addiscere, & licet literarum multum fuerit avo inferior, regni tamen potestate incomparabiliter fuit gloriosior. ☙ De Formoso Papa in quodam libello scriptum reperitur, quod *balsamum*, quod quidam orientales beato Petro solvebant pro tributo, idem *Formosus* pecunia condonavit. ☙ Unde Petrus Damianus retulit; In partibus Babylonis habuit possessiones sedes Apostolica, unde tanti balsami reditum capiebat quod sufficeret illuminandæ Lampadi ante altare sancti Petri appensæ & semper ardenti, hanc possessionem accepta pecunia Papa distraxit & captionem aromatis, quam recipere solebat Romana ecclesia, amisit; aliquanto post cum idem Papa ante sanctum altare quasi devotus astaret orans, ecce terribilis & grandævus senex, in cujus etiam facie Barbaicanium videbatur, elato brachio colaphum illi vehementer incussit & ait, tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguo lucernam tuam ante Deum, statimque disparuit, protinus ille corruit, & paulo post obiit. ☙ Sequitur Bonefacius sextus, sedit Romæ diebus XV. Deinde Stephanus sextus anno I, mensibus tribus. ☙ Episcopus Otto : In Italia Lambertus, qui imperium invaserat, moritur. ☙ Luithprandus : Ajunt enim quidam, dum venationi insisteret, equo cecidisse, collumque fregisse, alii dicunt

cunt eum ab Hugone filio Maginfridi Comitis Mediolanenſis in eadem venatione fuiſſe occiſum, quia idem Lambertus eundem Maginfridum patrem Hugonis interfecerat, & ipſum Hugonem militem ſibi ſociaverat : quibus geſtis Berengarius ampliori dignitate regia honoratur. ☙ Adelbertus Marchio & cæteri, quos Lambertus ceperat, ad propria deſtinantur. ☙ Conſtantinopolitani Imperatoris Leonis de quo ſupra diximus quidam ludus non eſt tegendus ſilentio: Palatium Conſtantinopolitanum ob Imperatoris ſalutem multorum præſidiis militum cuſtoditur, contigit itaque ex eiis XII poſt corporis refectionem in ipſo fervore diei una in domo quieſcere, & dum Imperator ſolus deambularet per palatium ligno modico, non incallidus, illis quieſcentibus, oſtii peſſulo projecto, ingrediendi ſibi aditum præbuit, undecim verò dormientibus duodecimus contractis in faciem brachiis quaſi dormiens totum, quod Imperator faceret, diligentiſſimè conſiderabat, Imperator igitur dum obdormire cunctos proſpiceret, aureorum numiſmatum libram pectori uniuscujusque appoſuit, moxque clam egreſſus oſtium ut prius fuerat clauſit, quatinus excitati & de lucro gratularentur ac qualiter hoc acciderit admirarentur, denique diſcedente Imperatore, qui vigil ſolus extiterat ſurrexit dormientiumque nummos aureos ſibi aſſumſit atque repoſuit, poſtea vero quieti ſe reddidit. Imperator igitur de hoc ludo ſollicitus poſt nonam prædictis XII ad ſe evocatis quæſivit, ſi quempiam illorum aliqua ſomnii viſio aut deterruit aut hylarem reddidit, cæteris qui nihil viderant tacentibus duodecimus ille voce humillima reſpondit: humaniſſime Imperator, hi quid viderint neſcio, ego tamen delectabile atque utinam quod proſpere contingeret vidi ſomnum; viſio hæc, pater Auguſte, bonum ſit, neſcio, uſque modo me non deterruit ſed hylarem reddidit, atque utinam grata tibi ſit hæc interpretatio, nam & me divinum & ſomnii venditorem eſſe liquido pateat, his auditis magno eſt cachinno Imperator inflatus & prudentiam hujus atque ſollicitudinem admiratus infit ; ante hac neque divinum neque ſomnii venditorem eſſe te audivi, hanc vero

rem

rem nunc ita apertè dixisti, ut circurritionis usus esses; quidquid tamen videris, quicquid inveneris tuum sit; quibus auditis quanta cæteri sunt confusione repleti quantoque is fit gaudio plenus, eorum quisque in se personas suscipiens animadvertere poterit.

Anno DCCCCII Arnulfus Imperator ut scribit Sigebertus longa ægritudine dissolutus, vel ut quidam ferunt, afflictus a minutis vermibus quos pediculos vocant, adeo in corpore ejus scaturientibus, ut à nullo medicorum minui possent, in Baioaria moritur. ☙ Episcopus Otto: Arnulfus XII regni sui anno, Imperii verò quinto diem obiit, & loco *Odingas*, ut Regino refert, juxta patrem sepelitur, monstratur tamen sepulchrum ejus in monasterio beati Emmerani Ratisbonæ; poterat tamen esse ut ibi humatus, huc postmodum transferretur. Filius ejus Ludovicus in loco qui Forcheim dicitur Rex creatur, ac à principibus Lotharingiæ, eo quod Zvendebaldo offensi essent, in regnum Belgicæ invitatur, alter quoque Ludovicus Bosonis filius ad imperium à Longobardis invitatur. ☙ Sigebertus: de Papa Stephano Sexto; Hic primum, inquit, à Formoso Papa Episcopus Anagninæ ecclesiæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & omnes ordinationes ejus irritas esse debere decrevit, & quædam horribilia dictu in eum fecit: legitur enim quod ipse, non Sergius de quo suo loco dicemus, corpus Formosi à sepulchro in concilio protractum & Papali veste exutum, laicali induit, & abcisis duobus digitis dextræ manus ejus in tyberim præcipitari fecit sive iste Stephanus sive Sergius, idcirco Formosum etiam post mortem persecuti sunt, ut nobis videtur, quia inter cætera etiam redditum balsami, sicut supra notavimus, pecunia condonavit, post eundem Stephanum Romanus Papa sedit mensibus tribus, diebus XXII ☙ Luithprandus: Ungari statim post mortem Arnulfi primo anno Ludovici collecto exercitu permagno, Maravensium gentem, quam virtutis eorum adminiculo Rex Arnulfus subdiderat, sibi vendicant Bajoariorum & jam fines occupant, castra diruunt, ecclesias

consumunt, populos jugulant, & ut magis magisque timeantur interfectorum sese sanguine potant.

Anno DCCCCIII Theodorus Papa sedit Romæ diebus XX: Hic contra Stephanum Papam sentiens, reconsiliavit ordinatos à Formoso, quos Stephanus intus Romæ & non foris exordinaverat, nec tamen præsumserat eos consecrare iterum; his reconsiliatis Theodorus Papa libellos abrenunciationis reddidit, & igni cremari præcepit, post quem Johannes nonus sedit annis duobus, diebus XV. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem quem Stephanus deposuerat Synodum LXXIIII Episcoporum præsentibus Francorum Archiepiscopis & Rege apud Ravennam statuunt, & coram eis combusta est Synodus quam Stephanus [ad] damnationem Formosi fecerat. ❧ Ungarorum gens barbara, quæ quibusdam clusis remota nec ad meridianam, nec ad occidentalem plagam exeundi antea habuerat facultatem, per Arnulfum ruptis clusis emissa, quæ Arnulfo vivente aliquantulum temperaverat rabiei suæ modo, eo mortuo per totam Galliam & Germaniam Italiamque ut fera tempestas diffunditur. ❧ Luithprandus: Ludovicus itaque Rex suæ gentis depopulationem hujusque gentis intelligens crudelitatem, suorum omnium animos hac formidine inflammat, ut si bello eodem quenquam, quid tunc acturus esset, deesse contingeret laqueo procul dubio vitam finiret; innumerabilis denique illa gentis pessimæ collectio copiis hujus obviam properare festinat; nec videas sitientem animam ardentius haustum laticis gelidi, quàm prælii diem gentem hanc crudelem appetere, neque enim haud aliud quam dimicasse juvat. ❧ Episcopus Otto: Zvendebaldus cum multa mala committeret, regnumque plurimum præda, cæde & incendiis cruentaret, tandem à Stephano, Gerardo, Machilfrido Comitibus publico bello necatur. ❧ Sigebertus: Zvendebaldus Rex à Lotharienſibus in bello perimitur, in qua conspiratione & bello quicunque vulneratus est aut mortem non evasit, aut nunquam sanari potuit. ❧ Ab hoc anno Ludovicus filius Bo-

sonis

sonis IIII. annis imperavit secundum annotationem Magistri Hugonis. ☙ Francone Leodiensium Episcopo mortuo Stephanus Episcopus subrogatur vir sanctitate & scientia clarus, qui *vitam Sancti Lamberti* martiris & passionem ad Hermannum Archiepiscopum Colonienſem urbaniùs edidit. Item Stephanus fecit cantum de eodem martire beato Lamberto, cantumque se Sancta Trinitate & de inventione protomartiris Stephani dulci & regulari modulatione composuit; fuerat siquidem de clero Sancti Stephani Metensis. ☙ Conradus Comes Conrardi qui post Ludovicum regnavit [pater] perimitur in bello à Comite Alberto. ☙ Episcopus Otto: Circa idem tempus Albertus nobilissimus Francorum Comes, *Ottonis Saxonum Ducis ex filia nepos*, Conradum qui à quibusdam Ludovici Regis frater fuisse creditur occidit, unde Rex Ludovicus prædictum Albertum in castro Babenberg bello petiit & per septennium obsedit.

Anno DCCCCIIII. Jamiam Rex Ludovicus contra Ungaros collecta multitudine Augustam venerat, quæ est in Suevorum, Bajoariorum, sive orientalium Francorum confinio civitas; cùm insperata magis aut non optata gentis illius nunciatur vicinitas; sequenti igitur die Lemanni secus fluminis campos, marcio operi capacitate sui aptos, utræque acies convenere; post multam stragem Ungari positis insidiis Ludovici milites vincunt. ☙ Unde Sigebertus: Ludovicus Rex conserto cum Ungaris prælio miserabiliter vincitur. ☙ Apud Constantinopolim Leone Imperatore mortuo Constantius filius ejus & Alexander frater ejus imperavit anno uno. Normanni cum Rollone in *Burgundiam* venerunt, quibus *Richardus Dux* cum suo exercitu occurrit, irruensque in eos percussit in ore gladii & reliqui fugerunt. ☙ Gvido ex dictis Gvilelmi: Rollo cum suis cum ubique libera debacharetur insania, Camoti tandem hæsit, siquidem cives nec muris nec armis confisi beatæ Mariæ suffragium implorantes, camisiam ejusdem quam Karolus calvus Rex Francorum à Constantinopoli cum aliis reliquiis advehi fece-

rat ſuper propugnacula ventis exponunt, hoſtes inſani irrident, & in eam per inane ſagittas dirigunt non impune; nam mox oculis obnubilatis nec retro regredi nec procedere divinitus ſunt permiſſi, quod oppidani cernentes egreſſi multa eos cæde proſternunt, evaſit tamen Rollo quem Deus ſuæ fidei reſervavit, Rotomagum verò & fines ejus jam à longo tempore armis obtinebat, de Haſtingo vero dicitur, quòd cum eſſet ei perſuaſum, quod ob ſuſpicionem favendi Normannis Karolo Regi fuit inviſus, præ timore vendita civitate Carnoto Turonenſi Comiti Theobaldo clam diſceſſit & poſt in Francia non eſt viſus, & exinde à comitibus Turonenſibus pervenit civitas Carnotenſis per matrimonium ad comites campanienſes. ☙ Benedictus quartus annis tribus, menſibus duobus.

Anno DCCCCV Ungari ſuperioris anni victoria elati regnum Ludovici ſub tributo redigunt. ☙ Hic dicit Epiſcopus Otto: quod Ungari commiſſo cum Bajoariis bello Ducem eorum Leopaldum Arnoldi ducis patrem occidunt, ac inde per totum regnum diffuſi Alemanniam, Franciam, Saxoniam, Thoringiam percurrunt; qui etiam Longobardiam pervagantes, incolas terræ occurentes ſibi ſagittis perimunt, crudelitateque depulata provincia ad propria revertuntur, Ludovicus autem Boſonis filius imperium in Italia adeptus Berengarium expulerat. ☙ *Treveri Tukerus* erat *Archiepiſcopus*, qui fecit & *compilavit quendam librum decretorum* ad Epiſcopum Virdunenſem Dadonem. ☙ Apud Tullum poſt Ludelinum præfuit Drogo Epiſcopus. ☙ Apud Stabulaus Adelardus Comes de rupe in Ardenna præerat vice Abbatis. ☙ Apud Conſtantinopolin Alexandro Imperatore mortuo Conſtantinus nepos ejus Leonis Imperatoris filius imperat annis XXXIX. ☙ Focas domeſticus major fuit Dux terreſtris exercitus, Romanus autem princeps navalis exercitus. ☙ Symeon fortis bellator Bulgaribus præerat, Chriſtianus quidem ſed vicinis Græcis valde inimicus, contra quem Focas præfatus copias exercituum duxit, ei Conſtantinopolim venienti viriliter repugnavit.

Anno

Anno DCCCCVI Ungari victos Græcos sub tributo redigunt, Romanus autem prædictus princeps humilis quidem genere, sed quia Leonem ferocem occiderat ex parte fortitudinis habitus, & per hoc à supra dicto Leone Imperatore Dux navalis exercitus constitutus, volens fieri tutor Constantini Imperatoris, qui admodum puer erat, tutorem illi à patre deputatum & omnes principes palatii ad se extra urbem arte evocatos capit, & palatio eliminat & sibi faventes officiis curialibus honorat : Focas autem qui terrestrem exercitum contra Symeonem Bulgarum Regem duxerat, hoc nuncio perterritus fugit à bello & omnes fugere fecit, sicque animos & vires Bulgaribus addidit Græcos acrius debellandi, & ipse à Romano oculis privatur. ☙ Luithprandus : Romanus verò suæ parti parentes in urbe collocat, Rectorem, Magistros, Patricios, Logotheten, Eparcon, Kitonicas, Cubicularios, Prothospatarios & Spatarios, qui etiam ut ceptum opus firmius patraret, cum porphirogeniti Constantini matre Zoi nomine matrimonium contraxit, tota mox civitas eum coronat, & Romanus, pater Basileos, appellatur. Rollo autem XIIII Kalend. Augusti Carnotum obsedit cum suis, qui remanserant, sed Arcelmus Episcopus Richardum Ducem Burgundiæ & Robertum Principem cum suis exercitibus festinus adduxit, ut civitas ab obsidione liberetur, qui irruentes in eos peremerunt ex eis VI Mill. & DCCC, à paucis qui remanserant obsides accipientes. Uxor hujus Richardi Ducis Burgundiæ dicta est Alaydis mater Regis Rodulphi, & sub eodem Richardo fuit Madelgaudus Vice-Comes, Comes vero Manasses Divionensis, cujus erant filii Walo & alter Manasses Comes major. ☙ Ademarus etiam illustris Senator in pago Senonico & Turonico multa contulit ecclesiis & cujus uxor Lampaia dicta est; Horum memoria fit in Divionensi ecclesia.

Anno DCCCCVII Leo quintus Presbyter Forensis, Romanæ Ecclesiæ præfuit diebus XL, quem Christoforus Presbyter suus capiens & in carcerem trudens per invasionem fit Papa mensibus VII, quo zelo fidelium deposito & facto monacho Sergius tertius tandem factus

factus est Papa, qui sedit annis septem, diebus XV. ☙ Sigebertus: Iste est Sergius Dyaconus propter Formósum à Papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso Episcopus factus ad Francos tamen se contulit, & eorum auxilio Christoforum invasorem capiens & in carcerem trudens latenter Romam ingressus per Adelbertum papatum invasit & Romanos minis & terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent & in ultionem suæ repulsæ Formosum sepulchro extractum decollari præcepit & in Tiberim jactari, cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum reordinavit, cujus corpus à piscatoribus inventum in ecclesia beati Petri in loculo repositum est & ab imaginibus Sanctorum, ut dicit Luitprandus, salutatum est. ☙ Hæc posuit Sigebertus secundum opinionem Luithprandi, sed in ecclesia Lateranensi multo aliter sentitur de eodem Formoso, cujus lucernam beatus Petrus extinxit, eo quod ipse ejus lucernam extinxerat; aliter etiam sentitur de isto Sergio, iste enim, sicut ibi legitur, Lateranensem ecclesiam ab invasoribus prædecessoribus suis destructam renovavit & ornavit, & multa bona fecit in ea. ☙ Sigebertus: Apud Græcos Romanus pater basileos factus, &, ut securius ageret, matre Constantini in uxorem accepta, suam quoque filiam ipsi Constantino porphirogenito despondit. ☙ Unde Luithprandus: Eodem, quo pater basileos conditus est, anno filiam suam Helenam Imperatori parvulo domino suo Constantino porphirogenito conjugem dedit, Ungari Bulgares victos tributarios sibi faciunt. ☙ Unde Luithprandus: Cum nullus esset qui in orientali ac australi plaga Ungaris resisteret, Græcorum gentem atque Bulgarorum tributariam sibi fecerunt.

Anno DCCCCVIII Apud Græcos Romanus Imperator impetrato à principibus, ut communi eorum decreto rubricatarum pellium caligis, ut istic Imperatorum moris est, uteretur. Anno etiam sequenti omnium judicio coronam accepit, & caligarum decorem minimè perdidit. ☙ Unde Sigebertus: Romanus impetrato à Principibus, ut etiam indumenta imperialia & dyadema imperii acciperet, non jam tutor Imperatoris sed super Imperatorem Imperator esse videbatur,

debatur, quia etiam Christoforum filium suum in imperio ascitum Constantino Imperatori in procedendo præferebat. ☙ Luithprandus: Post imperii sui ordinationem uxor sua peperit ei filium nomine Stephanum, & rursum concepto fœtu peperit alium nomine Constantinum, quos omnes Imperatores constituit, & cum ad publicum, id est, ad sanctam Sophiam vel ad Blakernas vel ad sanctos Apostolos Romanus cum Christoforo primogenito procederet, Constantinus Porphyrogenitus & duo cæteri sequebantur. ☙ Italienses interea Ludovicum Bosonis filium ad se de Burgundia invitaverant, & contra Berengarium, ut supra dictum est, regem statuerunt, *Adalbertus* quidam *Marchio Eporegia* Berengarii prædicti filiam nomine Gisilam conjugio sibi copulaverat, ex qua Berengarium juniorem genuerat, qui Adalbertus primò fuit bonus, sed postea perfidus, unde proverbium dicebatur, longo eum uti ense sed minima fide; prædictum ergo Ludovicum Rex Berengarius bello excipiens jurare illum compulit, ut si redire permitteretur, non ultra in Italiam veniret: abhinc ergo per sex annos Berengarius idem imperavit.

Anno DCCCCIX Ungari collecto innumerabili exercitu Italiam petentes exploratores ante se dirigunt Ungari territi ab Italiæ ingressu per consilium exploratorum reparato exercitu venerunt & Italici eis occurrerunt. Rex Berengarius Italorum, Tuscorum, Volcorum, Camerinorum, Spoletinorum, alios epistolis, alios nunciis in unum venire præcepit, & fuit exercitus ejus triplo validior quam Ungarorum, quod videntes Ungari fugere ceperunt, persequentibusque Christianis ad Duam fluvium natando ita ut nimia festinatione plurimi submergerentur, fugientes Pagani à Christianis pacem per internuncios petunt, quod Christiani contemnunt, Ungari qui usque Papiam processerant fugiendo in Veronenses campos perveniunt. Ibi factum est quoddam præludium pugnæ, in quo Ungari vicerunt, inde fugientes juxta fluvium Brentam propter equos fatigatos quieverunt, pacem requirentes quam non habuerunt; Ungari propter desperationem rerum se invicem exhortantes, viriliter eos receperunt, in tres

Digitized by Google

partes insidias disponentes, super Christianos irruunt & vincunt, quam victoriam non pro sua fortitudine, sed pro Christianorum peccato habuerunt, & hoc est quod dicit Sigebertus, Ungaris Italiam depopulantibus, Rex Berengarius bello congressus miserabiliter vincitur. ☙ Romanus Græcorum Imperator Bulgares, Græcos fortiter debellantes, facto fœdere mitigavit. ☙ Luithprandus : Filia Christoferi filii sui nuper defuncti Romanus filio Symeonis Petro uxore data, ab incepto eum furore compescuit sibique fœdere placido sociavit, unde & puella pax [irene] est vocata, eo quod per eam inter Bulgares & Græcos pax firmissima sit constituta. ☙ In Burgundia circa ripas Araris fluminis sub regno Rodulphi translatum est corpus sancti Bercharii & sancti Mauri Fossatensis cœnobii timore Ungarorum & Normannorum.

Anno DCCCCX Eo tempore quo Romanus Constantinopolitanum susceperat imperium, nonnullæ ei gentes præsertim Orientales visæ sunt rebellare; factum est autem dum Imperator exercitum ad eas expugnandas mitteret, Apuliam & Calabriam binas regiones, qui ei tunc temporis serviebant, huic rebellâsse; cumque Imperator maximis Orientem versus copiis decretis exercitus huc multitudinem destinare non posset; rogavit primo ut ad sui fidelitatem pristinam sponte redirent, quod cum se minime facturos dicerent ad Affricanum mox Imperator dirigit, eum pretio rogans, ut se adjuvet virtutisque ejus auxilio Apuliam sibi atque Calabriam subdat. Hac ex legatione Rex Affricanus accitus innumerabiles ratibus copias in Calabriam Apuliamque direxit, binasque has regiones Imperatoris dominatui potentissimè subdit; sed dum processu temporis has regiones dimitterent, Romam versus aciem giraverunt montemque Garelianum maxima pro tuitione sibi vendicaverunt multasque munitissimas urbes debellantes vi ceperunt. ☙ Et hoc est quod Sigebertus dicit : Sarraceni ex Affrica à suo Rege missi in Italiam, ut Calabriam & Apuliam contra Romanum Imperatorem Constantinopolitanum rebellantes sub ditione illius redigerent, pugnando Apulis & Calabris fortiter

fortiter debellatis Romam versus girantes Garelianum montem occupant, ibi munitione sibi factâ multas Italiæ urbes debellaverunt. ☙ *Regino Abbas Prumiensis* Cronicam suam à nativitate Domini inchoatam usque ad hunc annum perduxit. ☙ Abbacia Cluniacensis fundata est, Guilelmus pius Dux Aquitaniæ & Comes Matisconensis in fundatione Cluniacensi multa bona contulit. *Albertus Comes* supra nominatus ex primoribus Austrasiorum per septennium Ludovico Regi rebellis dolo Hattonis Moguntini Archiepiscopi ad Regem deductus decollatur. ☙ Episcopus Otto : Cum Rex Ludovicus viribus se non posse proficere videret, Hattonis Moguntini Archiepiscopi consilio ad dolum se contulit, itaque ut non solum in Regum gestis invenitur, sed etiam *ex vulgari traditione* in compitis & curiis hactenus auditur, præfatus Hatto Albertum in castro suo Babenberg adiit, eumque quasi pietatis obtentu de gratia Regis adipiscenda convenit; Iste devotis monitis ejus obtemperans humiliter conductum de proprio personæ incolumitate petiit, ac ne multis morer interposita sacerdotis præfati fide, iter carpunt, jam castro exierant, jam proximâ vico, qui Fuerstat adhuc dicitur, appropinquabant. ☙ Episcopus Otto : Grave inquit nobis erit jejunium sustinere, si placet antequam Regi præsentemur ad prandium divertamus, tunc ille simplices aures more antiquorum primorum habens, dolumque minimè persentiens gratanter eum ad prandium in castro, unde digressi fuerant, reduxit, at postquam refecti sunt ad curiam veniunt, in causa princeps ponitur, ac tanquam majestate reus capite plectendus adjudicatur, monet ille Episcopum de fide datâ, quam è contra ille se bene, in hoc quod sanum & incolumem in castrum eum reduxerat servâsse respondit; sic præfatus Albertus capite plectitur possessionesque ejus, *è quibus postmodum Babenbergensis Ecclesia locupletata est*, in fiscum redactæ sunt. *Ex hujus Alberti sanguine Albertus, qui postmodum Marchiam Orientalem, ideſt, Pannoniam superiorem Ungaris ereptam Romano imperio adjecit, originem duxisse traditur*, judicent de hoc sacerdotis facto alii quid velint & tanquam pro regni utilitate

Digitized by Google

commissum tueantur, ego omnino nullius emolumenti gratia non solum quemlibet Christianum fraude circumvenire, sed etiam in corde & in causa capitali loqui non debuisse arbitror Episcopum. ☙ Elimandus : Eclipsis solis accidit in diebus Letaniarum sexto Nonas Maji quarta feria circa horam diei octavam, & permansit hora ferè dimidia adeo obscura, ut stellæ in cælo visæ sint clarissimè. ☙ Obiit Hugobardus Lugdunensis Episcopus, succedit Amelo.

Anno DCCCCXI Ungari Germaniam vastant. ☙ Luithprandus: qui ut rabiem perfidiæ suæ satiarent Bavvariorum, Suevorum, Francorum, omnia deflagrando regna percurrerunt, nec quisquam erat qui horum præsentiam nisi labore non parvo naturave munitissimis præstolaretur in locis. Eo tempore mulier quædam Theodora nobilis quidem genere, dives dote, sed meretrix opere, mortuo marito, quod dictu fœdum est, Romanæ civitatis principatum tenebat, quæ duas filias habebat matri similes actibus nefariis, Maroziam atque Theodoram. Per idem tempus Petrus Ravennæ sedis Pontificatum tenebat, qui dum clericum suum Johannem nomine sæpius & iterum domino dirigeret Papæ Theodora quæ principatum tenebat, Romæ in hujus speciei decorem vehementer exarsit, & secum scortari compulit. Interea Bononiensis Episcopus moritur & Johannes iste loco ejus eligitur, paulo post ante diem ejus consecrationis nominatus Petrus Ravennas Archiepiscopus mortem obiit, locumque ejus Johannes idem Theodoræ instinctu Bononiense Ecclesia derelicta sibi usurpavit, Romam quippe adveniens mox Ravennæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus, hic est Johannes qui post, ut in sequentibus dicetur, fuit Papa & dictus est Johannes decimus : Maroziaverò Theodoræ filia Sergio Papæ per adulterium peperit illum Johannem, qui duobus interpositis post prædictum Johannem Ravennatem fuit Papa & dictus est Johannes XI. Ex *Alberico Marchione* marito suo eadem Marozia peperit Albericum qui postea Romanæ urbis tenuit principatum. ☙ Hic possumus animadvertere, quam alieni fuerint à religione temporis hujus pontifices.

fices. ☙ Gvarnerus fit Episcopus Lingonensis, Agrimo prædecessore suo facto monacho.

Anno DCCCCXII Ludovicus Rex Germaniæ moritur XII Kalend. Julii, qui propter tyrannorum in Italia insolentiam & multam malorum ingruentiam non meruit Imperialem benedictionem. ☙ Episcopus Otto: quo defuncto Otto Saxonum Dux avus magni Ottonis ab omnibus petitur, princeps ergo clarissimus tanquam senio gravis Rex fieri recusabat, *Conrardus* ergo Conradi quem Albertus occiderat filius consilio præfati Ducis Ottonis consensu omnium, orientalis Franciæ Rex creatur, hunc quidam Lodovici fratris filium fuisse dicunt & ob hoc eum novissimum Karolorum ponunt. ☙ Luithprandus: iste Francorum ex genere oriundus vir erat strennuus bellorumque exercitio doctus, regnavit annis VII, qui & ipse caruit benedictione imperiali. ☙ Berno Abbas morituras Odonem olim musicum instituit Abbatem Cluniacensis cœnobii ea conditione, ut ecclesia Cluniacensis solveret annuatim ecclesiæ Gigniacensi censum XII denariorum. *Memorabile atque insigne opus quod forum vetus vocabatur Lugduni cecidit*, hic primum dicitur Dux Rollo fuisse baptizatus, ☙ de quo dicit Gvido: Karolus Rex cum magnatibus librato consilio ita fœdus iniit cum Rollo Normannorum Duce, ut ille baptismum Christi susciperet & filiam Regis Giselam nomine duceret in uxorem, & cum ea terram maritimam adepto flumine usque ad limites britannicos de Rege sicut de domino suo cognosceret; inter Karolum Regem & Rollonem pacis hujusmodi pacto Regis Odonis fratre Duce Roberto mediante contracto baptizatur Rollo, suscipitur à Roberto cujus sibi nomen imponi voluit, nomine Rollonis abjecto, baptizantur & reliqui Normannorum, gentilitatis errore relicto. ☙ Gvilelmus: Tunc illi qui astabant consulentibus Rolloni ut pedem largitoris oscularetur, dedignatus pedibus Regis advolvi, apprehensum pedem ejus, stans ad os suum attraxit, quo resupinato secutus est risus Normannorum, Francis reprehendentibus, excusat Rollo factum allegans ta-

lem provinciæ ſuæ morem. Hujus Rollonis, qui & Roberti, fuit filius Gvilelmus, ſed non fuit de ſupra dicta Gisla Regis filia, ſed de quadam puella quam ceperat Rollo apud Bajocas, Gisla vero absque liberis obiit. ❧ Archiepiſcopus Remenſis corpus beati Remigii ad Abbatiam ſuam retulit.

Anno gratiæ DCCCCXIII. Anno primo Conrardi, ut dicit Epiſcopus Otto, Ungari ad depopulandum terram rurſum effuſi; à Svevis & Bajoariis juxta Enum fluvium ſive Danubium proſternuntur. ❧ Sigebertus: Ludovicus ab Italienſibus ad regnandum reinvitatus oblitus juramenti, in Italiam contra Berengarium vadit & eo expulſo regnum Italiæ iterum uſurpat. ❧ Luitprandus: Adelbertum Tuſciæ Marchionem & Bertam uxorem ejus, quibus Berengarius Rex intolerabilis viſus eſt, *cæteri principes Italienſes propter eundem Ludovicum, ut adveniret, transmiſerunt; Berengario Veronam profecto Ludovicus cum Italienſibus eum perſequi non deſiſtens, Verona illum expulit, totumque regnum ſibi viriliter ſubjugavit: Inde Ludovicus Tuſciam videre voluit, & Luccam proficiſcitur, ubi à prædicto Adelberto decenter ſuſcipitur, Ludovicus autem ob Adelberti potentiam invidia tangitur, ob quam rem ab ejus fidelitate ſeparatur. ❧ Sequitur de relatione corporis Sancti Martini ab Antiſiodoro ex dictis Sancti Odonis Cluniacenſis Abbatis: interea quidam vir inclitus comes Gaſtinenſis, Ingelerius nomine, Hugonis Ducis Burgundiæ nepos, Loziæ & Ambaziæ dominus, factus eſt *Conſul Andegavenſium* à Rege Franciæ: Rollone ergo baptizato per hujus Comitis induſtriam relatum eſt corpus beati Martini Turonum ab Antiſiodoro anno à transvectione ejus XXXI ydus Decembris, in cujus reditu quicunque qualicumque incommodo detenti *etiam non volentes* ſanati ſunt: Nam duo paralytici de morbo ſuo victum quærentes, quæ fiebant communicato conſilio aptatis baculis ſub aſella repere magis quam fugere tentabant fugientesque inviti ſanati ſunt, quod ipſi poſtea confeſſi ſunt non audentes celare, ingreſſo autem Martino fines parochiæ ſuæ tempore brumali

brumali omnia frutecta veſtita ſunt foliis & floribus, & tam cerei quam lampades accendebantur igne divinitus miſſo, maxime in duabus baſilicis in ejus nomine conſecratis in majori monaſterio & in Eccleſia caſtri novi, in qua nunc uſque ſervatur, & dextra læva-que in omnibus eccleſiis campanæ pulſabantur nemine tangente; Adalaudus Turonenſis Epiſcopus & comprovinciales ſui feſtum hoc ſingulis annis ſynodali auctoritate inſtituerunt agi, & hi ſunt Epiſcopi qui interfuerunt: Ranno Aurelianenſis frater ejusdem Adalandi, Mammolus Cenomanenſis, ſanctus Lupus Andegavanenſis, Siagrius Eduenſis & Domulus Trecenſis, Abmarius Comes erat Antiſiodorenſis.

Anno DCCCCXIIII Contra Conrardum Regem anno ſecundo regni ejus potentiores regni Principes rebellionem meditati ſunt, ſcilicet Arnoldus de Bajoaria, Burchardus de Suevia, *Everardus potentiſſimus de Francia*, Gislebertus Dux de Lotharingia, & horum omnium excellentior Henricus Dux ſupra dicti Ottonis filius de Saxonia & Thoringia; qui omnes tam ſapientia quam fortitudine Regis ad gratiam ejus reducuntur, ſolus Arnoldus ad Ungares cum uxore & filiis fugiens usque ad mortem ibi manſit. ☙ Epiſcopus Otto: Dum Italico regno Ludovicus pro arbitrii ſui motu potiretur, dimiſſo milite cum paucis Veronam ſe contulit. ☙ Luithprandus: Fluvius Atheſis mediam civitatem Veronam ſicut Romam Tyberis percurrit, ſuper quem marmoreus miri operis miræque magnitudinis pons eſt fabricatus, à læva autem parte fluminis quæ eſt aquilonem verſus, civitas poſita eſt difficili arduoque colle munita adeo, ut ſi ea pars civitatis quam memoratus fluvius dextra alluit ab hoſtibus capiatur, ea tamen viriliter poſſit defendi, in hujus verò collis ſummitate pretioſi operis eccleſia eſt fabricata & in honore beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis conſecrata, ubi & propter amænitatem eccleſiæ locique munitionem Ludovicus manebat.

Anno DCCCCXV. Berengarius qui in Bajoaria exulabat dato pretio cuſtodes civitatis Veronenſis corrupit, collectisque Viris fortiſ-

fortissimis in ipso noctis conticinio civitatem ingressus Ludovicum, qui ad ecclesiam confugerat cepit. ☙ Unde Sigebertus : Ludovicus Veronæ captus à Berengario à custodibus urbis auro corruptis immisso, oculis privatur, Ungari Berengario confœderati Alemanniam vastant & à Bajoariis & Alemannis graviter cæduntur. Ungarorum rabies quia per Saxones, Francos, Suevos, Bavvarios nequibat, totam per Italiam nullis resistentibus dilatatur; Verum quia Berengarius firmiter suos milites habere fideles non poterat, amicos sibi Ungaros non mediocriter effecerat. ☙ Anastasius tertius sedit Romæ annis duobus, mensibus duobus, & abhinc Berengarius regnum Italiæ cum Romano Imperio quatuor annis tenuit.

Anno DCCCCXVI Karolus Rex Francorum regnum *Lotharingiæ* recepit. ☙ Luitprandus : Sarraceni qui *Fraxinetum* inhabitabant, post labefactionem provincialium quasdam summas Italiæ partes sibi vicinas non mediocriter laniabant, adeo ut depopulatis pluribus urbibus usque Aquis venirent, quæ est civitas XL fermè miliariis à Papia distans, quæ etiam propter thermas miro in tetragonum modo ad lavandum ibi constitutas vocabulum hujuscemodi sortita est; tantus enim timor invaserat universos ut nullus esset, qui horum præsentiam nisi forte tutissimis præstolaretur in locis. ☙ Sigebertus : Sarraceni à Fraxineto exeuntes Italiam gravissime premebant.

Anno DCCCCXVII : Eodem tempore secundum Luitprandum Sarraceni ab Affrica ratibus exeuntes Calabriam, Apuliam, Beneventum, Romanorum etiam civitates occupaverunt, ut unamquamque civitatem mediam Romani obtinerent, mediam Africani; in monte quippe Gareliano munitionem constituerant, in quo uxores, captivos, parvulos, omnemque supellectilem satis tuto servabant, nemo etiam ab occasu sive arcturo orationis gratia ad beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his aut non caperetur aut non modico pretio dato dimitteretur, & ita misera Italia ab una parte Ungarorum ab alia Africanorum & item Sarracenorum à Fraxineto cladibus premebatur, Ungari Alemanniam totam

deva-

devaſtantes usque ad Fuldam perveniunt. ☙ Romæ Laudo factus eſt Papa ſedit menſibus ſex.

Anno DCCCCXVIII Sigebertus : Romanus Græcorum Imperator filios ſuos Stephanum & Conſtantinum cum domino ſuo Conſtantino imperare conſtituit ipſo Conſtantino Imperatore tum orationi tum lectioni vacando, totum ſe Domino commendante & opere manuum picturam ſecundo [faciendo] pulchre exercendo victum ſibi quærente. ☙ Hattonem Moguntinum Epiſcopum, cujus dolo olim Albertus perierat, Rex Conrardus ſollicitat etiam contra Henricum Saxonum Ducem propter potentiam ipſius ſibi ſuſpectam, ad quod cum jam torquem auream Epiſcopus fabricaſſet, quæ collo Ducis ſecum convivantis injiceretur dolo prodito fruſtratus, & poſt triduum morbo & angore, vel ut alii dicunt fulminis ictu Hatto periit; complices conſilii ejus à Duce elimati ſunt. ☙ Poſt Hattonem fit Epiſcopus Moguntinus Herigerus per annos octo : miſſo autem exercitu à Rege contra Henricum tanta cæde Saxones debachati ſunt in eos, ut à mimis declamaretur, ubinam eſſet ille infernus, qui tantam cæſorum multitudinem capere poſſet. Ungari per Alemanniam in Alſatiam & usque ad Lotharingiam perveniunt. ☙ Johannes Ravennas Archiepiſcopus hujus nominis decimus in numero Pontificum CXXIIII ſedit Romæ annis XIII, menſibus duobus, diebus tribus.

Anno DCCCCXIX Remenſis Archiepiſcopus Hervejus excommunicavit Comitem Erlebandum pagi Caſtricenſis, pro eo quod macerias firmavit & Altmontem irrupit. Conradus Rex moriens, VII anno regni ſui præſentibus regni principibus præter Saxonum ducem Henricum, qui ſuus fuerat adverſarius, omnes ad concordiam invitans coronam, ſceptrum & cuncta regalia eidem Henrico transmiſit, rogans omnes & obteſtans ut eum eligerent, & ſuum dominum eum conſtituerent, qui, ut Luithprandus dicit, regiæ dignitatis culmen & poſt humiliter declinavit & paulo poſt non ambitioſe ſuſcepit. Verum niſi pallida mors quæ pauperum tabernas regumque turres

æquo pulsat pede Conradum Regem tum citissime raperet, is esset cujus nomen mundi nationibus imperaret. ☙ Guido : Per idem tempus Arnulfo in regnum Germaniæ successit filius ejus Ludovicus, isti Conrardus, Conrardo Saxoniæ Dux Henricus, ad regnum quidem eorum quisque, sed nullus ad imperium prævaluit obtinendum. Principes enim Imperii, dum imperare singuli cupiunt, sicut de civitatibus Græciæ legitur, imperium omnes pariter amiserunt; ita quod Berengarius, Guido, Lambertus, Hugo, Rodulphus & alter Berengarius, & Hugonis filius Lotharius, de quibus postea dicemus, & alii plures in suis quisque provinciis lacerato Reges imperiosè fecerunt.

Anno DCCCCXX Henricus primus Dux Saxonum regnavit secundum Sigebertum annis XVII. Henricus contra Arnoldum ab Ungaris regressum cum exercitu in Bawariam profectus eum virtute & sapientia sua ad gratiam suam inflexit, *addens ei ordinationem Episcoporum totius Bavvariæ.* ☙ Episcopus Otto : Hic est Arnoldus qui ecclesias & monasteria Bawariæ crudeliter destruxit, & possessiones earum militibus distribuit; is dum primo contra Henricum regnare moliretur, beato Ulrico post Augustensium Episcopo duo gladii, quorum alter capulo carebat, in visu remonstrati sunt, audivitque Henricum gladium cum capulo, Arnoldum autem gladium sine capulo tanquam sine capite & justitia esse. ☙ Burcardum etiam Ducem Alemanniæ bello deterritum ad se inflexit. ☙ Robertus Dux frater Odonis quondam Regis Franciæ appetens regnum Francorum contra Karolum simplicem inquietabat regnum Francorum ejusque instinctu omnes penè primores Franciæ adversabantur Karolo : Walterus autem Senonensis Archiepiscopus contra Karolum unxit eundem Robertum in Regem. ☙ Guido : Karolum simplicem Regem Francorum cum post Aquitaniæ Regis Odonis excessum regnum Aquitaniæ excepisset, sicut inter eos fuerat ante constitutum & annos aliquot jam transcurrisset in sceptris, sed propter nimiam simplicitatem subjectorum sibi nobilium odium incurrisset, Robertus prædicti Odonis Regis frater magnæ potentiæ Dux amicorum suorum, scilicet Rodul-

Rodulphi tunc Burgundiæ Ducis, & *Veromandensium simul & Campaniæ Comitis* Herisberti, qui gener fuit ipsius Roberti, fultus auxilio regnique fere totius consilio, deturbavit avito solio, quod ipse Rex factus ascendit. ☙ Primo anno Roberti Regis invasoris Gotselinus fit Episcopus Lingonensis, post mortem Garneri prædecessoris sui, qui apud sanctum Benignum obiit. ☙ Archiepiscopus Hervejus Remensis obiit.

Anno DCCCCXXI Stephano Leodiensium Episcopo mortuo & apud sanctum Lambertum sub altare sanctæ Trinitatis tumulato Richarius Vir Catholicus Abbas Prumiensis à Karolo per auctoritatem Papæ Romæ ordinatur Episcopus, repudiato Hilduino qui pecunia data Duci Gisleberto, ambiebat sibi ab eo dari Episcopatum, quo tempore factus est *Treverensis* Archiepiscopus *Rupertus filius Theoderici Saxoniæ Ducis*, frater Matildis Reginæ Alemanniæ, qui Dux Theodericus fuit de genere *Guithicindi*, & habuit tres fratres, Guitecin, Immit, & Reginben; *& ex hâc serie istorum quatuor fratrum descendit nobilitas totius Saxoniæ, Italiæ, Germaniæ, Galliæ & Normanniæ, Bavvariæ, Svevia, Hungariæ, Boemiæ, Tusciæ & Poloniæ.* Apud Virdunum Barnonius, & apud Tullum Gauzelinus annis XLIIII. ☙ Sigebertus : Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ sanctus Guibertus, qui *Gemblacense* cænobium fundavit, qui divitiis, nobilitate, & potentia clarus, cingulum mundanæ militiæ deponens, cingulo sanctæ religionis in monachico habitu se accinxit. ☙ Ziptineus *dux Boemiæ* ad fidem conversus, juste & religiose in Boëmia principabatur, & post eum Watizlaus, filius ejus, post Watizlaum *Wenzelaus* filius ejus justitia & sanctitate præclarus, cui frater ejus Bolisslaus nimis adversabatur. Abbas Stabulensis Dominus Leuthbertus Episcopus & Abbas, deinde Luithfredus Comes & Abbas locum eundem in manu sua tenuit.

Anno DCCCCXXII Ungaris Franciam, Alsatiam, Alemanniam, Saxoniamque depopulantibus, Henricus Rex juxta urbem *Meresburg* congressus vovens Deo pro adipiscenda victoria hæresim

Simoniacam de regno suo eradicaturum, inæstimabili cæde eos usque ad internecionem pene delevit, & hunc triumphum tam laude quam memoria dignum *in superiori cœnaculo* domus suæ de *Meresburch, quæ & Marcinopolis* dicitur, notari & *depingi* præcepit, item Princeps quidam Rodulphus & Hugo Comes Viennæ Ungaros hoc anno vicerunt, Rex Henricus quoscunq; fures aut latrones aut sicarios manu fortes & bellis aptos esse videbat, indulta eis venia agros & arma dabat & legionem ex eis faciens ad debellandos barbaros exponebat, edicens omnino, ut civibus tantummodo parcerent. ☙ Karolus Rex Francorum cum auxilio Lothorensium juxta urbem Svessionis pugnans contra Robertum fratrem Odonis Regis, qui contra se regnum Francorum invadebat, eum cum multis peremit. ☙ Gvido: Auxilio Lothorensium recuperante regnum & irruente Karolo super Robertum in planitie præjacente civitati Svessionensium & castro Sancti Medardi, non sicut imbellis, sed belli victor Robertus in bello cecidit; nam Franci victores cum ejus filio Hugone repulerunt & compulerunt agmine lacerato trans Mosam fugere Karolum; præfatum verò Rodulfum Burgundiæ Ducem pro parte sua in Regem Franciæ creaverunt; At Roberto Regi non in regnum, sed in ducatum successit filius ejus *Hugo*, qui magnus est & *cappatus* à cappa Domini, quam de terra promissionis transvexisse fertur in Franciam, appellatus. Hujus mater Hugonis filia fuit *Ducis Burgundiæ*, unde & hæredes ejus adhuc ducatum retinent. ☙ Sigebertus: Karolus autem se & Franciam Henrico Regi submittit, eiq; in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum pretiosi martiris Dyonisii Parisiensis auro gemmisq; inclusam; Waltherus autem Senonensis Archiepiscopus permittente Karolo unxit prædictum Rodulfum Ducem Burgundiæ patrinum ipsius Karoli in Regem Franciæ tertio idus Julii, qui Walterus eodem anno obiit.

Anno DCCCC XXIII Cum *Trevirensis ecclesia* cum suis suffraganeis fuisset huc usq; sub Regibus Franciæ, mediante Episcopo Ruperto pertractata pace reddita est Regibus Alamanniæ. ☙ Unde

de Sigebertus: Reges Henricus & Karolus *apud Bunnam* confœderantur, & Karolus reddit Henrico Regi regnum Lotharingiæ, Episcopis & Comitibus utrinq; jurando rem confirmantibus. ☞ Episcopus Otto: Dum Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Karolo disceptaret, die Bonnæ constitutâ Belgica Henrico cessit, at Carolo Celtica tantum & Aquitania parsq; Lugdunensis, Burgundia per se Regem habente remansit, & sic regnum, quod Francorum dicitur, ex paterna hæreditate Belgicam Galliam cum palatio Aquis, & majori parte Franciæ perdidit. ☞ Rodulfus Rex Burgundionum ab Italiensibus ad regnandum contra Berengarium invitatus, conserta cum Berengario pugna eoq; victo & expulso regnum Italiæ tribus annis tenuit. ☞ Luithprandus de Longobardis: mortuo Adelberto Tuscorum Marchione filius ejus Gvido cum Berta matre principatum tenebat, quæ Berta eidem Adelberto Gvidonem genuerat prædictum & Lambertum & Emergardam, de qua Marchio Eporegiæ alter Adelbertus pater junioris Berengarii genuit Anscharium, qui Adalbertus Eporegiæ, & Odelricus palatii Comes de Svevorum sangvine, & Gislebertus prædives Comes, & Lambertus Mediolanensis Archiepiscopus & quidam alii Berengario rebellabant; prædictum itaq; Rodulphum venire, & Berengarium expellere petierunt; cui Rodulpho in augmentum potentiæ hoc accessit, ut potentissimi Svevorum Ducis Burchardi filiam nomine Bertam sibi conjugio copularet; habuerat antea uxorem aliam Emmam nomine, de qua tulit filium Ludovicum qui vivente patre decessit. Duo interea Ungarorum Reges Dursac & Busac Veronam venerunt ad ferendum Berengario auxilium, Rodulphus autem nil Berengario præter Veronam dimisit. ☞ Sangvis Domini crucifixi venit in Augiam, *forte ille sangvis qui de imagine Domini fluxit*, cum secundo Dominus in imagine sua à Judæis priora pateretur. ☞ Luithprandus: Qvidam Affricanus à suis injuriis lacessitus ad Papam Johannem Romam venit, eiq; quomodo cum Affricanis pugnare posset consilium dedit, & idem Affricanus insidiis positis Auctor Christianorum fa-

ctus, omnes Sarracenos præter illos, qui in Garelianum montem fugerant, interfecit. ☙ Landulfus Beneventorum princeps Papæ consuluit, ut auxilium peteret à Romano Imperatore Constinopolitano, cujus etiam provincias Apuliam & Calabriam Sarraceni depopulabantur, Imperator Deum timens copias absq; morâ classibus advectas direxit. ☙ Seqvitur ergo Sigebertus: Affricani, qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, per militiam Johannis Papæ per auxilium Romani Græcorum Imperatoris & Spoletanorum & Camerinorum consertâ cum eis pugna ita atteruntur, ut ne unus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur multis testantibus Apostolos Petrum & Paulum in illo bello visos fuisse ad auxilium Christianorum.

Anno DCCCCXXIIII Sevvlfus Remensis Archiepiscopus concilium tenuit in villa Troslegio, ibi Comes Ysaac satisfecit Episcopo Stephano Cameracensi pro castro, quod ei succenderat; in hoc Concilio comes Edelbandus etiam post mortem fuit absolutus. ☙ In Anglia regnat Ethelstanus annis xv. Edvvardi filius de Concubina, ut fertur, procreatus; Sed hoc dedecus maximis virtutibus supergressus, vix in tota Anglia fuit ullum vetustum monasterium quod non vel ædificiis, vel ornamentis, vel libris, vel prædiis decoraverit, recentia monasteria faciebat quasi ex professo, vetusta quasi aliud agens aurifici benignitate insigniebat. ☙ Rex Henricus pacem cum Ungaris in novem annis firmat. ☙ Karolus, Francorum Rex, à Comite Heriberto captus in custodia Peronæ truditur, ob necem Roberti Ducis ab eo peremti. ☙ Gvido: Heribertus *Campaniæ Comes & Veromandensis*, qui filius Pipini Comitis, qui Bernardi, qui Pipini Regis Italiæ, qui Karoli Magni Imperatoris ob gratiam Rodulfi Francorum Regis de novo creati & Hugonis Ducis cujus sororem habebat uxorem; Karolum Regem sub Sacramento pacis ad colloquium fraudis invitat, ad quod Karolus venire non evitat specie consangvinitatis & spe regni recuperandi delusus, quem cum veniisset, insidiis Comes Heribertus exceptum & deceptum recludens

Ka-

Karolum, cum Rodulfum haberet amicum & eum infensum, ita per eum alternis inter Regem Rodulfum & se fortunæ ludis illudens, quod regaliter exhiberet in publicum, custodiam tamen adhiberet, sub qvà post biennium idem Karolus apud Peronam castrum Hereberti diem clausit extremum. ☞ Sigebertus: Berengarius Rex ab Italiensibus impiè perimitur. ☞ Luitprandus: Dederat Rex Rodulfus Waldradam sororem suam Comiti potentissimo Camerinorum ac Spoletanorum *Marchioni Bonefacio* in uxorem, qui Bonefacius cum Comite Gariardo collecta multitudine in auxilium venerant, & Berengarium fugaverant, Rodulfum exaltantes, qui confirmatus in regno Papiensibus regnum commisit & Burgundiam revertitur; Episcopus autem Gvido de Placentia favebat Berengario. Veronenses interea de morte Berengarii ceperunt tractare auctore quodam Flantberto, cujus filium Rex Berengarius ex sacro fonte susceperat, & compatrem suum effecerat. Berengarius pridie quam interficeretur prudenter Flantbertum alloqvitur, monens de sua fidelitate, dans ei sciphum aureum vino plenum dicens, pro amore meo quod tenetur bibito, quod continet habeto, & post potum introivit in illum Satanas; Eadem nocte Rex, quasi securus non se observans, sed hora matutinali Rex Ecclesiam petit & laudes Domino canit, cum armatâ manu Flantbertus advolat, audiens autem Rex strepitum, properatus cito in occursum, à tergo ferit hunc impius Rumphea, cadit heu pius felicemq; suum Deo commendat piè spiritum; de ejus sanguine in quodam lapide usq; in præsens tempus permanente. ☞ Sequitur: quam innocentem deniq; sanguinem fuderint, quantum perversè perversi egerint, nobis reticentibus lapis ad ejusdem ecclesiæ januam positus, sangvinem ejus cunctis transeuntibus ostendens, insinuat, nullo quippe delibutus aspersusq; liquore discedit. Milo miles probum Regem vindicavit, & tertia die Flantbertum & ejus complices vitam finire suspendio coegit. ☞ Ungari Salardo duce Italiam pervagantes Papiam obsident, & incendunt; defuncto scilicet Berengario & absente Rodulfo; combusta est autem Papia anno

no Dominicæ incarnationis DCCCC XXIIII, quarto idus Martii, feriâ sextâ, indictione XII, & plures Christiani fuerunt in ea combusti.

Anno DCCCCXXV. Anno regni sui XXXIIII Berengarius Rex Italiæ fuit occisus, quo tempore mortuo Adelberto Marchione Eporegiæ uxor ejus Ermengarda per suam incontinentiam auxit sibi potentiam. Rex autem Rodulfus Italiam reversus aliquantis diebus regnum potenter obtinuit, & Archiepiscopus Mediolanensis Lambertus fuit in parte ejus; sed occasione dictæ Emengardis idem Rex Italos offendit, & prædictus Archiepiscopus de consensu omnium, Comitem Hugonem Arelatensem ad regnum Italiæ obtinendum invitavit. Rodulphus autem in Burgundia profectus Ducem Buchardum [Burchardum] socerum suum ad auxilium suum adducit, Buchardus Mediolanum profectus cum vidisset muros civitatis, dixit suis Teutonice; si non fecero omnes *Italienses* uno tantummodo uti calcare, informesque equas caballicare, non sum Buchardus. Intellexit hoc quidam pannosus, qui verbum Archiepiscopo retulit, paulo post idem Bucharius Novariam venit, ubi absque misericordia interficitur cum suis, & Rodulfus fugiens in Burgundiam rediit; & Hugo per Tirrenum mare in Italiam venit. Italienses ei apud Pisam occurrunt, ubi affuerunt & Johannis Papæ nuncii, quorum hortatu Papiam pergens Rex efficitur. Ab hoc anno sex annis imperavit. ☙ Annus iste fuit quartus annus in Francia *Regis Rodulfi* secundum cartas sancti Benigni Divionensis, Rex Henricus urbem Sclavorum *Brandeburg* capit, & victis Sclavis tributum imponit, Rex Henricus agrarios milites recensens edixit, ut octo eorum in agris, nonus verò in urbe moraretur; ut octo & sibi & nono in agris laborarent, nonus verò tertiam partem omnium frugum illorum reservaret in ædibus à se exstructis, ut in bello nihil alicui eorum deesset, urbes quoque viris & rebus plenæ essent. ☙ Obiit Archiepiscopus *Remensis* Seulfus & nominatus est per electionem in Archiepiscopum futurum filius Comitis Herebert Hugo, *adhuc quinquennalis*; cooperantibus Episcopis, Abbone Sues-

ne Sueſſionenſi, & Bonone Catalaunenſi, dato ei Vicario Odelrico Epiſcopo Aquenſi, qui à Sarracenis de ſua ſede expulſus Remis habitabat. Prædictus verò Comes Heribertus reddidit eccleſiæ monaſterii Dervenſis ſanctum Deſiderium & confirmavit.

Anno DCCCCXXVI Karolus Rex Francorum ſub cuſtodia Comitis Hereberti exul moritur, ex libro collectaneo monaſterii ſancti Benigni; qui Karolus ſimplex dictus, ſanctus recte poteſt vocari, quoniam injuſte à fidelibus ſuis & perjuris longa cuſtodia carceris afflictus vitæ ſupernæ eſt transmiſſus. ☞ Hic reliquit filium Ludovicum ex Ogiva Regis Anglorum filia ſuſceptum, exinde ſecundum Sigebertum Rodulfus regnabat adhuc in Francia duobus annis, qui Rex Rodulfus mortuo in Burgundia fratre ſuo Hugone apud Divionem cauſas tenuit, præſentibus *Roberto Comite Palatii* & *Comite Burgundiæ* Gisleberto [vid. inf. ann. 958] qui Gislebertus fuit pater Milonis, hujus Milonis erat uxor Atilia, cujus filia Retrudis fuit uxor Comitis Girbaldi; horum fit memoria in Divionenſi eccleſia ſancti Benigni. ☞ Symeon Bulgar qui ex philoſopho monachus, ex monacho miles factus, dominabatur Bulgaribus dum Græcos graviter attereret, ejus inſaniam Romanus Græcorum Imperator facto fœdere mitigavit. ☞ *Leodienſis* Epiſcopus Richarius fecit in eccleſia ſancti Lamberti altare in honore ſanctæ Trinitatis, & per cartam unam quam ſigillatam reliquit, teſtatur quòd anteceſſor ejus Dominus Stephanus Epiſcopus *cantum de Trinitate* fecerit; idem Epiſcopus Richarius abbaciam ſancti Petri Leodienſis à Normannis deſtructam reparavit in Eccleſiam, & Canonicos ibi poſuit, ubi & ſepulturam poſtmodum accepit.

Anno DCCCCXXVII Poſt mortem Karoli Regis, nolentibus Lotharingis Henrico Regi ſubeſſe quidam Lotharingus nomine Chriſtianus, ſimulata infirmitate Gislebertum Ducem ad ſe dolo evocatum cepit, Regiq; miſit, ut per eum *Lotharingiam* ſibi ſubjiceret. At Rex inſpecta induſtria & potentia Gisleberti, filiam ſuam Gerbergam ei deſpondit, & eum iterum Lotharingiæ præfecit. Ludovicus

dovicus filius Karoli Regis, insidiantes sibi fugiens per mare transit in Angliam, mater enim ejus fuerat soror Ethelstani, filia Regis Anglorum. ☙ Gvido ex dictis Guilelmi Malmesburensis: Ludovicus adhuc adolescens ad Angliæ Regem Ethelstanum filium Edvvardi avunculum suum confugit, qui Rex Ethelstanus omnes antecessores suos devotione mentis erga Deum, omnes eorum adoreas triumphorum amplitudine superavit: Unum fuit, quod famæ ejus splendorem non parum obnubilavit, fratrem enim suum Edvvinum insidiarum insimulatum, licet se sacramento purgantem oblitus consangvineæ necessitatis, expulit inaudito crudelitatis modo, ut solus cum armigero navem conscendere juberetur remige & remigio vacuam postea vetustate quassatam, diu laboravit fortuna, ut insontem terræ restitueret; Sed cum tandem furorem ventorum vela non sustinerent, ille vitæ in talibus pertæsus voluntario in aquam præcipitio mortem sibi conscivit, armiger saniori usus consilio manibus & pedibus subremigavit ad terram; Sed Rex postqvam ira deferbuit factum exhorruit, animosè ultus in dilatorem fratris, pincernam scilicet suum quem fortè pede lapsum in triclinio effusoq; poculo altero pede se recolligentem & subclamantem, sic fratrem frater adjuvat, obtruncari præcepit, propter hoc *carcerem* fertur subiisse *spontaneum* sub pænitentia septenni. ☙ Sigebertus: Rodulfus Rex ab Italiensibus repudiatur, & Hugo Comes Arelatensium subrogatur in regnum; tamen *hoc supra ante duos annos* præscriptos positum est. ☙ Sequitur Luithprandus: quo tempore Berta matre Hugonis mortua, Guido filius ejus, quem ex *Adelberto* genuerat, sicut supra diximus, *Marchiam Tusciæ* tenebat; *qui Maroziam Romanam uxorem acceperat.* Qvæ fuit prædicta Marozia, dictum est supra in anno Domini DCCCCXI. Fuit autem Rex Hugo non minoris scientiæ quam audaciæ, nec infirmioris fortitudinis quam calliditatis; Dei etiam cultor sanctæq; religionis amator, in pauperum necessitatibus curiosus, erga ecclesias solicitus, religiosos philososq; viros non solum amabat, verum etiam fortiter honorabat, qui etsi tot virtutibus cla-

rebat,

rebat, mulierum tamen illecebris eas fædabat. Hic *ex Francorum Theutonicorum* genere uxorem habuit, Aldam, quæ Lotharium ei peperit, & ex quodam nobili Wandelmoda Hubertum Tusciæ principem habuit. Qui Rex Hugo Regem Alemanniæ Henricum sibi amicum effecit, & nuncium suum Romano Imperatori Constantinopolitano direxit.

* Anno DCCCCXXVIII Guido: Cum summus Pontifex amore *antiqui privilegii Karoli magni*, generi regio super ejus expulsione de regno condolens, principibus Franciæ sub excommunicationis interminatione mandasset, quatinus revocato filio Karoli Ludovico jus suum restituerent, & constituerent eum Regem; super hoc generale colloquium inter se convocant, & revocant ab Anglia Ludovicum, quem regressum & apud Boloniæ maritimæ portum inter amplexus & oscula de navi suscipientes, egressum in ipsis littoreis harenis manibus suis manus ejus ipsi se committendo subeunt. ☙ Rex Hugo quosdam Italiensium suspectos sibi, consilio & virtute Samsonis Comitis circumventos sibi frustravit. ☙ Luithprandus: Isti erant duo potentes de Papia, Walbertus Pater Episcopi Petri Cumani & Gesso prænomine Everardus, qui seditionem contra Regem Hugonem fecerunt, sed humili sunt à Rege legatione decepti, donec Samson præpotens Comes advênit, qui tale consilium dedit, per quod Walbertus capite truncatur & Gesso lumine privatur, Leo tunc temporis erat Episcopus Papiensis. ☙ Sigebertus: Ratherius Lobiensis monachus, vir nimiæ simplicitatis, sed experientiâ liberalium artium nominatus, cum Hilduino in Lotharingia Episcopatum Leodiensium olim ambierat, in Italiam ad Regem Hugonem profectus Veronæ Episcopus ab Hugone constituitur, ubi Milo Comes erat. Hildevvino Mediolani post Lambertum Archiepiscopo ordinato, siquidem Regi Hugoni Hilduinus idem affinitatis linea jungebatur, in præsentia Johannis Papæ Petrus frater ejus in Lateranensi palatio interficitur, deinde idem Papa Johannes à militibus Gvidonis Marchionis capitur, & in custodia trusus, sicut ajunt, cervicali super os posito,

peſſimè ſtrangulatur. ☙ Leo ſextus factus Papa ſedit menſibus ſeptem, *Comes* Heribertus *Trecenſis* filius Pipini Comitis hos habuit filios: Odonem, Heribertum, & Hugonem, qui electus fuerat in Archiepiſcopum Remenſem, *Comitatum* autem *Laudunenſem* hic Heribertus petebat dari Odoni filio ſuo à Rege Francorum Rodulfo; ſed Rex conceſſit Rogerio Filio Comitis Rogerii, contra quem Comes Heribertus Victoriacum caſtrum Boſonis fratris Regis Rodulphi capit, & contra Herluinum Comitem *Monaſteriolum ſuper mare* obſidet, poſtea Heribertus Boſoni Victoriacum caſtrum reddidit. ☙ Hic dicitur, quod Hugo Branam caſtrum ſuper Vidulam tulit ab Epiſcopo Rotomagenſi. *Rex Henricus* Grana urbem *Dalmatiæ* capit & Dalmaticis tributum imponit. ☙ Obiit *Dux Normanniæ Rollo* qui & Robertus & apud Rothomagum ſepelitur, ſuccedit ei filius ejus *Guilelmus* dictus *longa ſpata*.

Anno DCCCCXXIX Rodulfus Rex Francorum capit Rhenum (Remos) expulſoq; Hugone Artoldum Monachum ſancti Remigii ordinari facit in Archiepiſcopum Remenſem, cui Johannes Papa Filius Maroſiæ miſit pallium. Idem Rex Rodulphus *caſtrum Theodorici*, quod erat Heriberti, obſedit. ☙ *Lanceam* mirandi operis & *clavis Jeſu Chriſti crucifixi ſanctificatam*, quæ dicitur primi & Magni Conſtantini Imperatoris fuiſſe, donatam à Comite Samſone Italiæ Rodulpho Regi Burgundionum & Italiæ, Rex Henricus precibus, minis & muneribus ab eodem Rodulpho extorquet, cui partem provinciæ Svevorum non minimam dedit; & hanc ad inſigne & tutamen imperii poſteris reliquit. Erat, ut dicit Luithprandus, excepta cæterarum ſpecie lancearum, novo quodam opere novaq; elaborata figura, habens juxta lumbum (limbum) medium utrobiq; feneſtras ac pro pollicibus propulchræ duæ anſæ usq; ad declivum medium lanceæ extèndebantur, quæ media in ſpina quam limbum memoravi ex clavis, manibus pedibusq; Domini noſtri Jeſu Chriſti affixis cruces habet; & hanc lanceam, ut dicit Epiſcopus Otto, Reges noſtri hactenus in magna veneratione habent. ☙ Hildegarius Beluacen-

Juacenſis & Fulbertus Cameracenſis ordinantur Epiſcopi. ☙ In Anglia Ancelmus erat Cantuarienſis Archiepiſcopus, hujus nepos ex fratre fuit juvenis inclitus *Dunſtanus*, in cujus cythara memorandum miraculum hoc tempore contigit, videlicet quod cum affixa eſſet parieti nemine tangente Antiphonam iſtam per ſe ipſam, *gaudent in cælis anima ſanctorum*, ſenſibiliter decantavit. ☙ Stephanus ſeptimus factus Papa ſedit annis duobus menſe uno. ☙ Obiit Rex Francorum Rodulphus ſenior, alter Rodulphus abhinc per ſeptem annos ſuper Burgundiones regnavit.

Anno DCCCCXXX Ludovicus ab Anglia reverſus in Franciam, & licet ærumnosè tamen in regnum reſtitutus, regnavit annis XXVII. ☙ Guido: cum ſummus Pontifex *& cetera usq;* ſubeunt; ☙ apud Laudanum confirmatus eſt in Regem Francorum Ludovicus, &, ut teſtatur Yvo Carnotenſis Epiſcopus in Epiſtolis ſuis, in Laudunenſi civitate unctus in Regem Francorum XIII. Kalend. Julii per Archiepiſcopum Gvilelmum Senonenſem, ſed & Artholdus Remenſis Archiepiſcopus ibidem eundem Ludovicum propriis manibus coronam capiti impoſuit, & quendam Rodulfum ibi fecit Epiſcopum & Comitem Heribertum excommunicavit. Ibi Ludovicus Rex dedit prædicto Archoldo monetam Remenſis urbis. Ludovicus itaq; veniens ad regnum, tribulationem, ut dicit Gvido, & dolorem invenit, quanto rexit tempore Franciam: nam adverſus eum *Hugo magnus* Dux potentiſſimus & Roberti Regis occiſi filius; adjunctis ſibi Normannis, & quibusdam aliis principibus inſurrexit; diſſenſionis inter ipſos & alias cauſas occaſio præcipua fuit electio cujusdam Hugonis in Remenſem Archiepiſcopum, cujus ætas infra metas adhuc pueritiæ tenebatur, qui Campaniæ Comitis & Veromandenſis Hereberti filius, Hugonis magni Ducis ex ſorore nepos habebatur, quam electionem quia prohibitam, irritam fecit auctoritate Papali Ludovicus Rex, pariter & regali. ☙ Wenceslaus Princeps *Boëmiæ* à Rege Henrico in Praga urbe obſeſſus, ſe & urbem Regi dedit. ☙ Usq; ad hæc tempora *regula beati Columbani* tam in Francia quam in Bur-

Burgundia obſervabatur à nigris Monachis, ſed Sanctus Odo Abbas Cluniacenſis *regulam beati Benedicti* in Cluniaco, & in Sancto Benedicto ſuper Ligerim fecit obſervari, & exinde præcedente tempore cepit ubiq; recipi.

Anno DCCCCXXXI Henricus Rex *Reges Normannorum & Abroditorum Chriſtianos* facit. ❧ Hubaldus monachus & Philoſophus de ſancto Amando Elnondorſi obiit. ❧ *Redarii* usque ducentorum millia hominum conſpirantes contra *Henricum Regem* rebellant, & regnum ejus graviter infeſtant & vicinas gentes ad rebellandum animant; ſed à Ducibus Regis Bernardo & Dithmaro gravi bello victi omnes pene perimuntur aut fugientes in mari demerguntur, & hoc facto vicinæ gentes à rebellione deterrentur. ❧ Johannes undecimus fit Papa, frater Alberici Romam expulſo Hugone regentis. ❧ Luithprandus : Fuit iſte Johannes filius Maroziæ ſupradictæ quem ex Sergio per adulterium genuerat; prædictum verò Albericum genuerat ipſa Marozia ex Marchione Alberico primo marito: non multo poſt igitur Guido Marchio frater Regis Hugonis maritus ſecundus ejusdem Maroziæ moritur, & Lambertus frater ejusdem Guidonis, Marchio Tuſciæ conſtituitur. Mandat Marozia Regi Hugoni, ut ad ſe veniat & Romam obtineat, & hoc ita poſſe fieri, ſi eam in conjugium ſumat, tamen ut dictum eſt maritus ejusdem Maroziæ Guido nuper mortuus, fuit frater Regis Hugonis de matre uterinus. Itaque in ingreſſu Romanæ urbis quædam eſt miri operis miræque fortitudinis munitio, ante cujus januam pons eſt ſuper Tyberim fabricatus, & hæc eſt via ingrediendi & egrediendi. Munitio ipſa tantæ altitudinis eſt, ut eccleſia quæ in ejus vertice videtur in honore ſummi & cæleſtis militiæ principis Archangeli Mychaelis fabricata, dicatur eccleſia ſancti Angeli usque ad cælos. Per hanc munitionem Rex Hugo ingreſſus & Marozia abuſus, & ita factus ſecurus filio Maroziæ Alberico tanquam vitricus palmam in faciem dedit, eo quod non moderatè & prudenter ei aquam daret. Albericus concione factâ ad Romanos, ab eisdem dominus eligitur, & Rex Hugo expellitur. Et

hoc

hoc est quod supra dicitur de Papa Johanne, quod fuerit frater Alberici Romam expulso Hugone regentis. Quidam volentes excusare Regis Hugonis incestum dicunt, quod Berta mater ejus Marchioni Adelberto nullum peperit filium, sed ab aliis mulieribus clam acceptos simulato partu Guidonem & Lambertum sibi supposuit, ut sub eorum nomine viri sui possideret potentiam; sedit autem iste Papa Johannes annis IIII & mensibus decem. Interea Rex Hugo habens prædictum Lambertum suspectum, ei comminando denunciat, ne se fratrem suum amplius dicere audeat. Lambertus super hoc se ipsum ad duellum obtulit, & Rex Hugo Teudinum juvenem opposuit, qui Dei judicio citissime cecidit, & Lambertus victoriam obtinuit. Rex autem confusus eundem Lambertum fratrem suum tenuit & custodiæ tradidit, & Bosoni, qui erat frater ipsius Regis ex eodem patre, Marchiam Tusciæ tradidit, ac deinceps Lambertum lumine privavit. Super quibus indignati Lombardi in Burgundiam ad Regem Rodulfum secundum mittunt ut adveniat, quod Hugo Rex ut agnovit nunciis ad eundem directis omnem terram, quam in Gallia ante regni susceptionem tenuit, Rodulfo dedit, atque ab eo jusjurandum ne aliquando in Italiam veniret accepit. Henricum etiam Regem Rex Hugo amicum sibi muneribus facit. ☞ Sigebertus: Arnulfus Comes Flandriæ cepit castellum sancti Vedasti.

Anno DCCCCXXXII Arnoldus Dux Bavvariorum & Carentinorum Milonis Comitis & Ratherii Episcopi hortatu in Italiam properat, cui & Rex Hugo festinus obviat. ☞ Unde Sigebertus: Arnoldus Dux Bajoariorum in Italiam contra Hugonem Regem veniens à Veronensibus suscipitur, & cum Hugone confligens vincitur. *Ratherius* Episcopus à Rege Hugone Episcopatu pulsus, quia Bajorus fuerat, Papiæ exiliatur, ubi & *librum de suisærumnis* luculenter edidit, scripsit & alia multa legentibus utilia. Rex Hugo filium suum Lotharium constituit Regem, & Romam cum exercitu pergit, deinde filiam suam Aldam Lotharii Germanam Alberico conjugem dat, ut eum per ipsam decipiat. ☞ Sarraceni de Fraxineto duce quodam sagico

VE-

veniunt Aquas, ubi tam ipſe prædux quam cæteri pereunt. Manaſſes Arelatenſis Episcopus Regis Hugonis conſanguineus propriam ecclesiam deſeruit, & Italiam venit, cui Rex Veronenſem, Tridentinam, & Mantuanam eccleſiam in eſcam dedit; qui etiam Tridentinam Marchiam ut miles adeptus eſt, & Epiſcopatum Veronenſem cuidam vendidit. ☙ Berengarius junior, Berengarii Regis ex Gisla Filia nepos, ab hoc anno ſecundum annotationem Magiſtri Hugonis per annos octo imperavit, ☙ de quo Luithprandus: Berengarius Eporegiæ civitatis Marchio habetur, cui Rex Hugo neptem ſuam nomine Willam, quam ex Willa uxore ſua Boſo Tuſciæ provinciæ Marchio Regis frater genuerat, conjugem dedit. Anſcharius verò hujus Berengarii frater, quem ex Adelberto Ermengarda Regis Hugonis genuit ſoror, virium audacia potentiaq; clarebat.

Anno DCCCCXXXIII Beneventani contra Græcos bellum agentes quotquot Græcorum capiebant eunuchizabant. ☙ Unde Luitprandus: Theobaldus heros, qui proxima Regi Hugoni affinitate conjunctus Camerinorum & Spoletinorum Marchio erat, hic in auxilium Beneventani Principis contra Græcos, qui eum vehementer oppreſſerant, abiit. ☙ Elimandus ex hiſtoria Wilhelmi: In Anglia Rex Ethelſtanus cum unam ex ſororibus ſuis Sirico Nordanimbrorum Regi dediſſet in uxorem, eodem poſt annum mortuo, provinciam illam ſibi ſubegit, *Viduallium* Regem Walentium & Conſtantinum Regem *Scottorum* à ſuis regnis expulit, quos tamen poſtea miſeratione commotus in antiquum ſub ſe regnare permiſit; Poſtremo Adalanus Sitrici filius contra Regem progrediens eum imparatum offendit, qui hoſtes nihil tale auſuros putaverat. Rex igitur ſtratis excuſſus cum ſuos ad bellum acuerat, gladius ejus fortuitu è vagina excidit, inclamatoq; DEo & ſancto Adelino, qui erat ejus ex antiqua ſtirpe conſanguineus, reducta ad vaginam manu enſem invenit, qui hodie pro miraculo ſervatur in theſauro Regum, & eſt una parte ſectilis, nec unquam auri vel argenti receptibilis, hoc Dei dono fretus tota die usq; ad veſperam indefeſſus fugavit Adalanum

num cum exercitu, cecidit ibi supra dictus Rex Scotorum Constantinus perfidæ animositatis & vivacis senectæ homo aliiq; Reges quinq; & Comites XII, & omnis pene turba barbarorum; pauci qui remanserant pro fide Christi suscipienda conservati sunt, Haroldus autem Rex quidam Noticorum [f. Noricorum, id est Norwagorum] misit Regi Ethelstano navem aurea rostra habentem. Misit ad Ethelstanum Rabbodus præpositus Samsonis Archiepiscopi ossa sancti Senatoris & Sancti Paterni & sancti Stubilionis, qui fuit magister ejusdem sancti Paterni, & uno die; & eadem horâ cum eodem Paterno migravit ad Christum. Isti Sancti tunc de Britannia minori & de Normannia translati ad tutiora loca fuerant, sed & aliæ tunc multæ reliquiæ Normannis Gallias infestantibus similiter translatæ facile nemini patebant.

Anno DCCCCXXXIIII *Ungari* tributum à Saxonibus petentes ab exercitu Regis Henrici occiduntur aut capiuntur, eisque ad internecionem deletis, *tributum* quod petebatur, Deo pro gratiarum actione in ecclesiis & pauperibus exsolvitur. Otto Filius Henrici uxorem ducit filiam Edvvardi sororem Ethelstani, Regis Anglorum. ☞ Ex dictis Guilelmi: Ad Regem Ethelstanum misit Henricus Rex Teutonicorum, sororem ejus Ottoni Filio suo expostulans; alteram ejus sororem habuit *Ludovicus Princeps Aquitanorum* de genere Karoli magni superstes. ☞ Luitiprandus ita: Duxit Otto ante susceptionem regni ex Anglorum gente nobilissimam Ethelstani *fratris filiam* sibi uxorem nomine *Otgith*, ex quâ & filium genuit Liedulfum. Isti magis videtur esse credendum, quod fuit filia fratris, & non soror Ethelstani, sicut & de matre Regis Francorum Roberti, de qua postea tractabimus.

Anno DCCCCXXXV In *Januensi urbe*, quæ est in Alpibus Cuciis, LXXX stadiis à Papia distans supra Africanum mare constructa, fons sanguinis largissimè fluxit subsecuturam cunctis patenter ruinam insinuans, eo quippe anno Pæni cum multitudine classium illò perveniunt, civibus ignorantibus civitatem ingrediuntur, cun-

ctos, pueris exceptis & mulieribus, trucidantes, cunctosque civitatis & ecclesiarum Dei thesauros navibus imponentes in Affricam sunt reversi. Rex Hugo Fratrem suum Bosonem, qui ei consilio uxoris suæ perfidus extiterat, cepit & custodiæ tradidit; qui Boso de eadem uxore sua quatuor filias habuit: Bertam quam habuit alter Boso Comes Arelatensis, Willam uxorem Berengarii junioris, Gislam & Richildam. Harum matrem seniorem Willam Hugo Rex ab Italia ejecit, baltheo de quo hic causa honestatis prætermittimus turpi in loco invento. ꝛc. Rex Henricus *Danos*, qui per piraticam Frisones incursabat, vincit & tributarios facit, & Chinpam Regem eorum baptizari fecit. Rex Hugo interea contra Albericum generum suum Romam graviter opprimebat, qui etiam Anscharium sororis suæ filium fratrem Berengarii Marchionem in Camerino & Spoleto mortuo Theobaldo constituit, deinde suspectum eum habens quendam Sarlionem Burgundum cum exercitu contra eum misit. Pugna inter Sarlionem & Anscharium, in qua Wibertus Antesignanus Anscharii occisus est. Alia inter eos pugna, in qua Anscharius quendam Comitem Hattonem per fugam hastâ occidit, & ipse Anscharius de equo cadens ab hostibus occisus est, quo mortuo Sarlius Marchia securè potitur, & Rex Hugo gaudio immenso afficitur. ꝛc. Adalbero primus fit Metensis Episcopus per annos XXX, menses IX.

Anno DCCCCXXXVI Leo VII fit Papa annis tribus, mensibus sex, diebus X. ꝛc. Luithprandus: Burgundionum præterea Rex Rodulfus mortem obiit, cujus viduam nomine Bertam Rex Hugo Alda Lotharii Regis filii sui matre defunctâ, maritali sibi conjugio copulavit, sed & filio suo Regi Lothario Rodulfi & ipsius Bertæ natam nomine Athelheidam forma honestissimam, & morum probitate gratiosam, conjugem tulit, prædictus tamen Rex Hugo eandem uxorem suam ob concubinas odio habebat, quod Deus postea justè punivit in eodem; habuit autem concubinam nomine Bezolam de qua genuit Bosonem Episcopum Placentinum, secundam Razam filiam Walberti Papiensis, quæ ei pulchram peperit filiam

Digitized by Google

liam, tertiam Stephaniam, de qua natus est Theobaldus Mediolanensis Archidiaconus. ☙ Sigebertus: Inger Rex *Rufforum* sciens exercitus Græcorum esse ductos contra Sarracenos, & ad Insularum custodias dispersos ad expugnandam Constantinopolim cum mille & eo amplius navibus venit, adeò de victoria jam securus, ut Græcos non occidi, sed capi præciperet, quibus Imperator Romanus viriliter occurrens circum circa Græco igni injecto omnes cum navibus excussit, paucis evadentibus, omnesque captivos decollari jussit.

Anno gratiæ DCCCCXXXVII. Hoc anno prodigia apparuere, sol sereno cælo obscuratur, per fenestras verò domorum radios quasi sanguineos emittebat : Mons ubi postea Rex *Henricus* sepultus est, flammas multis in locis evomebat. ☙ Hominis cujusdam sinistra manus ferro amputata post annum pene integrum ei dormienti restituta est, sibi pro signo miraculi linea quasi sanguinea loco conjunctionis notabat. Luithprandus : Eo in tempore Rex Henricus in castello, quod est in Thuringorum & Saxonum confinio & dicitur Himeleuna [Mimeleva] validissima valetudine correptus migravit ad Dominum, cujus corpus in Saxonia deportatum in nobilissimarum ac religiosissimarum monasterio puellarum, quod in ipsius Regis prædio vocabulo Quinteleburg situm liquet, intra ecclesiam cum immensa est veneratione repositum ; ubi & venerabilis ejus conjux regnique consors ex eadem gente nomine Mathildis, ultra omnes quas viderim & audierim matronas, * pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium vivamque Deo hostiam offerre non desinit. Quæ fuerit ista *Mathildis* vel quis Dux *Theodericus* pater ejus, dictum est supra in anno DCCCCXXI : hæc habuit filios tres, Ottonem, Henricum & Brunonem, & filias duas Gerbergam & Havvidem, quæ factæ sunt in gentem magnam. ☙ Guido : Henricus Germanorum Rex cum subegisset in bello Sarmatas, & Ungaros, cæsis eorum XXXVI milibus, refugere coegisset à suis finibus, vitæque tempora peregisset, Ottoni filio suo regnum reliquit. ☙ Sigebertus:

Digitized by Google

Qui Rex Henricus licet in vincendis inimicis glorioſus fuerit, quia tamen nimis pacificus nullam operam dedit, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quaſi conductivi mercenarii alter alteri ſuccedentes imperium dilaniabant, benedictionem imperialem non accepit. ☙ Epiſcopus Otto : Oblatam quippe ſibi à ſummo Pontifice dignitatem renuiſſe perhibetur, tandem mortuus eſt, dum ad obtinendum Imperium Romam tendere diſponeret, filius ejus Otto primus coronatus eſt in palatio Aquis à Hildeberto Archiepiſcopo Moguntino & regnavit annis XXXVI. ☙ Guido : qui ſubjectis Romanis dyadema coronæ conjunxit imperiale regali,& ita ter à patre tranſit in filium idem nomen, regnum, & imperium. ☙ Epiſcopus Otto : Ex hinc ergo quidam poſt Francorum regnum ſupputant Theutonicorum. Unde hunc Ottonem in decretis Pontificum Leonem Papam primum Regem Teuthonicorum vocâſſe dicunt, mihi autem videtur *regnum Theutonicorum*, quod modo Roma habere cernitur, *pariter eſſe regnum Francorum.* Denique ut in ſuperioribus patet, tempore Karoli Magni regni Francorum terminus, tota Gallia, id eſt Celtica, Belgica, Lugdunenſis, omnisque Germania à Rheno usque ad Illyricum fuit: dehinc diviſo inter filiorum filios regno, aliud Orientale, aliud Occidentale, utrumque tamen Francorum dicebatur regnum. In Orientali ergo, quod Teuthonicorum dicitur, primus ex Saxonum gente ſurrexit Henricus, deficiente Karoli ſtirpe, manente tamen adhuc in Occidentali Francia ex ſucceſſoribus Karoli Karolo ſimplice; Hujus Henrici filius hic Otto, quia jam imperium à Longobardis occupatum reduxit, ut in ſequentibus habetur, ad Teuthonicos Orientales Francos; Forſan primus dictus eſt Rex Teuthonicorum, non quod primus apud Teuthonicos regnaverit, ſed quod primus, poſt eos qui à Karolo *Karoli vel Karolingi* ſicut à Merovecho *Merovingi* dicti ſunt, ex alio id eſt Saxonum ſangvine natus, imperium ad Theutonicos Francos revocaverit. Sicut autem Merovingis deficientibus ac Karolis ſuccedentibus, regnum tamen manſit Francorum, ſic & *Karolis* decedentibus ex alia familia ſeu lin-

lingua, in uno tamen regno, Ottones subintroière; Quæ varietas humanarum rerum defectum prodens, ab initio mundi usque in præsentem diem alternatur. Sic in regno Ægyptiorum Pharaonibus succeſſere Ptolomæi, in Romano quoque post familias Cæsarum multas, & assiduas regum successiones miserabiliter mutatas curiosus indagator inveniet. Et sicut ex Regum libro habes, tam ex Regum quam populi peccatis, post quartam vel quintam generationem, decedentibus aliis, alii succeſſere; qui non solum filios priorum non exaltarent, sed & plurimum affligerent, & delere cogitarent; vixque alicujus Regis semen diu stetisse in gloria sua invenies, excepto David, cui promissus est Christus. Quæ omnia humanam miseriam, variumque mundi rotatum ostendunt, ac ad æternæ beatitudinis statum nos mittunt. ☙ Sigebertus: Obiit sanctus Odo primus Abbas Cluniacensis, succedit ei Ademarus, qui & Ainardus inscribitur. ☙ In Anglia Dumstanus Presbyter ordinatur ab Elfego Episcopo Wiconensi.

Anno DCCCCXXXVIII Contra Ottonem Regem rebellant Everardus *Comes Palatii*, & Gislebertus *Lotharingiæ* Dux, qui Gerbergam sororem ipsius Ottonis uxorem habebat. Ungari per Austrasiam & Alemanniam multis civitatibus igni & gladio consumtis Wormatiæ Rheno transito usque ad Oceanum Gallias vastant. ☙ Hic annotanda est *translatio Sancti Agili* Resbacensis, cujus textus talis est in parte: Sub Ludovico Karoli Simplicis filio, Ungaris Franciam depopulantibus, omnia circumquaque ferro, flammæ & incendio submittebant; Resbacensis ecclesiæ fratres imminentis exitii finem metuentes corpus beatissimi Agili & ejus bajoli *Brandolini*, secum tutos fugæ comites asportarunt, & se cum ipsis reliquiis in quadam villa Marcilliacum nomine, habentem Beati Georgii ecclesiam in primo Normanniæ confinio sitam transtulerunt; quo in loco Dominus per Sanctorum pignora suo sæpissimè populo dignatus est ostendere. Francorum autem imperio reparato & revocatis viribus in rigorem reparantur munimina civitatum, restaurantur ec-

cleſiæ muneribus erogatis, reparatur Reſpacenſis Abbacia, dolent tamen fratres omnes adunati beati Agili ſe carere præſentia. Fuit autem in prædicta villa Marcelliaco corpus beati Agili per annos circiter CCLX, qua occaſione verò & quo ingenio ad ſuum tandem fuit reportatum cœnobium, habetur infra in anno Domini MCXCVII. ☙ Sigebertus: Princeps Boemiæ *Wenzeslaus* vir *ſanctus*, martirizatur à fratre ſuo Bolizlao, ambitione præripiendi principatus ſeducto, in cujus ultione Rex Otto bellum Bolizlao indixit, & longa inter eos concertatio per annos XIIII facta eſt.

Anno DCCCCXXXIX Quod autem in Francia Ludovicus Rex à Theobaldo Carnotenſi Comite fuit captus, in collectaneo ſancti Benigni invenitur, & in aliis annalibus habetur, quod tumultu Principum exorto per Hugonem & Heribertum & Ducem Guilelmum Remenſis Archiepiſcopus Artholdus ejicitur, poſt annos & menſes VII, & Hugo reſtituitur; expletis enim annis XV ab electione ſua Hugo per Sueſſionenſem Epiſcopum Guidonem presbyter ordinatur, quibus annis occupatus erat literis apud alterum Guidonem Epiſcopum Antiſiodorenſem. ☙ Everardus & Gislebertus Henricum fratrem Imperatoris obſeſſum capiunt, eumque fallacia ſua ab Imperatoris fidelitate ſejunctum factioni ſuæ applicant, ſuggerentes ei, regnum magis competere illi in patris regno nato, quam Ottoni ante regnum nato. Ungari à Saxonibus graviter cæduntur. Rex Otto conſtruit urbem Magataburch, quæ & Parthenopolis, id eſt, virginum civitas dicitur. ☙ Italiam vexat hæreſis *anthropomorphitarum*, id eſt, corpoream formam Deum habere dicentium, contra quam *Ratherius* Veronenſis Epiſcopus verbis & ſcriptis reclamabat. ☙ Apud *Lingonas* mortuo Gotſelino Epiſcopo ſuccedit Lethericus, deinde Aerious, Archardus, Widricus, qui per annos XL circiter eccleſiæ præfuerunt. ☙ Apud *Stabulaus* præfuit Raginerus Comes & Abbas, deinde Everardus Comes & Abbas.

Anno DCCCC XL Otto Imperator *Belgas, id eſt Lotharienſes* tranſitum Rheni conſilio Gisleberti Ducis prohibere nitentes, in-

fu-

Digitized by Google

fugam convertit ac tota terra ferro flammaque vastata, in Lotharingiam usque ad *capræ montem* juxta Leodium venit & ipsum castrum obsidione cinxit. ☞ In Italia Berengarius junior Berengarii senioris ex filia nepos timens Regem Hugonem se persequentem, pro eo quod contra eum regnum Italiæ affectaverat, & quandam partem jam teneret, ad Hermannum fugit Suevorum Ducem, & per eum ad Regem Ottonem. ☞ Dicit Luithprandus quod Rex Hugo Berengarium excæcare voluit, sed non potuit, quia Lotharius Hugonis filius, non sibi præcavens, hoc Berengario nunciavit, & ita Berengarius cum uxore fugit. Rex Hugo nuncios suos Regi Ottoni dirigit, pollicens pecuniam, si Berengarium non recipiat, quod omnino impetrare non valuit, sed Rex Otto remandavit Hugoni se potius velle dare pecuniam, ut fieret reconciliatio Berengarii. Romanus interea Græcorum Imperator Hugonem rogat, ut filiam suam det conjugem suo ex filio nepoti filio Constantini; Rex Hugo directis nunciis respondit non se habere filiam ex legitimo conjugio natam, sed si vellet, ex Concubina posset habere forma egregiam, *Græci autem in nobilitate non quærunt quæ mater, sed quis pater* fuerit, & idcirco Imperator hiis verbis libenter annuit. ☞ In Anglia Edmundus frater Ethelstani hoc anno mortui annorum XVIII regnavit annis sex & dimidio. Hic Glastonienſem ecclesiam magnis prædiis & honoribus ditavit, & confirmavit donationem suam per privilegium literis aureis scriptum in libro Evangeliorum eleganter compositio, quem eidem Ecclesiæ dedit, ista Glastonienſis ecclesia vocatur vulgariter Glastenberia & dicitur esse sita in Insula Avalonis Bothonienſis dyocesis, & in hac factus est Abbas Dunstanus ex eodem loco natus, sicut habetur in vita ipsius. ☞ Stephanus octavus Romæ Papa ordinatus sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus XV. Hujus diebus sol obscuratus est, qui Papa Hugoni jam Remis consecrato pallium misit.

Anno DCCCCXLI Ludovicus Rex, Karoli simplicis filius, Belgicam quam pater suus perdiderat contra Ottonem recipere gestiens, Alsatiam ingreditur. ☞ Unde Sigebertus: Ludovicus Rex Fran-

Francorum Lotharingiam invadens usque ad Alsatiam venit, ductu Everardi & Gisleberti. ☙ Rex Hugo contra Fraxinetum pugnaturus, nuncios suos Constantinopolim dirigit, propter naves & græcum ignem, Imperator continuo naves cum græco igne præparavit & munera maxima misit. ☙ Unde Sigebertus : Rex Hugo misso sibi græco igni ab Imperatore Græcorum Fraxinetum oppugnat, & navibus Sarracenorum exustis illud expugnatur, & inde eos fugat. ☙ Circa hoc tempus defunctus est *Comes* Heribertus *Trecensis*, pater Hugonis, Odonis, Heriberti, Sororem autem istorum habuit in uxorem Arnulfus *Flandriæ Comes*, & eorum amitam habuit Wido frater Hermanni *Suevorum Ducis*. Sepultus est Comes Heribertus in *Abbacia Walciodorensi juxta Dinantum*, quam ipse fundavit, & in *hasteriis*, quæ jam erat fundata, monachos posuit, & dominium earum dedit Episcopo Metensi, & hoc duravit usque ad annum Domini MCCXXXI quando Episcopus Hugo Leodiensis fecit commutationem cum Episcopo Metensi *de sancto Trudone*, procurante domino Conrardo Cardinali Romano. Et Rex Ludovicus prædicti Heriberti Comitis defuncti filium Hugonem recepit in Archiepiscopum Remensem, mediantibus *Ottone qui post fuit Lothariensium*, & Episcopo Alberone Metensium, & deinde cæteri filii Heriberti recipiuntur à Rege. Tagmarus frater Ottonis Regis ab eo ad hostes Reges transit, & ab eo inter cætera mala Heresburg castrum regi capit, ibique à Rege conclusus telis intra ecclesiam confossus periit, de isto nullam mentionem facit Luithprandus. In occisione Radulfi Cameracensis multæ strages & occisiones factæ sunt. ☙ Unde Guido : Inter Radulfum *Cameracensem Comitem*, qui *Vermandensem* invaserat *Comitatum* & Comitis Hereberti jam defuncti filios, armorum Franciæ tota fere mutuo se concurrente superbia, non debiliter sed flebiliter decertatur, in quo certamine grandi tam peditum strage quam equitum gravi facta cæde, nobilium militiæ fulmen, hostium terror cecidit idem Comes Radulfus, cum multo partis utriusque dolore, Regis præcipue Ludovici, cujus nepos fuerat ex sorore.

Anno

Digitized by Google

Anno DCCCCXLIII Gislebertus Dux & Everardus cum Henrico fratre Imperatoris juxta Rhenum contra Imperatorem bella parantes, milites Imperatoris offendunt, & multi cum paucis congressione factâ, interim Imperatore in alio Reni litore ante clavos Domini, lanceæ, de qua supra diximus, infixos in oratione prostrato, victi terga dederunt, Henrico in brachio insanabiliter vulnerato. ☙ Orta dissensione inter Principes, de varietate legis, utrum deberent avis superstitibus filii filiorum post patres defunctos hæreditare, an exhæredatis fratruelibus deberet hæreditas ad patruos redire; ex Regis Ottonis omniumque principum sententia cognitio veritatis commissa est *gladiatorio judicio*, cessitque victoria his qui censebant fratrum filios debere cum patruis hæreditare. ☙ Luithprandus: Rex Hugo Fraxinetum ingressus Sarracenos omnes in montem Maurum fugere compulit, quos circumsedendo capere potuisset, sed sinistro usus consilio Græcos ad propria remisit, & cum Sarracenis ita fœdus iniit, ut in montibus, qui Sueviam atque Italiam dividunt, starent, & transitum Berengario prohiberent, & hâc occasione prædicti Sarraceni multos ex Christiano populo peregrinos orationis gratia Romam tendentes ibi interfecerunt. Rex Hugo interea Bertam filiam suam ex Bezola, sororem scilicet Episcopi Bezonis Placentini, per Sigifridum Parmensem Episcopum Constantinopolim dirigit, quæ data est parvulo *Romano* Constantini Porphyrogeniti & Helenæ filiæ magni Romani filio, & hanc Græci mutato nomine Eudoxiam dixerunt. Idem Rex Hugo hoc tempore, datis decem nummorum modiis, pacem cum *Ungaris* fecit, quos ab Italia acceptis obsidibus expulit, atque in Hyspaniam dato eis præduce direxit, sed eodem præduce occiso ad Hyspanias non pervenerunt. Quidam interea miles Berengarii socius, Amedius, mutato diversis modis habitu Italiam occulte intravit, principes convênit & quid de Berengario in corde haberent, didicit & per quædam invia rediit.

Anno DCCCCXLIIII Otto Rex obsedit *Brisagam* oppidum Alsatiæ, quod Ludovicus Rex per milites Everardi & Gisleber-

Digitized by Google

ti tenebat; Hoc caſtellum Briſag Rhenus in modum Inſulæ cingit & naturalis ipſa loci aſperitas munit. ☙ Sequitur: In qua obſidione ſuaſu Friderici Moguntini Epiſcopi, qui animo ab Imperatore jam defecerat, multi ab Imperatore defecerunt, eaque re aliis territis ſolus Rex imperterritus manet. Interim fideles Regis, Udo frater Hermanni Suevorum Ducis, & *Conrardus ſapiens*, quanquam *Everardo* affinitatis linea jungeretur, Everardum & Gislebertum prædando regno ſecurè intentos, juxta Rhenum prope Andernacum inopinatè aggreſſi, acerrimè debellant, Everardo gladiis peremto, Gisleberto autem Reni undis ſubmerſo, cæterorum vix aliquis fugit, qui non aut trucidaretur aut caperetur; hoc nuncio infideles Regis corde franguntur & *Ludovicus* ab Alſatia diſcedit & Rex & fideles ejus cum ipſo gratulantur. ☙ Luithprandus: Uxorem Gisleberti Gerbergam, quæ erat *in caſtro capræ montis*, non ſolum ingeniis hominum, verum natura ipſa munito, Henricus frater ſuus adiit, & caſtrum Regis iram declinando ingredi voluit, quod Gerberga ſapienter prohibuit, & ille alias divertit. Bertholdus Bavvariorum Dux, frater Arnoldi Ducis, Regis Ottonis favebat partibus. Cui Rex obtulit, ut vel eandem Gerbergam duceret uxorem, vel ejus filiam ex Gisleberto genitam. Bertholdus elegit filiam nondum nubilem potius expectare, quam matrem quæ jam nupſerat tollere. ☙ Sigebertus: Dictam ergò Gerbergam ſororem ſcilicet Ottonis Imperatoris Ludovicus Rex Francorum duxit in uxorem. ☙ Unde Guido: Rex Ludovicus, ut illatas ſibi Ducis Hugonis propulſaret injurias, Imperatoris Ottonis ſororem Gerbergam duxit in uxorem; quod Hugo dux intuens & metuens ex hujus imminere conjugii conjunctione periculum, ut quaſi clavo clavum retunderet, & dimidiaret ſibi gratiam quam Ludovicus apud Ottonem fuerat aſſecutus, alteram ejus ſororem matrimonio ſibi copulat, Hadvvidem. Quibus ex ſororibus tam germanorum imperialis, quam Franciæ ſimul & Angliæ poſtea regalis origo proceſſit. Ducatum verò Ducis Gisleberti dedit Rex Otto cuidam fidelium ſuorum, *Ottoni*. Ademarus ſeu

Digitized by Google

seu Eunardus Abbas Cluniacensis substituit sibi Abbatem sanctum Marolum.

Anno DCCCCXLIIII Apud Constantinopolim Stephanus & Constantinus filii Romani Imperatoris, ægrè ferentes se justâ patris sui severitate à juvenili levitate coerceri, dispositis in palatio insidiis ignorante altero Constantino Leonis Imperatoris filio patrem de palatii deponunt solio, & tonso ei, ut moris, capite ad vicinam insulam in qua cœnobitæ philosophabantur transmittunt. ☙ *Otto Dux Lotharienſium* post annum obiit; *Conrardus Wormacenſis*, gener Ottonis, ei succedit; Dux Suevorum Hermannus filiam suam unicam nomine Idam filio parvulo Ottonis Imperatoris dedit. ☙ Hoc in tempore sol horribilem passus est eclypsim feria sextâ, hora diei tertiâ, quo die *in Hyſpania* Rex Sarracenorum à Rodamiro christianissimo Rege Galaciæ in bello superatus est, ☙ Sed in Italia VIII continuis diebus Cometa miræ magnitudinis apparuit, nimiæ proceritatis igneos ex se radios fundens, portendens famem quæ secuta est. ☙ Rex Otto corpus Innocentii martiris in urbem Maideburch transfert. ☙ Martinus secundus sedit Romæ annis tribus, mensibus sex, diebus XIIII. Ad hunc *ſanctus* Aldalricus [Uldaricus] Romam veniens ab eo agnovit, se futurum Episcopum Augustæ Windelicorum, quod post annos XV factum est.

Anno DCCCCXLV Otto Imperator totam Lotharingiam sibi subjugavit, resistente sibi solo Metensium Episcopo Adelbarone, fratre Ducis Friderici. Moguntinus autem Fredericus Archiepiscopus Metis venerat, volens ibi cum Henrico fratre Regis, exercitum congregare; qui Archiepiscopus fugiens Imperatorem, & veniens Moguntiam à civibus suis urbe excluditur; unde factum est, ut non multo post à Regis fidelibus captus & ante sui præsentiam adductus custodiæ sit in Saxoniam traditus, in qua aliquamdiu commoratus miseratione Regis dignitati pristinæ restitutus. ☙ Hic Archiepiscopus Fredericus claustrum Sancti Petri Moguntiæ construxit. ☙ Episcopus Otto: Rex verò Otto Belgicam id est Lotharin-

giam ingreſſus, totam in deditionem accepit, & exhinc provincia illa à Regibus Theutonicorum poſſidetur. Henricus autem frater Imperatoris in urbe Meresburch à fratre obſeſſus projectis armis ad pedes ejus procidens & miſericordiam implorans, cuſtodia includitur. ❧ Luithprandus: Apud palatium Ingliheim juſſus eſt cuſtodiri, quoad quid de eo facere deberet, Rex ſopita ira conſilio ſapientium diffiniret. " ❧ Stephanus & Conſtantinus Imperatores Conſtantinopolitani videntes poſt patris ſui depulſionem Conſtantinum fratrem ſuum filium Leonis Imperatoris ab omnibus ſibi præferri, & ſe jam vix in ſecundis haberi cum deliberarent quod de patre fecerant, etiam de Conſtantino facere, publicato eorum conſilio per quendam nomine Diabolinum incentorem hujus conſilii, cum ad convivium ex condicto conſediſſent, & de prioratu ſedendi inter ſe conſulto decertarent, dato ſigno à Viris Conſtantini percuſſo ſcilicet clypeo, ambo fratres ſolio deturbantur & tonſis capitibus ad idem monaſterium, ad quod patrem transmiſerant, & ipſi ad philoſophandum cum monachis transmittuntur; ita evacuato palatio abuſivis Imperatoribus, ipſe Conſtantinus & Romanus filius ejus ex filia Romani Imperatoris imperavit annis XV. ❧ Sequitur de Ironica patris ſuſceptione & locutione, quando filii ad monaſterium venerunt, Feſtivum, inquit, tempus quod humilitatem noſtram imperium veſtrum viſitare coegit, caritas puto, quæ me de Palatio expulit, filiationem veſtram non ibi diu manere permiſit, ad hæc illi terram pudibundo continentes lumine, quam inviti monaſterium peterent, non eſt percunctari neceſſe, expanſis autem manibus ad altare Romanus oravit & gratias egit Deo pro filiis, interea prædicti fratres Stephanus & Conſtantinus cuſtodia jugi obſervantur, patre ea quæ acciderant æquanimiter perferente. ❧ Barbaros inteſtini belli occaſione undique irruentes, Gero Comes fortiter ac frequenter debellat, iſte Gero eſt *Comes Gerinus, qui vixit ut poſtea compertum eſt plus quam annis CCC.* ❧ *Dux Normanniæ Guilelmus* eſt occiſus hoc anno. ❧ De quo ſic ait Guido: Regnante Ludovico filius Roberti Rollonis primi

mi Normannorum Ducis & ipſe Dux Guilelmus ab Arnulfo Flandrenſi Comite filio Balduini calvi de quo prædiximus ad colloquium evocatus, cum poſt amplexus & oſcula pacificè fuiſſet utrinque diſceſſum, revocatus à quibusdam proditoribus lacrimabiliter periit, eorum gladiis obtruncatus. ☞ Elinandus ex dictis Guilelmi: Ab Alzone cognomento Curto fuit occiſus, clavis ad ejus cingulum inventa eſt ſeræ familiaris ſcrinii, in quo inventa ſunt indumenta monachalia, quæ ſemper inter bella meditabatur ſe geſtaturum apud *Gemeticum*, quem locum à tempore Haſtingi deſertum ipſe fructificoſis [fruticoſis] ſentibus purgaverat & ad hunc ſtatum, qui modo eſt, evexerat. Hujus filius fuit primus Richardus Dux potentiſſimus. Apud Leodium *juxta cartam Gemblacenſem*, Hugo fuit Epiſcopus per annos duos & dimidium. Per Reginam Franciæ Gerbergam, quæ multa contulit eccleſiæ Remenſi beati Remigii, *regula beati Benedicti* cepit hoc anno obſervari ubi jamdudum defecerat; & hoc factum eſt per Archiepiſcopum Hugonem & Abbatem Sancti Benedicti Erckenbaldum, & Abbas ibi poſitus eſt nomine Hingmarus.

Anno DCCCCXLVI Rex Otto *Burgundiam* ſibi ſubjugat, qui etiam multos contra ſe rebellare molientes capit aut occidit; mortuo interea Bertholdo Duce Rex Otto dat Henrico fratri ſuo ducatum Bavvariæ & ſic eum reprimit à rebellione. ☞ Rex Ludovicus & *Artholdus* & *Comes de Reteſt* Bernardus & Theodericus nepos ejus civitatem Remenſem obſederant, Regi Ludovico Francorum, mortuo ut ſupra dictum eſt nepote ſuo Comite Radulfo Cameracenſe & Duce Guilhelmo Normanniæ, Hugo Dux magnus, qui & Comes Pariſienſis, nimis adverſabatur; qui Hugo filius Roberti fuit regni invaſoris, in bello Sueſſonico à Karolo patre iſtius Ludovici peremti. Rex ergo Ludovicus à Ducibus ſuis circumventus à Normannis capitur & cum filio Hugonis Lugdunum miſſus publicæ cuſtodiæ traditur. Karolomannus verò major filius ejus à Normannis abductus Rothomagi moritur. ☞ Elinandus ex relatione Guilhelmi: Edmundus à latro-

Digitized by Google

ne quodam nomine *Leaf* ad convivium aſcito in feſto ſancti Auguſtini Cantuarienſis ſica occiditur. Prævideratque hunc Regis finem beatus Dunſtanus tunc Glaſtonienſis Abbas, dæmonis ante ſaltantis geſticulationibus & plauſibus edoctus ſcurrilibus, qui mox equum aſcendens & ad curiam properans in medio itinere rei geſtæ nuncium accepit. Sepultus eſt in Glaſtonienſi eccleſia, cui ſucceſſit frater ejus Ethredus, tertius ex filiis Edvvardi, qui IX annis & dimidio regnavit. ☙ Bononi *Epiſcopo Catalaunenſi* ſuccedit Gibuinus, quis vel unde fuerit iſte Gibuinus, invenies in anno DCCCCXVIII. ☙ Luithprandus: Berengarius igitur deſideratus jam venerat ad Italiam, ita quod Manaſſes Tridentinæ, Veronenſis atque Mantuanæ ſedis invaſor, de quo ſupra diximus, ejus promiſſionibus illectus, munitionem vocabulo Formicariam ei conceſſit, & Italos omnes in ejus auxilium invitavit. Primus ergo Milo præpotens Comes Hugonem deſeruit, & Berengarium in Verona ſuſcepit, quem ſequitur Guido Mutinenſis Epiſcopus propter Abbaciam quam tunc acquiſivit Nonantulam animatus, & hic Epiſcopus multorum multitudinem ſecum adduxit, & Rex Hugo caſtrum Vineolam oppugnavit, Berengarius ab Epiſcopo Harderico accitus Mediolanum concitus advenit, Rex igitur Hugo filium ſuum Mediolanum mittit ad miſericordiam omnium Italorum.

Anno DCCCCXLVII Berengarium, ut dictum eſt, à Suevia in Italiam reverſum videns Rex Hugo ab Italienſibus ſe deſerto recipi, Lotharium filium ſuum, ut ſaltem Berengario conregnet, Italienſium fidei commendat, Arelatum, unde venerat, reverſurus; Joſeph interea vir bonus propter morum probitatem ab Epiſcopatu Brixiano à Berengario depulſus eſt & quidam Anthonius ſubſtitutus. Waldonem Cumis ordinavit, Ahelhardum Regem ſi [Reg enſi] eccleſiæ præfecit, Boſonem Placentinum & Luithfredum Epiſcopos expellere cogitavit, ſed intercedente pretio dimiſit. Horum ſcriptor factus eſt Berengarii Cancellarius. Rex igitur Hugo, relicto Lothario, & ſimulata pace Berengarii fidei tradito, provinciam omni cum pecunia properavit, quo audito Raymundus *Aquitanorum Princeps* ad eum adiit & ei pro

ei pro minis mille se in militem dedit; & Rex Hugo in brevi viam universæ carnis ingressus, Bertæ nepti suæ Bosonis Arelatensis Comitis viduæ pecunias dereliquit, quam memoratus *Raimundus* sibi conjugio copulavit. ☙ Rex Otto per Gerbergam Reginam sororem suam imploratus, cum *Rege* Conrardo *Cisalpino* & cum legionibus XXXII Franciam ad liberandum Ludovicum aggreditur. Ludovicus ejus metu à custodia relaxatur. Rex Otto Lugdunum capit, Hugonem intra Parisius includit, Remum capit, Hugonis nepote qui Episcopatum usurpaverat expulso, legitimum Episcopum restituit, usque Rothomagum potenter accedit, & castellis ac urbibus, quas ceperat, Ludovico reddidit. ☙ Annotatio: Remis itaque pulso secunda vice Hugone Artholdus Archiepiscopus iterum intronizatur.

Anno DCCCCXLVIII Agapitus qui & Benedictus Papa sedit Romæ annis decem, mensibus sex, diebus decem. Rege Hugone mortuo Lotharius filius ejus in Italiam solo nomine regnat, Berengarius actu & potestate Rex à cunctis receptus per Italiam tirannizat, duobus annis imperasse annotatur Lotharius Hugonis filius. Dux Bavvariæ Henricus Aquileiam in Italia capit, Ungaros bis superat, Ticinum transit, & cum multis manubiis redit. Immunitas nostræ scilicet *Gemblacensis* ecclesiæ, dicit Sigebertus, hoc anno imperiali confirmatur edicto & annuli impressione corroboratur. ☙ Farabertus Abbas Prumiensis, fit Episcopus Leodiensis. ☙ Otto Imperator dedit Abbatiam sancti Gaugerici Cameracensis Fuberto Episcopo. ☙ Sigebertus: Rege Ottone secundam expeditionem in Franciam parante, Hugo virtutem ejus non ferens ei juxta fluvium Charum occurrit & pacto pacis secundum nutum regis facto manus ei dedit.

Anno DCCCCXLIX Taxis Rex *Ungarorum* in Italiam veniens decem modios nummorum à Berengario pro reditu accepit. ☙ Luithprandus: Non ex propria Berengarii pecunia, sed ex ecclesiarum & pauperum collectione; quo tempore Willa uxor ejus passa est crimen incesti, de quo nobis melius est silere quam loqui. Cansti-

ſtinopolis autem Imperator Conſtantinus Porphirogenitus nuncium Berengario dirigit, religioſam habens ſollicitudinem pro Lotharío ; cujus nurus erat ſoror [ſ. cujus ſoror erat nurus] ejus, uxor Romani filii ſui : & Berengarii nuncium ſe velle videre affirmans, Berengarius mira calliditate *Luithprandum* Conſtantinopolim dirigit, cui tamen nihil dedit, Luithprandus Kalend. Auguſti Papia exiens per Padum triduo navigando Venetiam venit, inde cum Luithfredo nuncio Imperatoris Ottonis ab VIII Kal. Septembr. usq; XV Kal. Octobr. de Venetia per mare Conſtantinopolim venit &c. Sequitur de admirabili domo, quæ dicitur Magnaura quaſi magna aura, palatio contigua, quã Imperator obnunciorum adventum parari juſſit ; ærea quædam arbor ſed deaurata ante Imperatoris oculos ſtabat, cujus ramos diverſi generis volucres deauratæ replebant, quæ ſecundum ſpecies ſuas diverſarum avium voces emittebant. Imperatoris verò ſolium hujus, erat arte compoſitum ut in momento humile excelſiùs modo quam mox videretur ſublime, quod immenſæ magnitudinis Leones deaurati quaſi cuſtodiebant, & per artem qua aves cantabant leones iſti rugitum emittebant. Luithprandus tertiò adorans pronus Imperatorem, caput ſuſtulit, & quem prius moderata menſura à terra elevatum ſedere vidit, mox indutum aliis veſtibus penes domus laquearia ſedere proſpexit, eo ſubvectum ingenio quo torcularium arbores ſubvehuntur. Per Logothecam igitur de vita & ſoſpitate Berengarii nuncium percunctatum in datum remiſit hoſpitium, ſequenti die Imperator nuncios ad menſam invitavit.

Anno DCCCCL Conſtantinopoli in nativitate Domini in domo quæ dicitur Decannia XIX menſæ ante Imperatorem apponuntur, in quibus Imperator & convivæ non ſedendo ut cæteris diebus, ſed recumbendo epulantur, quibus in diebus non argenteis, ſed tantum aureis miniſtratur. Poſt cibum, ut ſcribit Luithprandus, ante Imperatorem tribus aureis [vaſis] ſunt poma delata, quæ vaſa ob immenſum pondus non hominum manibus, ſed vehiculis purpura tectis ſunt allata. Per foramina autem laquearis tres funes peliibus deauratis tecti cum annulis aureis deponuntur, quæ anſis

hujus

Digitized by Google

hujus ſcutilis imponuntur, & adjuvantibus inferius quatuor hominibus pervertibile, quod ſupra laquearium eſt poma in menſam vehuntur. ☙ Sequitur de admirabili ludo in menſa facto, quidam veniens ante Imperatorem in fronte ſine manuum adminiculis gerebat lignum XXIIII pedum longitudinis, quod cubito à ſummitate inferius bicubitum transverſum in fronte habuerat. Adducti ſunt duo pueri nudi cum ſuccinctoriis, qui per lignum aſcendentes ita ſervaverunt immobile, ac ſi radicitus terræ eſſet affixum & quoque modo quo adusque luſerant lignum per quod aſcenderant gubernabant, denique poſt unius deſcenſum, alter remanſit eodemque modo ſolus luſit, qui in ligni ſummitate remanens ita ſe æqualiter ponderavit, ut & luſerit ac ſanus deſcenderit. Qvæſtio, quid admirabilius, puer, qui ſe adeo moderate rexit, ut immobile eſſet lignum, an is qui in fronte tanto argumento ſe tenuerat, ut puerorum nec pondus, nec ludus eum vel modicum flecteret. ☙ Epiſcopus Otto: quo tempore in Alemannia dioceſi Moguntina *apud Ingliheim Sinodus* præſente Marino ſedis Apoſtolicæ legato in præſentia amborum Regum Ottonis Alemanniæ, & Ludovici Franciæ celebratur, ibi facta eſt *diæceſſio de duobus Archiepiſcopis Remenſium*, ſcilicet Hugone & Artoldo. ☙ Sequitur excommunicatio Hugonis magni. ☙ Hucusque *Flobardus Remenſem hiſtoriam* deduxit.

Anno DCCCCLI Per loca Galliæ & Germaniæ plurimi & magni terræ motus facti ſunt. ☙ Rex Otto in Boemiam contra Bolislaum proficiſcitur, Bolizlaus verò Regi reconciliatur eique tandem fideliter ſubjicitur. Rex Otto filium ſuum Liodulfum natum ex filia Regis Anglorum teſtamento poſt Regem deſignat. ☙ Comes Rainaldus *caſtrum de Rocejo* firmavit in parte Ludovici contra Hugonem. ☙ Deinde annis, quibus Berengarius ſecundo [ſecundus] cum Adalberto, ſecundum Magiſtrum Hugonem imperavit, iſte eſt annus ſecundus.

Anno DCCCCLII Liedulfus filius Imperatoris Ottonis inſtinctu Conradi Ducis cum eo contra patrem ſuum rebellavit, Rei-

Digitized by Google

nesburch capit, & multas alias urbes & Principes à patre ad se advertit, Rex illum intra Moguntiam inclusum obsedit.

Anno DCCCCLIII Bellum fuit super Mosam, inter Conrardum Ducem Lotharingiæ & Raginerum *Huinomensem Comitem*. Mortuo Wichfrido Colonienſium Archiepiſcopatum ſuſcepit vir glorioſus *Bruno*, frater Ottonis Imperatoris, qui qualis quantusve fuit apud Deum & homines, lector ediſcat *in vita ipſius* quam *Rogerus* luculenter deſcripſit. Hujus ſtudio allata ſunt à Roma Coloniam corpora Sanctorum Eliſii, Patrocli, Privati, Gregorii, cum baculo Sancti Petri. De iſto *baculo ſancti Petri* habetur plena narratio, quod per eundem Maternus fuerit reſuſcitatus, ac proceſſu temporis de Treveri Metis translatus & in magna veneratione habitus, per iſtum tandem Brunonem de Metis fuit Coloniam translatus; deinde ut habetur in ſequentibus Warinus Colonienſis Archiepiſcopus partem ejusdem baculi Erberto Treverenſi Epiſcopo reddidit.

Anno DCCCCLIIII Ratherius bis Epiſcopatu Veronenſi depulſus, Leodienſium Epiſcopus per Brunonem Archiepiſcopum ordinatur poſt Farabertum. ☙ Sigebertus: Immunitas noſtræ *Gemblacenſis* eccleſiæ etiam Apoſtolica auctoritate à Benedicto Papa corroboratur anno ſeptimo pontificii ejus. ☙ Epiſcopus Otto: Verum Otto Rex poſt multos triumphos Italiam quoque, quæ per plures jam annos Francis ſeu Germanis alienata fuerat, regno adjicere parat. Hæc eo tempore à Berengario tiranno multipliciter premebatur, à quo & Adelheida *Lotharii Imperatoris* anteceſſoris ſui vidua, Regis Rodulphi filia, in captivitate tenebatur, Rex ergo Italiam ingreſſus Reginam à captivitate liberatam in uxorem accepit, pulſoque Berengario natale Domini Papiæ celebravit, & ſic verno tempore in patriam rediens Conrardum Ducem ad perſequendum Berengarium ibidem reliquit. ☙ Hunc locum Sigebertus ita angit: Rex Otto ſecundam uxorem ducit relictam Lotharii Italorum Regis & per eam Papiam accipit. ☙ Obiit Rex Francorum Lu-

Digitized by Google

Ludovicus Remis à Lauduno descendens dum secus littora fluminis Axonæ cum junioribus è suis, visum de prope lupum, ut animal insectatur invisum; equo currente sub ipso, moxque ruente cum ipso, graviter attritus, militari Remis in feretro devehitur, ibique defungitur & apud sanctum Remigium sepelitur; uxor quoque ejus Regina Gerberga sepulta est postmodum in eadem ecclesia, ubi multa bona de suis contulit, licet [videlicet] Prioriam de Condes Lingonensis dioceſis, Prioriam de Martia dyoceſis Leodiensis juxta Trajectum, & multas alias per diversa loca. ☙ Eodem anno mortuus est etiam in Anglia Rex Ethredus, cujus ægrotantis nuncio sanctus Dunstanus audito cum illuc acceleraret vocem desuper tonantem audivit: Rex Ethredus modo obdormivit in domino. Sepultus est Witoniæ in Episcopatu.

Anno DCCCCLV Post mortem Ludovici Francorum Regis regnavit Lotharius filius ejus ex Gerberga Ottonis Imperatoris annis XXXI. Cujus uxor Regina Emma dicta est. Liedulfo ad gratiam patris sui reducto Conrardus Dux, Dei & Imperatoris transfuga, ad Ungaros se conferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam silvam perduxit, & virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa ultra prodire prohibiti impune redeunt. ☙ Auctor: Hoc capitulum quod ponit Sigebertus debuit poni supra post bellum, quod fuit super Mosam inter *Conrardum Ducem* & Ragineruum Hainonensem & cætera. Et sic postea eodem Conrardo Imperatori reconciliato, verum erat quod ait Episcopus Otto, quod Imperator postea ipsum reliquit Conrardum Ducem in Italia ad Berengarium persequendum. ☙ In Anglia verò regnavit Edvvinus Edmundi quatuor annis filius petulans etiam libidinosus, qui sanctum Dumstanum in Flandriam expulit. ☙ Floruit sanctus Odo Cantuariensis Archiepiscopus. Iste Rex Edvvinus *Melmesberiense monasterium* jam plus quam ducentis LXX inhabitatum annis à monachis stabulum clericorum, [equorum] tunc beati Adelini corpus tot annis abdjtum, à clericis de terra levatum & in scrinio locatum est,

cui dedit Rex prædium ampliſſimum, in cætera verò cænobia nimis inhumanus fuit. Berengarius Rex Italiæ in Germania ad Regem Ottonem venit, eique ſuis filiique ſui manibus datis ſe ei committit. ☙ Epiſcopus Otto ſic dicit: Conſilio Ducis Conrardi Berengarius in Saxonia ad Regem venit, gratiam ejus, tam Ducis quam Liedulfi Regis filii auxilio impetraturus; ſed cum per triduum conſpectui Regis non admitteretur, interceſſione tandem præfati Ducis ac Regiæ prolis obtinuit, quod ei in urbe Regia Auguſta dies præfigatur, ibi ex omnibus regni viſceribus multis in unum adunatis Berengarius humiliter veniens cum filio ſuo Adelberto Regi ſe dedit, ab eoque regnum Italiæ, excepta *Marchia Veronenſium & Aquilejenſium*, ſuſcepit. ☙ Sigebertus: A Boioariis contra Sclavos proſpere pugnatur. ☙ Eodem anno natus Imperatori Ottoni ſecundus Otto ex ſupra dicta Regina Adalheida, Regis Burgundiæ Rodulphi filia.

Anno DCCCCLVI In Italia lapis miræ magnitudinis tonitrui ac tempeſtate turbulenta de cælo jactus ingens miraculum videntibus præbuit; templa plerisque in locis valida tempeſtate concuſſa ſunt. Utriusque ordinis ſacerdotes ictu fulminis interierunt, & plura horrenda dictu portenta monſtrata ſunt. ☙ Frederico Moguntino Archiepiſcopo mortuo Guilelmus frater Liedulfi filius Ottonis Imperatoris ſubſtituitur. ☙ *Ratherico* ab Epiſcopatu Leodienſi ejecto Baldricus annitente avunculo ſuo Raignero *Comite Montenſe* Epiſcopus ſubſtituitur.

Anno DCCCCLVII Liedulfus filius Ottonis Imperatoris in Italia moritur. Ungaris iterum regnum Ottonis depopulantibus, Imperator eos bello excepit, Conrardo Duce pœnitendo orante Deum, ut pro pœna perfidiæ ſuæ in ipſo bello ab Ungaris perimeretur, quo bello Ungari in tantum ſunt victi & attenuati, ut ultra jam nec mutire auſi fuerint; in tantum quippe contriti ſunt, ut nullus aut rarus eorum evaderet. Conradus tamen ſecundum votum ſuum ibi occubuit. ☙ Epiſcopus Otto hoc factum ita atteſtatur: *Ungarorum* gens ſæviſſima cum innumera multitudine erupit, ac totam terram

ram more locustarum operiens ad Licum usque contra urbem Augustensem, cui tunc venerabilis ac Deo dignus *Ulricus* præsidebat, pervenit, quibus glorioſissimus Rex, fide plus quam armis præfati viri hortatu tutatus, occurrit, tantaque prædictos barbaros virtute prostravit, ut ex hinc gens omnium immaniſſima non solùm regnum invadere non auderet, sed & suum, desperatione correpta, vallibus & sudibus in locis palustribus contra nostros munire cogitaret. Cecidit in eo illustris Warmatiensis & gener Regis *Conradus*; barbari verò, quod etiam incredibile videtur, usque ad internecionem septem tantum residuis omnes deleti dicuntur. Hujus maximæ concussionis auctor fuisse ex Bajoaria quidam *Skirensis Comes* memoratur, qui tamen perfidiæ suæ pœnas solvens, dum Ungaros incautè eductos morti exposuisset, ab eis tanquam traditor necatus est. Porro terra ipsius in fiscum redacta partim à Rege in Ecclesias divisa, partim hæredibus ejus cum castro Skirensi relicta, æterno anathemati ab Episcopis dedicata fuisse traditur. ☞ Sigebertus: Tres autem reguli Ungarorum in bello capti suspendio perierunt, & de illis septem Ungaris, qui remanserunt, unus ab eis factus est Rex. Hii venientes in terram suam totum populum, qui non exierat cum eis ad bellum, in servitutem redigerunt; qui autem de istis septem nati sunt, *ipsi sunt modo viri nobiles in terra Ungarorum*, quamvis eorum nobilitas magnæ servituti subjacet. ☞ Bruno Archiepiscopus Ducatum Lotharienſium post Conradum adeptus, *cœnobium sancti Pantbaleonis* Coloniæ constituxit. ☞ Henricus Dux Bavvariæ frater Regis Ottonis moritur, filius ejus alter Henricus ei succedit. ☞ In Anglia Dunstanus vir sanctus ad locum suum revocatus, factus est Wingonienſis Episcopus.

Anno DCCCCLVIII *Hugo Magnus* Francorum Dux moritur, *qui dicebatur capito sive cappatus*, & in Sigeberto vocatur Comes Parisiensis. Iste de Havvide sorore Imperatoris tres habuit filios: Ducem Hugonem in Francia, qui postmodum regnum obtinuit, & alios duos, Ottonem & Henricum. Otto factus est *Dux Burgundiæ* & habuit uxorem filiam Gisleberti, qui post primum Hugonem Capito, fratrem Rodulphi Regis, ducatum Burgundiæ tenuit; sed eo in adoleſcen-

lescentia sine liberis defuncto successit ei Henricus frater suus, bonis moribus & mansuetudine adornatus; Tres isti sororem habuerunt Beatricem, de qua Fridericus *Dux Mosellanorum* genuit Ducem Theodericum & fratrem ejus Alberonem Episcopum. ☙ Item apud sanctum Benignum Manasse vices Abbatis agente Hugo *Comes Divionensis* veniens ad obitum petiit se tumulari in atrio sancti Benigni; hujus uxor dicta est Adelburgis, & eorum filii Gibuinus Cathalaunensis Episcopus, Richardus Comes Divionensis, & Hugo Comes Atariorum. Filius autem supra dicti Ducis Gisleberti dictus est Comes Milo, de quo habetur supra in anno DCCCXXVI. ☙ Bruno Archiepiscopus Colonienſis plures Normannorum cum principibus eorum baptizari fecit. *Guicmannus rebellis* à facie Regis Ottonis trans Albiam fugiens Sclavos in regnum ejus conduxit, quos Rex fortiter debellavit, occiso regulo eorum cum multis & DCC captivis capite cæsis. ☙ Unde Episcopus Otto: Rex ab occisione Ungarorum digrediens Sclavos resistentes sibi bello petiit, ac tam de ipsis quam de Ungaris victor existens, pater patriæ appellatus est. Berengarius autem, de quo supra dictum est, in Italiam reversus multa sicut & antea principibus terræ malefaciens, in se odia omnium concitavit, Johannes de via lata, hujus nominis XIIII, actus Papa sedit annis VII.

Anno DCCCCLIX Bruno Archiepiscopus & Archidux Lotharingiæ secundas partes in regno fratris sui potenter & industrie amministrans *Raginerum Montensem Comitem, qui longicollus cognominabatur*, apud Valentianas evocatum cepit & irrevocabili exilio damnavit, pro eo quod regnum bellis inquietabat, vel, quod verius fuisse dicitur, pro eo quod mortuo Gisleberto contra gvineo suo ea quæ Gisleberto uxori suæ Gerbergæ, sorori Imperatoris & ejusdem Brunonis; in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat; bonis Raigneri ad fiscum publicatis, filii ejus Raginerus & Lambertus, ad Lotharium Regem Francorum confugerunt. Prodigiosa res multos terret, & à vitiis coercet *notis crucis in vestibus* plurimorum apparentibus, quorundam autem vestibus quasi leprâ sordentibus. ☙ Obiit sanctus Gerardus Bronensis cænobii Abbas, in Anglia regnare incipit Edgarus frater Edvvini filius Edmundi, juvenis annorum XVI, & XVI annis regnavit; isto nascente sanctus Dunstanus audisse fertur vocem Angelicam dicentem: Pax Angliæ quam diu puer iste regnaverit, & Dunstanus noster vixerit. Nullum ferè annum regnavit, quo novum aliquod monasterium non fundaverit.

CHRONI-

Digitized by Google

CHRONICON
ALBERICI MONACHI,
Trium fontium.

ANNO 960. a Christo incarnato fuit Episcopus Treverensis Henricus,& Episcopus Virdunensis dictus est Berengarius, qui *Monachos pro Clericis* apud Virdunum in Ecclesia sancti Vitonii posuit. Hoc tempore per industriam Ottonis meliorato Imperii & Ecclesiæ statu, multa monasteria & cœnobia ad laudem Dei & honorem Sanctorum, aut ampliantur aut ædificantur. Inter quos & Erardus Bonnæ præpositus, post Baldericum Episcopus Leodiensium factus est, duoque in urbe Monasteria construxit, unum ad titulum sancti Pauli, & alterum ad titulum sancti Martini Episcopi Turonensis. Hac occasione fundavit Ecclesiam sancti Martini in Monte Leodii, ubi ipse Dominus Episcopus Evrardus requiescit, eo quod Beatus Martinus Turonensis ipsum *a morbo lupo, qui gallinas comedit*, miraculosè sanaverit. Dum

Digitized by Google

Rex rursum contra Sclavos præcinctum movit, Joannes Diaconus,& Alzo * scriniarius,ab Apostolicâ sede missi ad Regem veniunt, tam de tyrannide Berengarii querimoniam facientes, quàm ipsum ad defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & totius Italiæ invitantes. Walbertus quoque Mediolanensis, & Waldo Cumanus Episcopi, cum aliis Italiæ Regni Principibus eadem petentes ad Regem supplices veniunt. Luitprandus. Inter quos & illustris Marchio Othbertus cum Apostolicis venit a sanctissimo Othone tunc Rege, *post Augusto* Cæsare, consilium auxiliumque expetentes. Horum itaque Rex piissimus lachrymosis questibus inclinatus, non quæ sua, sed quæ Jesu Christi sunt cogitans, ad liberandum Italiam atque Romam iter suum maturè disposuit.

Anno 961. apud Constantinopolim Constantino Imperatore Porphyrogenito, & post eum filio suo Romano, Patre Basilii, mortuis, Nicephorus annis decem imperat. Sanctus Ulricus Augustæ Vindelicorum Episcopus sanctitate claret in Gallia & Germania. Germaniâ & Galliâ jam benè pacatâ, intendens etiam Italiam pacare Imperator, præsertim ad hoc eum anxiè evocantibus Joanne Papa, cæterisque Italiæ Episcopis, ut eos liberaret ab invasione tyrannorum Berengarii atque Adalberti, filium suum Othonem puerum *Septennem* Aquisgrani die sancto Pentecostes in Regem ungi fecit; eoque commendato Archiepiscopis, fratri Brunoni & Moguntino Episcopo Guillelmo,ad Italiam tendit. Luitprandus. Filium suum æquivocum *contra morem* puerilibus in annis Regem constituens in Saxonia dereliquit. Episcopus Otto. Rex natale Domini Ratisbonæ celebrato, in Belgas proficiscitur, ibique filio suo Ottone in Palatio Aquis ad Regnum sublimato, in Saxoniam rediit, collectoque milite per Bojariam & Tridentinam valiem Italiam armatus intravit. Remis obiit Archiepiscopus Artholdus, cui successit Oldericus per annos septem. Anno

* Azo

Anno 962. Famâ Regis Angliæ Edgardi excitati venerunt eum videre Saxones & Flandrenſes & Dani; & Angli tunc temporis didicerunt a Saxonibus inconditam animi ferocitatem, & a Flandrenſibus enervam corporis mollitiem, *a Danis potationem* Quo tempore ſanctus Dunſtanus Wigornienſis Epiſcopus, & Lundonienſis de novo per Regem Elgarum inſtitutus, multæ fuit in ſeculo potentiæ, magnæque apud Deum gratiæ, Martham in ſeipſo exhibens & Mariam, & locorum regiorum reparator mirificus, qui, *ut potationem compatriotarum refrenaret, clavos aureos vel argenteos vaſis inſigi juſſit, ut dum quisquis metam ſuam cognoſceret, non plus, ſubſerviente verecundia vel ipſe appeteret, vel appetere cogeret**. Sanctus Guibertus Fundator Glambacenſis cœnobii apud Gorgiam** ubi Deo militabat, propter amorem ferucntis ibi ſanctitate Religionis, in Chriſto dormivit. Corpus vero ejus ad cœnobium Glambacenſe relatum eſt. Rex Magnificus Otto, terra Italiæ ſubacta natale Domini Papiæ celebrans, palatium a Berengario deſtructum reædificari juſſit Luitprandus. qui tanto celerius Berengarium atque Adelbertum Regno expulit, quanto conſtat quod commilitones Petrum & Paulum ſanctiſſimos Apoſtolos habuit. Bonus itaque Rex diſperſa colligens, & fracta conſolidans, quod cuique proprium fuit, reſtituit: dehinc Romam ſimilia facturus adiit.

Anno 963. Otto Imperator Italia pervagata & tyrannis Italiæ Majeſtate ſui nominis ita exterritis, ut in locis natura munitis laterent, aut Saracenorum patrocinia quærerent, Romæ a Joanne Papa in Imperatorem benedicitur. Epiſcopus Otto. Otto glorioſus Rex a Papia ad urbem usque progrediens, honorificè a ſummo Pontifice Joanne & toto populo ſuſceptus, omnibus applaudentibus Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. Luithprandus. Miro ornatu miroque apparatu ſuſceptus ab eodem ſummo Pontifice & univerſali Papâ Joan-

 ne un-

* forte: cogeretur. ** Gemblacenſis. Gorziam.

Digitized by Google

ne unctionem suscipit Imperii, cui non solum propria restituit, verum etiam ingentibus auri & argenti muneribus oneravit. Jusjurandum ab eodem Papa Joanne, supra pretiosissimum corpus Beati Petri, atque omnibus civitatis proceribus accepit, se numquam Berengario atque Adalberto auxiliaturos. Post hæc patriam quantociùs repedavit. Interea præfatus Papa Joannes juramenti & promissionis oblitus, quam *sancto* fecerat Imperatori, ad Adalbertum, ut se adeat, mittit, juramento ei affirmans se illum contra Imperatoris potentiam adjuturum. Adeo enim eundem Adalbertum Ecclesiarum Dei, ejusdemque Joannis Papæ persecutorem, Imperator sanctus terruerat, ut omnem Italiam deserens Fraxinetum adiret, seque Sarracenorum fidei commendaret. Sigebertus. In præsentia Imperatoris tyranni a Papa Joanne & à Romanis abjurantur, sed eo repatriante Adalbertus a Papa Joanne a Fraxineto Romam revocatur, sed Imperatore redeunte refugit. Episcopus Otto. Imperator ab urbe rediens Pascha Domini Papiæ celebravit. At Berengarius in monte, qui sancti Leonis dicitur, Imperatorem fugiens latitavit. Exhinc Regnum Romanorum post Francos & Longobardos ad Teutonicos, vel (ut aliis videtur) *rursum ad Francos*, unde quodammodo elapsum fuerat, retranslatum est. Cui opinioni accommodatum quod Regnum Romanorum juxta majores nostros Babyloniorum simile ortum & progressum habere dicitur. Sicut ergo illud duabus famosis mutationibus Medorum scilicet & Persarum succubuisse constat, sic & istud item duabus tantum, Græcorum & Francorum subjacere voluit. Nam cæteros hujus, sicut & illius a diversis gentibus incursus, eclipsim potius eorum, quam mutationem fuisse dixerunt.

Anno 964. Secundum Luitprandum Imperator quibusdam familiaribus accersitis Romam dirigit percunctatum cur Papa Joannes Adalbertum quem prius oderat nunc diligeret.

Qui

Digitized by Google

Qui Nuntii non a quibuslibet, ſed a multis Civibus Romanis hæc ſuſcipiunt. Quia Imperator quæ Dei ſunt ſapit, operatur & diligit, Papa vero Joannes his omnibus adverſatur. Viduam Ragineri ſui militis cœco captus igne diligens, ſacroſanctis ſancti Petri crucibus aureis donavit atque calicibus. Stephana ejus amica in effuſione quod ex eo conceperat recens hominem exivit. Palatium Lateranenſe ſanctorum quondam hoſpitium, nunc proſtibulum factum eſt meretricum. Caſtæ matronæ limina Apoſtolorum timent inviſere. Cum eum audierint ante paucos dies conjugatas, viduas, virgines vi oppreſſiſſe, & ut hæc impunè illi liceant Adalbertum ſibi tutorem ac defenſorem parat. Hæc dum a redeuntibus Nuntiis Imperator audiret, Puer, inquit, eſt, facilè bonorum immutabitur exemplo virorum, objurgatione honeſtâ, ſuaſione liberali, ut dicere poſſimus, hæc mutatio dextræ excelſi. Quod prius rerum ordo depoſcit, Berengarium reſiſtentem propulſemus, deinde paternè Dominum Papam conveniamus. Iis expletis Papiæ navem conſendit, ac per fluvium Ravennam usque pervenit, inde progrediens montem feretraeum, qui ſancti Leonis dicitur, in quo Berengarius & Willa erant, obſedit. Interea Papa miſit Imperatori Nuntios Leonem Protoſcriniarium, & Demetrium illuſtriorem Romanorum ſuper quibusdam ſe excuſans, & quod Imperator promiſſionis ſuæ fidem violaret, ei mandans. Imperator Landohardum Mindenſem, & Luitprandum Cremonenſem Epiſcopos cum præfatis Nuntiis Romam dirigit, Domino Papæ ſe inculpabilem eſſe ſatis facturum, & ſi non crederet, *duello* * * eſſe, milites Nuntiorum coram Papa approbarent; Papa non juramento, non duello ſatisfactionem recipere voluit. Cum iſtis tamen Joannem Epiſcopum Narnienſem, & Benedictum Diaconum Cardinalem item Imperatori deſtinavit. Ante quorum reditum Adalbertus, invitante Papa a Fraxineto rediens, centumcellas advenit; deinde

** f. in.

Romam profectus, non ut debuit repudiatus, ſed a Papa Joanne honorificè eſt ſuſceptus. Hæc dum aguntur *ſol fuit in Cancro*, & Imperator collectis copiis, clam Romanis invitantibus, *cum ſol eſſet in Virgine*, Romam advenit, qui dum juxta urbem caſtra metatur, Papa ſimul atque Adalbertus Roma aufugiunt: cives vero ſanctum Imperatorem cum ſuis omnibus in urbem ſuſcipiunt, fidelitatem repromittunt, hoc addentes, & firmiter jurantes, ſe nunquam Papam electuros aut ordinaturos præter electionem atque conſenſum Domini Imperatoris Ottonis Cæſaris *Auguſti*, filiique ipſius *Cæſaris* Ottonis. Supradicta vero Epiſcopus ita tangit. Dum Imperator paſcha Domini Papiæ celebraſſet, ac inde progrediens Berengarium in monte Leonis obſidione clauderet, Adalbertus filius Berengarii primo Corſicam, furorem Principis declinans, intravit. Poſt Joannem Romanum Pontificem adiens, eum in ſui partem inclinavit; qua propter Imperator relicta obſidione caſtri, contra urbem iter dirigit; quidam vero e civibus metu perculſi unà cum Pontifice fugiunt, alii datis obſidibus Auguſto ſubduntur. Sequitur Luitprandus. Poſt triduum, ſcilicet octavo Idus Novembris, rogantibus tam Romanis Epiſcopis quam plebe, magnus in ſancti Petri Eccleſia fit conventus: pro Engelfrido Aquilejæ Patriarcha qui infirmabatur, in urbe affuit Radulphus Diaconus ejus; Walbertus Mediolanenſis, Petrus Ravennenſis, *Adelſtat de Saxonia* *, Archiepiſcopi: Epiſcopi vero Landohardus Mindenſis, Otgerius Spirenſis, & poſt eos alii novem de Italia, *poſt quos* ſex Epiſcopi Cardinales Romani, videlicet

Gregorius Albanenſis, Sico Hoſtienſis,
Benedictus Portuenſis, Lucidus Gavenſis
Guido Siluæ Candidæ, Theophylactus Præneſtinus.

Et poſt iſtos alii viginti qui erant circa Romam Epiſcopi. *Inde Stephanus Archipresbyter Cardinalis, & poſt eum alii Diaconi.*

* Hamburgenſis.

cetti. *Inde primicerius, secundicerius adminiculator, archarius. Defensor item primicerius, sacellarius, scriniarius, Subdiaconi, Schola Cantorum, Acolyti & regionarii.* Et post istos duodecim viri magni ex primoribus civitatis, tum omnium Romanorum militia. Quibus residentibus ita Imperator est exorsus. Quam decorum esset tam claro sanctoque Concilio Dominum Papam interesse Joannem! verùm cur sanctum cœtum declinavit, vos, ô sancti Patres, consulimus. Tunc *Romani Pontifices* & Cardinales Presbyteri ac Diaconi cum universa plebe cœperunt Papam una voce de multis infamare. Imperator respondit: Justum nobis videtur, ut occasiones nominatim exprimantur, deinde quid agendum sit cum Concilio pertractetur. Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter dixit se vidisse illum Missam celebrasse & non communicasse. Joannes Episcopus Narnienſis, & Joannes Cardinalis Diaconus, se vidisse illum Diaconum ordinasse in equorum stabulo, non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum cæteris Diaconis & Presbyteris dixit, se scire quod ordinationes Episcoporum pretio faceret, & quod annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinasset. De Sacrilegio non est necesse percunctari, dixit, plus videndo, quam audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quod oculis non viderent viduam Ragineri, & Stephanam prius concubinam, & Annam viduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum palatium lupanar & prostibulum fecisse. Venationem dixerunt publice exercuisse. Benedictum Patrem suum spiritualem lumine privasse, & mox mortuum esse. Joannem Cardinalem Diaconum virilibus amputatis occidisse; Incendia fecisse. Vinum Diaboli in amorem bibisse. Omnes tam Clerici, quam Laici acclamaverunt. In ludo alcæ, Jovis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium popoſciſſe dixerunt. Horas non cele-

celebraſſe. Signo Crucis ſe non muniviſſe. Poſt hæc adjuravit Imperator totum Concilium per Deum & glorioſam Virginem & omnes ſanctos, & per pretioſum corpus Principis Apoſtolorum, ut nullam in Dominum Papam jacularentur vitia, niſi ab eo patrata, & a viris probatiſſimis viſa. Tunc Epiſcopi & omnes alii Clerici & Laici quaſi vir unus dixerunt. Si non iſta, & adhuc turpiora commiſit, nunquam nos abſolvat a peccatis Princeps Apoſtolorum, & ſimus anathematis vinculo innodati in die noviſſima. Tunc de communi conſilio ſcripſerunt cum reverentia Domino Papæ, ut ad Concilium veniret, & ex his omnibus ſeipſum purgare non diſſimularet, qui reſcripſit eis in hæc verba. Nos audivimus dicere quia vos vultis alium Papam facere, ſi hoc faciatis excommunico vos de Deo omnipotente, & non habeatis licentiam ullum ordinare, nec Miſſam celebrare. Cum hæc epiſtola legeretur, advenerunt de novo viri Religioſi

Hericus Epiſcopus Treverenſis
Guido Mutinenſis,
Gezo Triconenſis,
Sigulphus Placentinus: Epiſcopi,

de quorum conſilio reſcripta ſunt hæc: Si ad Synodum veneritis, & objecta purgaveritis, authoritati veſtræ proculdubio obediemus: ſed ſi, quod abſit, venire, & objecta vobis capitalia crimina purgare diſſimuletis, cum nec navigatio, nec ægritudo, nec itineris longitudo impediat, excommunicationem veſtram in vos retorquebimus, quoniam Judas, qui quamdiu fuit Apoſtolus, poteſtatem habuit ligandi atque ſolvendi, poſtquam vitam occidere voluit, neminem niſi ſeipſum ligare potuit & laqueo ſtrangulare. Data decimo Calendas Decembris, & miſſa per Adrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum: qui cum Tibur perveniſſent, eum non invenerunt. Pharetratus enim ſagittis, in Cam-

Digitized by Google

campestria jam abierat, nec quisquam erat qui his ubi esset indicare posset. Cumque eum invenire non possent, cum iisdem litteris ad Synodum quæ tunc tertiò est habita, sunt reversi. Mox Imperator cœpit exponere qualiter a Papa Joanne primò accersitus, ut Ecclesiam Romanam & totam Italiam de manu Berengarii atque Adalberti liberaret, & qualiter Papa oblitus juramenti & fidelitatis eumdem Adalbertum Romam venire fecit, & contra Imperatorem defendens seditionem fecerit, & quid super hoc sancta Synodus decernat, edicat. Ad hoc *Pontifices Romani*, Clerusque populusque dixerunt: inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Petimus ut monstrum illud nulla virtute redemptum a vitiis, a sancta Romana Ecclesia pellatur, aliquisque qui dignus sit, loco ejus instituatur. Et Imperator. Placet quod dicitis, si talis, quem dicitis, possit inveniri. His dictis, omnes una voce dixerunt, Leonem venerabilem Romanæ Ecclesiæ protoscriniarium, virum approbatum, ad summum sacerdotii gradum nobis in pastorem elegimus, Apostolico Joanne reprobato. Cum hæc omnes tertiò dixissent, annuente Imperatore ad Lateranense palatium deducitur, & certo tempore ad summum sacerdotium consecratur, & fidelitas jurejurando promittitur. Episcopus Otto breviter. Imperator missa legatione Joannem Papam revocat: sed eo venire nolente, collectâ Episcoporum Synodo Leonem ei in Pontificatu substituit. Quod videns Adalbertus denuò in Corsicam fugit. Imperator natale Domini Romæ celebrans, Berengarium in monte sancti Leonis obsessum cum castello in deditionem accepit, ac in Bavaria custodiæ mancipatum exilio relegavit. Sigebertus ita. Collecto a tota Italia Episcoporum Concilio Joannes de nefariis causis infamatur, qui tertiò evocatus, dum se excusatum venire cunctaretur, post multa tandem, eo a multis & cunctis præjudicato, Leo *adhuc Laicus*, electione omnium, & con-

 sensu

ſenſu Imperatoris Papa ſubſtituitur. Hic Leo præſidens Apoſtolicæ ſedi fecit ordinationes, & alia quæ erant Apoſtolica.

Anno 965. Nec longum, Romani alterata fide apud Imperatorem, Papam recipiunt Joannem. Ille Synodo collecta Leonem depoſuit, & ejus geſta caſſavit: ſtatutumque eſt publico omnium edicto Synodum a Leone habitam, nec nominandam Synodum, ſed proſtibulum favens adulteris. Quicumque igitur eo ordinante erant damnati, juſſi ſunt ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in charta hæc continente verba: Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit. Et ſic depoſiti manſerunt in illis gradibus, ſi quos habuerant nondum a Leone ordinati: ſi qui autem digni judicantur, non accepta priori conſecratione ordinantur indicto illis eodem decreto, quod & damnatis a Conſtantino Neophytis. Romani a Joanne Papa pecunia illecti Imperatorem cum paucis Romæ morantem ſubitò aggreſſi, ita ab exercitu Imperatoris ſunt attriti, ut niſi ab Imperatore & Papa Leone milites Imperatoris a cæde revocarentur, ad internecionem Romani delerentur. Romanis per Leonem Papam Imperatori reconciliatis, poſt abſceſſum Imperatoris Leo Papa inſidias ſibi parari ſentiens, ad Imperatorem fugit. Quod factum Luitprandus ita proſequitur: ſperans ſanctiſſimus Imperator cum paucis Romæ ſe degere poſſe, ne conſumerentur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis ut redirent licentiam dedit. Cumque hoc Joannes, qui dictus eſt Papa, cognoſceret, quàm facilè Romanorum mentes pecunia poſſet corrumpere, clam Romam mittit Nuntios, Beati Petri, omniumque Eccleſiarum pecuniam repromittens, ſi ſuper pium Imperatorem & Leonem Papam irruerent, eosque impiiſſimè trucidarent. Romani pecuniæ promiſſione animati bucsina concrepante ſuper Imperatorem, ut eum occidant feſtinare contendunt. Quibus Im-

perator ſuper pontem Tyberis, quem Romani plauſtris impeditum habebant, occurrit, cujus fortes milites aſſuefacti bello, pectore & armis intrepidi eos inter proſiliunt, & quaſi accipitres avium multitudinem, nullo reſiſtente proſternunt. Itaque omnibus devictis Imperator ſanctus ſuos adhuc reliquos interficientes retrahebat & revocabat: & ab his qui ſupererant obſidibus acceptis, venerabilis Papa Leo pedibus Imperatoris provolutus erat, ut Romanos obſides reddat, ſeque eorum fidei commendet, cujus rogatu Romanos obſides reddit, & eumdem Papam eorum fidei quaſi lupis agnum commiſit. Dein Roma exiens Camerinum Spoletumque verſus, ubi Adalbertum eſſe audierat, properavit. Interea mulieres non ignobiles, cum quibus Joannes qui dictus eſt Papa voluptatis ludibrium exercebat, concitaverant Romanos, ut Leonem perderent, Joannem ſuſciperent. Quod cum feciſſent, miſerante Deo, ex eorum manibus venerabilis Papa Leo liberatus, ad piiſſimi Imperatoris miſericordiam eſt profectus. Imperator ſanctus tantum dedecus ægrè ferens, reparato exercitu Romam redire diſpoſuit. Epiſcopus Otto breviter. Manente in urbe Imperatore, Cives communicato conſilio cum vicinis Caſtellanis eum occidere tentant. Hæc Auguſtus præſentiens, inſidias primò præcavit, poſt infinitam eorum multitudinem ſtravit. Sequenti vero die, interpoſito jurejurando centum ex eis obſides accepit. Ipſe autem ſeptem apud eos dehinc dies manens, ad Spoletum divertit, rogatuque Leonis Papæ Romanis obſides eorum relaxavit. Quo recedenti Romani Joannem recipiunt Leone expulſo. Is nil moratus in Ducatu Camerino Auguſtum morantem adiit, ſecumque Paſcha celebravit. Inter hæc Joannes moritur, & in loco ejus Benedictus Quintus a Romanis ſubrogatur. Luitprandus de morte Joannis. Priùsquam Imperatoris copiæ eſſent congregatæ volens Deus oſten-

dere quàm juſtè idem Joannes eſſet repudiatus, & quam injuſtè poſtea receptus, quadam nocte extra Romam, dum ſe cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus a diabolo percuſſus, & infra dies octo eodem vulnere mortuus. Itaque Euchariſtiæ viaticum non accepit, quemadmodum a ſuis cognatis ſub atteſtatione audivi. Quo tempore Romani Benedictum Cardinalem Diaconum in Papam conſtituunt, & contra Imperatoris potentiam ſe eum defenſuros juramento promittunt. Epiſcopus Otto. Auguſtus tam pro expulſione Leonis, quam ſubrogatione Benedicti inflammatus, ſpretis Romanorum Legatis quos ad conciliandum ejus animum miſerant, exercitum contra urbem movet, quam obſidione clauſam, & incredibili fame & cæde fatigatam, tandem ad deditionem coegit. Hac ergo conditione in gratiam ſunt recepti, ut portis apertis ipſum honorificè ſuſciperent, & Benedictum ei traderent. Sequitur Luitprandus. Reſidente in Lateranenſi Eccleſia Imperatore & Epiſcopis Cardinalibus, adductus eſt Benedictus Pontificalibus indutus. Cumque argueretur ſuper invaſione, reſpondit. Si quid peccavi, miſeremini mei. Tunc Imperator effuſis lachrymis rogavit Synodum, ne Benedicto fieret præjudicium. Quo audito Benedictus ad Domini Leonis & Imperatoris pedes procidit, & ſe peccaſſe acclamavit. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula Leoni Papæ reddidit. Leo Papa ferulam fregit, Benedictum inſignibus ſpoliatum in terra ſedere præcepit, & omnibus Epiſcopis dixit: Benedictum ſanctæ & Apoſtolicæ Romanæ ſedis invaſorem omni Pontificatûs & Presbyteratûs privamus honore. Ob Eleemoſynam vero Domini Ottonis Imperatoris, cujus ſumus opera in ſedem debitam reſtituti, Diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, ſed in Exilium deſtinamus. Huc uſque pertingit hiſtoria Luithprandi. Prædictus autem Bene-

Benedictus hujus nominis Quintus, qui & Octavianus, sedit mensibus duobus, & abhinc prædictus Leo ita restitutus hujus nominis Octavus, *qui & Prothus*, sedit anno uno & quatuor mensibus. Sequitur Episcopus Otto. Imperator Leone restituto celebravit Romæ sancti Baptistæ nativitatem, ac Apostolorum Petri & Pauli festivitatem, & ab urbe digressus, in via multos ex inæqualitate aëris perdidit. Deinde natale Domini Papiæ agens, ad Cisalpina revertitur, Benedictum jam secum depositum ducens. Utrum autem hæc omnia licitè aut secus acta sint dicere non est hujus operis. Res enim gestas scribere, non autem rerum gestarum rationem reddere proposuimus. Quod verò dicitur præfatum Joannem ita reprehensibiliter vixisse, & frequenter super hoc ab Episcopis aliis cum subditis suis conventum fuisse, & ita male mortuum esse, huic rei fidem accommodare durum videtur, quia Romana Ecclesia hoc speciale privilegium sacerdotibus suis ascribere solet, quod meritis Beati Petri supra petram firmam fundati, nulla eos inferorum porta vel tempestatum turbo, ad exitialem perniciem involvat. Otto. Hæc dicta sunt ab ipso Episcopo pro reverentia sanctæ sedis, sed aliter sentit Petrus Damianus, & ista antecedentia gestorum, & subsequentia aliter indicant. De eo autem, quod iste Leo Papa renovavit privilegium Imperatori Ottoni de ordinatione Apostolicæ sedis, & de investitura Episcoporum, sicut fecerat Papa Adrianus Carolo Magno, in Decretis invenies.

Anno 966. Adalberone Metensium Episcopo mortuo, *Theodoricus Consobrinus Ottonis Imperatoris* Episcopus subrogatur. Hic, ut legitur, inspiciens primas litteras nominum omnium Metensium Episcoporum, quas Angelus Domini dicitur dedisse sancto Clementi primo Episcopo Metensium, & notans alias auro, alias argento, alias viliori metallo pro meritorum qualitate esse annotatas: Cum videret etiam literam sui nominis

argento esse prænotatam, fertur dixisse, in Episcopatu tanta bona se esse facturum, ut ipsa sui nominis litera meritò deberet auro annotari. Cujus bonæ intentionis initium ostenditur in cœnobio sancti Martyris & Levitæ Vincentii, fundato in ipsius urbis insula. Arnulpho sene seu vetulo Flandrensium Comite mortuo, Lotharius Rex Francorum graviter infestat & vastat. Ejusdem Arnulphi filius fuit Balduinus juvenis *de Athela filia Heriberti Comitis Veromandensis*, qui Balduinus juvenis duxit Uxorem *Mathildem filiam Hermanni Ducis Saxonum*, genuitque ex ea Arnulphum juniorem. Alia litera habet quod ista Mathildis fuit filia Lothari Regis Francorum. Otto Imperator Aquisgrani pentecosten celebravit, concurrentibus ibi a Francis *Sororibus suis*, Regina scilicet Francorum Gerberga matre Lotharii Regis & Caroli Ducis, & Hadvvida Uxore Hugonis Parisiensis Comitis, quorum filius fuit *Hugo, qui post regnavit in Francia.* Ubi omnis illa regalis prosapia tanto ad invicem congratulationis jubilo est affecta, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudii huic lætitiæ potuerit æquiparari. Otto Imperator Italiam repetit. Episcopus Otto. Imperator Otto, deficientibus a se denuo Italicis Alpes transcendit, natale Domini Romæ celebrans, tredecim ex majoribus urbis post præfectum, quia factionis erga Leonem Papam rei fuerant, suspendit. Bruno Dux & Archiepiscopus in Franciam pergens ad pacificandos nepotes suos, Lotharium Regem & filios Hugonis, ubi Compendium venit, febre correptus Remos rediit; ibi *quidquid jure mancipii habuit*, per testamentum Ecclesiis sanctorum delegans, mortuus est, corpusque ejus a Theodorico Metensium Episcopo Coloniam refertur; succedit ei Coloniæ Folmarus. Circa hoc tempus obiit S. Otto Cantuariensis Episcopus, & electus est Elfinus Episcopus Wintonensis, qui in via Romana decessit. Succedit Hicellinus Episcopus Dorcii, & paulò post

poſt amovetur; & ita demum ſanctus Dunſtanus factus eſt Archiepiſcopus. Treviris vero præfuit Theodoricus præpoſitus Moguntinus, qui *Romæ cellam quatuor coronatorum*, cum omnibus appenditiis acquiſivit.

Anno 967. Joannes hujus nominis decimus tertius factus Papa ſedit Romæ annis ſeptem, menſibus undecim. Guillelmus Archiepiſcopus Moguntinus filius Imperatoris moritur, eique Hatto ſuccedit. Hoc tempore Danis qui Chriſtum Jeſum & idola ſimul colebant, cum Poppone Clerico in convivio altercantibus ſuper cultura Dei & Deorum, Danis aſſerentibus Chriſtum Jeſum eſſe quidem Deum, Deos vero majores & antiquiores illo eſſe; Poppone e contra affirmante Chriſtum Jeſum ſolum verum Deum eſſe, unum in ſubſtantia, trinum in Perſonis. Rex Danorum Heraldus condixit Clerico, ut fidem propoſitam a ſe probaret teſtimonio veritatis, quod annuente Clerico, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponitur, quod cum Clericus ad placitum omnium tuliſſet absque ulla læſione, Rex penitus abjecta idololatria ſe ſuosque ad colendum verum Deum ſolum convertit; Clericus vero ad Epiſcopatum promotus eſt. *Guicmannus* diu contra Imperatorem Ottonem rebellis a Miſacha Sclavorum Regulo, Imperatoris amico & milite, perimitur. His temporibus dominabantur Bulgaribus filii Simonis Petrus & Bajanus, quorum Bajanus in arte magica ita valebat, ut quotiens vellet *lupus* vel quælibet fera videretur.

Anno 968. Otto junior a Patre evocatus Romam a Joanne Papa in Imperatorem benedicitur, quod Epiſcopus Otto ita teſtatur. Vocato ad ſe filio ſuo Ottone, eum a ſummo Pontifice Joanne coronari fecit, & Auguſtum vocari. Ejusdem Joannis authoritate ſanctus Dunſtanus in Anglia *Monachos in plerisque Cathedralibus Eccleſiis, pulſis Clericis, poſuit*. Duo autem erant venerabiles Epiſcopi in Anglia cooperatores ſancti

ſancti Dunſtani, Etheluvodus ex Monacho Glaſtonienſi Abbas Abbedonienſis, & poſt Epiſcopus Wintonienſis, qui tot & tanta fecit Epiſcopus urbis unius, quot & quanta vix poſſe facere videretur Rex Angliæ totius; hic Clericos expulit de Wintonia & pro eis Monachos poſuit. Oluvaldus etiam nepos Archiepiſcopi Ottonis, qui fuit ante Dunſtanum, qui ex Monacho Floriacenſi Wingorniæ fuit Epiſcopus, & poſt Eboracenſis Archiepiſcopus, qui Monaſterium Rameſiæ in quodam paluſtri loco ædificavit, Clericos a Wigornia expulit, & poſuit pro eis Monachos regulares. Otto Imperator Beneventanos Duces potentia ſua ad ſubjectionem ſui inflexit. Hic eſt Imperator qui primus venas argenti *& auri* juxta civitatem Goslariam in Saxonia invenit. Unde Sigebertus. Otto Imperator in terra Saxonia venas auri & argenti primus induſtria ſua aperuit. Obiit Oldericus Archiepiſcopus Rhemenſis, cui Adalbero ſuccedit: in Colonia poſt Folmarum fit Archiepiſcopus Gero.

Anno 969. Quidam Comes Ottonis Imperatoris Romæ ante oculos omnium arreptus, ita ut dentibus ſeipſum decerperet: juſſu Imperatoris ad Papam Joannem adductus, ut catena ſancti Petri collo ejus circumdaretur, dum a fallacibus Clericis ſemel & bis alia catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedii proveniret, ubi nihil erat virtutis; tandem vera ſancti Petri catena allata, & collo furentis circumdata, diabolus ſpumans & multum clamans abceſſit. Quam Catenam Theodoricus Metenſis Epiſcopus arreptam cum diceret ſe eam niſi manu abſciſſa non dimiſſurum; tandem Imperator ſedato litigio a Papa Joanne obtinuit, ut annulum hujus Catenæ exſectum Epiſcopus mereretur. Imperator Otto dum partem exercitus ad Græcos miſiſſet, ut Uxorem filio ſuo Ottoni acciperent, Græci ſuper eos irruunt, caſtra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, & Conſtantinopolim mittunt: Ad hoc dedecus vindicandum Imperator Otto eminentiores ex ſuis

in

Digitized by Google

in Calabriam mittit, qui Græcos aggressi plures occidunt, plures naribus detruncatis dehonestant, & per Apuliam & Calabriam a Græcis tributum exigunt. ◦§ Et hoc est quod dicit Episcopus Otto. ◦§ Quia Imperator Otto Græcos in Apuleja & Calabria superavit, Constantinopolitani audientes a suis malè pugnatum in Calabria, contra Imperatorem suum Nicephorum insurgunt.

Anno 970. Theodoricus Metensium Episcopus Imperatori sanguine, dilectione, ac familiaritate devinctior cæteris, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora & pignora sanctorum de diversis Italiæ locis, quocumque potuit modo, collegit. ◦§ Primum a Marsia * sanctum Elpidium Confessorem, cujus socium Eutychium ipse Imperator jam sustulerat. ◦§ Ab Amiternis Eutychetem Martyrem, cum reliquiis Maronis & Victorini sociorum ejus. A Fulginiis ** Felicianum Episcopum & Martyrem. ◦§ A Spoleto Serenam Martyrem, cum Gregorio Spoletano Martyre. A Corduba *** pignora Vincentii Martyris & Levitæ, ab Hispania olim a duobus Monachis Capuam, & a Capua illuc deportata. ◦§ A Vincentia Leontium Episcopum & Martyrem. Ab urbe Tudertina Fortunatum Episcopum & Martyrem. A Corfinio Luciam Siracusanam Martyrem & Virginem, a Duce Spoletanorum Forcaldo olim a Siracusanis illuc translatam: Venetiani tamen contradicunt, & dicunt pro certo corpus sanctæ Luciæ se habere, quod in multis serris & portis incluserunt, & hoc testatur qui propriis oculis vidit, quod quid verius sit Deus novit: forte habent Venetiani illam Luciam, de qua legitur Luciæ & Geminiani. ◦§ A Sabinis partes corporum Prothi & Jacynthi Martyrum. ◦§ Hæc omnia cum parte Catenæ sancti Petri Apostoli, cum capillis ejusdem, & sanguine sancti Stephani Protomartyris, & parte de craticula sancti Laurentii Martyris a Papa Joanne sibi donata, cum

* f. Marsis. ** male apud Sigeb. Sulginiis. *** Corduno Sigeb.

Digitized by Google

aliis multis sanctorum pignoribus, præsul Theodoricus in Galliam hoc anno transtulit, & in Ecclesia sancti Vincentii Martyris a se in Insula urbis constructa, locavit. ❧ Cum isto Metensi Episcopo Theodorico, fuit in Italia Ekebertus Treverensis Archiepiscopus, filius cujusdam Comitis Theodorici de Britannia, qui & ipse plures reliquias Ecclesiæ suæ attulit. ❧ Hoc anno quidam *Bernardus Monachus* Hierosolymam sub Patriarcha Theodosio venit. ❧ In vigilia paschæ * lumen *ignis cœlestis*, qui quotannis in eadem vigilia lampadibus serenus repente infulget; quod miraculum quando cœpit, vel si ante tempora paganorum fuit, nullius historiæ relatione cognoscitur. ❧ Hospitatus est autem idem Bernardus in Xenodochio, quod ibi Carolus Magnus construi jussit, ubi & *Bibliothecam* ingentis expensæ compegit, tantamque Ægypti & per id locorum pacem commemorat Christianos sub dominio Saracenorum habuisse, ut si alicui vianti in mediis fortè triviis jumentum, quo necessaria deveheret, moreretur, aut deficeret, ille relictis sarcinis ad proximam urbem expeditus pro auxilio pergeret, omnia quæ reliquerat intacta reperturus. Hunc autem Theodosium *dicit idem Bernardus* raptum fuisse a Monasterio suo, quod distabat ab Jerusalem quindecim milliaribus, & factum fuisse Patriarcham. Tunc etiam dicit fuisse Michaëlem Patriarcham Babylonis super Ægyptum, translato Patriarchatu Alexandriæ in Babylonem.

Anno 971. Apud Constantinopolim Nicephorus timens a filiis suis impiè expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchizare, quorum mater Regina quia nullo alio modo poterat eos liberare, suasit Joanni Nicephorum occidere Imperatorem. Joannes itaque occultè cum funibus intravit cum Basilio & Constantino pueris. Qui Joannes Secundum annotationem Magistri Hugonis, Symbois cognominabatur. In Anglia Rex Edgarus cum jam diu regnasset, hoc anno primùm a Beato Dunstano

* f. addendum: vidit

ſtano apud Bathoniam coronatus eſt. ❧ In Scotia poſt Conſtantinum Rex erat Linadius, Rex vero Edgarus Vidualoni Regi Walenſium indixit, ut ſibi quotannis *tributum trecentorum luporum* ſolveret. Quod cum ille tribus annis feciſſet, quartò deſtitit, nullum ſe poſſe invenire profeſſus. Petrus Ravennatum Epiſcopatum dimiſit, poſt quem loco ipſius Honeſtus præficitur.

Anno 972. Otto Imperator Romæ Ottoni filio & Coimperatori* ſuo, neptem Joannis Conſtantinopolitani Imperatoris Theophaniam nomine, a Joanne Papa coronatam in legitimo matrimonio copulavit. ❧ Nothegerus vir ſanctus Leodienſium ordinatus Epiſcopus triginta ſex annis præfuit. Hic urbem muro circumcinxit, ædificiis honeſtavit, majorem Eccleſiam corpore ſancti Lamberti inſignitam a fundamento renovavit; partem quoque fluminis Moſæ circa Inſulam venire fecit, Caſtrum formoſum, Capræmontem, urbi nimis contrarium, ex toto cum Eccleſiis ſuis deſtruxit, & inhabitabilem eſſe præcepit, & cum eſſet Eccleſia quædam ſancti Joannis Evangeliſtæ, quam non poterat deſtruere, vovit Beato Joanni ſi permitteret illam corruere, ſe ei pulchriorem ædificaturum in civitate & honeſtiorem, quod & factum eſt. Unde ſequitur Sigebertus. ❧ Eccleſiam ſancti Joannis Evangeliſtæ in Inſula fundavit, triginta Canonicos poſuit. Abbates ſancti Remacli Giſelbertus Comes & Abbas, & poſt eum Gundradus ſimiliter Comes & Abbas de rupe in Ardenna fuerunt. Colonienſis Archiepiſcopus dicebatur Marinus, qui partem baculi ſancti Petri Ekeberto Treverenſi Archiepiſcopo reddidit.

Anno 973. Epiſcopus Otto. ❧ Otto ſenior Imperator omnibus bene compoſitis reverſus ex Italia paſcha Domini Quintiliburg celebrans, ac deinde Marianopoli** aſcenſionem Domini ex more ferians, morbo tertiâ ante pentecoſtem feriâ correptus, imperii duodecimo diem ultimum clauſit, Regni vero

* male apud Sigeb. editum: comparatori. ** Mersburgi.

trigesimo sexto. Qui Metropolim Magdeburgensem, ubi adhuc cultu regio humatus cernitur, plurimis ornamentis decoravit. ☙ Berengarius vero, & ejus Uxor Willa, exules Bavemburg moriuntur. ☙ Eodem anno Beatus Ulricus Augustinensis Episcopus migravit ad Dominum : sancti autem Walderici, id est Ulrici, vita qualis fuerit, mox post mortem ejus miraculorum gesta * patefecit. ☙ Ejusdem Imperatoris Ottonis vitam Guitichindus Monachus descripsit, qui etiam Historiam Saxonum usque ad hunc annum conscripsit.

Anno 974. Otto Secundus imperat annis decem. ☙ Benedictus sextus Papa, qui est Stephanus, stetit Romæ anno uno, mensibus sex. ☙ Raginerus & Lambertus filii Ragineri Longi colli, paulatim resumptis viribus a Francia redeunt, & cum Garnerio & Rainaldo, qui comitatum patris occupaverant, bello apud Peronam confligunt eosque cum multis perimunt, & super Haynam fluvium castello Buixide munito Lotharingiam infestant. ☙ Venceslaus Princeps Bohemiæ a fratre suo Bolizlao propter præripiendum principatum martyrisatus, urbem Pragam, ubi requiescit, multis miraculis honestat.

Anno 975. moritur in Anglia Rex Edgarus, & apud Glastoniam sepelitur. ☙ Regnavit Eduardus filius ejus tribus annis & dimidio. Tunc cometa visus est. ☙ Archiepiscopus Rhemensis Adalbero Abbatiam sancti Theodorici restituit, & corpus ejus terra levavit per annos CCCCXLII. ab ejus obitu. ☙ Ratherius, de quo est monostichum: Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul, apud Lobias moritur. ☙ Contra Ottonem Imperatorem rebellat patruelis ejus Dux Bavariorum. Otto Imperator castellum Buixidis obsidet, captum diripit, captos in eo exulat, nec tamen Reginerus a rebellione desistit. ☙ Wigfridus fit Episcopus Virdunensis, qui Monachos posuit in Ecclesia sancti Pauli Episcopi, quæ prius Saturni dicebatur.

Anno

Anno 976. Apud Winthoniam in Anglia congregatis ad disceptandum contra sanctum Dunstanum Clericis, excidit solarium in quo consistebant, ruentibus ipsis: itaque pars ubi erat Dunstanus cum suis intacta mansit. Romæ præsidebat Papa Domnus nomine anno uno & mensibus sex. Gelu magnum a Calendis Novembris usque ad æquinoctium vernale. Otto Imperator Henricum Ducem sibi subjugat. *Majolus Abbas Cluniacensis* sanctitate & religione claret. *Hujus fertur esse narratio* de Duce Sardiniæ Eusebio, & Duce Siciliæ Ostorgio. Erat Eusebio summum circa defunctos studium in celebrationibus missarum, in largitionibus eleemosynarum in decimis omnium rerum suarum solvendis, & unam civitatum suarum, quam abundantiorem habebat, liberandis fidelium animabus constituit, ad quam decimas totius Regni conduci faciebat. Dux autem Siciliæ Ostorgius Eusebio ditior, sed virtute nimis inferior, civitatem Deo & curis animarum deputatam obsedit & cepit. Quod ut audivit Eusebius dicebat, se malle dimidium Regni sui, quam illam civitatem Dei amisisse, & convocato exercitu hostem insequitur, cum ecce albatorum facies militum ei a longe & suis apparuit, in niveis equis, cum niveis vexillorum signis, & armatura toga candida; mittit in occursum quatuor milites causa percunctandi qui sint, & quo tendant, & illi candidati obviam quatuor de suis, salutatione præmissa, remittunt illos ad Dominum suum Eusebium dicentes: se venire contra hostes suos in ejus fidele auxilium, & ut securus veniat ad eorum colloquium; qui cum ad eos concitus venisset, dicunt ei: Ne te sollicitum longius protrahamus, jam omne jus tuum ab hoste dupliciter exigemus, & insuper aut subjicietur tibi, aut vinctus tradetur tuæ potestati. Dux igitur se committens eorum fidei & voluntati, cum una tantum legione contra qua-

draginta millia ſecurus ad bellum procedit. Oſtorgius terrore compulſus rogat pacem, & quidquid uſpiam tulerat, dupliciter reſtituit, atque inſuper ſeſe cum omnibus ſuis illi ſubdidit. Quo facto candidatus exercitus Euſebium familiariter alloquitur, & an ei ſufficiat percunctatur. Ille regratiando, tum primum qui eſſent ſubtiliùs perquirit. ☙ Nos inquit, ſumus defunctorum animæ, quas tuis beneficiis & eleemoſynis gratiâ divinâ in æterna requie a purgatorio liberatas collocaviſti; Age ergo quod agis,& gratiam æterni Judicis in æternum obtinebis. Sequitur quod prædictus Abbas Majolus in contentione duorum Principum, dum circa Abbatias, quas in illis curabat finibus, diſponendas eſſet occupatus, eſſet adductus * antequam candidatorum adveniſſet exercitus.

Anno 977. Otto Imperator proficiſcitur contra Sclavos. Filii Ragineri Longi colli auxilio Francorum, & maximè Caroli poſtea Ducis fulti,** Godefridum & Arnulphum Comites, qui poſt Garnerium Comitatum Montenſem invaſerant, Montenſem caſtri locum obſident; multis utrinque in conflictu fuſis, obſidio remota eſt, victoria anceps, datur tamen palma Comitibus. ☙ Romæ Bonifacius Septimus ſedit anno uno, menſe uno; cum quo fuit electus quidam Petrus: ſed idem Bonifacius a Conſtantinopoli reverſus, & dans pecuniam factus Papa, paulo poſt, ut dicitur, veneno vitam finivit.

Anno 978. Sanctus Adalbertus Pragenſis Epiſcopus cognomento Wichet, ſanctitate & doctrina apud Windos claret. Gens Leuticiorum ad idololatriam revolvitur. ☙ Ducatus Lotharingiæ datur Carolo fratri Lotharii Regis Francorum, multis inſuper conducto beneficiis, ut & ipſe ab inſolentiis deſiſtat, & fratris ſui Lotharii motibus obſiſtat. ☙ Filii Ragineri, ut pro ſe viriliter agerent, animati Francorum auxilio & affinitate (*Raginerus quippe Haduvidam filiam Hugonis poſtea Regis, Lambertus verò Gerbergam filiam Caroli Ducis duxere uxores*

** add. laceſſunt bello

[illegible]in terra patrum ſuorum relocati ſunt. Benedictus Papa VII. qui in Sigeberto vocatur Stephanus, ſedit Romæ annis novem, & menſibus ſex.

Anno 979. Pacato undique Regno cum Otto Imperator Aquisgrani moraretur, Lotharius Rex Francorum ſubitò ad invadendum Lotharingiam contendit, & cedente Imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, Rex poſt multam vaſtationem repatriavit. Unde Guido. Francorum Rex Lotharius, contractis undique viribus Lotharingiam ingreſſus, & Aquisgrani Imperatorem Ottonem Secundum reperiens, inter Imperatorias delicias immenſæ exhibentem ſuis ſplendorem lætitiæ, qui triumphalis * eventus caſtrum ingreditur, palatium aggreditur, inſperatus invadit, Imperiales turbat & diripit, Otto ſe per fugam eripit cæſisque ſuorum & captis pluribus, vix evaſit: qui tamen viribus reparatis Franciam cum multis armatorum millibus Teutonico furore prorumpit, depopulatur, incendit, ſed quæſita, quia non acquiſita, metu refugiens, citius quam venerat in Franciam, in patriam eſt regreſſus. Sigebertus ita. Lotharium cum æſtimabili ** exercitu Imperator proſecutus, condicto die, ſcilicet Calendis Octobris Franciam intravit, quam usque ad Calendas Decembris, pervagatus fines Rhemenſium, Laudunenſium, Sueſſionenſium & Pariſienſium, diverſa clade vaſtavit, eccleſiis tantum Dei omni immunitate conceſſa: in redeundo tamen circa Axonam fluvium partem impedimentorum amiſit. De his quidam recluſus prædixit, quod omnes hujus mali incentores ante ſeptennium morerentur. Filius Lotharii Ludovicus *Rex* Aquitanorum efficitur, & abhinc annis novem regnavit. Guido de Martyrio Regis Angliæ Eduardi. Hunc Noverca ejus laſſum de venatione amiſſis ſociis revertentem alliciens, blanditia muliebri ſibi fecit intendere, & poſt libata baſia porrectum poculum haurientem, ſicâ transfodi per ſatellitem, poſt quem

** L. inæſtimabili

quem Ethelredus frater ejus, filius ejusdem malæ mulieris, per annos triginta septem regnum potius obsedit, quam rexit.

Anno 980. Otto Imperator, & Lotharius Rex convenientes super Karum fluvium pacificantur, datis invicem Sacramentis, & *Rex Lotharingiam abjurat.* ☙ Igneæ acies visæ sunt in cœlo per totam noctem quinto Calendas Novembris. Otto Imperator Italiam petit. ☙ Corpora sanctorum Ladoalti *, Adriani, Amantii & aliorum a Wentreshao Hasbaniæ vico transferuntur Gandavum cum multa miraculorum gloria. Bruno Clericus Rhemensis, Regis Lotharii propinquus, in Episcopum Lingonensem eligitur, & eo annuente ordinatur, cum esset annorum viginti quatuor, per manus Burchardi Lugdunensis Archiepiscopi. Per annos triginta quinque & amplius præfuit. Iste Bruno omni nisu exemplum sequi studuit boni Pastoris, & multa & magna fecit in spiritualibus Religioni consulendo, in temporalibus necessaria providendo.

Anno 981. Otto Imperator Apulejam & Calabriam Italiæ Provincias, ad jus Regni Græcorum appendentes, transferre ad Imperium Romanum conatur, maximè propter affinitatem, quam per Uxorem suam Theophaniam cum Imperatore Græcorum habebat. Relatio Petri Damiani. ☙ Desiderius, inquit, Abbas &c.

Anno 982. Græci infensi quia Imperator Otto provincias Græcorum invaderet, conducto sibi Saracenorum auxilio Imperatori in Calabria bello congrediuntur, in quo bello omnes Romanorum copiæ usque ad internecionem penè consumptæ sunt. Imperator natando evadere nitens a nautis ignorantibus eum capitur, & a quodam eorum qui negotiator Sclavorum erat agnitus, nec proditus, per illum re delata ad Imperatricem, & Theodoricum Metensem Episcopum, qui in civitate Rausau ** rei eventum præstolabantur, difficulter per Sclavum

* Laudoaldi vel Landoaldi ** Robsan apud Sigeb.

Sclavum & Episcopum liberatur. Nautis enim ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, Imperator ascenso equo vix evasit. Omnibus pro infortunio Reipublicæ consternatis, sola Imperatrix fœminea & Græca levitate insultabat eis, quod ab exercitu suæ nationis victi essent Romani; ac per hoc cœpit primatibus exosa haberi.

Anno 983. Otto Imperator tædio & angore animi Romæ moritur. Episcopus Otto. Qui ante Beati Petri Ecclesiam in Concha marmorea honorificè sepelitur. Tradunt de ipso Romani quod Benevento capta Beati Bartholomæi ossa inde asportaverit, ac Romæ in Tyberis Insula in tumba pophyretica ea collocaverit, in terramque suam per Tyberim & Mare in prædicto sarcophago deportare cogitaverit, sed eo in brevi vita exempto pretiosum thesaurum ibidem remansisse. Hic est qui pallida mors Saracenorum, seu sanguinarius dictus est. De Imperatore substituendo inter primates dissentitur, aliis filio ipsius Ottoni Imperium deberi certantibus, aliis odio Imperatricis a filio ejus imperium volentibus transferri ad Henricum Ducem filium Henrici, qui fuit frater primi Ottonis. Hic Henricus ipsum Ottonem puerum factione raptum in custodia tenet, sed Principes puerum de manu Henrici extorquentes in in Regnum sublimant, & imperavit annis octodecim.

Anno 984. Otto tertius imperat Romanis. Lotharius Rex Francorum ad invadendum Lotharingiam rursus laborans, urbem Virdunum Godefridumque ipsius urbis Comitem capit. Apud eandem Civitatem Virdunum, Hugo Clericus quidam in Episcopum electus, videns ibi paucas, & minus sibi sufficientes expensis, resignavit, & electus est pro eo *filius Frederici Albero, Frater Theodorici Ducis de Beatrice natus, quæ fuit soror Hugonis de Francia*, qui post Lotharium Regnum obtinuit. Theodoricus Metensium Episcopus,

magis fraude, quam hostium virtute captus est, & apud Urbem Aurelianensem carceri conjectus, de quo non nisi mortuus est ejectus. ☙ Sigebertus. ☙ Francis Regnum transferre volentibus ad Carolum Ducem, fratrem Regis Lotharii, dum ille rem ad Consilium defert. Regnum Francorum usurpat Hugo, filius Hugonis Parisiensis ex Hadvide, sorore primi Ottonis Imperatoris. ☙ Sequitur Guido. ☙ Iste Dux Hugo *annitente primo Richardo Nortmannorum Duce*, cæterisque Regni Principibus, electus est & provectus in Regem, contradicente licet Arnulpho Rhemorum Archiepiscopo, qui frater fuerat Regis Lotharii, filius, id est nepos * Caroli Ducis qui fuit frater ipsius Lotharii. ☙ Quod vero Guillelmus Anglicus dicit *Regem Hugonem* filium fuisse Comitis Roberti de Monte Desiderii, non est ita, sed *Pater ejusdem Regis Dux Hugo Cappetus* fuit filius Regis Roberti qui fuit occisus Sueffionis: qui Robertus sine dubio fuit Comes & Dux antequam regnare attentaret, & fuit filius alterius Comitis Roberti Andegavensis a Northmannis occisi. Item de uxore ejusdem Hugonis, quæ fuit una de quatuor sororibus Angliæ Ethelstanni, quomodo poterit stare viderit ille qui scripsit. Rex enim Ethelstannus mortuus fuit in anno Domini 940. & nondum iste Rex Hugo fuit natus, quia nondum pater ejus fuerat uxoratus. Unde magis credibile est quod uxor hujus Hugonis Regis fuit filia unius fratrum Regis Ethelstani, qui post eum regnaverunt. ☙ Item scribit idem Guido, quod Rex Hugo miserit patri pro illa munera amplissima, ornamenta, gemmas pretiosas, & præcipuè smaragdos, equos curraces plurimos cum faleris, & vas quoddam ex onychino ita celatum, ut in eo & fluctuare segetes, & germinare vites, & hominum moveri imagines viderentur, & multa alia incredibilia, ensem Constantini Magni, cum uno de quatuor clavis Domini, lanceam Caroli Magni, quæ ferebatur esse lancea quæ lateri Christi fuit infixa. (De

Digitized by Google

ista lancea bene probatur quod non fuit lancea Longini militis, quia tempore expeditionis magnæ sub Duce Godefrido, illa lancea a tempore Apostolorum non visa, primo in Antiochia per misericordiam Domini & pietatem revelante Beato Petro fuit inventa.) Vexillum sancti Mauritii, & pretiosum diadema, & particulam ligni Dominici, spineæ quoque Coronæ particulam. ☙ Mirum si ita est pro una muliere hæc omnia a Francia fuisse alienata. ☙ De Isembardo quoque qui ad paganismum conversus fidem lusit, & contra Regem Ludovicum paganos adduxit, *decipitur nimis in temporis circumstantia prædictus Guillelmus*, quia Ludovicus ille quem irritavit Isembardus, non fuit filius Lotharii nuper defuncti, nec pater ejusdem Lotharii, quem pro uno, ut insscius historiæ, computare invenitur, sed fuit ille Ludovicus frater Carlomanni & Caroli simplicis, de quo Ludovico *supra* in anno 881. sufficienter est expressum ☙ Joannes Papa hujus nominis decimus quartus sedit Romæ mensibus novem.

Anno 988. *Hugo filius Hugonis Capeti in Civitate Noviomensi Rex elevatus* a Francis, decem annis regnavit. Ipse Rex Hugo, quem jam tetigimus, fratres habuit Ottonem & Henricum Duces Burgundiæ & sororem Beatricem, de qua *Fridericus Dux Mosellanorum*, id est Nanceji, frater Episcopi Alberonis Metensis, genuit Ducem Theodoricum, & fratrem ejus Alberonem Episcopum Verdunensem, qui translatus est ad Episcopatum Metensem post Theodoricum. ☙ Mater vero ejusdem Hugonis dicta est Haduvidis, & fuit soror primi Ottonis Imperatoris. ☙ Pater autem ejusdem Regis Hugonis Dux Hugo Cappetus jam ante triginta annos obierat, qui sororem habuit, de qua nati sunt quatuor filii Comitis Herisberti de Perona, Campaniæ simul & Vermandiæ Comitis. ☙ Avus autem hujus Regis Hugonis Rex & Regni invasor Robertus, in bello Suessionico fuit occisus. Cujus frater Rex

Odo dictus est, qui cum Carolus simplex adhuc puer esset, tamquam Tutor pueri Regnum Franciæ gubernavit, & maxime in Aquitania regnavit. ❧ Et horum Pater dictus est Comes Robertus fortis, *Marchio de genere Saxonum extractus*, cui Carolus Calvus Comitatum Andegavensem dederat in beneficium, tamquam viro forti, contra Brittones & Northmannos pugnaturo, & Regnum ex illa parte defensuro, & iste Robertus a paganis Northmannis fuit occisus. ❧ Ulterius nescierunt de illius origine hioſtoriographi dicere. Avia autem hujus Regis Hugonis, mater videlicet Hugonis Capet fuit per consequentiam filia illius Hugonis Capeti qui erat Dux Burgundiæ inferioris, & fuit frater Regis Rodolphi, & Comitis Vitriaci Bosonis. ❧ Matrem vero Regis Odonis & Ducis Roberti, Uxorem videlicet Roberti fortis Marchionis, credimus fuisse illam quæ dicta est nomine Regina, quæ cum esset juvencula fuit concubina Caroli Magni jam Senioris, cui peperit Episcopum Drogonem Metensium, & Abbatem Hugonem *& hanc opinionem habemus ex collectaneo sancti Benigni*, ubi dicitur quod Rex Odo & Robertus fratres fuerunt Abbatis Hugonis. Et hæc est ratio quare isti fuerunt in Curia Regum Franciæ ita magnifici. ❧ Quia vero Regis Hugonis Genealogiam ita subtiliter indagavimus, ad narrationem Hiſtoriæ revertamur. ❧ Guido ❧ Bis igitur in Regno Franciæ jam mutata regali serie, fit tertiò regum nova successio de Hugonis magni progenie. Nam Clodovei primò Pipinus magni Caroli pater a sceptris amovit hæredes. Secundò Dux Hugo Caroli Magni sobolem extirpavit a Regni solio, quod sibi suoque generi confirmavit. ❧ Venerat & gratiam magnam apud ipsos invenerat ille peritus artium, & famosus ingenii subtilitate *Gerbertus*, qui in Gallia Remis (ut dicitur) natus est, Monachus à puero apud Floriacum adolevit, mox in Hispaniam profugiens, ut Astrologiam a Saracenis

nis discere t, desiderio suo satisfecit & ibi liberales artes ita ebibit, ut eas industria magna revocaret in Galliam, omninò ibidem pridem obsoletas. *Abacum certè primus a Saracenis rapuit*, & regulas dedit quæ a sudantibus abacistis vix intelliguntur. Ibi quid cantus & volatus avium portendant edicit, ibi etiam excire tenues ex inferno figuras, ibi quidquid noxium vel salubre curiositas humana scrutabatur, deprehendit. Unus erat codex magistri sui totius artis conscius, quem sub ejus cervicali impositum nocte rapuit & aufugit. Profugus ergo respiciens eadem peritia, qua prosequebatur eum magister suus, sub ponte ligneo qui proximus erat, se pendulus occulit, pontem amplectens, ut nec aquam, nec terram tangeret. Ita quærentis aviditate frustrata advenit ad Mare. Ibi per incantationem diabolo accersito perpetuum illi paciscitur hominium, si se a persequente ultra pelagus eveheret defensatum, & ita factum est. ❧ Inde cum rediisset in Franciam, & arcem in doctrina teneret artium, quia Regis Hugonis filium Robertum liberalibus disciplinis instruxit; idem Rex eum in sedem Rhemensis Ecclesiæ irreverenter, ut postea dicetur, intrusit. ❧ Hoc etiam anno mortuus est vir sanctissimus in Anglia Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus, decimo videlicet anno Regis Anglorum Ethelredi, qui triginta septem annis regnavit. Hujus sancti vitam descripsit Osbernus Cantuariensis Cantor, vir & in eloquentia, & in arte musica valde peritus, de quo viro in præcedentibus pro anno 58. multa tetigimus. ❧ Apud Verdunum post mortem Episcopi Alberonis filii Comitis Godefridi, qui tribus annis & dimidio præfuit, factus est Dominus Haymo per triginta sex annos, natione Teutonicus. Iste fuit discipulus Notgeri Leodiensis Episcopi. ❧ Inundatio aquarum frequens ultra solitum ac diutina, æstas postea ferventissima, ac pluribus pernicioſa, unde fruges minoratæ sunt. ❧ Romæ Joannes decimus

quin-

quintus fit Papa, qui a Sigeberto vocatur Marinus, ſedit ſecundum annotationem magiſtri Hugonis annis ſex, menſibus ſeptem.

Anno 989. Carolus Dux Francorum Regnum paterna & avita ſucceſſione ſibi debitum contra Hugonem repetiit, eumque bello perurgens, Laudunum urbem capit. ☙ Hugo Rex Carolum in Lauduno obſidet, ſed ſecundo obſidionis menſe obſeſſi proſilientes, caſtra obſidentium incenderunt, & ipſe Rex Hugo plurimis ſuorum peremptis turpiter fugiens vix evaſit. ☙ Inde Carolus Dux montem acutum expugnat, Sueſſiones uſque vaſtando peraccedit; inde Remos aggreditur, & Laudunum cum multa præda revertitur. ☙ Siccitas magna vernalis, unde & ſatio primitiva impedita, & fames inſequuta eſt. Ferrur annonam pluiſſe in Hasbania; alii autem piſciculos parvos de cœlo pluiſſe dicebant. ☙ Nix nimia cecidit, poſtea imber continuus, qui autumnalem ſationem demergeret. ☙ Poſt mortem Dunſtani, Dani infeſtaverunt Angliam, & interfecerunt ſanctum Archiepiſcopum Elfegum, cujus corpus poſt decem annos inventum eſt incorruptum, cujus ſucceſſor Luingus dictus eſt. ☙ Circa hoc tempus Comes Trecenſis qui dicebatur Heribertus ſecundus, cognomento vetulus, fuit mortuus, & apud Abbatiam Latiniaci, quam ipſe reſtituit, eſt ſepultus. Cui ſucceſſit Odo Campanienſis Comes potentiſſimus. Comes vero de Arceis & de Ramerut erat Hilduinus frater Epiſcopi Manaſſæ Trecenſis, *de genere, ut dicitur Ganalonis*, quære 1063.

Anno 990. Epiſcopus Bruno Lingonenſis Guillelmum, Monachum *Cluniacenſem*, virum probatiſſimum in Eccleſia ſancti Benigni Divionenſis Abbatem inſtituit, Italiâ oriundum, alto ſatis germine & nobili proſapia editum, ac ferventiſſimum ſui ordinis executorem: hunc ſanctus Majolus Româ veniens in Laucejo Monaſterio invenerat, & deprecanter ſecum

dedu-

deduxerat, qui Abbas Guillelmus hoc anno ordinatus quadraginta annos præfuit, &, ut dicunt, quinquaginta circiter Abbatias in manu sua tenuit, in quibus Religionis fervorem renovavit. Erat corpore castus, mente devotus, eloquio affabilis, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, censurâ Justitæ stabilis, longanimitate assiduus, patientia robustus, humanitate mansuetus, charitate & bonorum omnium gratiâ plenus. ☙ *Herigerus* fit Abbas Lobiensis septimus, scientia litterarum clarus, cujus habentur *regulæ numerorum super abacum Gerberti.* In multis nempe studebant antiqui quæ hodie habentur derisui. ☙ Carolus Dux Rhemim occupat, Archiepiscopum quem Rex Hugo præfecerat, & quosdam primates capit, & Lauduno relegat. *Et paulo post idem Dux moritur*, cui Otto filius suus in Ducatu succedit Lotharingiæ.

Anno 991. Rhemis synodo totius Franciæ congregata Arnulphus Caroli Ducis nepos, quem ipse Carolus Rhemis Episcopum substituerat, imo potius restituerat, omnium judicio ex ordinatus damnatur, & Aldegarius Presbyter qui urbem prodidit, & portas Karolo aperuit, insolubiliter excommunicatur. Gerbertus quoque a Rege Hugone Archiepiscopus substituitur. ☙ Unde Guido. ❧ Rex Hugo congregat apud urbem Rhemensem Archiepiscoporum, Episcoporum, & optimatum grande Concilium, in quo violenter exegit ab Episcopis & Principibus, ut memoratus a sede Rhemensi deponeretur Arnulfus, quo (tam tremore minarum, quam sub obtentu non causæ, sed occasionis) obtento, quod idem ferebatur Arnulphus de thoro non legitimo procreatus, captum & raptum, injuriosè tractum, contumeliosè tractatum & ab Ecclesia manibus violenter injectis, ejectum apud Aurelianos, *juxta nepotem ejus Karolum*, sub arcta fecit custodia retineri, & in sede Rhemensis Ecclesiæ, de qua ejecerat violenter Arnulphum, Gerber-

Gerbertum irreverenter intrusit. Filium quoque suum, ut habetur in cartis sancti Benigni fecit consecrari in Regem & coronari Robertum *ad conregnandum* secum.

Anno 992. Quibusdam Rhemensis Ecclesiæ causam ventilantibus,* non potuisse degradari Arnulphum absque scientia & authoritate summi Pontificis, Gerbertus ad Imperatorem Ottonem se contulit. ∞ Vid.** Guido. ∞ Apostolicæ districtionis censura Rex Hugo Arnulphum liberum revocare compulsus est, & a sede Rhemensi Gerbertus expulsus est. Hoc pudore confusus, & opinione delusus illusor, idem Gerbertus ad imperatorem venit Ottonem qui primo Ravennæ fecit eum Archiepiscopum, & mox Papam, ut habetur in sequentibus. ∞ Sanctus Gerardus tunc florebat, Tullensis Episcopus, diciturque quod Ecclesiam Barri Ducis in honorem sancti Stephani à novo fundatam ipse benedixit. ∞ *Abbas Adzo* Derutensis Monasterii vir Religiosus, *qui scripsit* vitam sancti Mansueti Tullensis, ad eumdem Gerardum, refert vitam sancti Bertharii, vitam Basoli, & multa alia, & vitam sancti Frodoberti primi Abbatis Cellæ bolini sequanicæ insulæ, & in suburbio Trecorum Augustæ. Qui hoc anno idem Adzo, in peregrinatione transmarina obiit, in qua duxerat secum Comitem Hildovinum de Arceis. ∞ In Leodio sub Episcopo Nothgero tres prebendales Ecclesiæ fuerunt institutæ, videlicet Ecclesia sancti Joannis in Insula quæ ab ipso Episcopo fundata est, de qua supra diximus. Deinde Ecclesia sanctæ Crucis per Robertum majoris Ecclesiæ præpositum, authoritate Domini Episcopi inchoata est contra voluntatem defensoris qui castrum ibi facere voluit, sed non prævaluit. Ibi primò quindecim Canonici positi sunt, sed postea Deo dante plures fuerunt. Per Puisonem majoris Ecclesiæ custodem, qui Nichardus*** dictus est, Ecclesia Beati Dionysii condita est & fundata, ubi primo viginti Canonici positi sunt, sed postea triginta fuerunt.

E Anno

* f. & staruentibus ** f. Unde *** f. Nithardus.

Anno 993. Otto tertius in Imperatorem benedicitur secundum Sigebertum, & Gerbertus factus Ravennæ Archiepiscopus. Unde Gerbertum Imperator receptum primo Ravennæ Archiepiscopum, & postea instituit Papam Romanorum, unde est illud Monostichum. ☙ Scandit ab R. Gerbertus ad R post Papa vigens R. ☙ Sed de Papatu postea dicemus. Coloniæ vero præsidebant Evergerus, Treveris Luidolphus. ☙ Apud sanctum Remaclum præfuit Richardus Episcopus & Abbas, & post eum sanctus Odilio. ☙ In Burgundia Odilio Arvernia oriundus, professus Monachus Cluniacensis post sanctum Majolum præficitur ipsi cœnobio, quod per quinquaginta sex annos miro Religionis fervore rexit & provexit, qui egregiè, præter cætera pietatis insignia, non solum vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vita sua claruit: qui cum reprehenderetur quod in peccantes misericordior justò esse videretur; si damnandus sum, inquit, malo damnari pro misericordia, quam pro avaritia; sive pro duritia.

Anno 994. Florebat hoc tempore sanctus Fulbertus Carnotensis Episcopus in scientia litterarum. *Abbo Abbas Floriacensis qui super calculum Victorini commentatus est.* ☙ In Lotharingia Adelboldus Episcopus Wltrajectensis & Herigerus Lobiensis. ☙ Ad sanctum Fulbertum Episcopum Carnotensem, *Bernardus Scholasticus* Andegavensis edidit libellum miraculorum sanctæ Fidis de Conchis, quæ passa est in Civitate Aginno sub impio Datiano cum Beato Caprasio. Super eorum corpora sanctus Dulcius Episcopus basilicam fabricavit, sanctam Fidem seorsum in suburbio recondidit, ubi innumera & ingentia miracula facta sunt precibus ipsius & meritis. ☙ Item de schola Episcopi Notgeri, Episcopi Leodiensis fuerunt Guntherus Archiepiscopus Salzeburgensis, Haymo de quo præmisimus Virdunensis Episcopus, Rothardus & Erluinus Cameracensis Episcopi, Adelboldus supradictus Epi-

Episcopus Wltrajectensis, Hescelo Tullensis, Durandus & Wazo Leodiensis postmodum Episcopi. Idem etiam Durandus *docuit* Bavembergensem Ecclesiam, & duo Socii ejus, Obertus Aquensis, Huboldus Parisius, qui postea cœpit prædicare apud Pragam. Romæ fuit Joannes decimus sextus Papa & sedit mensibus decem.

Anno 995. Bruno, qui & Gregorius hujus nominis quintus factus Papa sedit Romæ annis duobus. In Anglia facta est translatio sancti Cuthberti glorioſissimi Confessoris & Episcopi, & inchoatio Civitatis Dunelmensis. Henricus autem Dux Burgundiæ frater Regis Franciæ Hugonis Abbati Guillelmo commisit Abbatiam Werziacensem penè ad nihilum redactam, ut ab eo restitueretur. Episcopus Bruno Lingonensis delegavit ejus prudentiæ plurimas Abbatias quas in-pristinum statum omnes reformavit.

Anno 996. Clarebat hoc tempore inter Gallos Anfridus Comes Bratuspantium, non minus Justitia quam potentia seculari famosus, qui depositio militiæ cingulo, consecratus in Clericum, eo provectus est, ut ordinaretur Ultrajectensis Ecclesiæ Episcopus. Dicitur quod iste est Anfridus *qui comitatum de Hojo dedit* Beato Lamberto. Obiit Rex Francorum Hugo, & apud sanctum Dionysium sepelitur tota ferè ejus successio.

Anno 997. Rex Francorum Robertus ab hoc anno perannos triginta quinque regnavit, & coronatus est Aurelianis. Fuit autem in literatura discipulus Gerberti, & in Ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus. *Fecit duas sequentias*: Sancti Spiritus adsit nobis gratia, & Rex omnipotens; Responsorium: ô Juda & Jerusalem; R. ô Constantia Martyrum. Alleluja. Eripe me. Antiphonas versificatas, Perfidi [Profidei] meritis &c. Kyrie eleison. Cunctipotens genitor. Et cum quodam die in vigilia Apostolorum esset Romæ, obtulit

rò Paparum excluſus videtur. Unde Lector, quæſo, ut & hic & alibi ſi aliqua diſſonantia te offenderit de nominibus vel annis, vel temporibus Paparum, non mihi imputes, qui non viſa vel audita, ſed lecta ſcribo. ☙ Obiit Dux Normanniæ primus Richardus anno quinquageſimo ſecundo ſui ducatus, cujus uxor Gannor dicta eſt, cui ſuccedit Richardus filius ejus. Prædictus vero Dux Richardus audita fama venerabilis Guillelmi Abbatis Divionenſis, ipſum ad ſe venire fecit, & reformanda cœnobia ei commiſit, Fiſcanenſe videlicet, Gemeticum Monaſterium, & Audœni, & montem ſancti Michaëlis, in quibus plures diſcipulos habuit Religioſos, quorum unus nomine Clemens, multis bonis adornatus, tantæ fuit humilitatis, ut *cum gradu Sacerdotii fungeretur, nunquam in omni vita ſua, niſi ſemel ad hoc Myſterium venire præſumpſerit.* ☙ Commiſit etiam ipſi Guillelmo Rex Robertus ſanctum Germanum Pariſiis, & Comes Odo Campanenſis Abbatiam ſancti Pharonis Meldenſis, & Theodoricus Metenſis Abbatiam Gorzienſem. ☙ Abbatia Coziaci fundata eſt, ubi translata ſunt corpora Felicis & Adaucti. ☙ Comes Raginerus abſtulit montem caſtri Comiti Godefrido.

Anno 999. In Italia Creſcens, patritiatu Romanorum arrepto contra Ottonem Imperatorem rebellat. ☙ Guido ex dictis Guillelmi de Gerberto. ☙ Urgebat Gerbertus fortunas ſuas fautore diabolo, ut quidquid excogitaſſet, impleret. Igitur theſauros multos a gentilibus olim defoſſos arte nigromantiæ molibus eruderatis invenit. ☙ Erat juxta Romam in campo Martio ſtatua, ærea an aurea incertum, dextræ manus indicem digitum extenſum habens, ſcriptum quoque in capite, hic percute; unde plures rati quod ibi theſaurum invenirent, multis ictibus ſtatuæ caput perforaverunt; ſed Gerbertus longe aliter ambiguitatem ſolvit. Namque ſole in meridie poſito notans quo protenderet umbra digiti, nocte ſolitis arti-

bus terram dehiſcens, incomparabilem theſaurum invenit, ingentem ſcilicet regiam, aureos parietes, aurea lacunaria, omnia aurea, milites aureos teſſeris aureis ludentes, Regem aureum cum Regina aurea diſcumbentem, appoſita obſonia, aſtantes miniſtros, pateras multi ponderis & pretii in quibus materiam ſuperabat opus. In interiori parte domus lucebat carbunculus, in contrario angulo puer quidam ſtabat arcu extento. Quod videns Gerbertus nihil arripere attentavit, ſed cubicularius ejus cultellum aureum ſecretò rapuit, & omnia verſa ſunt in tumulum, donec exclamante Gerberto cultellum projecit, & infecto negotio ductu laternæ reverſi ſunt. Hoc in loco, proſequitur in narratione ſua Guillelmus Monachus: quidam de Barcinona natus, filius cujusdam pauperis, cum adhuc eſſet ſeptem annorum venit in Italiam quærens panem: adultus autem multa illius terræ miracula inſpexit, inter quæ montem perforatum, intra quem dicebant accolæ theſauros Octaviani reconditos, ferebanturque multi periiſſe quærendo illos per ſubterraneos anfractus. Hic autem adoleſcens ſtudio videndi & prædandi, duodecim ſocios habuit qui ſecum pergerent, portantes ingens glomus fili, ſequentes ingenium Dedali, qui Theſeum de labyrintho per filum eduxit. Igitur paxillum in ingreſſu fixerunt, principioque fili ad eum ligato, accenſis lanternis introſpexerunt, & per unum quodque milliarium paxillum fixerunt, Veſpertiliones autem de cavernis egredientes oculos eorum & ora infeſtabant, ſemita erat arcta, a lævâ præcipitium & ſubter labens fluvius. Viderunt tramitem plenum cadaveribus eorum qui theſauros ibi quærendo perierant. Tandem ad egreſſum ulteriorem pervenientes viderunt ſtagnum placidum, & pontem æreum, & ultra pontem videbantur miræ magnitudinis equi aurei cum ſeſſoribus aureis, & cætera quæ de Gerberto dicta ſunt. Unus ex prædictis dum pontem tranſire parat, mox pontis pede depreſſo

depresso alter elevatus produxit rusticum æreum cum æreo malleo, quo ille undas verberans ita obnubilavit aëra, ut diem cœlumque subtexeret, sed retracto pede pax fuit; tentatum est idem a pluribus, idemque expertum desperantes solo visu libabant aurum: tunc per vestigia glomeris egressi pateram argenteam repererunt quam inter se partiti sunt. Postero die collato consilio magistrum quemdam adierunt, qui dicebatur nomen Domini ineffabile scire, erat autem tale nomen quale est Zambri, de quo legitur in vita Beati Sylvestri, dixit in aurem tauri ferocissimi. Hunc jejunum duxerunt secum, sed ea vice exitum ulteriorem non invenerunt. Audiens hoc quidam Judæus nigromanticus ait ad adolescentem qui hoc totum fecerat factitari. Videbis quantum possit ars mea, qui incunctanter montem introiens non multo post regressus est, afferens ad indicium sui transitus quæ ille ultra montem notaverat, inter quæ *pulverem locupletissimum*, *quo quidquid pertingebat in aurum vertebat*, non quod ita pro vero esset, sed quia ita videretur quoad usque aqua diluueretur. Nihil enim quod per Nigromantiam fit, potest in aquam fallere intuentem, quod postea manifestè exemplo probabitur.

Anno 1000. *Secundum computationem Dionysii*, multa prodigia facta sunt & visa. Terræ motus factus est per maximus. Cometes apparuit decimo nono Calendas Januarii circa horam nonam scisso cœlo, quasi facula ardens cum longo tractu instar fulguris illabitur terris tanto splendore, ut non modo qui in agris erant, sed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur, qua cœli scissura sensim evanescente, interim visa est quasi figura serpentis capite quidem crescente cum ceruleis pedibus. In Burgundia mortuo Rege Conrado Rodulphus filius ejus regnat annis triginta quinque.

Anno 1001. Otto Imperator Romæ Crescentem patricium bello aggreditur, sed victus Crescens, & ex fuga retractus

tione Guidonis & Guillelmi: Gerbertus, qui & Sylveſter Papa, de quo præmiſimus, fuderat ſibi caput certa inſpectione ſydederum, quod non niſi interrogatum loqueretur, ſed verum vel affirmativè, vel negativè, verbi gratia diceret Gerbertus: Ero Apoſtolicus? reſponderet ſtatua: Etiam. Moriar antequam cantem Miſſam in Jeruſalem? Non. Quo illum ambiguo deceptum ferunt. Nec enim prævidit quod eſt Romæ Eccleſia Jeruſalem dicta, ad quam quicumque reus criminis confugerit, ſubſidium pacis invenit. Hanc ferunt Romuli fuiſſe azylum. In hac ergo cum ex more cantaſſet, invaletudine ictus ingemuit, conſultæque ſtatuæ deceptionem, & mortem ſuam cognovit. ❧ Advocatis igitur Cardinalibus, cum facinora ſua deploraſſet, dilaniari ſe membratim, & foras projici juſſit. Habebat inquiens membrorum * officium ** eorum quæ ſunt hominum. De hoc ergo *in quodam libello, ubi agitur de ſanctuario Lateranenſis Eccleſiæ.* Prope altare ſanctorum Vincentii & Anaſtaſii Martyrum jacet Gerbertus Remorum Archiepiſcopus, qui Papa effectus Sylveſter fuit appellatus. Quod autem tumba ejus guttas quaſi lachrymarum emittat quando aliquis Papa, vel aliquis magnus Cardinalis moriturus eſt, ſatis probatum eſt, & ſatis evulgatum Dicitur autem quod quicumque tumbam ejus viſitaverit, & Pater noſter, ibi dixerit, quotiens hoc fecerit, indulgentiam obtineat aliquot dierum a ſummis Pontificibus ſtatutam. ❧ Dux Burgundiæ Henricus, Patruus Regis Francorum Roberti moritur. Qui Dux Henricus Guillelmum Ottonem loco filii adoptavit. Hic autem *Guillelmus Otto* multa bona pro anima Henrici Ducis prædeceſſoris ſui contulit Eccleſiis. Ejusdem Principis uxor dicebatur Ermentrudis. ❧ Eccleſia ſancti Gingulfi in Florinis cœpit per Arnulphum nobilem de Ruminiaco qui fuit Alpaidis & Godefridi filius. Idem Arnulphus filios habuit Godefridum nobilem, & Gerardum Epiſcopum

* corruptus locus, f. habeat.

cleſiam Epiſcopalis ſedis honore ſublimat, & quia liberis carebat, eam bonorum ſuorum omnium hæredem facit. Unde Theodoricus Metenſis Epiſcopus natus de Lucelborc, dolens dotem ac matrimonium ſororis ſuæ Chunegundis Imperatricis delegari ab Imperatore Eccleſiæ Bavemburgenſi, rebellat. Super hoc quod dicitur quia liberis carebat, ſcriptum eſt de ipſo & de ſancta ipſius conjuge Chunigunde, quod ambo virgines in tota vita ſua permanſerunt, & ſuper hoc multa argumenta in dicta Eccleſia de Bavemburch ubi requieſcunt, haberi dicuntur. ☙ Apud Catalaunum mortuo Gibuino ſecundo Guido Epiſcopus ſuccedit.

Anno 1005. Cometes horribili ſpecie flammas huc illuc que jactans in auſtrali parte viſus eſt. ☙ Mortuo Duce Ottone, filio Ducis Caroli *Ducatus Lotharingiæ* datur ab Imperatore Comiti Godefrido Virdunenſi, filio Godefridi Comitis Ardenenſis. Hujus Godefridi Ardenenſis fuit uxor *Mathildis Comitiſſa Saxoniæ*, quæ peperit ei Epiſcopum Virdunenſem Alberonem, de quo ſupra diximus, Comitem Fridericum, ſancti Vitonii Monachum, Comitem de Dasburg, Hermannum, cujus fuit filius Gregorius Leodienſis Archidiaconus, & duos Duces proſapiâ inclytos, Godefridum iſtum & Gothelonem. ☙ *Hilpericus librum de ratione computi hoc anno conſcripſit*, ut apparet ex argumentis ad inveniendos annos Domini per indictiones. Si vis, inquit, ſcire quot ſunt anni Chriſti, ſexaginta ſex ordines indictionum qui fluxerunt ab ejus nativitate multiplica per quindecim, fiunt DCCCC. XC. his adde duodecim, quia tertia indictione natus eſt Chriſtus. Adde indictionem præſentis anni, id eſt tres, ecce habes hoc anno M. V. ☙ Facta eſt hoc anno Turonis majoris Monaſterii reſtauratio per Odonem Campaniensem Comitem, & uxorem ejus Comitiſſam Turonensem Ermengardem. ☙ Item ad petitionem Imperatoris Henrici ſummus Pontifex Joannes

decimus nonus mirabile privilegium dedit ſancto Abbati Odiloni Cluniacenſi. ❧ Odo Vicecomes Belnenſis filius Henrici Ducis Burgundiæ ſupradicti, frater autem ex matre Guillelmi Ottonis multa contulit Eccleſiis quæ Galterus Epiſcopus Eduenſis, & Comes Otto Guillelmus prædictus, & Rex Francorum Robertus confirmaverunt, qui Otto Guillelmus filios habuit ex Ermentrude Guidonem & Rainaldum. Quorum Guido vivente patre mortuus filium reliquit alium Ottonem. ❧ Erat hoc tempore Tullenſis Epiſcopus Bertholdus, & quidam Comes Ulricus.

Anno 1006. Stephanus Rex in Hungaria regnat per annos triginta quinque. ❧ Fames & mortalitas tam graviter per totum orbem invaluit, ut tædio ſepelientium vivi adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis. ❧ Caſtrum Valencianas ſitum in Marcha Franciæ & Lotharingiæ quod Balduinus *Barbatus* Comes Flandrenſium invaſerat, Imperator Henricus obſidet, concurrentibus ad auxilium ejus Roberto Rege Francorum, & Richardo Duce Northmannorum. ❧ Gerardus Comes Metenſis plurima contulit Eccleſiis.

Anno 1007. Henricus Imperator, quia de obſidione Valenciennenſi inefficax redierat, contra Balduinum profectus caſtrum Gandavum invadit, & depopulata terra aliquot Flandrenſium primores capit, unde Balduinus perterritus Imperatori ſatisfacit, Valencianas reddit, datisque obſidibus, cum ſacramento fidelitatis manus ei dedit. Poſtea Imperator ſuaſione ſuorum coactus Valencianas Balduino beneficiavit, ut ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet. Poſtea ei etiam Valachras dedit. ❧ Obiit Abbas Herigerus Lobienſis literarum ſcientia clarus. ❧ Romæ fit Papa Sergius quartus, os porci dictus, qui ſecundum Sigebertum Leo intitulatur, ſedit annis duobus, menſibus novem. ❧ Poppo fit Trevirenſis Epiſcopus per annos triginta cum dimidio.

Anno

Anno 1008. *Baldricus* vir nobilis Leodienſium ordinatur Epiſcopus, qui in ſcripturis ſtudioſus, *magnum illud Canonum volumen edidit*, ſcripturarum ſententiis undique compilatis defloratum, collaborante ſibi in hoc magiſtro *Oderto Abbate viro undecunque doctiſſimo. ☙ Haimo Virdunenſis Epiſcopus fuit fundator Eccleſiæ ſancti Mauri, Monialium, & Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Magdalenæ Clericorum. Eidem Epiſcopo Henricus Imperator Jopiliam dedit juxta Leodium.

Anno 1009. Ecclipſis ſolis facta eſt hora diei ſexta. ☙ *Northmanni* Friſiam infeſtantes Thyle oppidum incendunt. Henricus Imperator Metim urbem obſidet propter Theodoricum fratrem uxoris ſuæ qui Epiſcopatum ipſius urbis uſurpaverat. Dux enim Moſellanorum Theodoricus poſt fratrem ſuum Alberonem dato Epiſcopatu Metenſium filio ſuo adhuc puero, Tutorem ei ſubſtituit ipſum Theodoricum, qui puero urbe excluſo, & Epiſcopatu uſurpato, ipſum etiam Theodoricum bello cepit. Urbe ergo penè per obſidionem deſolata, tandem pax convenit. ☙ Rogerus primus factus eſt Catalunenſium Epiſcopus.

Anno 1010. Gens Hungarorum hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Chriſti convertitur per Gislam ſororem Imperatoris quæ nupta Hungarorum Regi ad hoc ſuâ inſtantiâ Regem adduxit, ut ſe & totam Hungarorum gentem baptiſari expeteret, qui in baptiſmo Stephanus eſt vocatus, cujus merita per Hungariam multa miraculorum genera commendant. ☙ Tamen dicunt Hungari quod S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus Regem Stephanum ad fidem convertit & baptiſavit, & ipſe Rex ſua prædicatione Hungaros convertit, & majorem Eccleſiam Strigonii in honorem Adalberti inſtituit: ſed illa Gisla Regina, ut dicunt, multas malitias in terra illa fecit, & extremum poſt mortem ſancti Regis meritis exigentibus interfecta fuit. ☙ *Northmanni* Friſiam repe-

* Sigeb. Olberto.

 tunt,

tunt, & multis cæsis Ultrajectum oppidum incensum fuit.

Anno 1011. Guido de oppressione fidelium in Hierosolymis sub dominatione Sarracenorum infra tempus ab Imperatoris Caroli Magni diebus, dies istos ad usque transactum: Cum per idem tempus inter Persas & Ægyptios pertinax esset de Monarchia contentio, tandem Ægyptiorum Regnum prævaluit, & usque ad Antiochiam ab Ægypto provincias occupavit, & sanctam terram cum aliis occupavit. ☙ Post hæc Ægytiorum Achim Soldanus & Califas, (quod interpretatur hæres Mahumeth, scilicet eorum maximi seductoris, dictus etiam Mulone, quod interpretatur apud ipsos Dominus noster, quæ nomina non propria, sed appellativa sunt) prædecessores suos sicut potentia, sic & malitia eos superare conatus est. Etenim Dominicæ resurrectionis Ecclesiam, quæ per venerabilem virum, Maximum ejusdem loci Episcopum, præcipiente Constantino primo glorioſissimo Augusto constructa fuerat, post eversa per Cosdroe Tyrannum Persarum, per Imperatorem vero Heraclytum & Modestum Patriarcham reparata, solo coæquari mandavit. Horestem in super Patriarcham maternum avunculum suum privatum oculis & captivatum in Babylonem adduxit. Hoc totum factum est in sequenti anno. ☙ Sigebertus. ☙ In Lotharingia juxta Montem Castri locum, fonticulus aquæ multis saluberrimus in sanguinem conversus est, quod probavit mulier, quæ faciem suam sanguinolentam multis ostendit ex hujus fontis aqua lotam.

Anno 1012. Ecclesia Hierosolymorum destructa est & Patriarcha Orestes oculis privatus captivus abductus est. Unde sequitur Guido. ☙ Ab ea die cœpit fidelium in ea Civitate multò deterior esse conditio, quod hoc uno de tot millibus probatur exemplo. Quidam ab infidelibus, nostros persequentibus odio insatiabili, ut aliquid eis moliretur ad mortem, proje-

Digitized by Google

projecit in atrium templi mortuum canem, in cujus munditia conservanda tam custodes quàm civitas universa de mandato Califæ non minimam sollicitudinem impendebant. Imputatur hoc piaculum de cane mortuo Christianis : decernitur interitus universis, cumque gladii Christianorum cervicibus imminerent, egregius quidam adolescens fide & spiritu plenus, annua memoria piæ recordationis, animæ suæ petita supplicater, unanimiterque concessa, coram primatibus & populo Civitatis se reum, & alios asserens innocentes, pro fratribus ponitur & exponitur gladiis, aliis absolutis. ❧ Hic notandum est quod supra in anno 970. ubi agitur de *Bernardo quodam Monacho*, Theodosius erat Patriarcha Hierosolymitanus. Ex tunc usque ad annum hunc isti fuerunt Patriarchæ. ❧ Elias, Sergius, Leontius, Anastasius, Christodolus, Thomas, Joseph, Orestes. ❧ Hic est qui a Soldano Achim nepote suo excœcatus, hoc anno ductus fuit in Babylonem & ibidem occisus. ❧ Post hunc fuit Patriarcha Theophilus, deinde Nicephorus, de quo dicemus abhinc per annos triginta septem, quando facta est Ecclesiæ Hierosolymitanæ restauratio. ❧ Sigebertus. ❧ Henricus Imperator Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bratuspantium mittit ad obsidendum castrum Lovanium, sed inefficax rediit.

Anno 1013. fuit annus Regis Francorum vigesimus tertius, ex quo videlicet Patre vivente fuit coronatus, hujus Uxor Regina Constantia (sicut habetur in Epistolis Juonis) filia fuit Blanchæ Comitissæ Arelatensis, quæ Blancha fuit soror *Gaufridi Grisagonelli* patris Fulconis Comitis Andegavorum. ❧ Romæ Benedictus Papa Octavus, qui sedit annis duodecim, tertium jam habebat annum in Pontificatu, ❧ In Hainaco, mortuo Comite Raginero Montense, filius ejus junior Raginerus eidem successerat. ❧ Sigebertus. ❧ Baldricus Episco-

Epiſcopus Leodienſis, cum in villa * Hunavardis dicta Caſtellum munirer, Lambertus Comes Lovanienſis eum aggreditur, & Epiſcopus Lamberto vincente, multis ſuorum captis & occiſis gravi afficitur infortunio. ❧ Terræ motus factus eſt maximus circa XIV. Calendas Decembris. ❧ Henricus Imperator Italiam petens, ut ſubveniret ſuis quos Græci premebant circa Beneventum, Salernum & Capuam debacchantes, Trojam Civitatem in Apulia capit.

Anno 1014. Henricus Rex in Imperatorem benedicitur. ❧ Baldricus Leodienſis Epiſcopus in Inſula Cœnobium ſancti Jacobi Apoſtoli fundavit. ❧ Sub eodem Epiſcopo Godeſcalcus majoris Eccleſiæ præpoſitus Eccleſiam ſancti Bartholomæi in Leodio fundavit, ubi duodecim Canonicos poſuit. ❧ Godefridus Geraldum Comitem multis modis Regnum inquietantem bello vicit, in quo filio ejus cum multis occiſo complices ejus deterruit. ❧ Rex Danorum Suanus in ſanguinem pronus, navibus paratis tranſitum mutavit in Angliam, ultioni ſororis, mariti, filiorumque ejus intendens. Hæc non illepidæ formæ virago Angliam cum marito potenti Comite venerat, & accepta Chriſtianitate, obſidem ſe Danicæ pacis dederat: Sed eam cum marito & filio & cæteris Danis, jam pacifice cum Anglis habitantibus, juſſerat interfici ſub una die per totam Angliam furor infauſtus Regis Ethelredi. Tunc Suanus armis totam Angliam pervagatus, eam ſuæ ditioni ſubegit. ❧ Rex Ethelredus clandeſtinis itineribus cum uxore & filiis urbe profugiens & navigans in Normanniam hoſpitali ſerenitate ſecundi Richardi Normannorum Ducis miſerias ſuas ibi conſolatus eſt. Nam ſororem illius Emmam nomine, habebat uxorem, & ex ea filium Eduardum poſtea Regem Angliæ glorioſum. Erat ille Richardus filius primi Richardi Northmannorum Ducis, qui felicitate & probitate ſua patrem æquavit. ❧ At Suanus Rex Dano-

* M. Chron. Belg. Hugardis.

Danorum non Regem exhibuit, sed Tyrannum; eo quod terram sancti depopularetur Edmundi, ab eodem sancto Martyre per visum ei apparente capite percussus est, & in proximo vitam finivit. Dani Canutonem, sive Canutum filium suum in Regem eligunt. Angli vero Ethelredum a Normannia tamquam Dominum revocant naturalem, qui filiis Eduardo & Alredo, cum avunculo eorum Richardo Duce dimissis, suum Regnum lætus regreditur.

Anno 1015. moritur Rex Angliæ Ethelredus, succedit ei filius ejus uno anno & dimidio. Civitas Senonum a Roberto Rege Francorum capitur. Quibus diebus clarebant in Francia. Hugo Episcopus & Comes Antissiodorensis. Azelinus Laudunensis Episcopus. Goffredus Cabillonensis Episcopus. Beraldus Suessionensis Episcopus. Bruno Lingonensis Episcopus, qui eodem anno obiit, cui succedit Lambertus. Cujus diebus factus est Episcopus Parisiensis quidam nomine Himbertus. Filius Regis Roberti Henricus erat institutus Dux Burgundiæ. Odo Comes Campanensis. Otto Comes Matisconensis, & Comes Reinaldus Nivernensis. Rogerus Episcopus Belluacensis ab Odone Campanensi Comite acquisivit Comitatum Belluacensem pro castro Sancerrio quod erat sui patrimonii in Dioecesi Bituricensi. Henricus Imperator fecit Popponem Archiepiscopum Trevirensem contra Alberonem, mortuo Menigaudo, cui Popponi Albero se reddit, & ita in Monasterio sancti Paulini permansit. Qui Poppo adhuc Clericus Danos ad fidem Christi convertit. Hoc tempore sanctus Adalbertus Pragensis Episcopus cognomento Guiciheth apud Bructios, ist est Prucios, martyrizatur. Godefridus Dux Comitatum Montensem depopulatur, quem Reginerus Comes cum patruo suo Lamberto Lovaniense insecutus apud *Florinas* pugnam conserunt, ubi plus quam quadringenti viri occisi sunt,

Digitized by Google

& ipſe Lambertus occubuit, ubi res mira contigit. Cum Lambertus ſpem victoriæ haberet, habuit quippe phylacterium a collo uſque ad pectus pendens ſanctorum reliquiis refertum quorum patrociniis ſe in periculis futurum fore credebat; inſtante ei termino vitæ phylacterium illud a collo ejus exiens ſuper tumulum campi exiluit; & mox Comes antea invictus perimitur. Iſte Comes rebellabat Eccleſiæ ſancti Lamberti & Epiſcopo Leodienſi, & idcirco ſancti contra ſanctos patrocinium ei ferre denegaverunt. Quidam militum Phylacterium arripiens in caliga abſcondit, ſed coxâ ejus & crure intumeſcente, rem prodidit, & Phylacterium ſuum Domino ſuo Gotheloni fratri Ducis dedit.

Anno 1016. Rex Daciæ Cnautho Suani filius compoſitis rebus in Danemarchia, & fœderatâ cum finitimis Regibus amicitiâ, cum magnis armatorum copiis rediit in Angliam, eo animo, ut aut vincendum, aut moriendum ſibi proponeret: Cui cum ſuis egredienti de navibus occurrens major ex filiis Ethelredi Regis Edmundus, & congreſſus cum Danis magnam eorum multitudinem victorioſa ſtrage delevit; ſed tandem ad Cnauthonem viribus prævalentem pars major Regni defecit. Unde cum iterum infeſtis ſignis concurriſſent, pax inter eos amicis mediantibus interceſſit; ita ut ambo, quia non indebitè Regnum efflagitarent quod amborum Patres tenuerant, Angliam partirentur. Ita fœdus inter utrumque percuſſum eſt. Sed paulo poſt idem Edmundus extinctus eſt, dum ad naturæ requiſita reſideret, per loca ſecretiora a proditoribus unco ferro transforatus. ☙ Ita Cnautho Regnum obtinuit, injuſtè quidem ingreſſus, ſed magna civilitate vitam componens. Hic *protectori* qui ei improperabat quod propter eum Regem Edmundum deſeruiſſet & extinxiſſet, probè reſpondit. ☙ Merito ergo & tu morere, cum ſis reus læſæ Majeſtatis in Deum & in me, qui Dominum proprium & Regem occideris mihi fœderatum.

San-

Sanguis tuus ſuper caput tuum, quia os tuum contra te locutum eſt, quod miſeris manum in Chriſtum Domini. Mox proditorem faucibus eliſis per feneſtram præcipitari præcepit in flumen. ☙ Baldericus Leodienſis Epiſcopus Florinenſem Abbatiam acquiſivit Epiſcopatui, quam Gerardus Cameracenſis Epiſcopus, & frater ejus Godefridus, qui eam fundaverat, poſt ſupradictam ibi factam victoriam, Beato Lamberto tradiderunt. ☙ Simeon Syracuſis Siciliæ oriundus, & poſtea Monachus in Monte Sinaï hoc tempore clarebat, qui veniens Hieroſolymam, longam pro Chriſto peregrinationem ſuſcepit, & cum Poppone Trevirorum Archiepiſcopo ad Gallias veniens, Treveris in altitudine turris incluſus eſt, ibique poſt multas hominum perſecutiones, poſt multas dæmonum tentationes, beato fine quievit, cujus memoria frequens miraculorum gloria declaratur.

Anno 1017. Cometes ſolito mirabilior in modum trabis maximæ per quatuor menſes apparuit. ☙ Rex Cnotho, ſive Canutus, de quo præmiſimus, regnavit in Anglia per annos viginti. Hic relictam Regis Ethelredi, ſororem jam dictam ſecundi Northmannorum Ducis Richardi, Emmam nomine, matrimonio ſibi copulavit, ut ob hujus facti gratiam Richardus de filiis Ethelredi nepotibus ſuis parum curaret, quia alios ſe ſuſcepturum ex Cnothone viro meliore ſperaret. Supradictus autem Rex Edmundus non eſt de iſta Emma, ſed de alia, quam obſcura fama recondidit, & habuit fratrem uterinum nomine Eduvinum, qui ſepultus jacet apud Caniſtochium. Hujus Eduvini, fuerunt filii duo Edvvinus & Edvvardus, qui miſſi ſunt ad Regem Sueconum, ut perimerentur, ſed miſeratione ejus conſervati ſunt.* & *Regem Hunnorum* ubi major obiit; minor, ſcilicet Eduvardus Agatham Reginæ ſororem conjugem accepit, & inde nata eſt *ſancta Margareta de Scotia*, quod poſtea aſſignabimus.

* f. & miſſi ad Regem

Anno 1018. Monachus Religioſus Henrici Imperatoris Capellanus in Epiſcopatum Leodienſium Baldrico ſuccedit, qui Eccleſiam ſancti Laurentii in Monte incepit. ☙ In Friſonia Theodorico Comite filio Arnulphi *Hollandenſis* debellante Friſones in vindictam Patris ſui ab eis occiſi, Godefridus Dux ad eum debellandum ab Imperatore mittitur, & conſerto prælio repente voce,(neſcitur unde) emiſſa Fugite,Fugite, cunctis fugientibus multi a paucis Friſonibus perimuntur, Dux vero capitur.

Anno 1019. Godefridus Dux impetrata Friſonibus ab Imperatore totius injuſtitiæ impunitate a captivitate ſolvitur, & non multo poſt moritur; frater vero ejus Gothelo in Ducatu loco ejus ſubſtituitur. ☙ De Henrico Imperatore narratur, & ſcriptum reperitur quod Abbati Richardo Virdunenſi profeſſionem fecerit, & ejus conſilio ſe totum commiſerit, volens apud ſanctum Vitonem Monachus fieri, ſed ſanctus Abbas Richardus virtute obedientiæ ei injunxit ne imperium dimitteret quamdiu viveret, & ita eum ad imperandum remiſit.

Anno 1020. Rudolphus Rex Burgundiæ, inſolentiis Burgundionum irritatus Regnum Burgundiæ Henrico Imperatori tractat dare, ſed eum ab hac intentione revocat ſimulata Burgundionum ſatisfactio. Ejusdem Rodulphi uxor Regina Ermengardis dicta eſt. ☙ Benedictus Papa Galliam * ad Imperatorem venit. ☙ Secunda incurſio hoſtilis exercitus Regis Henrici in Gandavo, nonis Auguſti. Dux Northmanniæ Richardus ſecundus fuit vir largus & religioſus; hic cœnobium Fiscanenſe quod pater ſuus inchoaverat, devotè conſummavit. Iſte Dux noctibus cuſtodias famulorum fallens dum maneret apud Fiscanum, matutinas Monachorum audiebat, genua flectens usque ad lucem: quadam nocte ſic faciens, oſtium

* id eſt Franciam

ostium Monasterii obseratum invenit, qui excusso viriliter pessulo soporem sacristæ turbavit, qui surgens a somno, & videns Ducem plebejo amictu vestitum in capillos involat, & multos ei colaphos ingerit. Dux incredibili patientia nec responsum dedit. ☙ Postero die Dux in capitulo querelam deposuit, & Monachum illum ad vicum Argentias sibi præcepit occurrere, minitans se sic vindicare quod tota de hoc Gallia loqueretur. Die dicta a Judicibus Monachus adjudicatus est, quem ille mox absolvit, & vicum eumdem qui optimi vini ferax officio sacristæ addixit, pronuntians eum optimum esse Monachum, qui bene custodiens munus injunctum, nec iratus fregit silentium.

Anno 1021. Henricus Imperator Coloniæ natale Domini celebrans, Heribertum Archiepiscopum olim à se injuriosè tractatum, humili satisfactione placat. Cui reconciliatus Archiepiscopus prædixit se propediem moriturum, & non multo post mortuus magnis cœpit clarere virtutibus. Pilegrinus ei in Episcopatu succedit. ☙ Super hunc locum dicunt Elinandus & Guillelmus. Colonia dicta est primum Agrippina, ab Agrippa genero Augusti, postea a Trajano, qui in Imperium allectus Colonias Civium Romanorum eo adduxit, dicta est Colonia. In hac fuit Episcopus clarus Religione, sed turpis corpore, qui factus est Episcopus hoc modo. ☙ Imperator Dominica quinquagesimæ venatum pergens, solus ad aream siluæ pervenit, Comitibus hac illacque dispersis. Ibi habebat Ecclesiam, & erat presbyter, vir agrestis, deformis valde, & quasi portentum naturæ. Imperator se militem asserens suppliciter Missam rogat. Ille confestim se præparat. Imperator interim cogitabat, quare Deus a quo bona cuncta procedunt, tam deformem hominem conficere sua Sacramenta sineret. Ventum est ad illum versum, Scitote quoniam Dominus ipse est Deus. In quibus verbis dum discordaret puer

presbyteri, ſacerdos concitatiori voce reſpondit quaſi Imperatori cogitanti : Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Quo dicto Imperator repercuſſus, & propheticum virum exiſtimans, invitum fecit eum Epiſcopum. ☙ Durandus Imperatoris Cancellarius fit Leodienſium Epiſcopus. Quod quaſi fabula in theatro mundi fuit, quia vir ex humillimo & pauperrimo ſervilis conditionis genere, dominis ſuis dominatur carnalibus, maximè ſupradicto Godescalco fundatori ſancti Bartholomæi, qui filius Caſtellani de Marelmeiz electus fuerat a Capitulo in Epiſcopatum, qui cum ad Imperatorem pro regalibus ſuis feſtinaret, obviam habet dictum Durandum jam Epiſcopatu donatum. Cumque Durandus vidiſſet Dominum ſuum Godeſcalcum prædictum, voluit ei donum quod ab Imperatore receperat, reſignare, ſed per eumdem Godescalcum firmius ad Epiſcopatum promotus eſt. Erat enim uterque religioſus, ſed Durandus in utraque literarum ſcientia longè ſatis expeditus.

Anno 1022. Aquisgrani conventu regali & ſynodali per aliquot dies celebrato, tanta ſiccitas & intemperies aeris excanduit, ut multi ex nimio calore deficerent, multa etiam animalia ſubito interirent, pavimento & marmoreis columnis tanto madore ſudantibus, ut aqua eſſe reſperſa crederentur a neſcientibus. ☙ Rex Angliæ Cnotho, de quo ſupra diximus, monitu venerabilis Cantuariæ Archiepiſcopi Egelnothi ad transmarinas Eccleſias multas miſit pecunias, & maximè ad Eccleſiam Carnotenſem, ubi florebat adhuc tunc *Fulbertus Epiſcopus*, ſanctitate & philoſophia nominatiſſimus, qui fundamenta ſanctæ Eccleſiæ Dei genitricis jecit, & eadem perfecit miro lapideo tabulatu: qui etiam ab eadem Dei genitrice in infirmitate ſua viſitatus eſſe dicitur, & de ejus lacte ſanctiſſimo recreatus. Hic enim multo amore & feliciſſimo in honorem Beatæ Mariæ Virginis Dei genitricis exar-

exarſit, quod oſtendunt cantus quos de ea ille edidit, cœleſtia vota ſancientes. Inter cætera ejus opuſcula exrat epiſtolarum volumen, in quarum una gratias agit Cnauthoni quod largitatis ſuæ viſcera in expenſas Carnotenſis Eccleſiæ fuderit, item epiſtola ad Ducem Aquitaniæ Guillelmum de forma fidelitatis, in decretis commendatur.

Anno 1023. In paſcha eclipſis facta eſt. ❧ Henricus Imperator & Rex Francorum ſuper Charum fluvium apud Euoſium conveniunt de ſtatu Eccleſiæ, Regni, & Imperii tractaturi, & condicto, ut ſuper his confirmandis etiam Papam oportunè convenirent. Imperator Regem & ſuos multos etiam qui tantum ad demirandam Imperatoriam Majeſtatem convenerant, tanta liberalitate donavit, ut opibus Regum Perſarum aut Arabum poſſet comparari Imperatoris munificentia. ❧ Obiit Arnulphus Remorum Archiepiſcopus, de quo ſuperius ſuo loco quædam præmiſimus, ſuccedit ei Archiepiſcopus Ebalus annis duodecim, qui fuit Comes de * Roicio, qui Comitatum Rhemensem per induſtriam ſuam, ſicut de eo vulgatum eſt adquiſivit. De duabus filiabus illius Ebali quære in anno 1031. ❧ Mortuo Benedicto Papa Theophilus frater ejus Portuenſis Episcopus qui & Joannes vigeſimus, factus Papa sedit annis novem, menſibus novem. Hic Joanni frater suus apparens dixit *ſe infernalibus pœnis cruciari, ſed ſperare ſe interventu Odilonis Abbatis veniam poſſe conſequi*, pro quo Abbas Odilo tandiu omni orandi genere laboravit, donec illi revelaretur se pro illo exauditum eſſe. ❧ De eodem Benedicto Petrus Damianus ſic refert: Episcopus quidam Capuanus vidit iſtum Benedictum Papam quaſi corporaliter equo nigro inſidentem. Hei, inquit, nonne es tu Papa Benedictus, quem jam defunctum novimus? Ego ſum, inquit, infelix ipſe. Quomodo, inquit, tibi eſt pater? Graviter, inquit, torqueor,

* Roccjo ann. 1031.

Digitized by Google

queor, sed de Dei misericordia non despero si mihi adjutorium præbeatur. Sed quæso, perge ad fratrem meum Joannem qui nunc Apostolicam sedem occupat, eique de mea parte dic, ut illam potissimum summam quæ in tali theca reposita est pro me pauperibus distribuat, sic me redimendum esse, quandocunque tamen hoc miseratio divina decrevit, cognoscat. Nam cætera quæ pro me indigentibus tradita sunt, mihi nihil penitus profuerunt, quia de rapinis & injustitiis acquisita sunt. His auditis Episcopus Romam impiger adiit, & Joanni Papæ verba fratris narravit, & Episcopatum idem Episcopus mox deseruit, & monachum induit, eoque modo salutem sibi ex aliena calamitate providit. Obiit Godefridus Dux.

Anno 1024. Henricus Imperator consulentibus se Principibus super substitutione Regni, *designans Conradum* virum regii generis, *egregiæ libertatis, quippe qui numquam se submisserat alicujus servituti*, moritur. Hujus vitam Adelboldus Episcopus Ultrajectensis descripsit. Episcopus Otto. Iste Henricus vir piissimus sepultus est in Ecclesia de Bavemborch quam sublimaverat, & sepulchrum ejus crebris miraculis celebre usque hodie habetur Sigebertus. Cono Dux præpotens cum ad Imperium aspirare vellet, repudiatur instinctu Aribonis Archiepiscopi Moguntini, & aliquorum Regni primatum, & Conradus ad Imperium sublimatus imperavit annis quindecim. Hic inferendum est quod filia primi Imperatoris Ottonis, soror vero secundi nomine Juditha Duci Wormatiæ Conrado qui etiam fuit Dux *Bullonii*, sicut habetur *in superioribus*, peperit Ducem Ottonem, de quo Ottone nati sunt Cono Dux memoratus, & Henricus Pater hujus Conradi. *Fuit autem iste Conradus ex parte matris de genere Francorum*, & fuit nepos Odonis Campanensis Comitis. Ejusdem Conradi fuerunt Nepotes Comes Letardus de Lon-

guy,

Digitized by Google

guy, Pater Menegaudi & *Gislebertus Comes de Luscburch*, Pater Comitis Conradi. Item Comes Hugo de Dasburg, Pater ſancti Leonis Papæ, de quo ſuo loco dicetur, & Imperator iſte Conradus fuerunt conſobrini. Epiſcopus Otto. Uxor autem ejusdem Conradi Giſila nomine, de antiquo & glorioſo Karolorum ſanguine oriunda fuit, ſicut quidam his verſibus atteſtatur. Quando poſt decimam numeratur linea quarta, de Carolo Magno proceſſit Giſila prudens. Soror autem ultimi Lotharii Francorum Regis & Ducis Caroli nomine *Mathildis* poſt mortem primi mariti tertii Balduini Flandrenſis Comitis, Regi Burgundiæ cuidam Conrado peperit Regem Rodulphum & ſororem ejus Gepam * quæ fuit *mater hujus Giſilæ.* Epiſcopus Otto. Hæc Giſila primùm Erneſto Duci Suevorum fratri *Alberti ſuperioris Pannoniæ Marchionis & Epiſcopi Trevirenſis Popponis* nupta fuit, geminosque ex eo liberos Erneſtum & Hermannum ſuſcepit: quo mortuo Conradum hunc de quo agimus, accepit. Fuit autem iſte Conradus armis ſtrenuus, conſilio providus, ſapientia tam forenſi quam civili præditus, humilitate quæ Regem decebat, adornatus. Rogerius inclytus Bellouacenſis Epiſcopus obiit. Apud Virdunum Rembertus factus eſt Epiſcopus, qui Abbatiam S. Agerici fundavit.

Anno 1025. Conradus ſecundus imperat. Filius Regis Francorum Roberti, Hugo nomine, primogenitus obiit, qui apud Compendium ſub patre fuit in Regem coronatus, habebat autem Rex adhuc alios duos filios, Robertum & Henricum, quorum junior Henricus jam erat Dux Burgundiæ, ſed inſtante matre Conſtantia Regina *junior inſtitutus eſt ad Regnum ordine transmutato*, & Robertus obtinuit Burgundiæ Ducatum. Iſtum Robertum vocat *Guillelmus Anglicus* Odonem, ſed Odo fuit Roberti filius. Rainardus Bonnæ præpoſitus Leodienſium ordinatur Epiſcopus, qui Leodii in monte

* Gerbergam

Digitized by Google

publico cœnobium ſancti Laurentii a Woldebone prædeceſſore ſuo inchoatum conſummavit. Fuit autem collateralis ſancti Hereberti Colonienſis Archiepiſcopi & etiam Eccleſiæ ſancti Bartholomæi octo Canonicos addidit, pontem magnum ſuper Moſam fecit, & pauperes tempore famis aluit. Sigebertus. Reginardus Leodienſium ordinatur Epiſcopus, qui Leodii in monte publico cœnobium ſancti Laurentii inſtituit, eique Stephanum virum ſanctæ memoriæ Abbatem primum præfecit. Epiſcopus Otto In primordio Regni Conradi Bolislaus Polonorum Dux, qui ab anteceſſore ſuo Henrico noviter ſubactus fuerat, a Regno dividi, *Rexque per ſe vocari molitur*, qui non multo poſt moriens Miſiconem filium ſuum ſucceſſorem reliquit. Is dum patrem imitari cogitaret, niſuque fratrem ſuum Ottonem expuliſſet; Rex tam profugum in patriam reducturus, quam de contumacia Regni injuriam vindicaturus in Poloniam procinctum movet.

Anno 1026. Meſico Dux Poloniæ, Regis impetum Conradi ferre non valens, fractis quibusdam Regni inſignibus ad Ulricum Boëmenſium Ducem, qui & ipſe tunc temporis hoſtis Regni fuerat, fugit; quem cum Ulricus Regi dare, & ſic ad gratiam ejus venire vellet, ipſe ut erat ſereniſſimus, eum hoc modo a perfido Duce recipere noluit. Otto vero Meſiconis frater liberè Ducatu Poloniæ potitus, diadema quod Pater ejus ad ignominiam Regni illicitè fecerat, Regi Conrado miſit, ſeque per omnia ditioni ſuæ ſubjecit. Ipſe vero non multo poſt, fraude armigeri ſui vita privatus eſt. At Meſico ex Rege exul factus, ad Imperatorem ſupplex venit, interventuque Reginæ, *diviſa in tres partes provincia*, tertiam partem ipſe obtinuit. Exhinc provinciam illam Regibus noſtris *ſub tributo* ſervire cognoſcitur. Sigebertus Robertus Rex Francorum ad invadendam Lotharingiam animum intendit,

ſed

sed cito ab hoc conatu destitit, Gothelone Duce, qui propter privatum odium gravabat Regnum Conradi, & aliis Principibus ad pacem adductis, Regi prosperitas, & Regno accrevit tranquillitas. Moritur Dux Normanniæ Richardus secundus anno vigesimo octavo sui Ducatus, qui se jussit sepeliri ante ostium Ecclesiæ Fiscanii, ut ab omnibus conculcaretur & super se plueret, quem postea Guillelmus Abbas tulit inde & ante altare locavit. Hujus fuit frater Robertus Archiepiscopus Rothomagensis, & horum soror Emma Anglorum Regina, de qua præmisimus; tres autem fuerunt filii ejusdem Richardi. Richardus tertius qui nonnisi uno anno Ducatum tenuit. Dux Robertus qui per septem annos illi successit. Malgerius Rothomagensis Archiepiscopus. Et unus Monachus Fiscanii Guillelmus, & una Burgundiæ Comitissa, quorum mater filia fuit *Gaufridi de Britannia*.

Anno 1027. Norvegia quæ est ultra Daciam, Rex ejusdem terræ primus Christianus *sanctus Olaus* a quibusdam perfidis martyrizatur. Succedit ei in Regnum Magnus filius ejus. In Burgundia moritur vir magnificus Comes Otto Guillelmus, & in claustro sancti Benigni Divionensis sepelitur. Filius ejus Comes Rainaldus, & filius alterius filii ejus Guidonis, alter Comes Otto terram ultra Sagonnam cum appenditiis inter se partiti sunt. Regina & Virgo Chunegundis pro anima viri sui Imperatoris plurima Ecclesiis dedit. Conradus Rex Romanorum filium suum adhuc puerum sublimavit Aquisgrani Episcopus Otto. Circa id tempus consanguineus Regis *Conradus Vangionum*, & Ernustus Privignus ejus Suevorum, seu Alemannorum Duces, Regi cum aliis multis rebellare attentaverant. Rex Conradus filio suo Henrico adhuc infantulo Rege post se designato Italiam ingreditur, ad quem Ernustus privignus ejus

consilio matris suæ venit, gratiamque suam auxilio ejus, promittens se in Italiam cum Rege profecturum, obtinuit. Rex ergo castra movens, sanctum pascha Bercellis celebravit. Ibi ReinerumMarchionem cum Civibus obvium habuit, susceptisque ad ditionem omnibus, ad urbem iter tendit.

Anno 1028. Conradus in pascha Romæ in Imperatorem consecratur. Quorundam Italorum contra se sævientium motus compescit. Episcopus Otto. Conradus Romam veniens in ipsa die paschalis solemnitatis inter duos Cnuthonem Anglorum, & Reginæ Gisilæ avunculum Rodulphum Burgundiæ Reges honorifice procedens, a summo Pontifice Joanne coronatus, ab omni populo Romano Imperatoris & Augusti nomen sortitur. In ipsa Paschali hebdomada tumultu orto inter milites Imperatoris & Cives, gravis pugna committitur, cæsisque multis Romanis, fugientibusque, Imperator victoria potitur; post hæc facta cum Civibus pace ab urbe regreditur, captumque latronem quemdam famosissimum nomine Thasegart suspendio peremit. Cnotho Rex Angliæ Roma profectus, navigio in Angliam rediit, & mox Malkolinum Regem Scotorum rebellantem subegit. Erat tunc in Anglia vir sapientissimus Elgenotus Cantuariensis Archiepiscopus, secundus post Luignum [post] Effegum Martyrē tertius, qui sanctum Effegum a Londonia revexit Cantuariam, & Romam rediens apud Papiam brachium sancti Augustini doctoris magni centum talentis argenti & talento auri comparatum apud Conventrejam dedit. Post Ducem Richardum tertium qui anno uno Normanniæ præfuit suscepit Ducatum frater ejus Robertus septem annis. Sigebertus. Claruit hoc tempore in Italia *Wido Aretinus*, multi inter musicos nominis, in hoc etiam Philosophis præferendus, quod ignotos cantus etiam pueri facilius discunt per ejus regulam, quam per vocem magistri, aut per usum alicujus instrumenti,

dum

dum ſex litteris vel ſyllabis modulatim appoſitis ad ſex voces, quas ſolas regulariter muſica ſuſcipit; iisque *per flexuras digitorum læve manus diſtinctis*, per integrum diapaſon ſe oculis & auribus ingerunt, intentæ vel remiſſæ elevationes vel diſpoſitiones earumdem ſex vocum.

Anno 1029. Imperator Conradus per Pyrenæum in Franciam rediens, denuo ſibi Ducem Ernuſtum privignum ſuum conſilio Comitis Vernerii rebellari nitentem adivit, quem cenſura Juſtitiæ, ac viribus regalis excellentiæ, terra marique pulſum, in ſilvis latitare coegit, ubi & poſtmodum a fidelibus Regis occiſus eſt; ejusque Ducatum frater ejus Hermannus ſuſcepit. ☙ Conradus Imperator rebellantibus Sclavis ad eos debellandum profiſciſcitur. ☙ Cum Archiepiſcopus Trevirenſis Poppo quamdam Abbatiam Monialium de palatiolo, pro caliga veneficiis amatoriis infecta, quam quicumque vidiſſet,* ſtatim libidinis incentivis agitabatur intolerabiliter, monialibus expulſis, in Canonicorum Eccleſiam commutaſſet; Hieroſolimam abiit, & ſanctum Simeonem ſanctæ Catharinæ de monte Sinaï Monachum, qui miſſus per obedientiam ab Abbate ſuo venerat pro recipienda pecunia quæ de terra Ducis Normanniæ Richardi debebatur Monaſterio ſuo, & nihil profecerat, quia Ducem mortuum invenerat; hunc, inquam, virum ſanctum Archiepiſcopus inventum ſecum Hieroſolymam duxit & reduxit, qui ſanctus Simeon cum eodem Archiepiscopo de via transmarina reversus, dehinc poſt ſeptem annos apud Trevirim obiit. Cujus vita multis miraculis claret.

Anno 1030. Conradus Imperator rebellantibus Hungaris ad eos debellandos proficiscitur. ☙ Hoc tempore juſſu Conradi Imperatoris regali & *Synodali conventu* apud Tribuias, inter cætera Episcopi hoc capitulum decernere voluerunt, ut ſi quando jejunium primi menſis eveniret infra hebdoma-

* f. induiſſet

dam qua caput jejunii in quarta feria conſtat amborum jejuniorum celebritas unius officii expletione compleretur; ſed Gerardus Cameracenſis, & pauci cum eo huic multorum decreto contradicentes obtinuerunt, ut jejunium primi menſis in altera hebdomada in qua habetur officium celebretur ſecundum antiquorum conſuetudinem. ¶ Comes Haimo & filius ejus Comes Otto multa dederunt Eccleſiis. ¶ Abbatia de Letiis reſtituta eſt per Theodoricum de Avesnis, & Aldam uxorem ejus.

Anno 1031. Roberto Francorum Rege mortuo, filius ejus Henricus regnat in Francia annis viginti ſeptem. Ex hiſtoria Divionenſi. Obiit Robertus anno quadrageſimo primo ex quo inunctus fuit. Elinandus & Guillelmus. ¶ Anno decimo quinto Cnothonis Anglorum Regis moritur Rex Francorum Robertus vir eleemoſynis deditus; adeo ut feſtis diebus cum amiciretur & exueretur regis inſignibus, ſi nihil aliud haberet ad manum, ipſa veſtimenta pauperibus diſtribueret, niſi ex induſtria Veſtiarii egeni importune petentes arcerentur. Mater ejus ſuperior Regum Angliæ ſoror fuit. Soror autem Regis Roberti Haduvidis *Rainero Comiti de Hainaco fratri Lamberti Comitis de Lovanio* peperit Beatricem, de qua Comes Ebalus de Rocejo duas genuit filias Eldem* & Haduvidem. ¶ De Ælide ſunt omnes Comites de Rocejo, de Arceis, ſive de Ramerut vel de Brena ſuper Albam, & per iſtos multi alii. ¶ De Haduvide verò quam habuit Godefridus frater Epiſcopi Gerardi Cameracenſis proceſſit tota progenies de Ruminiaco cum appendiciis ſuis ¶ Item ſupradicta Beatrix Comitiſſa de Rocejo, de ſecundo marito filium habuit Manaſſem, Archiepiſcopum poſtmodum Rhemenſem, de quo evidentius ſuo loco declarabitur. ¶ Comes autem Rainerus junior de Hainaco frater hujus Beatricis de Rocejo, non fuit de matre ejus Haduvide, ſed de alia, alioquin filiam

* Eldem vel Aelidem forte pro Alda

hujus

hujus Raineri Richildem non potuisset Comes Flandrensis Balduinus habere uxorem. ¶ Et hæc de sorore Regis Roberti Haduvide breviter dicta sunt. ¶ Filiam vero Aldam nomine Rex Robertus habuit, quam dedit Flandriæ Comiti Balduino insulano Balduini barbati filio,& ejus forti tutelæ, prudentique consilio filium suum Henricum commisit, & per ipsum multæ rebellionis supercilium eidem Regi fuit submissum. Habuit namque prædictus Rex filios: ¶ Hugonem qui vivente patre decessit. Robertum Ducem Burgundiæ patrem Ducis Ottonis. Et Regem Henricum. ¶ Quod autem *minor & non major Regnum obtinuit*, per industriam matris suæ hoc contigit,quæ magis illum promovere studuit. Nam alter eam scandalizaverat in quibusdam, quod frequenter contingit. ¶ Obiit Episcopus Lingonensis Lambertus, cui Richardus succedit mensibus quinque, postquem Hugo annis viginti octo. ¶ Abbas Guillelmus Divionensis post multam justitiam per quadraginta & duos annos consummatam, palmam reportando apud Fiscanum obdormivit. ¶ Sanctus Bardo ordinatur Moguntiæ Archiepiscopus,qui Sumiam* monasterium constructit, in quo sepultus est. ¶ Robertus & Richardus minuendæ domo multitudinis causa, hoc tempore Normannia Francorum digressi Apuliam expetunt, & Italis inter se dissentientibus dum alteri contra alterum auxilium præstant, hac oportunitate Italos callidè & fortiter debellant, & successus urgendo suos nomen suum dilatant, & futuræ prosperitatis sibi viam parant.

Anno 1032. Decretum istiusmodi datum est à Franciæ Episcopis servari subjectis sibi populis. ¶ Unus eorum dixit, *cælitus sibi delatas literas quæ pacem monerent* terminandam in terra quam rem mandavit cæteris,& hæc tradenda populis. ¶ Arma quisquam non ferret, direpta non repetereret, sui sanguinis vel cujuslibet proximi ultor minime

* f. S. Martini, antè crematum

exi-

existens, percussoribus cogeretur indulgere. Jejunium in pane & aqua omni sexta feria observarent, & in Sabbato a carne & liquamine abstinerent, soloque hoc jejunio contenti in omnium peccatorum remissionem, nullam sibi scirent aliam pœnitentiam adjiciendam, & hæc servare sacramento firmarent. ❧ Quod qui nollet, Christianitate privaretur & exeuntem de seculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quam plura dederunt mandata, quæ oneri visa sunt replicare. ❧ Hanc mandatorum novitatem cum multi cupidi novarum rerum libentius justo amplecterentur, Gerardus Cameracensis *qui solus, ex Lothariensibus appendebat ad parochiam Francorum*, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda, sed singula capitula refellebat dicens. Genus hominum ab initio trifariam esse divisum in oratoribus, pugnatoribus, & agricultoribus, & unum duorum, & duos unius egere auxilio, idcirco debere arma ferri, & rapinas reddi per autoritatem legis & gratiæ, ultorem percussi & occisi non exarcerbari cogendo, sed secundum Evangelium ei reconciliari. ❧ Jejunium in sexta vel in septima feria nec omnibus unum esse imponendum, quia non est una omnibus possibilitas, nec omnes hoc Jejunio contentos esse, quia non est una omnibus pœnitendi qualitas. ❧ Hæc sacramento firmare, vel sacramenti violationem perjurio augere non esse utile: his contradicentes excommunicari, infirmis visitationem, vel mortuis sepulturam negari, esse detestabile; authentica patrum decreta sufficere, & super his neglectis impositum congruenter pœnitentiæ modum. ❧ Hugo factus est Bisuntinus Archiepiscopus, qui *fuit de stirpe Comitum Burgundiæ, & habuit fratrem Raymundum nomine in Hispania Comitem.*

Anno 1033. Romæ Benedictus Papa hujus nominis sedit annis quatuordecim, secundum annotationem magistri Hugo-

Hugonis. Nepos fuit duorum Pontificum, & (ut dicitur) per Simoniam intravit, & male ſe habuit ſecundum ea quæ inferius habentur. ☙ Caſtrum de Mirualt in Ardenna quidam Comes Stephanus firmaverat in Eccleſiaſtica ſancti Roberti profeſſione. ☙ Frederico Moſellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebat quibus Ducatus competeret, *Gothelo Dux impetrato ab Imperatore etiam Moſellanorum Ducatu in Lotharingia*, potentius principatur. Hæredes hujus Frederici dicuntur fuiſſe alienati omnino per Imperatorem, ſed filia* Fefridi fratris hujus Frederici cui adjudicatum fuit tenere allodia patris, non feoda. Fuit illa Comitiſſa Barri Ducis, Sophiæ quæ Comiti Montionis Ludovico peperit Theodoricum, & hic eſt* per uxorem ſuam Ermentrudem, fuit autem *Comes montis Bellardi*, & ejusdem Sophiæ fuit ſoror Beatrix Marchiſſa. Fulco fuit antiquus Comes Andegavorum Gaufridi Griſagonelli filius, qui Fulco jam ſenex Hieroſolymam adiit. Ibi a duobus ſeruis ſacramento coactis, ut quod juberet facerent, per publicum tractus eſt nudus ad ſepulchrum Domini Turcis ſpectantibus; alter reſtem ligneum collo ejus intorſerat, alter flagris terga expoliati urgebat. Inter hæc clamabat. Accipe Domine miſerum Fulconem perjurum tuum, fugitivum tuum. Domum tamen contra deſiderium regreſſus filium habuit nomine Gaufridum cognomento Martellum, & filiam unam Vaſtinenſem Comitiſſam. Iſte Martellus multa fecit ſub Francorum Rege Henrico.

Anno 1034. Obiit Archiepiſcopus Ebalus Rhemenſis, de quo ſupra notavimus quod a Comite Odone Comitatum Remenſem acquiſiverit. Archiepiſcopus Guido ſuccedit per annos viginti duos. ☙ Sigebertus. Burgundionibus non deſiſtentibus a conſueta contra Regem ſuum inſolentia, Rex Rodulphus Regnum Burgundiæ Conrado Imperatori dedit, quod a tempore Arnulphi Imperatoris per annos plusquam

centum & triginta gentis ſuæ Reges tenuerant ; ſicque Burgundia iterũ redacta eſt in provinciam. Epiſcopus Otto. Rodulphus *Burgundiæ , ſeu Galliæ Lugdunenſis Rex* moriens Henrico Nepoti ſuo Imperatoris Conradi, filio Regnum cum diademate , aliisque inſignibus ſub teſtamento reliquit ; unde Otto Celticæ Comes , eo quod ſororis filius ejusdem Rodulphi eſſet, præfatum Regnum ad ſe pertinere calumnians , jure hæreditatis armata manu ingreditur Burgundiam.

Anno 1035. Odo Campanienſis Regnum Rodulphi Regis avunculi ſui a Conrado Imperatore ſuo nepote repetens , ut ſub eo regat, Burgundiam efflagitat. Dux Normanniæ moritur apud Nicheam Bythiniæ peregrinus & cruce ſignatus. Filius ejus Guillelmus Nothus adhuc erat ſeptem annorum , Matrem ipſius Dux Robertus unicè dilexit , & aliquandiu juſtæ conjugis loco habuit. Unde iſta fuit nata, de cujus ſemine tantorum Regum progenies deſcendit , qui infra deſcribuntur , quæſitum eſt a quibusdam ; ſciant igitur quibus ſcire placet,quod in dioceſi Leodienſi juxta Abbatiam de Florines eſt quædam villa quæ Calvusmons appellatur. In hac ergo natus quidam Herbertus Belliparius , cum uxore & filia neſcio qua de cauſa Normanniam abiit, & apud oppidum de Faleſia manſit ; & cum Dux Robertus quadam die vidiſſet filiam præpoſiti ſui de Faleſia in chorea ſaltantem, & præpoſito præcepiſſet, ut illam ſibi nocte conjungeret , illa filia Herberti Belliparii ſuppoſita fuit loco filiæ præpoſiti ex induſtria, quæ de eo concepit Guillelmum Nothum, poſtmodum Regem Angliæ. Alii dicunt , & maximè antiqui Hoïenſes, quod ille Herbertus Belliparius, & ejus uxor Doda, ſive Duixa Burgenſes fuerunt Hoïenſes, manentes ad veteres Cambias in foro Hoïenſi ; quod cum filia & tota ſuppellectile iverunt in Normanniam , ubi (ſicut prælibatum eſt) contigit de eorum filia & Duce Roberto. Et ut ſatis quærentibus faciamus , fortè

Her-

Herbertus Belliparius uxorem ſuam natione Hoienſem nomine Duam accepit & cauſa amoris & prolis ejus Hojum morabatur. ☙ Quæ mox, ut concepit, ſomnio prævidit inteſtina ſua per totam Angliam & Normanniam extendi & dilatari. Ipſo quoque die quo idem puer natus humum primò attigit, ambas manus junco quo pavimento pulvis cavebatur, implevit, ſtrictè quod corripuerat compugnans, obſtetrix fauſto omine acclamavit eum Regẽ futurum. ☙ Quando igitur pater ejus Dux Robertus Hieroſolymitanum iter aggreſſus eſt, Gislebertus Comes tutor pueri conſtituitur. Conſilio apud Fiscanum proceribus indicto tutela tutoris Regi Francorum Henrico aſſignatur, in nomen & fidem pueri ibi jubente patre ab omnibus juratur, qui mox, ut adolevit, a Rege Francorum militiæ inſignia accepit, & mater ejus ante patris obitum cuidam nobili Heruvelino de vado Comitis data in uxorem, peperit Odonem Epiſcopum Bajocenſem qui fuit Comes Cantiæ, & Robertum Comitem Moretonii, patrem cujusdam Guillielmi. ☙ Guillelmus igitur Nothus mortuo patre per annos triginta hoc modo Ducatum tenuit, ac poſtea Regnum Anglorum acquiſivit. ☙ Obiit ſanctus Simeon Treverenſis, & facta ſunt ea quæ continentur in Vita illius.

Anno 1036. In Anglia poſt mortem Regis Cnothonis qui Winthoniæ ſepultus eſt, regnaverunt duo filii ejus, Haroldus quidem in Anglia quatuor annis, de prima uxore procreatus, Hardecnutus vero in Dacia, qui ſororem ſuam Gunhildim ex Emma matre ſancti Eduuardi genitam, dedit filio Imperatoris Conradi Henrico. ☙ Unde Sigebertus. ☙ Henricus Rex filius Imperatoris Conradi, ducit filiam Regis Anglorum. ☙ Obiit Reginardus Leodienſis Epiſcopus fundator Abbatiæ ſancti Laurentii, ſuccedit Nizo cuſtos, qui & Richardus, de quo ſupra dictum eſt quod Eccleſiam ſancti Dionyſii fundavit. ☙ Odo Campanienſis contra Imperatorem

torem rebellans Lotharingiam infestat, castra oppugnat, urbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, obsidet, & in nullo temperat furori suo. ❧ Episcopus Otto. ❧ Augustus contumacia Odonis audita Gallias ingressus est, vastataqne per tres continuas hebdomadas ferro & flamma Odonis terra, ille supplex venire compellitur interpositoque jurejurando ne amplius præfatum Regnum quoquo modo lacessat, Imperator revertitur, ac Burgundiam ingressus omnis terræ illius Principes cum Lugdunensi primate in deditionem accepit, ducensque secum obsides terræ, in pace repedavit. ❧ Hoc anno contigit *ecclypsis solis* decimo quarto Calendas Maij, luna existente XXVIII. prima horâ diei. ❧ Bruno Episcopus Tullensis, *Albertus Comes Metensis*, *& Dux Gerardus filius ejus* multa contulerunt ecclesiis.

Anno 1037. *Hermannus Mathildis sororis tertii Ottonis filius* Coloniæ ordinatur Archiepiscopus. Sedit annis octodecim, & habuit fratres Ludolphum & Ottonem Ducem Sueviæ de cujus linea descendit ille *Lotharius Dux Saxonum* qui fuit Imperator tempore secundi Innocentii Papæ. ❧ Conradus Imperator Italiam adit, ut rebellionem meditantes debellaret, quia omnes Longobardi conjuraverant, ut non paterentur quemlibet Dominum qui aliud quam ipsi vellent, contra se ageret. ❧ Episcopus Otto. ❧ Ad sedandam ignobilis vulgi contumaciam, qui Principibus penè prævaluerant, Italiam ingreditur, nataleque Domini Veronæ celebrans per Brixiam & Cremonam Mediolanum venit, ejusque urbis Episcopum, eo quod conjurationis erga eum factæ reus esse diceretur, cepit, ac Popponi Aquilejensium Patriarchæ commisit custodiendum. Episcopus vero clam elapsus aufugit. ❧ Odo Comes interea sacramento rupto denuo in Gallia Imperatori rebellat, cumque ad ignominiam ejus castrum quoddam Barrum nomine obsideret, à Gothelone Belgarum Duce ali-

ce aliisque Regni fidelibus occiditur, ac sigillum ejus in signũ victoriæ Augusto in Italiam mittitur. ☙ Sigebertus ita. ☙ Odo Barrum castrum obsidet & capit. Gothelo Dux ægrè ferens insolentiam Francorum, cum Lotharingis occurrit Odoni, & conserto prælio apud Barrum Odo perimitur, & Francorum exercitus gravi cæde attritus a Lotharingia fugere compellitur. Eidem Odoni Rex Henricus Gornacum abstulit. Quidam etiam Stephanus fuit filius Odonis, frater Comitis Theobaldi. ☙ De hoc Odone legitur quod per Beatum Martinum Turonensem, cujus Abbatiam de majori Monasterio restauraverat, anima ejus de pœnis liberata sit. ☙ Ejusdem Odonis tres fuerunt filii Hugo Episcopus Bituricensis, Comes Theobaldus antiquior, & Comes Stephanus. ☙ Iste Comes Theobaldus antiquior diu terram tenuit, Civitatem Turonensem quam antecessores ejus habuerant, perdidit. ☙ Carnotum vero quam Hastingus vendiderat atavo suo Comiti Turonensi Theobaldo non amisit. Dives fuit satis & inclytus, & apud Spernacum sepultus.

Anno 1038. Henricus *Comes Lovaniensis* domi suæ perimitur a captivo Hermanno, eique succedit filius ejus Otto, cui immatura morte prævento successit patruus ejus Baldricus, *qui &* Lambertus. ☙ Hoc anno contigit *ecclypsis solis* undecimo Calendas septembris, a tertia hora usque ad sextam, luna XXVIII. ☙ Normanni in Apuleja copiis suis a Normannia paulatim adauctis ad invadendam Apulejam fortitudine sua, & Italorum imbecillitate animati, castellis & urbibus, aut dolo, aut virtute captis, in Apulia potenter agunt, vicinisque gentibus terrorem sui nominis incutiunt. Secundum magistrum Hugonem isti fuerunt Principes Normannorum in Apuleja. Turstinus, Citellus, Ramnulfus, Et Richbardus. ☙ Drogo Constantinensis, Unfridus frater ejus qui primus Apulejam subjugavit: Robertus cognomento Viscar-

dus, qui Calabriam & Siciliam adjecit. ☙ Hujus fuerunt filii Rogerus Dux & Princeps Bœmundus. ☙ Imperator Conradus paſcha Domini Ravennæ celebrato, verno tempore Mediolanenſis Civitatis territoriis vaſtatis, multa caſtra partim vi capta deſtruxit, partim in deditionem accepit. ☙ Sigebertus. ☙ Quia Epiſcopus Mediolanenſis fuga lapſus eſt, Imperator ſuburbia Mediolani incendit. ☙ Die Penteceſtes Imperator cum in parva Eccleſia ſtans ſecus urbem ad Miſſam coronaretur, tam gravia fuerunt tonitrua & fulgura, ut aliqui exhalarent. ☙ Bruno vero Epiſcopus qui Miſſam canebat, Secretarius Imperatoris, cum aliis tribus dixerunt ſe inter Miſſarum ſolemnia vidiſſe ſanctum Ambroſium Imperatori indignando comminantem. ☙ Inde Cremonam veniens Imperator Romanum Pontificem obvium habet, *quem* dimiſit cum multo honore ſuſceptum & habitum, & ipſe declinando montana loca ſubiit. ☙ Ea tempeſtate Vercellenſis & Cremonenſis Epiſcopi, dubium utrum licitè, an ſecus *Majeſtatis rei* judicati, in exilium deportantur; & hujus facti meminit ſic Sigebertus; cauſa conjurationis præteritæ quosdam Epiſcopos in vincula jecit. ☙ Hugo Archiepiſcopus Biſuntinenſis, Rogerus de Vangionis rivo, Guidonis filius, cum uxore ſua Mathilde & filiis, Renaldus Dominus Caſtellionis & ejus uxor Elizabeth, cum filio ſuo Humberto, Comes etiam Buchardus multa dederunt Eccleſiis. ☙ Richardus fit Epiſcopus Virdunenſis.

Anno 1039. Imperatore Conrado natale Domini Papiæ celebrante, tumultu orto Dapifer Regis necatur: qua de re commotus Princeps omni niſu urbem impugnat. Civibus autem fortiter ſe defendentibus, ſed tamen diutius impetum Regis ferre non valentibus, fuſis multis, tandem miſera civitas crematur. ☙ His diebus Romanus Pontifex Mediolanenſem Epiſcopum eo quod Imperatori Domino ſuo injuſtè rebel-

rebellaret excommunicavit. ❧ Itaque Conradus ſubacta ad plenum Italia citeriori, Appenninum tranſiens, Regina Romam orationis gratia eunte, ac poſt ad ipſum revertente, ipſe Apuliam ingreſſus, ac terræ illius urbes Capuam, Beneventum, aliasque quam plures pervagatus per Adriatici maris oram, demum remeare diſponit, ſed dum per lethifera loca iter ageret, ex corruptione aeris plurimos de exercitu & de claris principibus perdidit. ❧ Mortui ſunt ibi inter alios, Hermannus Dux Reginæ filius, Chunigunda filii Regis ſponſa, Cono Francorum Dux. Et alii quamplures. ❧ Unde quidam ex noſtris rerum humanarum caſum deplorans, *Rithmum in modum tragœdiæ* ſimplici ſtilo compoſuit, qui ſic incipit.

Qui habet vocem ſerenam &c.

Sigebertus. In menſe Aprili, octavo idus viſa eſt in cœlo inter auſtralem & orientalem plagam ignea trabes miræ magnitudinis, quæ currens ſuper ſolem jam ad occaſum vergentem, viſa eſt in terram cadere, cujus veſtigia diu videri potuerunt. Imperator Italia deceſſit. Pridie Idus Maij Eclypſis ſolis fuit. Pridie nonas Junii Imperator obiit. Unde ſequitur Epiſcopus Otto. ❧ Reverſo ex Italia Imperatore, ſanctumque pentecoſtem in inferiori Trajecto Friſiæ urbe celebrante, in ipſa celebritate infirmatus, Imperii decimo quarto anno diem ultimum clauſit, ſepultisque ibidem inteſtinis ejus, reliquum corpus in Spirenſem urbem deportatur, ibique in Eccleſia Beatæ Mariæ humatur, poſt quem Henricus filius ejus imperavit annis ſeptemdecim, qui ad debellandum Odelricum Boëmanorum Ducem vadit, ſed Boëmanis viriliter reſiſtentibus, prima vice inefficax rediit. ❧ In Anglia regnavit Hardecnutus Rex Daniæ memoratus fere biennio.

Anno 1040. Henricus Imperatricis Giſelæ filius, qui *patre vivente regnare cœperat*, ipſo mortuo ſolus regnavit.

In

In ipſo quoque dignitas imperialis quæ per longum tempus jam a ſemine Caroli exulabat, ad generoſum & antiquum germen Caroli reducta eſt. Hic per omnia patrem in virtutibus, non ſolum æquaſſe, ſed & tranſcendiſſe perhibetur, regnum moderatiſſimè gubernans. Verum in principio Regni ſui, dum Bohemos reſiſtentes ſibi incautè bello peteret, plurimos de exercitu in abditis ſilvarum clauſtris perdidit. Contra quod cum debitæ indignationis aculeos exerceret, gentemque præfatam multis malis attereret, tandem Ducem ejus in deditionem accepit. ☙ Unde Sigebertus. ❧ Henricus Imperator per orationes ſanctorum virorum auxilio Dei ſibi procurato ſuperioris anni infortunium ultus, Odelricum Ducem Boëmiæ ſubjugat. ☙ Andegavenſis Comes Gaufridus Martellus, hoc nomen uſurpaverat, quia videbatur omnes ſibi obedientes felicitate quadam contundere. Nam Dominum ſuum Comitem Pictavienſem aperto marte cepit, ferreisque vinculis innodatum, ad ignobilis pacis conditiones coegit, ut de Burdegala Civitate cederet & de finibus ejus, & de cæteris annuum vectigal penſitaret. Qui captus pro factiinjuria, & ciborum inopia poſt triduum defunctus eſt. Cujus novercam Martellus duxit, fratres in tutelam ſuſcipiens. Mox Theobaldi filii Odonis Campanienſis ingreſſus limites, urbem Turonicam obſedit, & ipſum in ea, qui captus, & in ergaſtulo concluſus, urbem ſibi, omnibusque ſuis in perpetuum abjuravit. Et iſta de Martello ita contigerunt ſub Rege Francorum Henrico. ☙ Obiit ſanctus Rex Stephanus de Hungaria poſt annos triginta ex quo recepta ibi fuit Chriſtianitas.

Anno 1041. Ungaris regnavit Petrus annis duobus. ☙ Sanctus Rex de Hungaria Stephanus primus Chriſtianus Jechæ filius, & *a primo Duce Almo ſeptimus*, filium habuit unicum virum ſanctum nomine Henricum, qui vivente patre

decef-

decessit. Unde Rex iste Petrus de quo hic agitur, *frater dicitur fuisse illius Reginæ Gislæ* de qua supra diximus. Et quia non erat de semine Ungarorum, contra eum promovere curaverunt quendam Abbonem qui erat unus ex ipsis, de magnis principibus. ☙ Sanctus Rex Eduuardus ad Regnum Angliæ revocatus, annis viginti quatuor regnavit. Die sancto Paschæ apud Londoniam magna pompa coronatus est ab Esidio Cantuariensi Episcopo. Erat autem Ethelredi superius memorati ex Emma Filius. Adeo mansuetus erat, ut nec viles homines verbo lædere nosset, & tamen ejus erat apud domesticos reverentia vehemens, apud exteros metus ingens. Nam fovebat ejus simplicitatem Deus, ut posset timeri qui non posset irasci. Egitham filiam Goduvini habuit uxorem *in quam omnes penè liberales artes confluxerant*, quam ita tractavit, ut nec amoveret, nec virili more cognosceret. ☙ Vazo ex Clerico sancti Lamberti vir spiritu sapientiæ, & fervore Religionis insignitus, ordinatur Leodiensis Episcopus. Hic constituit quotidianam refectionem *decem Clericorum qui dicuntur retro ostium*, quia in præsentia dominorum, juxta ostium refectorii comedunt. ☙ Hujus sancti Pontificis frater fuit Dominus Venzo Abbas de Florinis. ☙ Hoc anno ad deportationem sancti Gunduuali*imago Crucifixi Domini.

Anno 1042. Apud Constantinopolim Constantius Monachus sive Monomachus imperat. ☙ Superius anno 971. Joannes Symbois. Nicephorum Imperatorem interfecit, & regnavit cum Basilio, & Constantino, pueris. ☙ Sequitur Magister Hugo. Sic Joanne defuncto regnaverunt prædicti Basilius & Constantinus, deinde Constantinus frater Basilii solus. Hic habuit duas filias Zoem & Theodoram. ☙ Itaque post ipsum imperavit gener ejus Romanus cum Uxore Zoi, Michael* Ethericarchis cum Zoi, Michael* Arconropanthin cum Zoi, omnes isti per annos septuaginta. Deinde hoc anno

Constantinus iste Monachus cum Zoi, Michael senex, Ysachus Comnenus. ☙ Apud Catalaunum mortuus est primus Rogerus Episcopus, succedit ei Rogerus secundus. ☙ Inter Ungaros bello intestino moto Petrus Rex ab iis depulsus Regno, auxilium Henrici Imperatoris interpellat. Qui potenter ei patrocinans, Ungariam devastat. ☙ Adalbero tertius fit Metensium Episcopus per annos triginta.

Anno 1043. Fames valida Galliam & Germaniam profligat. ☙ Gothelo Dux obiit, cujus filius Godefridus, dum ei Ducatus Mosellanorum denegatur, altero Ducatu contra Imperatorem rebellat. ☙ Iste Henricus Imperator tempore Conradi patris sui a quodam Clerico *fistulam argenteam tulerat, quæ pueri ludentes aquam ejaculantur, pactus ei Episcopatum* cum foret Imperator, adultus repetenti pollicitum, impiger dedit. Non multo post aspero morbo correptus discubuit, & morbo crescente triduo extensus & mutus jacuit. Episcopi præsentes indicto triduano jejunio, pro vita ejus Dominum supplicabant. Convalescens accitum Episcopum quem pro fistula fecerat, sententia Consilii deposuit, professus se toto illo triduo infestos dæmones sibi vidisse, flammam in se per fistulam jaculantes: flammam dico adeo pertinacem, ut noster ignis respectu illius jocus putetur. Interim vero juvenem semiustulatum adventasse, ferentem calicem aureum immensæ magnitudinis aqua plenum, cujus visione & laticis aspersione extinctos ardores evaserat, hic erat Beatus Laurentius Martyr glorioſus, cujus Ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginari fecerat, & præter alia munera calice aureo eamdem Ecclesiam honoraverat. Eumdem Henricum aliquando inimicos fugitantem cerua quædam ultra invadabilem fluvium evexit. ☙ Obbo Ungaris regnat annis duobus.

Anno 1044. Godefridus hortatu quorundam Dei fidelium ad recuperandam Imperatoris gratiam adductus, ab Imperatore

Digitized by Goog

peratore capitur, & custodiæ mancipatur sed filium suum obsidem dans relaxatur. Quo defuncto in obsidiatu ad rebellandum grassatur. ☙ Circa idem tempus pudenda confusio Ecclesiæ Dei in urbe Roma fuit, tribus ibi invasoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, sedem illam simul occupantibus, atque ad majoris miseriæ cumulum, divisis simul cum reditibus *primarchiis*, prædicto Benedicto in Lateranensi palatio sedente, qui flagitiosam ac turpem vitam ducebat, cujus socius Sylvester erat ad sanctam Mariam majorem: hunc miserrimum Ecclesiæ statum Religiosus quidam Archipresbyter sancti Joannis ante portam latinam, Gratianus nomine videns, zeloque matris suæ compatiendo animadvertens, præfatos viros adiit, eisque a sede sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto reditibus Angliæ quia majoris videbatur authoritatis esse, relictis. Ob ea cives presbyterum præfatum, tamquam Ecclesiæ Dei liberatorem in summum Pontificem elegerunt & mutato nomine Gregoriũ sextum vocaverunt. ☙ Sigebertus. ❧ Benedictus simoniacè Papatu Romano invaso, cum esset rudis literarum, alterum ad vices officii Ecclesiastici exequendas secum Papam consecrari fecit; quod cum multis non placeret, terrius superducitur, qui solus duorum vicem impleret. Itaque Sabinienſis Episcopus a Benedicto in Papam fuit consecratus, qui Sylvester tertius fuit appellatus, huic adscribuntur dies quinquaginta sex, quibus sedit, post quos Benedictus mediante Gratiano cessit; deinde idem Gratianus, qui & Gregorius sextus, sedit annis duobus. Unde ex consequentia historiæ liquet quod prædictus Benedictus jam non erat Papa quando fuit mortuus. Vixit autem ultra duos annos istos quibus sedit Gratianus, sicut Petrus Damianus in epistola de dimittendo Episcopatu, ita meminit: Junior Benedictus Papa apostolici se culminis administratione privavit, successoremque ejus Gregorium, qui Gratianus dicebatur in

Romana sede constituit. Super quibus præsente Imperatore Henrico cum disceptaret, postmodum per Synodale Concilium, quia venalitas interveneraat, depositus est qui suscepit, non excommunicatus est qui deseruit. Quandocumque autem iste Benedictus mortuus fuerit, de anima ejus monstrosa fit quædam mentio *in illo libro qui Elucidarius dicitur*. Quam terribilem visionem, ut scribit Dominus Elinandus, Petrus Damianus in alia epistola ita refert. Humbertus, inquit, Archiepiscopus mihi narravit quod iste Benedictus post mortem apparuit cuidam Vasso juxta molendinum equo insidenti & iter agenti, apparuit autem in specie monstrosi animalis, cujus aures & cauda asini erant, cætera ursi. Cumque Vassus tremefactus fugam iniret, clamavit monstrum illud, Noli ô vir, expavescere, scito me hominem fuisse sicut tu es, sed quia bestialiter vixi, post mortem bestiæ speciem præferre merui. Ad quem Vassus. Quisnam fuisti? Ego, ait ille, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicam sedem indignus obtinui. Ad quem ille. Quid habes retributionis? Nunc, inquit, usque ad diem judicii per dumosa, & squallentia & sulphurea loca, & fœtida, & bullientia raptor & pertrahor. Post extremum vero judicium corpus meum & animam irremediabilis cruciatus, irrevocabilis olla gehennalis barathri me deglutiet, ita mihi nulla spes imposterum recuperationis restabit. Post hæc verba disparuit. Fuerat autem ab ipso Pontificatus primordio usque ad finem vitæ in cœno conversatus luxuriæ, & ideo ab auribus asini in caudam desinebat: duxerat autem per totum, vitam carnalem, ideo cætera ursus erat. O quam melius illi fuerat si Episcopatum nunquam ascendisset.

Anno 1045. Sigebertus. Henricus Imperator iterum Ungariam ingressus cum paucis Obbonem Regem de bello fugavit, & lanceam insigne Regis recepit; Petrum vero quem Obbo expulerat Ungarorum Regno restituit, & Ungariam sibi tribu-

Digitized by Google

tributariam fecit. Epiſcopus Otto. Ungaros Rex Henricus variis ac diverſis præliis premens Petrum Regem eorum ab Obbone regno fraudulenter expulſum, interceſſione *Alberti Marchionis*, cujus levir erat, exulem ſuſcepit. Ac cum exercitu Pannonias ingreſſus congreſſu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Ungarorum fudit, Petrumque reſtituit Regno; unde rurſus eſt ille *rhythmus Hermanni Contracti de præfato triumpho compoſitus*. Vox hæc melos pangat. Igitur ab hinc Petrus irerum regnavit Ungaris annis duobus. Inſtinctu Godefridi Comes Flandrenſis Balduinus Inſulanus contra Imperatorem rebellat. Eccleſia ſanctæ Gertrudis Nivellenſis quæ poſt aliquot annos per negligentiam, & incuriam effuſi in ea ſanguinis Domini concremata, in novum reædificata fuerat, benedicitur præſente Henrico Imperatore. Theodorico Metenſium Epiſcopo defuncto ſuccedit Adalbero fratruelis ejus, vir magnæ prudentiæ & ſanctitatis per annos triginta & unum. *Uxor Imperatoris Henrici Gunhildis Imperatrix de Anglia adulterii accuſata*, unum ex clientela ſua ſtatura puſillum giganteæ molis homini ad monomachiam oppoſuit; itaque conſerto duello per miraculum Dei inſimulator ſucciſo poplite enervatus & victus eſt; illa autem poſt victoriam viro ſuo repudium dedit, & nec minis, nec blanditiis cum eo manere ulterius conſenſit, ſed ſanctimonialis habitum ſumens, in ſervitio Dei permanſit. *Imperator autem aliam duxit Agnetem nomine*, de qua tulit filium quem vocavit Henricum. Epiſcopus Otto. Iſta Agnes fuit ſoror nobiliſſimi Galliarum Principis *Guillelmi Pictaviæ atque Aquitaniæ Ducis*. Cumque ex more regio nuptias in Glicheim [Inglinheim] celebrat, omne balatronum & hiſtrionum collegium, qui, ut aſſolet, eo confugerant, vacuum abire permiſit, pauperibusque ea quæ membris diaboli ſubſtraxerat, large diſtribuit. In ipſa vero nuptiarum ſolemnitate

Digitized by Google

triſtia lætis admixta ſunt. Nam illuſtriſſimus Marchiónis Alberti filius Leopoldus adoleſcens, immatura morte omnium planctu rapitur, & a patruo ſuo Poppone Trevirorum Archiepiſcopo in urbe Trevirenſi ſepelitur. *Hic eſt Leopoldus qui cum patre ſuo Alberto Marchiam Orientalem Ungaris eripuit*, ac inter cætera virtutis ſuæ opera exercitum Obbonis innumerabilem fines ſuos ex improviſo vaſtantem, ſubito correptis armis, quod tamen in omni conflictu etiam fortibus incautum eſt, penè cum paucis funditus delevit. ☙ Ex vita ſancti Eduvardi ❧ In quadam Pentecoſte Rex Angliæ Eduardus ſedit ad menſam & riſit, & vidit in ſpiritu Regem Daciæ, cui nomen erat Sueno junior qui navem conſcendebat ad invadendam Angliam, poſt quem regnavit Suanus nobilis in Dacia qui pacem ejus expetiit, & quatuordecim filios habuit, & contra hunc Magnus Norvegiæ Rex pugnaſſe dicitur.

Anno 1046, Romæ uno contra duos & duobus contra unũ de Papatu altercantibus, Rex Henricus contra eos Romã vadit, & eos canonica & imperiali cenſura deponit. Epiſcopus Otto ita dicit. ❧ Rex Henricus ſupradictis auditis procinctũ in Italiam movet. Porro Gratianus Regi apud Sutrium occurrens, ad liniendum ipſius animum diadema pretioſum obtuliſſe dicitur, quem Rex primò quidem, ut decuit honorificè ſuſcepit: poſtmodum autem collecto Epiſcoporum Conventu a Pontificatu pro nota Simoniæ cedere perſuaſit, eique Suidgerum Bavembergenſem Epiſcopum, qui eſt Clemens, conſenſu Eccleſiæ Romanæ ſubſtituit, qui ſedit menſibus novem diebus ſeptem. Hunc Gratianum alpes aſcendentem ſecutum fuiſſe tradunt Hildebrandum, qui poſtmodum ſummus Pontifex factus *ob ejus amorem, quia de catalogo Pontificum ſemotus fuerat, ſe Gregorium ſeptimum vocari voluit.* Et ſicut in Lucano habes, Victrix cauſa Deo placuit, ſed victa Catoni; ita & huic Hildebrando,

brando ; qui ſemper in Eccleſiaſtico rigore conſtantiſſimus fuit. Ex hinc Romana Eccleſia in electione Pontificum Canonica in tantum infirmata invenitur, quod iſti quatuor ſequentes ab Imperatore ibi poſiti in catalogo inveniuntur. ☙ Godefridus palatium Neomagi incendit & deſtruit, urbem quoque Claborum* quæ Virdunus dicitur, cum majori Beatæ Mariæ Eccleſia incendit. ☙ Eodem tempore Abbas Halmaredus ſancti Benigni Divionenſis, factus eſt Archiepiſcopus Lugdunenſis; & quia ſecundum ea quæ ſupra poſita ſunt civitas Lugdunenſis tunc erat ſub Imperatore, Dominus Halinardus Curiam Imperatoris adiit pro regalibus ſuis accipiendis. Imperator jam erat in procinctu Romani itineris, & voluit, ut Archiepiſcopus ſecundum morem juraret illi fidelitatem; ille dixit *ſe eſſe Monachum nec debere facere juramentum.* Reſpondit ſe non debere ſimulationem facere: tandem mediantibus Epiſcopis Theodorico, antequam moreretur Metenſi, Brunone Tullenſi, Richardo Virdunenſi, Imperator pro ſua religione juramentum ei quittavit, deinde ſecundum antecedentia Romam abiit.

Anno 1047. Rex Henricus a Clemente Papa in Imperatorem benedicitur; jurantibus Romanis ſine ejus conſenſu nunquam ſe Papam electuros ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Henricus Rex victorioſus Romæ in die natalis Domini a Clemente Papa coronatus Imperatoris & Auguſti nomen ſuſcepit; inde per Apuliam exercitum ducens cum honore ad patriam revertitur. ☙ Eodem anno Papa Clemente mortuo cujus corpus, ut dicitur, ad Eccleſiam Bavemburgenſem occulte a ſuis relatum eſt, Poppo Aquilejenſis Patriarcha, quondam Brixianus, qui & Damaſus dictus eſt, in loco ejus ſubrogatur, ſedit diebus viginti tribus. ☙ Non multo poſt Petrus Ungarorum Rex a quodam cliente Andræa nomine oculis ac Regno privatur. Cui ſucceſſit in Regno Ungarorum An-

* ita & Sigeb.

dræas

dræas annis viginti quatuor. ◦ Theodoricus Teutonicus fit Episcopus Virdunensis per annos quadraginta & tres. ◦ Viri Religiosi & illustres sanctitate in Christo dormiunt. Poppo Archiepiscopus Trevirensis decimo sexto Calendas Julii. Vazo Leodiensis Episcopus, octavo idus Julii. Odilo Abbas Cluniacensis, qui Monachorum Archangelus vocatus. Poppo Abbas Stabulensis. Archiepiscopo Poponi succedit Everhardus. ◦ Episcopo Vazoni Theodovainus natione Noricus de Bavaria, consanguineus Imperatoris, qui in Ecclesia Beatæ Mariæ de Hoïo, in qua venerabilis Bozo Archidiaconus contemporaneus, & Abbas Leodiensis quindecim Canonicos posuerat, alios quindecim addidit. Sancto Odiloni Abbati Hugo per annos sexaginta tres. ◦ Floruit hoc tempore sanctus Abbas Robertus de Casa Dei, qui magnæ extitit opinionis, & multos & magnos viros ad servitium Dei aggregavit. ◦ *Franco Scholasticus Leodiensium, & scientia literarum, & morum probitate claret, qui ad Hermannum scripsit librum de quadratura circuli*, de qua re Aristoteles ait: Circuli quadratura si est scibilis, scientia quidem nondum est; illud vero scibile est. Nix tanta in occidente cecidit, ut sylvas frangeret.

Anno 1048. Cum de summi Pontificis electione inter Imperatorem & Romanos ageretur, postulatus est ab una parte in Papatu Dominus Halinardus Lugdunensis Archiepiscopus, sed dissimulavit ad Curiam ire, donec electus est Bruno Tullensis Episcopus, vir nobilis & sanctus filius Hugonis Comitis Dasburgensis. ◦ Episcopus Otto. ◦ Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus auctoritate regalis excellentiæ ad sedem Beati Petri destinatus fuit. Cumque assumpta purpura per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi forte tunc venerat supradictus Hidebrandus. Is Brunonem adiens æmulatione Dei plenus, constanter eum de in-

de incœpto redarguit, illicitum esse inquiens per manum Laicam summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire, verum si se suis vellet credere consiliis, utrumq; & quod majestas imperialis in ipso nõ exacerbetur, quodque libertas ecclesiæ in electione canonica renovetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum ejus purpuram deponit, peregrinique habitum assumens, secum Hildebrandum Ducens iter capit. ❧ Sigebertus. ❧ Qui cum ad capessendam sedem Apostolicam Romam tenderet, audivit voces Angelorum canentium. Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Hic de multis sanctis cantus composuit, & multa fecit & scripsit Ecclesiæ utilia. Hic cum in Papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, eum totum diligenter in lectulo suo collocavit, quem cum reserato ostio non invenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit. ❧ Hoc anno facta est elevatio sancti Floreberti. ❧ Episcopus Otto. ❧ Igitur ad urbem usque veniens consilio Hildebrandi a Clero & populo Bruno in summum Pontificem eligitur; sicque qualitercumque Ecclesia Romana ad faciendam electionem informatur. ❧ Sigebertus. ❧ Hic Leo nonus dictus est, qui de multis sanctis &c. ut supra. ❧ Guido de Ecclesia sancti Sepulchri Hierosolymis ab Imperatore Constantinopolitano reædificata, supradicto Principe nequam Achim Soldano rebus humanis exempto, filius ejus Daher nomine Regnum obtinens ad petitionem Imperatoris Constantinopolitani, Domini Romani Heliopolitani, vel potius Constantini qui post Isacum Comnenum imperavit, cum quo fœdus quod pater ejus Achim perfidus violaverat resarciens, contraxerat amicitiam, reædificandi prædictam Ecclesiam fidelibus dedit licentiam. Quam Nicephorus Hierosolymitanus qualis nunc veneratur in Hierosolymis, reparavit sumptibus de prædicti Imperatoris ærario ministratis. Factum est hoc anno millesimo quadragesimo

primo ante urbis liberationem, trigesimo septimo post ejus Ecclesiæ destructionem. ☙ Sigebertus. ❧ Albertus qui Ducatum Godefrido negatum susceperat, à Godefrido permittur. Ducarum ejus Gerardus de Alsatia, alterum vero Ducatum Fredericus obtinet. ☙ Elinandus & Guillelmus. ❧ Erat Imperator Henricus multis & magnis virtutibus præclarus, & omnium penè ante se bellicosissimus, ut pote qui multas feroces & indomitas imperio subjugavit nationes. ☙ Idem Imperator celebrabat aliquando pentecostem apud Mogontiam, & paulo ante Missam cum sedilia pararentur in Ecclesia, ortum est jurgium inter cubicularios Archiepiscopi & Abbatis Fuldensis cœnobii, utrorum Dominus circa Imperatorem sedere deberet. Nam Fuldense cœnobium in Thoringia sancti Bonifacii corpore insigne prædiis est ditatum permagnificis, cujus loci Abbas habet privilegium ex antiquo, ut in magnis festivitatibus sedeat ad dextram Imperatoris. Itaque ventum est ad pugnam, furoreque per Ecclesiam grassante, pavimentum sanguine inundavit: sed statim Episcopis convolantibus, pace inter reliquos dissidentes statuta, templum purgatum est, & missa festivis clamoribus acta. Sequentia autem sancti Spiritus præcantata, & ultimo ejus versu dicto, hunc diem glorioſum feciſti, vox ab aëre lapsa est: Hunc diem bellicosum ego feci. Rigentibus omnibus præ timore, Imperator diligenter intendens lætitiam inimici, Tu, inquit, omnis malitiæ inventor, simul & incentor, diem bellicosum, & arrogantibus luctuosum feciſti, sed nos per Dei gratiam qui illum glorioſum fecit, pauperibus gratioſum reddemus. Intelligens illum adventasse, illis plorantibus, illis cantantibus, omnibus simul pectora tundentibus, finita Missa egenis per præcones conclamatis, omnes dapes quæ sibi & curialibus parabantur, in usus eorum exhausit, ipse obsonia apponens,

ipse

ipse juxta disciplinam ministrorum de longe consistens, ipse superflua ciborum abstergens.

Anno 1049. Leo Papa in Galliam veniens, ut motus Imperii a Ludovico & Godefrido concitatos sedaret, Godefridum quidem Imperatori reconciliavit; Balduino pertinacius agente, contra eum Imperator exercitum duxit; sed tandem Balduinus flexus, condicto die Aquis Imperatori satisfecit. ☙ Episcopus Otto. ❧ Imperator Belgicam ingressus Godefridum & Balduinum ad deditionem coegit. ☙ Post hæc Synodus Moguntiæ celebratur in præsentia summi Pontificis Leonis & Imperatoris. Ibi propoluit Imperator de legenda sancti Servatii quæstionem, & de gestis ejus, & ibi *canonizata* fuit vita ejus ☙ Sigebertus. ❧ Leo Papa in Germania & Gallia synodis habitis statum Ecclesiæ meliorabat. Eo tempore Rhemis translatum est corpus Beati Remigii, & Leo Papa benedixit Ecclesiam Beati Remigii. Post triduum tenuit ibi Concilium sexaginta sex Episcoporum. In quo Concilio interrogatus sanctus Hugo Cluniacensis de sua promotione, fertur respondisse. Caro voluit, spiritus repugnavit. Ibi vero Simoniaci tam populares quam Clerici, *presbyterique uxorati*, persuasione sancti Hugonis a Catholicorum communione, & ab Ecclesiis eliminati sunt. ☙ Affuerunt ibi Archiepiscopi, Guido Rhemensis, Halinardus Lugdunensis, Hugo Bisuntinensis, Everhardus Trevirensis, Menardus Suessionensis. Et quidam alii cum suffraganeis suis. ☙ Episcopus Hugo Lingonensis depositus fuit, pro quo factus est Episcopus Arduinus ☙ Sigebertus. ❧ *Sanctus Theobaldus* inter nobiles Francorum non infimus hoc tempore clarebat, qui mundo & semetipso abnegato secutus Christum in Vincentia Venetiæ urbe reclusus, ibi duodecimo conversionis suæ anno beato fine quievit; qui quam accepte servierit Deo, post mortem ejus miraculorum prodidit magnitudo.

Ossa ejus in Galliam translata multam multis in locis venerationem meruerunt. ☙ Bardo Episcopus Moguntiæ obiit, cujus sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit. Successit Lupoldus qui montem sancti Jacobi reparavit. Elinandus & Guillelmus de homine in Asinum mutato. ☙ Eo tempore erant duæ aniculæ in strata qua Romam itur uno in tugurio commorantes, uno imbutæ maleficio, quæ hospitem, si quanto solus superveniebat, in equum aut asinum permutabant, & mercatoribus vendebant, pretium bibentes. ☙ Quadam die juvenem quemdam gestibus histrionicis exigentem victum, susceptum hospitio asinum fecerunt, multum inde lucrantes per asinum scilicet, qui miraculo gestuum transeuntes detinebat. Nam quomodocumque præcepisset anus, movebatur asinus. Non enim amiserat intellectum sed loquelam. Multum inde quæstum conflaverunt vetulæ. ☙ Audiens hoc vicinus dives asinum emit magno pretio, dictumque est ei ab illis vetulis, ut custodiret eum ne in aquam intraret. Servatus est asinus diu ab aqua: Tandem incautiorem nactus custodiam in proximum lacum se projecit, & ibi diutius se volutavit, & figuram recuperavit humanam, & asininam perdidit. Custos ejus ab eodem scisitatur obvio si vidisset asinum? Ille dicit se esse. Famulus refert ad Dominum suum, Dominus ad Apostolicum Leonem, virum nostro secudo sanctissimum. Convictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmavit Petrus Damianus producto exemplo de Simone Mago qui Faustinianum videri fecit in figuram Simonis. ☙ Hinc apparet quod *nihil quod per nigromantiam fit, potest in aqua fallere intuentem* sicut de pulvere quodam invento superius refertur, qui in aurum vertebat quidquid contingebat; id est, ita videri faciebat donec aqua diluëretur.

Anno

Anno 1050. Balduinus Flandrensis, invaso Haionensium Comitatu, contra Imperatorem rebellat, ex quo conjicitur quod Renerus junior Comes Hainonii jam erat mortuus, cujus filiam unicam Richildem nomine Comes Balduinus Insulanus filio suo dedit uxorem. ¶ Sigebertus. ❧ Leo Papa dum Normannos a Romanorum terminis deturbare satagit, multam calamitatem incurrit, quia cum multis etiam ipse capitur, sed tamen relaxari noluit, nisi suis etiam relaxatis. ¶ Episcopus Otto. ❧ Ea tempestate Normannorum gens inquietissima Roberto Guiscardo Duce humilis conditionis viro, sed strenuissimo, Apulejam irrupit, multisque malis fraude & vi incolas terræ afflixit; quos cum Leo Papa cum militia ad urbem rediens Ecclesiæ & Imperii finibus coercere vult, commisso prælio, cæsis multis, fugere Beneventum compellitur. Tanta vero utrorumque strages ibi facta est, quod acervus ex corporibus mortuorum compactus hactenus ab indigenis illic monstratur. ¶ Illud ergo a quibusdam reprehenditur in Beato Leone quod Normannos illos voluit a finibus Apuliæ & Calabriæ exterminare, ignorans utilitatem quæ postea secuta est, in coercendis in partibus illis, Saracenis. ¶ Sigebertus. ❧ Francia turbatur per *Berengarium* Turonensem, qui asserebat Eucharistiam quam sumimus in altari, non esse revera corpus & sanguinem Christi, sed figuram corporis & sanguinis Christi. Unde contra eum & pro eo multum a multis & verbis & scriptis disceptatum est. ¶ De isto Berengario quædam vulgo narrantur, quod fuit in adolescentia potens nicromanticus, quod a Turonis usque Romam diabolus eum una nocte detulit. ¶ Quod quidam puer Clericus nobilis generis ei commendatus, magistro absente dum libros Nicromanticos legeret, a diabolo occisus fuit, & quod idem dæmon coactus a Berengario in corpus pueri mortui intravit, & per aliquod tempus huc & illuc ambulare fecit, &

cum cæteris cantare & Choro ſtare, donec ab alio Nicromantico falſitate deprehenſa, puer, ut erat pro vero, mortuus eſſe deprehenderetur, & quod idem Berengarius morti adjudicatus fugiens ad Eccleſiam, *juſte Judex*, ibi fecerit, & cum lamentatione decantaverit & ſic liberatus eſt. ☙ Ubi autem ſupra dicitur quod a multis contra & verbis & ſcriptis diſceptatum eſt, addit Elinandus ex dictis Guillelmi. ☙ Inter quos Dominus Guido Abbas de Cruce ſancti Leufridi contra eum de corpore & ſanguine Domini *elegantem edidit librum* ❧ Reſponderunt etiam eidem Berengario. ☙ Magiſter Lanfrancus Monachus de Becco Herluini, paulo poſt Abbas Cadomenſis, poſt Archiepiſcopus Cantuarienſis. ☙ Guimondus prius Monachus de ſancto Leufredo Normanniæ, poſtea Epiſcopus. Averſanus Apuliæ, noſtri temporis eloquentiſſimus. ☙ Item Leo Papa Vercellis contra eum celebravit Concilium, ſed poſt Leonis obitum Hildebrandus Archidiaconus cum eſſet Turonis ſub Papa Romæ, Conciliis eum compulit ad ſui dogmatis anathema. ☙ Berengarius autem in fine ita reſipuit, ut ſine retractatione a quibus * habeatur, plenus eleemoſynis & humilitate, magnarum poſſeſſionum Dominus diſpertiendo, non famulus abſcondendo & adorando. Nullam fœminam conſpectui ſuo patiebatur admitti. Tamen quamvis ſe correxerit, eos quos depravaverat convertere nequivit. Adeo peſſimum eſt alios exemplo vel verbo a bono infirmare. Quia fortaſſe peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuit tuum. Unde ipſe Berengarius dum in quadam die Epiphaniæ moritur, dixit: Hodie apparebit mihi Deus meus Jeſus Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.

Anno 1051. Rex Ungarorum ab Henrico Imperatore diſſentit, pro quo reconciliando Leo Papa ad Imperatorem venit, ſed amicis diſcordiæ inter eos turbantibus, id fruſtra

fuit.

fuit. ☙ Episcopus Otto. ❧ Rex iterum ad comprimendum Andrææ, qui ejecto Petro Ungarorum Regnum invaserat, contumaciam Pannonias ingreditur, sed latitantibus undique incolis terræ & victui necessariis vel reconditis vel contaminatis, militem ibi sustentare non valens, cunctis tamen vastatis revertitur. ☙ Obiit Gerardus Cameracensis Episcopus, succedit Liebertus. ☙ Apud Tullum post Episcopum sanctum Gerardum præfuit Stephanus, & post eum Bartholdus, quem secutus est Hermannus, deinde Bruno. Ipse est Leo Papa sanctissimus. ❧ Sigebertus. ❧ Leo Papa Gerardum Leucorum supra se quintum Episcopum sanctitate vitæ mirabilem, synodo habita per authoritatem Apostolicam decrevit *in numerum sanctorum* Confessorum in Ecclesia solenniter habendum. ❧ *Planutam* Beati Petri Apostoli apud Antiochiam gestatam habebat sanctus Hugo Abbas Cluuiacensis secundus, qua Robertum virum illustrem paralyticum Parisiis sanavit, & sanum a lecto surgere fecit. ❧ Idem sanctus Hugo per totam quadragesimam singulis diebus Psalterium decantare consuevit. ❧ Quadam die dum dormiret vidit sub capite suo cubare serpentum multitudinem, subitoque capitale suum excutiens, invenit librum Virgilii suppositum, abjectoque codice, singulari in pace requievit. ☙ Romæ obiit Halinardus Lugdunensis Archiepiscopus, eique succedit Philippus antiquior, sive primus.

Anno 1052. Natus est Rex futurus Regis Francorum Henrici filius ex Anna filia Georgi *Regis Sclavonum*. ❧ In Anglia Edgari Regis corpus Glastoniæ sepulti ab Abbate Abilpardo inventum est incorruptum. ☙ Sunt autem in Anglia quinque sanctorum corpora omnino *incorrupta*, id est.

Sancta Edeltrudis,
Et
Sancta Viburga } Virgines.

Sanctus Rex & Martyr Edmundus, Sanctus Archiepiscopus & Martyr Elfugus. Et antiquus Pater sanctus Cuthbertus. Ejusdem Edgardi filia, soror Ethelredi, amica sancti Eduvardi, fuit Egitha Virgo sancta, cujus corpus miraculosè inventum est in cineres revolutum præter dextrum pollicem, & aluum, & aluo subjecta, eo scilicet quod immunis fuerat & a tactu, & à crapula & a carnali copula. ☙ Henricus Imperator denuò Pannonias hostiliter petens, secum summum Pontificem Leonem duxit. ☙ Sigebertus. ☙ Balduinus Comes terminos Lotharingiæ incursans Hoïum oppidũ incendit. ☙ Godefridus iterum rebellat, quia ducta uxore Bonifacii Marchionis a Longobardia excluditur, qui Bonifacius erat *Romanæ urbis Patricius*, & præfectus Anchonitanus, & Pisanus Marchio, & totius interiacentis Tusciæ & Italiæ dominator. Has omnes dignitates cum interfectus fuisset dictus Bonifacius, per ejus relictam Beatricem, iste Godefridus accepit cognomento barbatus; quæ Beatrix filia fuit *Sigifridi de Brie*, filii Ducis Theodorici. Soror hujus Sigifridi Adela Comitissa Arelunæ peperit Fulconem & Valeranum, a quibus Duces de Lemborch descendunt. ☙ Sigebertus ☙ Græcis in hæresim multiformem declinantibus, authore Michaële Patriarcha Constantinopolitano, & Leone Acridano, Bulgarum Archiepiscopo, Leo Papa eorum errores redarguens scribit contra eos librum firmis scripturarum testimoniis roboratum. Nicetas etiam Monachus qui agnominabatur Pectoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris & stultitiæ prætitulatum: De Azymo, de Sabbatho, de Nuptiis sacerdotum.

Anno 1053. Anno decimo tertio Imperatoris Henrici filii Conradi, *Papias librum suum videlicet elementarium doctrinæ rudimentum* edidit, quod probatur per numerum annorum ubi agit de ætatibus seculi in prima litera, & enumerando pertingit usque ad hunc. ☙ Sigebertus. ☙ Leo Papa

per

per epistolam ad Imperatorem Constantinum scriptam, animum ejus sibi concilians, aprocrisarios suos, Humbertum videlicet Cardinalem, Episcopum Sylvæ candidæ; Petrum Amalphitanorum Archiepiscopum; Fridericum quoque septimum Levitam & Cancellarium Constantinopolim dirigit ad confutandas Græcorum hæreses: qui Simoniaci donum Dei vendebant, ut Valesii hospites suos castratos etiam ad Episcopatum promovebant, ut Ariani rebaptisabant Latinos baptizatos in nomine sanctæ Trinitatis, ut Donatistæ in sola Græcia orthodoxam solam esse Ecclesiam jactabant, ut Severiani maledictam dicebant esse legem Moysis, ut Pneumatomachi processionem sancti Spiritus a symbolo abscindebant, ut Nazareni Judaismum observabant, parvulos morientes ante octavum diem a nativitate baptisari, mulieres in partu vel in menstruo periclitantes communicari, vel si paganæ essent, baptizari prohibebant. Latinos vocabant azymitas & eos nimis persequentes, eorum Ecclesias claudebant. de fermentato sacrificabant, in filiis suis Romanam Ecclesiam anathematizabant, eique Ecclesiam Constantinopolitanam præferebant. ☙ Ab Imperatore ergo benignè habiti Nicetam Monachum ante eum vicerunt, adeo ut librum quem contra Romanos scripserat anathematizaret & incenderet. Michaële Patriarcha nolente eis colloqui, charta excommunicationis coram Clero & populo super altare sanctæ Sophiæ posita recedunt. ☙ Michaël chartam ipsam corrumpens, populoque legens, illos ab Imperatore revocatos ad synodum absente Imperatore convocavit, ut a populo lapidarentur. Quod Imperatore prohibente, Michaël commovit populum contra eum; sed convictus chartam excommunicationis falsasse, Michaël omnesque sui a gratia & palatio Imperatoris remoti sunt. ☙ *Humbertus Episcopus Sylvæ candidæ, hæc descripsit, & scripta Nicetæ Monachi & Leonis Acridani Bulgarorum*

Episcopi confutavit, & de latino in græcum translata jussu Imperatoris Constantini a Græcis recepta sunt. ⁂ Rex Angliæ secundus Eduardus cum peregrinationem Romam vellet aggredi, non permiserunt sui. Unde Legatos suos ad sanctum Leonem Papam misit, qui Papa eumdem Regem absolvit a voto peregrinationis, & novum monasterium in honore sanctorum Petri & Pauli ædificari mandavit, vel potius vetus reædificari, & hac de causa *Westmonasterium* ad occidentalem partem Londini situm in statum & decus dignioris excellentiæ fuit reformatum.

Anno 1054. Henricus Imperator filio suo puero quinquenni Henrico, in Regem sublimato Aquis, contra Balduinum proficiscitur; qui Scaldem fluvium Balduino fugiente transiens, omnia depopulatus est, & insuper apertis sibi clausulæ * portis, multam cædem inimicorum fecit, & ultra progressus Lambertum Comitem Balduini satellitem, cum multis peremit, multos etiam Flandrensium primores exercitum suum persequentes concludit intra urbem Tornacum & obsessos capit. ⁂ Leo Papa moritur, cujus meriti fuerit apud Deum cunctis patuit, cum multis ad sepulchrum ejus Romæ miraculis ostensis Deus eum glorificavit. ⁂ Unde Episcopus Otto. ⁂ Leo Papa in Ecclesia sancti Petri Romæ humatus, miraculis clarus habetur. ⁂ Elinandus ex dictis Guillelmi. Eo tempore corpus Pallantis filii Evandri Romæ integrum repertum est cum hoc epitaphio. ⁂ Filius Evandri Pallas quem lancea Turni militis occidit, more suo jacet hic. ⁂ Quos versus non tunc factos crediderim quamvis Carmentis literas inveniisse dicatur, sed vel ab Ennio, vel alio antiquo Poëta. Ea quidem est natura conditorum balsamo corporum quod carne tabescente cutis exterior nervos, nervi vero ossa continent; hiatus vulneris quod in medio corporis fecerat, quatuor pedibus & semis mensuratus est. Ardens lucerna ad ca-

* forte, Insulæ.

put

put inventa est, quam cum nullo liquoris aspergine, aut flatus violentia extinguere valerent; quidam solertioris ingenii, stylo subtus flammam foramen fecit, & mox introducto aere ignis evanuit. Corpus muro applicatum vastitate sua magnitudinem mœnium vicit, sed procedentibus diebus stillicidiis rorulentis infusum, communem mortalium corruptionem agnovit, cute soluta, nervisque fluentibus.

Anno 1055. Post sanctum Leonem Papam qui sedit annis quinque, mensibus duobus, diebus sex, Gebehardus Eistetensis Episcopus, qui Victor secundus dictus est, sedit Romæ annis duobus, mensibus quatuor, diebus novemdecim. Rex Francorum Henricus apud Parisios fundavit Ecclesiam Beati Martini, ubi sanctus Martinus leprosum curavit. Sanctus Anno Coloniæ ordinatur Episcopus annis viginti & uno. Imperatore in Italia constituto, milites ejus Sclavis & Luticianis bello congressi capiuntur multi & perimuntur. Balduinus Flandrensis Comes cum Godefrido, avunculum suum Fredericum Ducem intra Antverpiam obsedit, sed concurrentibus Lotharingis ab oppugnatione desistit. In Dacia ab anno primo sancti Regis Angliæ Eduvardi Sueno junior regnabat qui paulo post fuit submersus. Post quem regnavit Suanus ille nobilis qui decem & quatuor filios habuit, contra pugnavit Rex Norvegiæ Magnus, Olavi majoris filius. Deinde alter Olavus, *& ipse sanctus*, patruelis Magni. Petrus Damianus de Legatione Hildebrandi. Hildebrando, inquit, Archidiacono referente didici quod cum ipse adhuc Subdiaconus a Victore Papa apocrisarius esset ad Gallias directus, synodum congregavit in qua sex Episcopos pro diversis criminibus deposuit, interquos quidam erat Episcopus Simoniacè factus, qui hoc modo examinatus est. Jussus dicere gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, Spiritum sanctum verbis exprimere non valebat, quamvis Patrem & Filium libere & ex-

petitè pronunciaret, qua difficultate convictus, Episcopatu depositus est. ☙ Bellum fuisse apud mare mortuum in quibusdam Chronicis annotatur. ☙ Item Boloniæ bellum, Captio Gaufridi, mors Hildoni filii ejus. ☙ Hoc tempore fuit *Comes de Brena* super Albam Engelbertus qui Comitissam Joviniaci viduam de primo marito suo, filiam habentem unicam, duxit uxorem, quæ filia per industriam Engelberti data est cuidam militi strenuo Stephano nomine de Vallibus juxta Abbatiam sancti Urbani, qui Stephanus erat de mensa dicti Comitis Engelberti, & iste Stephanus post mortem dictæ Comitissæ fuit *Comes Joviniaci* ex parte uxoris, & ipse primus castrum de Jovevilla inchoavit, auxilium ferente Comite Engelberto, qui Stephanus filium habuit Gaufridum nomine qui fuit Comes Joviniaci, secundus Dominus Jovevillæ. *Iste* est igitur de quo hîc annotatur captio Gaufridi, qui liber dimissus, invenitur abhinc vixisse per annos viginti sex. Et ista est brevis narratio de antiquitate *Jovevillæ*. ☙ In hoc tempore per quosdam heremitas fundatus fuisse dicitur locus Abbatiæ Molismensis, quæ est mater Cisterciensis ordinis.

Anno *1056*. Victor Papa in galliam veniens gloriosè ab Imperatore suscipitur, & eo præsente non multò post Imperator Henricus moritur. ☙ Episcopus Otto. Imperator Italiam ingressus *Beatricem Mathildis matrem* consanguineam suam defuncto Marito suo Bonifacio Marchione secum reduxit. Supra ante quatuor annos, videlicet in anno Domini millesimo quinquagesimo secundo, dicitur quod Godefridus duxit uxorem Bonifacii Marchionis, & jussu Imperatoris a Longobardia excluditur; hîc autem dicitur quod Imperator ab Italia eam secum reduxit, & quod ipsa Beatrix fuit mater Mathildis, scilicet Marchisæ. Et habemus ab antiquis quod ipsa Beatrix fuit hæres, & Comitissa quod dicitur Briæ, Metensis

tensis diœcesis. Ipse vero Imperator non multo post in termino Saxoniæ & Thoringiæ, in loco qui dicitur Botfelt infirmatus, publicè culpas suas recognoscens, Imperii undecimo, Regni octavo, diem ultimum clausit, ac juxta patrem humatus est. Cæterum tam ejus, quam patris sui actus & virtutes Hermannus contractus in libello satis luculenter disseruit. Apud Spiram Conditus est, quam ipse ex antiquissima & diruta Nemeto, renovatam Spiram nuncupavit. Hujus fuit epitaphium illud famosum. ❧ Cæsar tantus eras quantus & orbis. At nunc in modico clauderis antro &c. ❧ Et post eum regnavit filius ejus Henricus, cui ascribuntur anni quinquaginta. Cluniacensem Ecclesiam sanctus Abbas Hugo ita renovavit, ut sit millenis fratribus capiendis idonea, inductus ad hoc monitu Beati Petri Apostoli, qui cuidam veterano apparuerat, & hoc ei injunxerat, ut Abbati diceret ex parte ejus, quatenus Ecclesiam repararet & novam inciperet. Deinde visus est ipse Apostolus tenere funiculos, & tendere, & terminos ponere conscribendæ quantitati. ❧ Obiit Rhemensis Archiepiscopus Guido, eique succedit Gervasius per annos duodecim, qui ut dicitur primo fuit Episcopus Cœnomanensis. Hic posuit Canonicos regulares in sancto Dionysio Rhemensi & ipse fecit Cervum æreum in Curia Rhemensi.

Anno 1057. Henricus filius Henrici, imperat annis quinquaginta. ❧ Coloniæ generali habito conventu Balduinus & Godefridus mediante Victore Papa ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes motus bellorum sedantur, & eidem Godefrido Duci reddita est uxor sua Beatrix Italiæ Marchisa. Tempore autem prædictæ guerræ castrum de Mirual jussu Imperatoris fuit dirutum. Obiit Arnulphus Comes; quis iste fuit, ignoratur; sed tamen quidam dicunt quod jacet apud sanctum Arnulphum Metis; Et fuit terra ejus Chaumontis ultra *Esmatiam, & castrum de Laio dedit sancto Arnulpho, &

*Comites de Salinis** ei ex una parte succedunt. Sigebertus. Balduinus junior Marchisius, Nerviorum Comitatum Imperiali munificentia & authoritate Apostolica susceptit. Rabbato Comes interfectus est.

Anno 1058. Sigebertus. In Fresonia captis ab Imperatore Henrico aliquibus castellis, Fresones a rebellione refrenantur. Paterprudonia Germaniæ Civitas combusta est cum majori Ecclesia, in Monasterio autem Monachorum Scottus quidam Monachus nomine Paternus multo tempore recluſus exire nolens, se comburi passus est. Elinandus. Eidem recluso secundum Petrum Damianum revelatum erat quia nisi populus per pœnitentiam Deum citò placaret, infra triginta dies tota civitas incendio periret. Post multa enim visa noluerunt converti. Ille autem pretiosa quæque Monasterii jussit auferri, ut salva essent. Tandem a septem Urbis regionibus subitò ignis exoritur, pervenitque usque ad cellam viri Dei; cumque rogaretur, exire noluit, sed omnia judicio Dei committens, combustus est cum sua cellula. Philippus Rex Regis Henrici filius cum esset septem annorum unctus est Rhemis præsente patre decimo Calendas Junii. Sigebertus. Fredericus filius Gothelonis Ducis ex Clerico sancti Lamberti, *septimus Levita Romanæ Ecclesiæ*, quia exosus erat Imperatori Henrico pro odio fratris sui Godefridi Ducis, post legationem Constantinopolitanam, apud Cassinenses Monachus, & postea Abbas factus, electione Romanorum Romanæ Ecclesiæ [Pontifex] CXLIV. alteratus nomine Stephani, qui Stephanus nonus dictus est, & sedit novem mensibus. Isti itaque summi Pontifices præcedentes, Clemens, Damasus, Leo & iste Stephanus, & tempore tertii Ottonis, scilicet Gregorius Bruno fuerunt *de nobili genere Teutonicorum.*

* f. Salmis

Anno

Anno 1059. Ab hoc anno Rex Francorum primus Philippus per annos quinquaginta quinque regnavit. Stephanus Papa in Civitate Florentia infirmatus, adveniente sancto Hugone Cluniacensi Abbate dicebat inimicum recedere, abeunte accedere. Sigebertus. In pago Bracbatensi juxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatæ, prodigioso prælio inter se concurrunt, & multis utrinque occisis, victa pars fugiens in cavo arboris se abscondit, altera pars vincentium more insequens, cum sibilo circumstrepebat, donec circumjecto ab hominibus igne omnes crematæ sunt. Romæ Belliternensis* Episcopus Zencius factus Papa, dictus est Benedictus decimus, & sedit mensibus decem. Iste non habetur in Sigeberto. In Anglia visio sancti Regis Eduvardi de septem dormientibus. Unde Guido Rex Angliæ Eduvardus apertissime miraculis & Prophetiæ Spiritu claruit. Die sancto Paschæ apud Westmonasterium optimatum gloria circumvallatus mentes convivantium permovit, subitum resolutus in risum. Cur riserit percunctatus? se vidisse mira respondit, videlicet septem dormientes in monte Celio ab antiquis temporibus in dextero requiescentes latere, tunc in ipsa hora risus sui latus invertisse sinistrum, futurum, ut LXXIV. annis ita jacerent, dirum nimirum miseris mortalibus omen. His auditis Comes militem, Episcopus Clericum, Abbas Monachum ad veritatem verborum exquirendam Michaëli Constantinppolitano Imperatori misere, adjectis Regis sui literis & muneribus, ut hujus inquirerent miraculi veritatem. Qui missi cum veritatem agnovissent, ab Imperatore cum honore remissi renunciaverunt Regi suo sicut viderat in cordis occulto sic eveniisse pro certo. Secundum Magistrum Hugonem Constantinopoli regnavit Eudoxia uxor Constantini, & Maniches. Deinde Romanus Diogenes cum filiis suis Michaële, Constantino & Andronico, qui

* Velitrensis.

Digitized by Google

qui postea extincto Romano per triennium regnaverunt. Guido de origine & potentia *Turcorum.* ☙ At postquam Turcorum cœpit evanescere potestas super Persas & Ægyptios, & sancta Civitas sub jugum devenit eorum per annos triginta octo quibus eam retinuerunt, majoribus molestiis cœpit fidelium populus fatigari, ita ut leve dicerent jugum Persarum, comparatione Turcorum. ☙ Turcorum autem, sive Turcomannorum gens (nam ab eodem trahunt originem, dicuntur militares Turci, Turcomani vero vulgares) post excidium Trojæ se contulerunt ad Hyperboreas regiones, Turco quodam Duce, a quo Turci dicuntur nunc usque. Accidit autem, ut illius populi maxima multitudo ab aliis seorsum incedens, & Persarum fines ingrediens, ibi per aliquot annos moram faciens sub tributo, tantum acceperit incrementum, quod habita suspicione de ipsis, consilium inierit Rex Persarum multiplicatis angariis, & consuetis pensionibus novis superadditis, eos fatigandi, quo usque sponte & communicato consilio Rege permittente discedunt ab illis finibus universi; dumque circa fluvium Chobar qui Regnum Persarum ex ea parte limitat, cum infinita multitudine potentiaque vigerent, intuitu quanto propiore tanto liberiore considerant, incipiuntque mirari quomodo servire sustinerent, quibus poterant dominari; nihilque sibi deesse perspiciunt nisi Regis imperium ad dominium super alios obtinendum. ☙ Creare sibi Regem hoc modo disponunt. De centum Familiis nobilioribus inter ipsos, & earum singulis, singulas afferentibus ex præcepto sagittas, nominibus singularum familiarum inscriptas, indicio sagittarum, unius illarum elevatæ de fasciculo per manum innocentis pueri, & ignorantis hoc ipsum eligunt digniorem, iterum de centum ejusdem familiæ nobilioribus ejusdem sortis virum Selduc nomine splendidiorem aliis elevant sibi Regem. Sub hoc ne de cætero compellantur regiones exteras circumire,

ire, non ſolum Perſarum, ſed univerſa ferè regna violenter occupant occidentalium nationum, annis vix quadraginta prius quã iter aggrederentur Hieroſolymitanæ peregrinationis Chriſtiani Principes occidentis. ⁓ Tunc erat Patriarcha Hieroſolymitanus poſt Nicephorum Sophronius. In hujus ergo tempore venerunt Turci Hieruſalem & pugnaverunt cum Saracenis; & occiderunt omnes in civitate inventos, & obtinuerunt Civitatem. Chriſtiani autem remanſerunt in Civitate ſubjecti. Et tunc temporis in Oriente non ſolum fideles ab impiis opprimebantur, verum ubique terrarum ferè; maxime tamen inter eos qui dicebantur fideles defecerat fides: quin potius permittente Domino Belfetoch Perſarum Soldanus quanto violentior, tanto potentior ſuſcitatur Chriſtiano nomini perſecutor, qui cum Romano, qui cognominatus eſt Diogenes, Imperatore Conſtantinopolitano congreſſus, eoque devicto ſimul & capto, & in contumeliam Chriſtianæ fidei faciens *aſcenſorium* ſibi de captivo, *a Laodicea Syriæ usque ad Helleſpontum* quod Conſtantinopolim perlabitur, regiones occupat univerſas itinere triginta dierum in longitudinem, & quindecim in latitudinem, populo captivato: a quo tamen Tyranno præfatus Imperator pro turpis hujus obſequi retributione liber abire dimiſſus, & indignus auguſtali ſolio judicatus eſt a ſuis, amiſſis oculis vix vivere permiſſus.

Anno 1060. Gerardus Florentiæ Epiſcopus Romæ electus in Papam, dictus eſt Nicolaus ſecundus, ſedit annis duobus, menſibus ſex. Fuit in numero Pontificum CLX. Qui ſtatim menſe Aprili indictione duodecima, vel potius decimatertia Concilium celebravit de electione Romani Pontificis, cujus tenor *in decretis* invenitur. ⁓ Sub eo floruit Archiepiſcopus Rodulphus Bituricenſis, vir ſanctus, frater Regis Franciæ Henrici. Qui Papa exemit Epiſcopum Podienſem, dicto Archiepiſcopo contradicente, & *ad judicium divinum appellante.*

pellunte. Tempore Archiepiſcopi Rothomagenſis videlicet Maurillii, ſub Abbate Heluino & Priore Lanfranco, Anſelmus annorum viginti ſeptem factus eſt Monachus de Auguſta in Langobardia natus. Henricus vero Francorum Rex Balduino Comiti Flandriæ, qui dictus eſt Inſulanus, tutelam admodum parvuli Philippi filii delegavit. Is erat fide, virtute & ſapientia æque mirandus, cujus filia Mathildis Guillelmo Normannorum Duci, necdum Anglorum Regi nupſerat, fœmineæ ſuo tempore pudicitiæ ſpecimen, pudorisque culmen. Fuit Rex Henricus miles ſtrenuus & bonus, qui potionis, ut dicitur, hauſtu male fuit potionatus. Tres habuit filios, Philippum, Robertum & Hugonem magnum *Veromandiæ Comitem*: ex quibus Robertus juvenis mortuus eſt. Soror autem ejusdem Regis Henrici Adela prædicto Balduino Inſulano peperit Balduinum hujus nominis ſextum, *Robertum cognomento Freſonem*, Philippum Patrem *Guillelmi de Ipra*, &.filias duas, *Judith* quam nupſit *Toſticus* Comes Nordanubriorum in Anglia, & Mathildem prædictam Normannorum Duciſſam. Balduinus ſextus duxit Richildem filiam unicam Raineri Comitis Hainiaci, de qua genuit Arnulphum exhæredatum & Balduinum ſeptimum *a quo Hainiaci Comites deſcendunt.* Robertus autem Friſo Gertrudem Friſonum Comitiſſam duxit in uxorem, relictam videlicet Comitis Florentii, matrem Comitis Theodorici, & genuit ex ea Comitem Robertum, qui in expeditione Hieroſolymitana memoratur, & duas ſorores ejus, Adam matrem Comitis Caroli, & Gertrudem *Duciſſam de Nancejo*, quæ peperit Ducem Simonem, & Theodoricum nobilem Flandriarum Comitem & Principem. Quæ omnia diligentius ſuis in locis proſequemur. Sororem autem iſtarum duarum natu majorem, videlicet filiam Comitis Florentii de Friſia, hoc eſt filiaſtram ſuam dedit Robertus Friſo Regi Philippo, de qua natus eſt Ludo-

Digitized by Google

Ludovicus Groſſus, & illa Conſtantia quæ fuit uxor Boamundi. ❧ Non multo poſt mortem Regis Henrici mortuus eſt Gaufridus Martellus *Comes Andegavenſis*, qui moriens Gaufrido ſororis ſuæ Comitiſſæ Vaſtinenſis filio Comitatum dedit, qui Gaufridus ſimplex fuit & imbecillis. ❧ Fulco hujus frater Comitatum corripuit, qui cognominatur *Rechia*, quia Germani ſimplicitatem crebro infrendens, ad ultimum honore privatum perpetua tenuit in cuſtodia. Hic Fulco habuit uxorem Berthredam de qua genuit Gaufridum juvenem Martellum & Fulconem, & ſororem ejus Comitiſſam Rhedonenſem. ❧ Hæc Berthreda relicta, relicto eodem marito ſuo nupſit Regi Francorum Philippo, qui legitimam uxorem ſupradictam dimiſerat & inde multæ factæ ſunt excommunicationes, ſicut in epiſtolis Yuonis continetur. Et de iis huc usque. Sicut ſuperius habetur qualiter *Monarchia mundi ab Aſſyriis per diverſa regna ad orientales Francos, id eſt Teutonicos* pervênit; ita philoſophia, id eſt, *ſapientia a Chaldæis per diverſos populos ad Gallias, id eſt Occidentales Francos* devênit hoc modo. ❧ Abraham namque veniens a Chaldæa primus docuit in Ægypto Aſtrologiam & Arithmeticam. A Chaldæis autem plantata in Ægypto, inde pervênit ad Græcos, maximè Athenis *tempore Philoſophorum*, inde ad Romanos ſub Scipionibus, [deinde] Cato & Tullius eam tenuerunt. Inde ſub Cæſaribus *tempore Poëtarum*, quando Virgilius, Horatius, Ovidius, Seneca & Lucanus floruerunt. Inde ad Hiſpanias, nuperrimè ad Gallias in diebus illuſtrium virorum, Berengarii, Managaldi, Lamfranci, Anselmi.

Anno 1061. In Ungaria regnavit Bela Pugil annis quatuor. ❧ Marianus Chronographus claret, qui a Scotia in Gallias veniens, Coloniæ factus Monachus, Regni Francorum magiſtratus * efficitur. ❧ Traditio *Vitriaci*, & abhinc anno decimo quinto invenitur annotatum, Redditio Vitriaci. ❧

Hic dicendum eſt quod Hugo vir nobilis cognomento Bardol fuit Dominus Bretiarum, id eſt de Brois, & erat ex una parte finitimus * hæres Comitis Veromandiæ. Rodulpho mortuo dictus Hugo Bardol Vitriacum invaſit, & Barrum ſuper albam : & hoc de aſſenſu Regis Philippi qui cætera quæ erant Comitis Rodulphi invadebat: reliquerat autem Comes Rodulphus ex uxore ſua quæ dicta eſt Adela filium bonæ indolis nomine Simonem, & filiam nomine Alaidam. Hic eſt Simon vir ſanctus, qui primò *Conſul & Regis Francorum primipilus*, poſtea Monachus probatiſſimus effectus. ☙ Cum Melletinus Comes Robertus ducere voluiſſet filiam Hugonis Criſpejenſis Comitis, natam de ſorore ejus uxoris, Yuo in Epiſtolis ſuis contra proponit, dicens &c. ☙ Gautherus Albus de Albemarla genuit matrem Valeriani Comitis Mellentini. Idem Gautherus Albus genuit Rodulphum patrem Rodulphi qui genuit Veromandenſem Comitiſſam, ſcilicet Adalam, ex qua nata eſt Alaiz uxor Comitis Hugonis, cujus filiam duxit Comes Robertus Mellentinus. ☙ Sed ſciendum quod Comitiſſa Alaidis ſoror ſancti Simonis, Comiti Campaniæ Theobaldo peperit duos filios, Philippum Epiſcopum Catalaunenſem, & Hugonem Campaniæ Comitem, & poſt mortem Comitis Theobaldi eadem Alaidis Hugoni fratri Regis Philippi peperit liberos utriusque ſexus, & *per illam Hugo magnus Veromandiæ Comitatum obtinuit.*

Anno 1062. Sigebertus. Anno Epiſcopus, Concilio primorum Regni indignè ferentium per Agnetem matrem Imperatoris Henrici Regnum non viriliter gubernari, puerum violenter & induſtriè captum ſub tutela ſua accepit, & imperii regimen a matre ejus amovit, & de hac re coram cunctis ratione reddita gratiam Domini ſui Imperatoris recepit, & per ipſum filium ad gratiam matris rediit. At Imperatrix neceſſitatem vertens in voluntatem, ut obſtrueret os loquentium

* f. legitimus hæres Rodulphi.

de ſe

de se iniqua, non solum honore regni sed etiam onere seculi rejecto Romæ ad limina Apostolorum se contulit, ibique usque ad finem vitæ omnibusbonis exemplo & miraculo fuit. ∞ Episcopus Otto hoc modò. ∞ Henricus primo sub custodia matris suæ Agnetis Imperatricis fuit, ipsaque per aliquod tempus prudenter ac strenuè imperium rexit: postmodum vero consilio quorumdam matri alienatus per se regnavit, quod seminarium maximæ dissensionis fuit. Porro nobilissima Imperatrix mutationis rerum intuitu ad monasterium Fructuariam, religiosè vivens se contulit, ac inde Romam veniens per aliquod tempus ibidem manens vita decessit, & in Ecclesia sanctæ Petronellæ in tumba marmorea honorificè sepulta est. ∞ Eo tempore in confinio Normanniæ & Britanniæ *portentum* visum est: in una, vel potius duabus mulieribus duo erant capita & brachia quatuor, cætera gemina, omnia usque ad umbilicum, inferius singula omnia; ridebat, comedebat, loquebatur una; flebat, esuriebat, tacebat altera: Ore gemino manducabatur, sed uno motu dirigebatur. *Una defuncta supervixit altera pene triennio* mortuam portans, donec & pondere molis, & nidore cadaveris defecit. Putatum est a quibusdam, & literis traditum quod hæ mulieres Normanniam & Angliam significarent, quæ diversæ licet fuerint, tamen sub uno Domino sunt unitæ, ut habetur in sequentibus. Hæ quidquid pecuniarum avidis faucibus sorbuerint, in lacunam unam defluit, quæ est vel principium avaritiæ, * vel circumpositarum gentium ferocia mortuam, & penè pecuniis exhaustam Normanniam, ingens pecuniis sustentat Anglia, donec & ipsa fortasse exactorum violentia succumbat.

Anno 1062. Sigebertus. Hoc anno finitur *Circulus magnus* annorum DXXXII. qui continet Cyclos novendecennales viginti octo; qui ad omnem rationem paschalis computi omnino utilis est, & ab ævo in ævum in semetipsum sine errore revol-

vitur ; ſed hoc in illo reprehenſibile eſſe videtur quod *annis Dominicæ incarnationis* ei inconſideratè præſcriptis, diſcordat a veritate Evangelii, XIIII. Lunam Aprilis in prima feria fuiſſe, quod omnino falſum eſt, quia ſecundum fidem Evangelii eo anno luna XIIII. Aprilis fuit in quinta feria, & in ſexta feria luna XV. octavo Calendas Aprilis Dominus paſſus eſt. Exercitus multus a Galliis in Hiſpanias ad debellandos Saracenos proficiſcitur, ſed omni Regione a Saracenis vaſtata, urgente fame inefficax revertitur. ❧ Robertus Balduini potentiſſimi junior filius Freſiam ſubintrat. ❧ Eo tempore Rex fuit *in Gallicia* Sanctius ſive Fernandus nomine, qui tres habuit filios, primogenitum Sanctium, Petrum cognomento Alphonſum,& Fernandum ; horum duo ultimi fuerunt *ex matre de genere Francorum*, quod ita probatur. ❧ Dictum eſt ſuperius in anno Domini 1031. quod Neptis ex ſorore Regis Francorum Roberti Beatrix nomine, Comiti Ebalo de Rocejo peperit Ælidem & Haduvidem. Iſtam Ælidem duxit Comes Hildevinus de Ramerut, & per eam factus eſt Comes de Rocejo, & genuit ex ea duos filios & ſeptem filias : duo filii fuerunt Ebalus, alter de Rocejo, & Andreas de Ramerut & Arceis Comites. De ſeptem filiabus,Ebali & Andrææ ſororibus,prima prædicto Regi Galliciæ Sanctio, *qui ſe Imperatorem nominabat Hiſpaniæ* peperit prædictos duos fratres, Petrum Hildephonſum ſive Alphonſum, Regem Galliciæ & Caſtellæ potentiſſimum, & fratrem ejus Ferdinandum, qui poſt eum totum Regnum tenuit. ❧ Secunda ſoror Beatrix nomine Rotroldo Comiti de Pertico peperit Comitem Rotroldum, & Margaretam de Novoburgo in Normannia,cujus filia Juliana de Aquila fuit mater *Reginæ Navarreorum.* ❧ Tertia ſoror Margareta Comiti *Hugoni de Claromonte* Belluacenſi peperit Comitem Rainaldum & ſorores ejus, de quarum una fuerunt Comites Bellimontis. De iſto autem Comite Rainaldo

plures

plures fuerunt filii & filiæ, quos breviandi ratione neceſſe eſt prætermittere. ☙ Quarta ſoror nomine Ermentrudis Theobaldo *Comiti de Rinello* peperit Hugonem & Hildegardem matrem Ebali de Buxi & de Monteforti & aliorum multorum. ☙ Quinta ſoror Ælis de Serrata in Burgundia peperit Ebalum, & venerabilem Epiſcopum Laudunenſem Bartholomeum & eorum ſorores, quarum una Henrico *Comiti de Grandiprato*, Hescelini filio peperit illum Henricum qui ſepultus eſt in Fusneto, qui Hescelinus Comes de Grandiprato fratrem habuit Rogerum *Comitem Percenſem*, cujus filia fuit Sybilla. ☙ Sexta ſoror ſupradictarum Ada nomine de cujus progenie ſunt illi *de Ruez & de Audenarde*, & fuit *de Guiſia* honeſtiſſima Domina. ☙ Septima ſoror Adela Arnulpho *Comiti de Chisneo* peperit Comitem Ottonem patrem Comitis Alberti, & ita in infinitum. ☙ Et quia occaſione *Regum Hiſpaniæ* genealogiam hanc in medio tulimus, ſequitur in vita ſancti Hugonis Cluniacenſis Abbatis de ejusdem Regibus: Hildephonſus Rex Hiſpaniarum plus omnibus ſanctum Hugonem excolebat, quia precibus ejus de captione fratris emerſerat, qui frater ejus nomine Sanctius ille primogenitus per quemdam Epiſcopum admonitus eſt ex parte Beati Petri, qui illi apparuerat, ut fratrem ſuum Hildefonſum relaxaret, & eum usque ad ſceptrum proveheret. Poſtea ipſe Beatus Petrus Apoſtolus hoc idem eidem Sanctio, comminando mortem niſi hoc faceret, intimavit, qui mox ſurgens exturbatus fratrem emancipavit, duplicato cenſu paterno. Hildefonſus autem emancipatus interceſſoribus ſuis Cluniacenſibus ducentas auri uncias annuatim ſolvere decrevit, & diem liberationis ſuæ celebrem eis reliquit. ☙ Alexander Lucenſis Episcopus qui dicebatur Anselmus Romæ factus Papa ſedit annis undecim, menſibus ſex, diebus viginti quinque, contra quem Cadelo Parmenſis Episcopus Papatum ambiens magno ſcandalo Eccleſiæ

cleſiæ fuit, quia longa inter eos concertatio etiam usque ad homicidia prorupit. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ His diebus Alexander primo Lucenſis Epiſcopus, poſt communi voto & electione in ſummum Pontificem promotus, Eccleſiam Dei in priſtinam libertatem reduxit, Cadolumque Parmenſem Epiſcopum ſedem Romanam armata manu occupare volentem conſtantiſſimè repreſſit, unde de ipſo in palatio Lateranenſi ſcriptum reperi. Regnat Alexander, Cadolus cadit & ſuperatur.

Anno 1064. Dictum eſt ſupra in anno 1052. quod Adala *Comitiſſa Arelunæ* vel Arelenſis, id eſt caſtrum de Erlans quod tempore paganorum fuit Civitas, ſoror Sigisfridi fuit, filia ſcilicet Ducis Theodorici. Hæc autem Adala Comitiſſa duos habuit filios, Fulconem & Galeranum. ☙ Fulco vero genuit Comitem Fredericum & Beatricem, qui ambo mortui ſunt ſine liberis, & jacent apud ſanctum Hubertum in Ardenna. Galeranus vero per uxorem ſuam cœpit habere dominium ultra Moſam prope Leodium, & inchoavit ædificare caſtrum de *Lemborch*. ☙ *Cyclus magnus* annorum quingentorum triginta duorum bis a Chriſti nativitate exactus tertiò incipit. Super hunc locum male *de Cyclo paſchali* dixit Elinandus, non attendens quod primus annus nativitatis Chriſti adſcribatur ſecundo anno tabulæ Dionyſii, non primo, ſicut venerabilis *Beda & alii Doctores operis latiſſimi* ſentiunt. ☙ Dominus *Hermannus* nobili Alamannorum proſapia procreatus, hoc anno ſuum *computum* edidit, & famoſam de naturali lunæ diſcurſu quæſtionem ſubtiliſſimè inveſtigatam abſolvit, qui a prima ferè ætate a renibus deorſum *contractus*, & toto vitæ ſuæ tempore ambulandi usu privatus, quia hoc Dei flagellum patientiſſimè tulit & inſuper gratias egit, *absque humano magiſtro*, in omni liberali ſcientia novus, Dei dono, Philoſophus apparuit. Erat autem moribus tranquiliſſimus, charitate diffuſus, ſcientia (quod apud alios rarum

rarum est) benevolus, affabilis omnibus, pauperum curâ solicitus, virginitatis castitate integerrimus. ☙ Apud Virdunum Theodoricus erat Episcopus. ☙ Et apud Tullum Udo erat Episcopus.

Anno 1065. Frederico Duce mortuo Godefridus *Ducatum suum* recepit. ☙ Hujus Frederici relictam nomine Raclendem duxit *Comes Namurcensis* Albertus, & genuit ex ea Godefridum. ☙ Sanctus Eduvardus Anglorum Rex obiit, eique Haroldus per annum succedit. ☙ In Anglia sub sancto Eduvardo Rege isti fuerunt *Cantuariæ Archiepiscopi.* ☙ Dictum est superius quod ab Edisio fuit coronatus. ☙ Post hunc Edisium tres isti sequuntur: Suvardus, Robertus, Stigandus, qui paulo post fuit depositus. ☙ Cum Rex Eduvardus pronus esset in senium, quia liberos non suscepérat, Guillelmo Duci Normanniæ Roberti filio qui Richardi, quem fuisse fratrem Emmæ matris Eduvardi prædiximus, tanquam proximè sibi Consanguineo successionem Angliæ dedit: Quapropter Haroldum in Normanniam misit, qui eidem Guillelmo successionem Angliæ post mortem Eduvardi sacramento firmavit, unde & filiæ ejus necdum nubilis desponsione donatus familiarium partium habebatur, sed defuncto Rege Eduvardo Haroldus sacramento contempto, extorta a Principibus fide, arripuit Angliæ diadema. ☙ Haroldus iste frater fuit Egithæ Reginæ, filius Godevini Comitis. Iste Godevinus necem cujusdam fratris Edvvardi Regis procuraverat in occulto. ☙ Cum igitur sanctus Eduvardus suspectum eum haberet de nece germani sui, ille purgare se volens, dum juxta Regem quadam die in convivio resideret, ait, non patiatur Dominus, ut istum cibum transglutiam, si fui conscius mortis illius. Hoc dicto, cibo quem in os immiserat suffocatus ad mortem oculos invertit,

Haroldus etiam iſte filius ejus, quamvis non paucis præditus eſſet virtutibus, fertur parum adverſus perfidiam ſibi conſuluiſſe. Unde ſæpe conventus a Guillelmo per Nuntios ſuper tribus, ut vel Regno ſecundum conſuetudines cederet, vel ſub eo regnaturus teneret, vel certe ſpectante utroque exercitu *gladio rem ventilarent*, legationes Guillelmi quibusdam reſponſionum præſtigiis illudebat, dicens ſe ſacramento liberatum, quod filia Guillelmi quam deſponderat, citra nubiles annos obierat, & quia inconſulte absque generali conſenſu Anglorum & edicto, alienam hæreditatem ei juraverat, proinde ſtultum ſacramentum eſſe frangendum. ❧ In Ungaria poſt Beſam pugilem regnavit Salomon annis undecim. ❧ Sigebertus. ❧ Multi ad ſeptem millia orandi voto Jeruſalem petentes, ab Arabitis in paraſceve in quodam caſtello obſeſſi ſunt, & tot occiſi aut vulnerati ſunt, ut de ſeptem & eo amplius millibus vix duo millia reverſi ſint. ❧ Quidam Bozelo Comes Bohaniæ moritur, procuranteque Uxore ſua Ermentrude in Abbatia S. Huberti ſepelitur. ❧ Horum erant quatuor filii Cuno, Rodulphus, Guido, Henricus.

Anno 1066. Cometes apparuit tota paſchali Hebdomada. Guillelmus. longos & flammeos crines per mane ducens de quo quidem *Monachus Malmesberiæ Edmerus* nomine. Veniſti, inquit, veniſti multis matribus lugende; dudum eſt quod te vidi, ſed nunc multo terribiliorem intueor patriæ hujus excidium minitantem. Is erat literis bene imbutus, ævo maturus, qui immanem audaciam in juventute conatus fuerat. Nam pennas in manibus ſuis & pedibus neſcio qua arte innexuit, ut dædali more *volaret* fabulam pro vero amplexus; collectaque e ſummo turris aura *ſpatio ſtadii unius & plus volavit*,, ſed venti & turbinis violentia, ſimul & temerarii facti conſcientia tremulus cecidit. Propter hoc debilis crura effractus. Ipſe vero ferebat cauſam ruinæ ſuæ quod caudam in poſte-

posteriori parte oblitus fuerat adaptare. ☙ Sigebertus. ❧ Harvich *Rex Norvegiæ* cum mille penè navibus venit in Angliam regnaturus, & in urbe Eboraci plusquam mille laicos, centum presbyteros de Anglis occidit. Iste Harvich, seu Harvagra, dictus alio nomine Haroldus pulchrè crinitus Rex Norwegorum frater Olavi, Imperatori Constantinopolitano in juventute militavit, cujus jussu quia vim intulerat illustri fœminæ Leoni objectus est, qui belluam nudo lacertorum nisu suffocavit. ☙ Hic igitur Rex factus duos genuit filios qui post se Reges fuerunt Noricorum, Olavum & Magnum. Olavi filius alter Magnus, cujus filii Hasten & Smardus. ☙ Super hunc locum habetur in vita sancti Eduvardi quod ipse sanctus Rex post mortem apparuit Abbati Rameſiæ Helfino, & misit eum ad Regem Angliæ Haroldum, mandans, ut contra Regem Noricorum exiret intrepidus & de victoria securus. ☙ Unde sequitur Sigebertus. ❧ Haroldus ergo Rex Anglorum cum septem legionibus superveniens Harvich cum multis occidit. ☙ Alia autem narratio habet quædam vulgaris, quod Rex Guillelmus eumdem Abbatem Helfinum ad se accersitum ad Regem Daciæ miserit. & quod idem Abbas in reditu in mari periclitatus, de solennitate Conceptionis Beatæ Mariæ facienda sit commonitus & edoctus. ☙ Sigebertus. ❧ Interim Guillelmus Dux Normannorum cum Francis Angliam intrat, & conserto cum Anglis prælio Haroldum cum multis millibus perimit, & regnat in Anglia annis viginti duobus. ☙ Episcopus Otto. ❧ Stella quæ Cometes dicitur visa effectu non caruit. Eodem anno Guillelmus Normanniæ Dux Britanniam majorem, quæ nunc Anglia dicitur, occiso Rege ejus Haroldo expugnavit, totaque in servitutem redacta provincia, ac Normannis ibi positis tempore illo regnavit. Hoc qualiter factum sit, latius est persequendum. ☙ Guido. ❧ Dux Guillelmus ne justam causam videretur decolorare teme-

ritate, *ad Alexandrum Apoſtolicum miſit*, juſtitiam belli ſuſcipiendi, quantis poterat facundiæ verbis allegans. Quod quia Haroldus facere ſuperſedit, Papa partibus apud ſe utrinque perpenſis, vexillum in omen Regni Guillelmo contradidit. Quo ille accepto belli neceſſaria largis ſumptibus expediens, cum magno & forti exercitu apud ſanctum devenit Walericum, ubi multis diebus eos remorante vento, Dux habito Conſilio corpus ſancti Walerici pro vento deprecando ſub divo juſſit exponi. Nec mora interceſſit, quin prosper ventus carbaſa impleret, Duce primùm in altum provecto, cæteris ad prætoriæ puppis vermiculatum velum convolantibus placido curſu Haſtingas appulerunt. ❧ In egreſſu navis pede lapſus eſt Dux acclamante ſibi proximo milite: Tene Dux Angliam, in proximo Rex futurus. ❧ Interea Rex Haroldus de pugna contra Noricos victor revertebatur, allatoque ad ſe Nuntio adventus Normannici Haſtingas pertendit. Igitur utrinque Duces animoſi diſponunt acies, patrio quisque ritu. Angli totam noctem inſomnem cantibus potibusque ducentes, mane incunctanter in hoſtem procedunt: contra Normanni tota nocte confeſſioni peccatorum vacantes, mane dominico corpori communicarunt. Dux vultu ſerenus & clara voce, parti utpote juſtiori Deum pronuntians affuturum, arma popoſcit, moxque miniſtrorum tumultu loricam inverſam indutus, caſum riſu correxit. Vertetur, inquit fortitudo ducatus mei in Regnum. Tunc *Cantilena Rolandi inchoata*, ut martium viri exemplum pugnaturos accenderet, inclamatoque Dei auxilio, prælium conſertum bellatumque acriter, neutris in multam diei horam cedentibus. Valuit hæc viciſſitudo quantum Haroldi vita moram fecit: at ubi ictu ſagittæ violato cerebro procubuit, fuga Anglorum perennis in nocte fuit. Jacentis femur unus militum gladio proſcidit, unde a Guillelmo ignominia notatus quod rem ignavam & pudendam feciſſet:

ciſſet, militiâ pulſus eſt. ☙ Vexillum Haroldi poſt victoriam miſit Apoſtolico Guillelmus, quod erat in hominis pugnantis figura, auro & lapidibus arte ſumptuoſa contextum. Ille ubi perfecta victoria potitus eſt, ſuos ſepeliendos mirificè curavit, hoſtibus quoque, ſi vellent exequendi licentiam dedit. Corpus Haroldi ſine pretio matri repetenti miſit, licet illa per Legatos multum obtuliſſet. Quod acceptum ſepelivit intra Eccleſiam quam ex proprio ipſe conſtructam in honore ſanctæ Crucis apud Watem Canonicis impleverat, ad decem leucas de Londonia. ☙ Senſim ergo Guillelmus, ut triumphatorem decebat cum exercitu, non hoſtili, ſed regali modo progrediens, urbem Regni maximam Londinum petit, moxque cum gratulatione cives omnes effuſi obviam vadunt. Prorupit omnibus portis turba ſalutantium. ☙ Tunc ille haud dubiè Rex clamatus eſt die natalis Domini, coronatus ab Alredo Eboracenſi Epiſcopo, nolens hoc munus accipere a Stigando Cantuarenſi, quia non legitimè factus erat Epiſcopus. ☙ Guido. ☙ Decanus & cuſtos Eccleſiæ ſancti Quintini Veromandenſis, & Archidiaconus Laudunenſis conſtituitur Belluacenſis Epiſcopus, & a Gervaſio Rhemenſi Metropolitano conſecratur. ☙ Contra Manaſſem Comitem de Reteſt Epiſcopus Theodoricus Virdunenſis caſtrum ſanctæ Menehildis cepit,, & caſtrum de Setunia ſubvertit, Alenem etiam de Duno, & Dudonem de Claromonte perdomuit, ſed Comes Rodulphus de Crespejo *vitricus Regis Philippi* iterum Virdunum incendit. ☙ Eccleſia Hoienſis conſecratur a Theoduino Leodienſi Epiſcopo præſente Lieberto Cameracenſium Epiſcopo. ☙ Obiit *ſanctus Theobaldus* in Vincentia Venetiæ urbe recluſus, qui quod acceptè ſervierit Deo, poſt mortem ejus miraculorum prodidit magnitudo. Oſſa ejus in Gallias translata, multam multis in locis venerationem meruerunt. ☙ Apud

Catalaunum Epiſcopo Rogerio hujus nominis ſecundo, Rogerius tertius ſuccedit.

Anno 1067. Sigebertus. Cuno qui & Conradus Primicerius Colonienſis ab Imperatore Henrico ad ſuſcipiendum Archiepiſcopatum miſſus, captus a Comite Treverorum Theodorico & a Satellitibus ejus ductus, in ſylva de rupe tertiò præcipitatur, & adhuc illæſus gladio transverberatur. Corpus ejus foliis ſylvæ obtegitur, quod a ruſtico inventum in villam defertur & ſepelitur. Inde a Theodorico Virdunenſium Epiſcopo transportatum ad Tholegium Monaſterium, multis ſtatim miraculis a Deo glorificatur. ☙ Sigebertus. ❧ Obiit Balduinus potentiſſimus, *Marchiſus*, Inſulæ ſepultus. ☙ Elevatio ſancti Macarii. ☙ Odo fit Archiepiſcopus Treverenſis. ☙ Archiepiſcopus Rhemenſis Gervaſius obiit. ☙ Eodem anno Rex Henricus Bertham Ottonis Italici Marchionis filiam uxorẽ accipiens [nuptias] apud Tiburias celebravit. ☙ Rex Angliæ Guillelmus in ſubjectos lenis, in rebelles inexorabilis, Religionem Chriſtianam, quantum ſecularis poterat, ita frequentabat, ut quotidie Miſſæ aſſiſteret, veſpertinos & matutinos Hymnos audiret, eleemosynæ curam habuit, transmarinis Eccleſiis multas poſſeſſiones in Anglia largitus eſt, nec ullum ferè Monaſterium, præſertim in Normannia fuit quod ejus munificentia pertranſiret.

Anno 1068. Sigebertus. Theodoricus Comes Trevérenſis, & martyrizato Cunone apud Deum & homines reus, exiliatus ab Imperatore, & ſuſcepta peregrinatione Hieroſolymam eundi, quid de eo & de omnibus qui in comitatu pergebant actum ſit, adhuc neſcitur, ☙ Guido. ☙ Quia inter Regem Angliæ Guillelmum & ejus uxorem Mathildem fuerat conſanguinitas, pro hujus facti expiatione ipſe ædificavit Monaſterium ſancti Stephani Cadomis, & magnificè dotavit, ubi Lanfrancum præficit Abbatem; & illa fecit Monaſterium

ſium ſanctæ Trinitatis. ☙ Idem Rex aſſumpto diademate, & pace compoſita Legatos miſit ad exteras nationes, ut a præclaris omnium Regum domibus quidquid magnificum, & mirificum videretur, referrent. ☙ Miles quidam in præſentia Regis Guillelmi cum non haberet quod offerret in quodam die Paschæ, dedit ei Rex in inſtanti quadraginta ſolidos, quos in pallio ſuſcipiens ſtatim obtulit omnes ad altare ſacerdoti, nihil ex eis ſibi retinens. Quod videns Rex Guillelmus, dedit illi militi omnia dona & xenia quæ ſibi data & præſentata fuerunt in illo feſto. ☙ Arnulphus Chisniaci, & uxor ejus Adela quædam contulerunt Eccleſiis. ☙ Fuit etiam idem Arnulphus Comes de Guiel & de Ware, & ejus uxor Adela ſoror fuit Comitis Ebali de Rocejo, & uxor ejus Ebali dicta eſt Sybilla.

Anno 1069. Sigebertus. Fluminibus glaciali rigore conſtrictis Imperator Henricus terram Liuticianorum ingreſſus, eos nimia cæde proſternit, & terram nimium depopulatur. ☙ Hinc Francis, hinc Scotis Angliam infeſtantibus, Angli fame conſumuntur, multi eorum humanis carnibus veſcuntur. ☙ Archiepiſcopus Rotomagenſis poſt Malgerium fuit Maurilius Fiſcanenſis Monachus plenus multis virtutibus, & maximè abſtinentia. Is ad extrema deveniens, vitali privatus habitu fere dimidia die jacuit defunctus: tandem cum pararetur in Eccleſiam ferri, reſumpta anima ait ad circumſtantes. Ultima, filii, paſtoris veſtri verba ſuſcipite. Naturaliter mortuus fui, ſed ut vobis nuntiarem quæ vidi reductus ſum, nec diu ſubſiſtam, quia dormire in Domino delectat. Ductores mei veſtibus ornati & vultibus ad omnem elegantiam erant, nihil delectabilius eorum nitido ſermone, gaudens cum eis ibam, ut mihi videbatur verſus orientem. Promittebantur mihi ſedes paradiſi non multo poſt intrandæ; in momento præterita Europa, ingreſſi Aſiam venimus Hieroſolymam, ubi ſanctis

sanctis adoratis Jordanem pertendimus. Citerioris ripæ accolæ ductorum meorum mixti contubernio lætum cœtum fecere. Ego studio visendi ulteriora transitum maturabam. Tunc Comites mei Dominum præcepisse referunt, ut ante dæmonum visione terrificarer, quatenus veniales culpæ, quas *confessione* non dilueram, pavore illo horrendarum formarum purgarentur. Adhuc illis loquentibus, adstitit ex adverso tanta vis dæmonum hastilia acuta vibrantium, & ignes afflantium, ut ager ferreus, & aër flammeus videretur. Ita horrore concussus sum, ut nec in cælo nec in terra tutum mihi refugium æstimarem. Ita meticulosus ego dum quo evadam dubito,* ut hæc dicens saluti vestræ, nisi negligitis, consulerem, recepi halitum confestim effusurus. ☙ Dixit, & penè cum verbo emisit spiritum, Corpus ejus in Ecclesia sanctæ Mariæ sepultum, miraculo, ut ajunt, divino tribus pedibus altius supra terram elevatum est. Guido Bellovacensis Episcopus duobus annis perfectam dedicavit Ecclesiam in honore Divi Quintini advocati sui Martyris quarto Nonas Octobris. ☙ Hierosolymis post Nicephorum Patriarcham ordinatur & præfuit Euthymius, deinde Simeon.

Anno 1070. Manasses ordinatur Rhemensium Archiepiscopus per annos sexdecim. De matre ejus dictum est superius in anno 1031. quod ipsa fuit Beatrix de Hainaco neptis Regis Roberti; Pater vero ejusdem Archiepiscopi dictus est *Manasses Calua asina*, & fuit frater Comitis Hildevuini *de Rameru*, sive de Rocejo. Horum etiam duorum frater fuit *Comes Suessionensis* Guillelmus nomine, qui genuit Joannem & Renaldum Comites, & Manassem Episcopum Suessionensem. Horum soror Yuoni de Nigella peperit Comitem Radulphum *Castellanum de Burges*, & Theodoricum Archidiaconum Kameracensem. ☙ De Radulpho Castellano nati sunt Comes Cono, Joannes pater Joannis de Nigella, & iste qui adhuc vi-

vit

vit Comes Radulphus Sueſſionenſis. *Gerardus de Alſatia Dux Moſellanorum* moritur hoc anno, cui ſuccedit Theodoricus filius ejus. Prædictus Dux Gerardus de Alſatia cum iſto Duce filio ſuo Theodorico habuit etiam alterum filium nomine Gerardum qui fuit primus *Comes Waudani montis.* Iſte Comes Gerardus duxit filiam Comitis de Daburg, Neptem ſancti Leonis Papæ de qua genuit Comitem Waudani montis Hugonem & ſororem ejus Gislam, quæ fuit Comitiſſa Barri, ut inferius dicetur. Moritur etiam *Dux Bulloni Godefridus magnus qui dictus eſt Barbatus*, & apud Virdunum requieſcit, cui ſucceſſit filius ejus *Godefridus Gibboſus*, etſi corpore exiguus, tamen animo eximius. Sigebertus. Ungari contra Salomonem Regem ſuum rebellionem meditantur, ſed terrore Henrici Imperatoris, cujus ſoror nupſerat Salomoni, refrenantur. Obiit Balduinus Marchiſus qui Hasnonii ſepultus eſt. Epiſcopus Laudunenſis dicebatur Elinandus, & Epiſcopus Pariſienſis Joffridus.

Anno 1071. Sigebertus. Robertus frater Balduini conſenſu Flandrenſium contra Arnulphum fratruelem ſuum Flandriam occupat. Arnulphus cum Philippo Francorum Rege occurrit patruo ſuo Roberto, & pugna conſerta Arnulphus perimitur. Philippus Rex fuga liberatur, & multis occiſis, hinc Richildis, Arnulphi mater, illinc Robertus rapitur, & altero pro altero relaxato, bellum contra eos vario eventu protrahitur. Hoc undecimo Calendas Maji agitur. Treveris in Eccleſia ſancti Paulini Martyris in crypta ſubterranea invenitur corpus ſancti Paulini, quod olim a Frygia ubi exularat reportatum, ibi a Felice Epiſcopo catenis ferreis fuerat ſuſpenſum, & juxta eum multa corpora ſanctorum ad dextram ejus, ſcilicet Palmatius Conſul & Patritius Treverorum; ad ſiniſtram Tyrſus unus de Principibus Thæbeæ Legionis cum multis Thæbeorum in hac urbe a Rictiovario martyrizatis. Ad caput ſep-

Digitized by Google

tem Senatores urbis. Maxentius, Conſtantius, Crescentius, Juſtinus, Et tres fratres, ſcilicet Leander, Alexander, Et Soter. Ad pedes, Ormilda, Papyrius, Conſtans, Jovianus. Et cum multi alii ibi jacerent, horum tantummodo nomina, & tempus & dies paſſionis aureæ literæ in pariete ſcriptæ ſignabant, eosque omnes ſub Rictiovaro paſſos fuiſſe dicebant. ❧ Godefridus Dux ulteriores Freſones bello aggreſſus, eos pene ad internecionem delet. ❧ Alexander Papa venienti Romam *Lamfranco Archiepiſcopo* dignanter aſſurrexit, profeſſus ſe illud inſigne reverentiæ detuliſſe, non honore Archiepiſcopi ſed amore magiſtri. Item de conflictu cauſæ quam habuit idem Lamfrancus contra Bajocenſem Epiſcopum Odonem habetur in miraculis ſancti Dunſtani, & de ſancto Ulſtono Vigornenſi Epiſcopo *quem deponere voluit* idem Lamfrancus, habetur in vita ſancti Edvvardi Regis. Prædictus autem Ulſtanus Vigornenſis Epiſcopus, cum de parva literarum ſcientia pulſatus foras concilium exiſſet, ut ſtrictiori Concilio reſponſum promeret ſuum, remoto animo a tumultu ait ad ſocios, credite mihi, nondum cantavimus horam ſextam. Sociis autem referentibus prius quod venerant expedirent, ſatis ſuperque ſufficeret cantibus. Regem & proceres ſi hoc audierint, riſui ſe haberi opinaturos ait: Credite mihi, prius faciamus Dei ſervitium, & poſt agitabimus hominum litigium. Hora igitur cantata & nulla tergiverſatione excogitata, nullo commutato ſplendore viri, confeſtim aulam intrare perrexit. Suis eum retinere tentantibus perſuaderi non potuit, quin potius illis cauſæ ſuæ timentibus; Pro certo, ait, noveritis me viſibiliter videre hic ſanctos Archiepiſcopos Dunſtanum Cantuarienſem, & Oswaldum Eboracenſem qui hodie precibus ſuis me tuentes falſiloquiorum acumen hebetabunt. Itaque data benedictione Monacho minimæ

nimæ facundiæ viro, ſed tamen Normannicæ linguæ ſciolo, rem perorans obtinuit.

Anno 1072. Balduino juniore Flandrenſi Comite &c. Guido ſic refert. Balduinus Inſulanus *Comes Flandriæ* pater Mathildis Anglorum Reginæ duos filios habuit Balduinum & Robertum. Qui Balduinus junior poſt Papam Flandriæ Comes immaturè fato functus eſt, ſuperſtitibus duobus liberis Arnulpho & Balduino de Richilde uxore Comitiſſa Hainonenſi, quorum tutelam Philippo Regi Francorum, cujus amitæ filius erat, commiſit. Robertus vero Patre ſuperſtite Comitiſſam Friſiæ uxorem nactus, Friſonis nomen accepit, qui Robertus Friſo, occultatis inſidiis inopinum nepotem ſuum Arnulphum nequidquam fortiter agentem excepit, & Flandriæ Comes effectus eſt. Pacem cum Philippo Rege Francorum comparavit, data ſibi in uxorem privigna. &c. Richildis vero Comitiſſa ad Theodvinum Epiſcopum ſe contulit, & ei Montenſe Caſtrum cum omni honore de Hainaco illi ſubjecto ſanctæ Mariæ, ſanctoque Lamberto emendum obtulit, & venditum caſtrum cum ſuis appenditiis ab eodem Epiſcopo in Feodum recepit. Epiſcopus Otto. Itaque cum, ut ſæpe dixi diadema Regni a ſacerdotali gladio feriendum foret, in ſemetipſum dividitur, Saxonibusque rebellionem meditantibus, conſpirationes fiunt, detractiones in Principem dictant, multaque inhoneſta de ipſo ad aures ſummi Pontificis referuntur. Deinde miſſis a Rege, Annone Colonienſi, Hermanno Bavemburgenſi pro Juſtitia Regni Romam Epiſcopis, peracta legatione revertentes, literas ſummi Pontificis reportant, Regem ad ſatisfactionem pro Simonia, aliisque multis quæ ei objecta fuerant invitantes. Ea tempeſtate Saxones conceptam diu corde malitiam amplius celare non valentes, manifeſtè Regi rebellant, caſtellaque & munitiones quas ibidem fecerat, diſſipant.

Digitized by Google

Anno 1073. In hoc anno *magnis duobusannis* a decimo quinto anno Tyberii Cæsaris revolutis, omnia secundum decursum solis & lunæ concordant, illi anno quo baptisatus est Jesus Christus, id est octavo idus Januarii, die Dominico Epiphaniæ initium jejunii ejus in secunda feria. Sigebertus. Duobus fratribus *Russorum Regibus* de Regno contendentibus, alter eorum a consortio Regni pulsus interpellat Henricum Imperatorem, se & Regnum Russorum ei submittens, si ejus auxilio Regno restitueretur, sed id frustra fuit, quia gravissima in Imperio Romano orta dissensio, monebat magis sua tueri, quam aliena acquirere. Saxones enim multis & magnis injuriis & injustitiis ab Imperatore affecti, contra eum rebellant, ad quos debellandos Imperator instanter intendit. Hermannus Leodiensis Clericus fit Metensium Episcopus. Guillelmus. Hildebrandus Archidiaconus qui post Papa Gregorius septimus, ut audivi a quodam qui hoc audierat referre Abbatem Cluniaci Hugonem, cogitationes aliorum Prophetico mentis intuitu nunciabat, quem ideo Alexander Papa Cancellario Apostolicorum præfecerat. Pro cujus officii intuitu Hildebrandus tamquam Cancellarius circumibat provincias, ut perperam acta corrigeret. Die quadam cum equitaret cum multa turba obsequentium, Abbas Hugo in extremo cum suis Monachis persequebatur, visoque eminus tanti viri honore, cœpit cogitare in animo suo unde esset tantus honor homuncioni exilis staturæ, despicabilis parentelæ. Proculdubio hoc ei ex superbia accidere quod tot ambulatores haberet. Vix hæc mente verterat, cum Archidiaconus reflexo equo & calcaribus incitato, a longe clamans, & Abbatem advocans. Tu, inquit, male cogitasti. Non enim mihi hanc gloriam (si gloria dici debet quæ cito transit) imputo, vel ab aliis imputari volo, sed beatis Apostolis quorum privilegio mihi exhibetur. Erubescensque Monachus hoc secum respondit. Quæso,

Domi-

Digitized by Google

Domine, quomodo noſti cogitatum meum? Ab ore, inquit tuo, quia per fiſtulas ad aures meas deductus eſt. ❧ Item Eccleſiam aliquando ingreſſi Abbas & Archidiaconus, ut orarent,, continuatis & junctis lateribus proſtrati, diutius oraverunt, tunc reſpexit Archidiaconus Abbatem turbulento rictu infrendens. Abbas foras egreſſus cauſam commotionis inquiſivit, cui ille, ſi me amare vis, cave ne ulterius me hac injuria expungas. Dominus enim meus Jeſus ille, ſpecioſus præfiliis hominum poſtulationibus meis viſibiliter aſtabat, intendens dictis, & ſerenis favens oculis, ſed orationis tuæ adductus violentia, me deſeruit ad te converſus. Puto eſſe genus injuriæ amico eripere authorem ſalutis ſuæ. Præterea noveris mortalitatem hominum, & huic loco imminere excidium. Vidi enim Angelum Dei ſtare ſuper altare evaginato gladio, & jam provinciam iſtam ſpiſſus & nebuloſus aër circumvoluebat. Fugiamus ergo quantò citius. His dictis introeuntes diverſorium ad curam corporis aſſedere, continuoque dapibus appoſitis exortus eſt in domo luctus pluribus ex familia ſubitò extinctis. Qua peſte per univerſas ædes graſſante, mox aſcenſis mulis defugerunt. ❧ Alexander Papa hujus nominis ſecundus vita & ſacerdotio perfunctus deceſſit, ſedemque Hildebrando ſupradicto Archidiacono ſuo, qui Gregorius ſeptimus dictus eſt, reliquit. ❧ Unde Sigebertus. ❧ Hildebrandus Archidiaconus Romanorum, qui & Gregorius, fit Papa. ❧ Magiſter Hugo. ❧ Sedit annis duodecim menſe uno, diebus tribus. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Facto igitur Hildebrando Papa, ex hinc ſchisma graviſſimum, eoquod absque conſenſu Regis per electionem conſtitutus fuerat, oritur: ipſe autem qui per multum temporis ad libertatem Eccleſiæ obtinendam privatus laboraverat, jam ad ſacerdotalem dignitatem provectus, a cœpto deſiſtere indignum ducens, tam ab hoc, quam a ſymonia extirpanda, ac incontinentia Clericorum

rum reprimenda plurimum desudabat. ☙ *Beatrix Marchisa, & ejus filia Mathildis apud Fraxinetum* fundaverunt Abbatiam in Alpibus Appenninis, ☙ Hermannus Episcopus Metensis Romæ obiit hoc anno.

Anno 1074. Sigebertus. Papa celebrata Synodo Simoniacos anathematizavit, & uxoratos sacerdotes a divino officio removit, & Laicis Missam eorum audire interdixit. ☙ Episcopus Otto. ☙ Denique Papa non solum Regem per hujusmodi ad Synodalia responsa crebro notavit, sed & datis decretis Clericorum *a Subdiaconatu, & supra connubia* in toto orbe Romano prohibuit. ☙ Comes Simon Romam abiit, consilium & pœnitentiam requirit, dum regio per guerram inter ipsum & Regem Philippum devastatur. Papa Gregorius jussit, ut arma redderet, & sic pœnitentiam indixit. De qua pœnitentia partem Papa super se retinuit, partem duobus religiosis distribuit, & sic absolutum eum ad propria remisit, arma reddidit, & terram gubernandam donec cum Rege pacem reformaret, commendavit: adhibens etiam ei custodiam Hugonem Episcopum Diensem tunc in Francia Cardinalem, & Hugonem Abbatem Cluniacensem.

Anno 1075. Henricus Imperator Saxones gravissimo prælio vicit, eosque iterata expeditione perurgens, cunctos eorum Principes, Episcopos, Duces, Comites, cæterosque potentes ad deditionem coegit. ☙ Ungari contra Imperatorem rebellant, Regemque suum Salomonem Regno deturbatum sub diurna custodia exeruciant. ☙ In Ungaria post Salomonem regnavit Rex Magnus nomine annis tribus. ☙ Theoduvinus Leodiensis Episcopus nono Calendas Junii obiit, & Hoij in Ecclesia Beatæ Mariæ sepelitur, cui Henricus Virdunensis Archidiaconus qui dictus est pacificus, eo quod pacem acquisierit, vita & genere nobilis succedit. ☙ Fredericus *Comes Tullensis* qui in nemore sui juris de Argonia dedit usua-

rium

rium Ecclesiæ Virdunensi, fuit pater Leodiensis Episcopi Henrici pacifici, & Comitis Frederici; cujus filii Rainardus Comes & Petrus in expeditione Hierosolymitana probabiliter se gesserunt. Fuit enim prædictus Henricus Episcopus ex una parte cognatus Ducis Godefridi. ☙ Idem Leodiensis Episcopus Henricus suam confirmationem & consecrationem a Domino Annone Colonienſi Archiepiscopo recepit. ☙ Comes Simon a Roma reversus Regem Philippum aggreditur, nec a bello desistit donec illum devicit. ☙ Fit conventus nobilium, pax reformatur, hæreditas Simoni redditur. Unde super hunc annum scribitur in annalibus: redditio *Vitriaci*. Anno Archiepiscopus Colonienſis obiit, qui parochiam suam rebus & Monasteriis a se fundatis ampliavit, inter quæ supereminet *cœnobium Sigebergense*. Succedit ei Hildolfus annis tribus.

Anno 1076. Comes Simon dum ad instantiam Baronum filiam Comitis Hildelberti de Alvernia sortiretur in conjugium, ad primum Colloquium ita convertit eam, quod illa de nocte, ignorante patre fugit ad Monasterium de Casa Dei ubi facta est sanctimonialis, & cum ea duo Nobiles, quorum unus postea fuit Archiepiscopus Bituricensis. Et ecce Rex Anglorum Guillelmus Nothus qui eum nutriverat, mandat Simoni, ut ad suum colloquium Normanniam festinus occurrat, qui cum venisset ad Regem, ait illi. Nutrimentum meum quod in te, augmentare cupiens, neglectis Nuntiis Regis Hispanniarum Effunsi, & Roberti Principis Apuliæ, tibi filiam meam quam quærebam tradere in uxorem prælegi. ☙ Ad hoc reverenter Simon respondit. Domina mea, ait, Regina uxor tua, & ego cognatione jungimur parentali, & generis propinquitate; sed volo, si placet, Domini Apostolici super hoc consilium & auxilium flagitare. ☙ Rege præbente assensum, cum Simon Romam pro prædicta causa debuit properare, se

Mona-

Monachum devovens ſanctum Eugendum cum quibusdam viris nobilibus adivit. Itaque de converſione tanti viri fama volante, factum eſt, ut Hugo Burgundiæ Dux, Comesque Matisconenſis & alii ejusdem ordinis quamplures illius amoris dulcedine inflammati arma deponerent ſeculum relinquentes. Balduinus frater Arnulphi occiſi ad Donengium, bellavit contra exercitum patris ſui Roberti, quem pugnando devicit. Gregorius Papa qui & Hildebrandus, forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonſtravit, ac fortis pro Deo athleta, murum ſe pro domo Domini opponere non timuit. ☙ Sigebertus. ❧ Gregorius Papa totus in Imperatorem Henricum invehitur, & quousque poteſt verbis & ſcriptis ab eo avertit animum, etiam matris ipſius ab eo alienat. ☙ Sicarius quidam per quosdam Roberti neceſſarios transmiſſus in Freſonia Godefridum Ducem perimit. Iſte fuit *Godefridus Gibboſus*, cujus relicta *Mathildis* Marchiſa, terram ſuam viriliter rexit, & Abbatiam Canonicorum ſancti Petri ad montes juxta Briciam in dioceſi Metenſi fundavit. Ejusdem Godefridi corpus relatum eſt apud Virdunum, & ibi apud patrem ſuum traditur ſepulturæ. Henricus Leodienſis Epiſcopus fuit Tutor juvenis Godefridi nepotis ex ſorore Gibboſi, qui Godefridus juvenis frater Balduini & Euſtachii per matrem ſuam Idam factus eſt hæres *Bullonii* : Comes vero *Namurcenſis* Albertus per aliam Idam uxorem ſuam dictum Bullonium reclamabat. ☙ Iſtæ duæ Idæ, & earum ſucceſſio, hoc eſt genus quod dicitur Heliæ militis, quem *cygnus* adduxit & reduxit, ſi creditur. ☙ Sigebertus. ❧ Hoc anno qui eſt decimus tertius annus primi decemnovennalis cycli in repetito magno anno Dionyſii, duobus magnis annis a paſſione Domini revolutis omnia quæ ad curſum lunæ & ſolis ſpectant anno Dominicæ paſſionis concordant. Unde apparet quod *Dionyſius* non rectè annos Domini

mini Cyclo ſuo annexuit. Quia enim ab anno Domini 532. cyclum ſuum orditus eſt ; nimirum intendit Chriſtum fuiſſe natum anno ſecundo prioris magni anni; ac per hoc hic annus, anno Dominicæ paſſionis concordans, debuiſſet eſſe magni cycli annus non decimus tertius, ſed trigeſimus tertius, quia is fuit annus paſſionis Domini, & per hanc conſequentiam ſolaris & lunaris curſus, concordantem Evangelicæ veritati, Dionyſius poſuit nativitatem Chriſti viginti & uno annis tardius quam debuit. ☙ Gelu magnum a Calendis Novembris usque in medio Aprilis.

Anno 1077. Sigebertus. Henricus Imperator coacto Wormaciæ Concilio viginti quatuor Epiſcoporum, & multorum primatum Regni, decerni jubet omnia decreta & facta Gregorii Papæ irrita eſſe debere, ibique omnes præter paucos Gregorium abjurant, eumque Papatu indignum eſſe judicant. Gregorius e contra Imperatorem Henricum Romæ excommunicat, ſub hoc obtentu & primates Regni quaſi juſta ex cauſa excommunicato Regi contradicunt. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Lego & relego Romanorum Regum ſive Imperatorum geſta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum vel Regno privatum, nili fortè quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius a Beato Ambroſio propter cruentam cædem a liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus eſt. ☙ Sequitur Sigebertus. ☙ Dominica palmarum circa horam ſextam ſereno cœlo ſtella apparuit. ☙ Principibus Saxonum qui in deditione Imperatoris erant, Saxones rebellant inſtinctu Gregorii Papæ. ☙ Ipſe Papa occurrens in Longobardia ſub falſa pace eum abſolvit. Omnes enim qui prius Gregorium abjuraverant, perjurium perjurio cumulantes, Imperatorem abjurant, & Rudolphum Ducem *Burgundionum* ſuper

ſe Regem ſtatuunt, coronâ ei a Papa miſſâ, cui erat inſcriptum: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Romanus Pontifex Regem ſæpe vocatum excommunicavit, ejusque, ut dicitur, conſilio & authoritate Rodulphus Alemannorum Dux a quibusdam Principibus Rex creatur. ❧ Sigebertus. ❧ Hunc Sigefridus Archiepiſcopus Moguntiæ in Regem benedixit, & factâ a Moguntinis ſeditione contra eos, Rodulphus cum Archiepiſcopo noctu aufugit. ❧ Gregorius Papa omnes adverſantes Imperatori ab infidelitate abſolvit & perjurio. ❧ Imperator Alpium aditibus contra ſe ubique munitis, omnes eorum inſidias fruſtratus, ſtatim per Aquilejam venit Ratisbonam, & Rodulphum adortus eum fugere compulit, & iterata expeditione Sueviam depopulatur. ❧ Iſte Sigifridus clauſtrum ſanctæ Mariæ ad gradus* Coloniæ conſtruxit.

Anno 1078. Ab hoc tempore, ut dicit Elinandus, cœpit reflorere in Eccleſia ſancti Quintini Belluacenſis ordo Canonicus, primum ab Apoſtolis, poſtea Beato Auguſtino Epiſcopo regulariter inſtitutus, ſub magiſtro *Yuone* venerabili ejusdem Eccleſiæ præpoſito, poſtea Epiſcopo Carnotenſi. ❧ Sigebertus. ❧ Hermannus Epiſcopus Gregorio Papæ ad animam confœderatus, ac per hoc Imperatori rebellis, Metenſi urbe expellitur. ❧ Item Henricus Imperator Sueviam pervagatus, caſtella frangit, & omnia depopulando, inimicis ſuis formidinem, amicis addit fortitudinem, & multos qui ex deſperatione rerum a ſe defecerant, ad ſe trahit. ❧ Epiſcopus Theodoricus Virdunenſis, Comiti Alberto de Namurco *Comitatum Virdunenſem* contra hæredes Bullonii commiſit. ❧ In Ungaria regnavit ſanctus Rex Ladislaus Belæ pugilis filius annis octodecim. Hic in Ungaria fundavit nobiliſſimam Abbatiam de Sentigis, in qua non ſolent recipi niſi *Franci*. ❧ Item ſecundum Elinandum quædam de Petro Damiano occurrunt hic notanda.

Qui

Digitized by Google

Qui Petrus
ratrici, inter cætera dicit. Trigintà ſuo anni ſunt ex quo clericalem cycladem cuculla mutavi. Hic igitur cum eſſet Monachus in religione, in ſapientia nominatiſſimus, in partibus Campaniæ ultra Romam, promotus in Roma in Epiſcopum Cardinalem ſub Papa Stephano, & quia regimen Eccleſiaſticum refutavit ſub Papa Nicolao, cum videretur idoneus, ſcribens ad eumdem Papam magnam Epiſtolam de dimittendo Epiſcopatu, centum ei annorum, ut alibi dicit, pœnitentia injuncta eſt, ſecundum remedia regulæ monaſticæ, quia per regulam Monaſticam poteſt aliquis ita carnem ſuam affligere, ut plures anni pro pœnitentia injuncti poſſint ad paucos devenire. Cur autem fugiat Romam, etiam hanc pro ſalute corporali tuenda reddit rationem. Roma ferax febrium necis eſt uberrima frugum, Romanæ febres ſtabili ſunt jure fideles. Quem ſemel invadunt vix a* juventute recedunt. Hic igitur in libro epiſtolarum ſuarum quosdam caſus mirabiles inſerit, de quibus jam aliquos ſuis in locis aſſignavimus. De reliquis videamus quæ ſequuntur in eodem libro. Huc usque Petrus Damianus.

Anno 1079. Sigebertus. Hoc tempore in oriente Turci ſuper Arabes & Saracenos invaluerunt, & Armeniam & Syriam incurſantes, multas urbes & ipſam Antiochiam capiunt. Henricus Imperator conventu habito Moguntiæ, decrevit Gregorium a Papatu eſſe deponendum, & Longobardiam petens Wichbertum Ravennæ Archiepiſcopum pro Gregorio Papam deſignat. Elinandus. Hoc anno incœptum eſt cœnobium ſancti Salvatoris in Inſula quod dicitur Aquæcinctus in Flandria à viris illuſtribus Sichero & Galthero. Et hoc tempore primus Comes Arnulphus de *Chisneio* a Mathilde Marchiſa erat inſtitutus. Conſtantinopoli Nicephorus Botaniota tribus Imperatoribus fratribus, Michaële, Andronico &

Conſtantino pulſis, tribus annis regnavit. Nicephorum expulit Alexius Nepos Iſaci, & ſibi Regnum confirmavit.

Anno 1080. Gregorius Papa qui & Hildebrandus, quaſi divinitus ſibi revelatum prædixit hoc anno falſum Regem eſſe moriturum; & verum quidem prædixit, ſed fefellit eum de falſo Rege conjectura, ſecundum ſuum velle ſuper Henrico Rege interpretata. Rex enim Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congreſſu falſus Rex Radulphus cum multis Saxoniæ Principibus extinguitur. Radulpho in publico bello occiſo Hermannus quidam Lotharingiæ Princeps ei ſubſtituitur. Obiit Gaufridus ſecundus Dominus Jovevillæ, & Comes Joviniaci, cui ſuccedit Gaufridus filius ejus. ☙ Comes de Brena poſt Engelbertum dicebatur Galtherus. ❧ Moguntia *terræ motum* perſenſit Calendis Decembris.

Anno 1081. Moguntia ex magna parte incendio conflagravit. ❧ Magnus terræ motus cum magno terræ mugitu factus eſt ſexto Calendas Aprilis, prima hora noctis portendens fore imminens malum quod in toto orbe inſonuit, & inde tota terra doluit & dolet. Henricus enim Imperator ad debellandum Papam Gregorium Italiam petit, contra quem Papa urbibus & caſtellis munitis ſe ad rebellandum accingit, eumque Romam hoſtiliter adeuntem non recipit. ❧ Fuit hoc tempore Guiscardus mediocri parentela in Normannia ortus, qui ſtupendo Dei munere totam ferè terram Italiæ ultra Romam poteſtati ſuæ adjiciens ita profecit, ut partim viribus, partim ingenio totam Apuliam, & Calabriam, & Siciliam poſſideret. Poſtremo a Nicephoro quondam Imperatore Conſtantinopolitano quem Alexius expulerat, animatus, cum filiorum altero nobiliſſimo Boëmundo pelagus Adriaticum tranſiit, ſtatimque Durachio aperto, ſuper Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum ulterius progrediebatur, ſed per Nuntios Hildebrandi Papæ regreſſus Romam contra Henricum Imperatorem

ratorem properavit. ❧ De Durachio. Cum oppidani Durachii jactitarent urbem illam ideo Durachium nominatam, quod contra omnes obsidiones imperterrita duraret, & ego, inquit, Guiscardus, vocor durandus, & ideo eo usque durabo in obsidione quo usque civitati nomen auferam, ut non Durachium, sed mollitum a moviendo dicatur: cujus responsi constantia pavefacti, mox portas aperuerunt. ❧ Simon igitur vir sanctus a Papa accersitus, & ad eumdem Apulejæ Principem transmissus, ipsum ad Dominum Papam adduxit, & in eodem itinere sexaginta milites a seculo ad Deum convertit, qui reversus gratanter a Papa fuit receptus. ❧ Quidam Comes Theodericus filius Gerardi *Florinensis* apud sanctum Hubertum sepultus est. Hujus Theodorici fuerunt filii Gerardus & Gosvinus. ❧ Cum Comes Albertus *Namurcensis* contra Godefridum Castrum de Mirevalt intenderet ædificare, Episcopus Leodiensis Henricus præveniens eumdem totum montem cum pertinentiis a Richilde Comitissa emit, & castrum reædificavit. ❧ Tunc temporis Mathildis Marchisa addiderat Episcopo Virdunensi Guisnensem Abbatiam Monialium. Episcopus Theodoricus Virdunensis, & Abbas Theodoricus sancti Huberti invenerunt in Scrinio Sanctuarii caput Scholasticæ Virginis, cum parte capitis sancti Benedicti.

Anno 1082. Sigebertus. Henricus Imperator expugnatis urbibus & Castellis quæ contra se pro Hildebrando erant, Romam Leoninam obsedit. Quo audito Guiscardus supradictus pater Boëmundi Romam tetendit, cujus fama territus Henricus cum falso electo suo in Papam Guiberto retrocessit. ❧ Cum Simon vir sanctus licentiam remeandi ad Monasterium postularet, summus Pontifex ait, non est in mea potestate, ut revertaris, sed vade in oratorium Beati Petri, & quidquid de hoc in voluntate habeat in orationibus percunctare. Abiit, & una nocte oravit, & exinde statim infirmitate detentus ad

lectum ſuum rediit. Summus Pontifex rediit, a peccatis abſolvit, benedixit, & ut inter Apoſtolicos ſepeliretur præcepit, qui ſacramentis Dominicis roboratus pridie Kalendas Octobris Spiritum Deo reddidit. ☙ Affuerunt ejus obſequiis de mandato Papæ triginta congregationes in Romanorum turbis. Supradicta Anglorum Regina Mathildis auri & argenti plurimum Romam transmiſit ad componendam ejus ſepulturam. ☙ Sigebertus. ❧ In Gallia *Herimannus miles Herimanni Epiſcopi* corona ſibi impoſita, poſt Rodulphum in Saxonia tyrannidem exercet. ☙ *Marianus Scotus* Chronicam ſuam a nativitate Chriſti inchoatam usque ad hunc annum perduxit, qui erat ætatis ſuæ annus quinquageſimus ſextus, multum laborans corrigere errorem de annis Domini qui invenitur in cyclis Dioniſii, quod facilè eſt videre hinc poſitis ab eo annis Domini ſecundum Cyclum Dioniſii, alterinſecus autem ſecundum veritatem Evangelii.

Anno 1083. Sigebertus. Henricus Imperator Roma Leonina capta, Romam obſedit, condictoque inter Imperatorem & Papam die ad cauſam inter eos diſceptandam, cum pax diſſimulante Papa inter eos non conveniret, Romani & multi Italiæ Epiſcopi a Papa deficiunt, qui fugiens ad Normannos ſe contulit, id eſt ad Principem Apuliæ Robertum qui fuit genere Normannus, & terram illam ſubegerat. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Hîc ſolvendum puto quod Romanum Imperium ferro in Daniele comparatum, pedes ferreos, & ex parte fictiles habuit, donec a lapide exciſo de monte ſine manibus percuſſum ſubverteretur. Quid enim aliud, ſine melioris ſententiæ præjudicio lapidem ſine manibus exciſum quam Eccleſiam ſicut capitis ſui corpus ſine carnali commixtione ex Spiritu ſancto conceptum, ex Virgine natum, ipſam quoque ſine humana operatione ex ſpiritu & aqua regeneratam, dicimus. Quæ virgo ſpecioſa ſine macula in novum hominem tamquam juvencula

Digitized by Google

vencula regenerata ; ideoque ſine ruga. ſic quotidie Virgo manens novum ac ſpecioſum parit populum, ſicut mater capitis ejus Virgo manens contra legem naturæ novum ac ſpecioſum edidit partum,ſic de Virginitate gaudens,ut tamen ſterilis non maneat. Hæc nimirum Regnum circa finem ſuum quem pedes ſignificant, ferreum propter matrem, fictile propter conditionem in ea parte qua infirmior fuit, percuſſit, dum Regem orbis, non tamquam orbis Dominum vereri ſed tamquam de limo per humanam conditionem factum fictilem gladio anathematis ferire decrevit : Ipſa vero quæ antea parva fuit & humilis, in quantum montem accreverit ab omnibus jam videri poteſt. Quanta tamen mala, quot bella, bellorumque diſcrimina inde ſecuta ſint, quoties miſera Roma obſeſſa, capta, vaſtata, quod Papa ſuper Papam, ſicut Rex uper Regem poſitus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot ſchiſmata, tot tam animarum, quam corporum pericula hujus tempeſtatis turbo involuit, ut ſolus ex perſecutionis immanitate, & temporis diuturnitate ad humanæ miſeriæ infelicitatem ſufficeret comprobandam : Prædictus enim Pontifex a Rege urbe pellitur, Guibertus Ravennenſis Archiepiſcopus in locum ejus ſubſtituitur. ☙ Guido. ❧ Erat tamen hic Imperator laudandus in multis, quod eſſet ore facundus, acer ingenio, multa eruditus lectione, impiger, in eleemoſynis multus, præclarus corporis & animi bonis,promptus ad arma, utpote qui ſexagies & bis acie collata dimicaverit, ferunt plures inimicorum ejus vitam exitu miſerabili concluſiſſe. ☙ Sic ille. ❧ Qui dum * reſupinatis cervicibus in convivio malè loqueretur, ita a muribus circumvallatus eſt, ut nusquam eſſet refugium. Et quamvis a pluribus expellerentur, nulli tamen vicariam referebant noxam, illum ſolum dentibus terribili quodam concentu perſequebantur. Quapropter a famulis ultra jactum ſagittæ in pelagus proje-

* aliquid præcedere debere videtur, niſi legendum : *quidam dum*

projectus, cum jam murium multitudo ſubſequens navis tabulata corroderet, & naufragium indubitatum aqua per rimulas ingrediens minaretur, retorta a puppi ad littus, muribus juxta carinam adnavigantibus, ille miſer in aridum expoſitus, moxque totus dilaceratus, horrendam murium famem explevit. ☙ Mortuo in Dacia Rege Suano, qui quadraginta filios habuit, primus filius ejus Haroldus tribus annis regnavit. *Affliginenſe cœnobium* tale, auxiliante Deo, ſumſit exordium. Prædicante Witerico ſervo Dei, qui quaſi ſtella in medio nebulæ effugandis obſcuritatibus erroris apparuit, converſi quinque milites, ſuis integrè renuntiant, inter quos Herardus niger qui cæteris excellentior videbatur, doctoris ſui conſilio animatus cum ſociis locum Affligem dictum, ſicut nomine, ſic omni barbarie incultum, quippe qui latrocinantium tantum conventiculis aptus erat, ædificare, & clauſtrum in eo conſtruere aggreditur.

Anno 1084. Romani Henricum Imperatorem urbe recipiunt, & eorum judicio Gregorius Papatu abjudicatur, & Wibertus Ravennatum Archiepiſcopus in ſede Apoſtolica intronizatus Clemens nominatur. His qui pro Imperatore erant contendentibus juſtè Gregorium eſſe depoſitum, tamquam Majeſtatis reum, qui contra Imperatorem alium Regem ordinavit, & rebellandi audaciam ſumpſerit. His autem qui contra ſentiebant reclamantibus, univerſalem Papam nonniſi univerſali Concilio, paucorum judicio, laici cenſura, imperiali potentia non poſſe Pontificatu amoveri, & quod gravius eſt, in loco viventis Epiſcopi aliquem ſuffectum contra canonicam authoritatem agere, & cætera id genus. ☙ Henricus Rex *Patritius Romanorum* conſtituitur, & a Clemente Papa in Imperatorem benedicitur. ☙ Eccleſia & Abbatia ſancti Michaëlis ſuper Moſam per Theodoricum Virdunenſem Epiſcopum conſtructa eſt, pro eo quod Eccleſia illa ſe a Virdunenſi ad

Tullen-

Digitized by Google

Tullenſem Epiſcopatum transferre vellet tempore ſchismatis. Comes *Montenſis* Balduinus uxorem duxit Idam filiam Henrici *Lovanienſis*. Floruit in Burgundia, diœceſi Biſuntinenſi *Magiſter Gerlandus, cujus opusculum Candela vocatur.*

Anno 1085. Henricus Imperator Moguntiæ regali & ſynodali conventu coacto, exigit ab omnibus, ut Gregorii depoſitionem & Wiberti ordinationem ſub ſcripto approbent, cui aliqui manu & ore faventes, corde tamen Gregorio adhærebant. Herimannus Metenſis ſibi abſenti abjudicato Epiſcopatu, iterum peilitur urbe. Imperator in Epiſcopatu Metenſi unum & alterum mercenarium ſuppoſuit, ſed oves Chriſti non audiverunt voces alienorum. Imperator Saxones aggreditur, illi pacem petunt & impetrant, pacti, ut omnibus pro hac rebellione proſcriptis ſua reſtituantur, quod *quia factum non eſt*, iterum rebellant, incentore pro cunctis *Egberto Comite, Imperatoris Conſanguineo.* Waltherus ex Clerico ſancti Lamberti in Anglia Epiſcopus, Anglorum odiis impetitur, & in celebrando Miſſam ab eis quaſi alter Stephanus Papa martyriſatur. Hujus fit mentio in hiſtoria translationis ſancti Cuthberti. Hildebrandus Papa apud Salernum exulans moritur. Epiſcopus Otto. Qui appropinquante vocationis ſuæ tempore dixiſſe fertur: Dilexi Juſtitiam & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Guillelmus. Fuit iſte Papa vir apud Deum felicis gratiæ, ſed apud homines auſteritatis nimiæ. Denique fertur quod inter eum & Imperatorem primi tumultus initio, illum nudipedem, & forcipes cum ſcopis portantem, nec ſaltem foribus admiſerit, quæ repulſa multorum necis cauſa fuit. *Regiſtratum* hujus ſeptimi Gregorii, id eſt Hildebrandi apud Claram Vellam invenitur. Sigebertus. De hoc Hildebrando ita ſcriptum reperi. Volumus vos ſcire qui Eccleſiaſticæ curæ ſolliciti eſtis, quod Do-

minus Apoſtolicus Gregorius in extremis ſuis ad ſe vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum præ cæteris diligebat, & confeſſus Deo & ſancto Petro, & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & diabolo ſuadente contra humanum genus odium & iram concitaſſe, poſtea vero ſententiam quæ in orbem terrarum diffuſa eſt, pro augmento Chriſtianitatis cœpiſſe dicebat. Tunc demum prædictum Confeſſorem ſuum miſit ad Imperatorem & totam Eccleſiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat, & tam cito induebat ſe angelica veſte, & dimiſit, & diſſolvit vincula omnium bannorum ſuorum Imperatori & omni populo Chriſtiano, vivis & defunctis, Clericis & Laicis, & juſſit ſuos abire *de domo Theodorici*, ac amicos Imperatoris aſcendere. ⁂ Rhemis adhuc vivente Papa Gregorio, depoſito Manaſſe ſuccedit Rainoldus Archiepiſcopus per annos undecim, menſes quatuor. ⁂ Interea Robertus Guiscardus iterum transfretans mare, magnam Græciæ partem acquiſivit. Suſtulit Imperator Alexius maleficio quod virtute nequibat: *Uxori ejus connubium auguſtale promittendo mentitus*; cujus inſidiis elaboratum virus hauriens interiit. Succeſſerunt ei duo filii ejus Rogerus Dux Siciliæ, & Boemundus Princeps Apuliæ. ⁂ Archiepiſcopus Moguntiæ poſt Sigifridum fuit Erkembaldus qui clauſtrum ſanctæ Mariæ ex campis conſtruxit; hunc ſecutus eſt Vezellus, deinde Rothardus.

Anno 1086. Sigebertus. Saxones urbem Wirtziburg obſidentes, ut Epiſcopum ejus Alberonem a civibus expulſum reſtituant ſedi ſuæ, Imperator aggreditur, ſed exercitus ejus divinitus exterritus ceſſit, & ceciderunt ex eis plusquam quatuor millia, a parte Saxonum quatuor tantum occiſis. ⁂ Epiſcopus Otto. ⁂ Rex vero ex omnibus Regni viſceribus contractis copiis Saxones petit, commiſſoque juxta fluvium

vium Unſtrut prælio, cæſisque ex utraque parte multis, cruenta tandem victoria Regi ceſſit. ☙ Ceciderunt in hoc conflictu. *Gebhardus Lotharii pater* qui poſtmodum Rex fuit, & *Ernuſtus Marchio*, Alberti (cujus ſupra mentio habita eſt) filius, & alii innumerabiles. Quia vero regnum in principe ſuo ab Eccleſia præciſo graviter percuſſum fuit, Eccleſia quoque tanto paſtore qui inter omnes ſacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli & authoritatis erat orbata, dolorem non modicum habuit; tanta mutatione, tamque a perfectione ad defectum vergente tempore *ſexto huic libro* finem imponimus. ☙ Idem *in prologo libri ſeptimi*, Regnorum mutationes & ad ultimum imminutiones quis fructus ſequatur, Deo apud quem nihil inutiliter fluere poteſt, relinquamus. Non deſunt tamen qui dicunt Deum ad hoc Regnum imminui voluiſſe, ut Eccleſiam exaltaret; Regni quippe viribus, ac per beneficia Regum exaltatam ac ditatam nemo ambigit, & Eccleſiam conſtat non prius in tantum Regnum humiliare potuiſſe, quam ipſo ob amorem ſacerdotii eviſcerato ac viribus exhauſto, non ejus tantum, id eſt ſpirituali, ſed ſuo proprio materiali ſcilicet gladio percuſſum deſtrueretur, quod judicare vel diſcutere ſupra noſtras vires eſt. Videntur per omnia culpandi ſacerdotes, qui Regnum ſuo gladio, quem ipſi ex Regum gratia habent, ferire conantur, niſi forte David imitari cogitent, qui Philiſtæum primò virtute Dei percuſſum, poſtmodum proprio gladio jugulavit. Verum quia Regno decreſcente Eccleſia, ut dixi, bravium æternæ patriæ, ac poſt vitæ præſentis laborem requiem adeptura, in præſenti quoque in magnum nomen creſcens, in magna authoritate itare cœpit, ea quæ ſequuntur, præſertim cum ad noſtra tempora, recentemque memoriam ventum ſit, tam defectu rerum temporalium, quam profectu ſpiritalium mundi contemptum prodentia, in hoc opere dicenda reſtant. Nemo autem propter hæc verba

Ordo *Carthuſiæ* cœpit, ubi ſunt priores, & ordo Calatenſis, ubi ſunt Abbates. Anno ſexto Pontificatus ſancti Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi, qui Pontifex annis quinquaginta duobus fuit, ſeptem fuerunt fratres quorum unus dictus eſt *Bruno*, qui de Canonicis regularibus ſancti Rufi de Valentia exierunt, & duos iſtos ordines mediante iſto Epiſcopo Hugone inchoaverunt. Habent Carthuſienſes quadraginta priorias. In Dacia Regi Haroldo ſuccedit frater ejus Kanutus biennio, hic eſt qui duxit filiam Comitis Flandriæ Roberti Friſonis, nomine Adelam, de qua filium genuit nomine Karolum. Sigebertus. Robertus junior in partem Regni a patre ſuo Roberto aſciſcitur. Affligenienſis Monaſterii fundatores qui omnibus abjectis ita nudi ad ædificandum convenerant clauſtrum, ut nihil ſecum præter panes tres, dimidium caſeum, & pauca ferramenta derulerint, vix tribus annis exactis a Gerardo Cameracenſi Epriſcopo in honore Petri & Pauli Eccleſiam dedicari faciunt. Comitiſſa Adela, cum duobus filiis ſuis Henrico & Godefrido ad ædificandum inibi cœnobium eumdem locum liberaliter donavit. Prædicti fratres Monachos, a quibus Monachicum ordinem diſcerent, ſibi aſſociaverunt. Arnulphus Sueſſionicæ Civitatis Epiſcopus ſpiritu Prophetiæ, puritate vitæ & miraculis venerabilis claruit. Adelbore in Eccleſia ſancti Petri DEI nutu ſepelitur.

Anno 1087. Rex Anglorum Guillelmus exercitiis nemorum adeo deditus fuit quod ſpatia multarum terrarum, deſertis villis, ſubrutis Eccleſiis per triginta & amplius milliaria ſylveſcere juſſerit, & in ſaltus & ferarum luſtra redegerit, in quibus a cæteris negotiis avocatus, animum recrearet, infando prorſus ſpectaculo, & ubi ante vel humana converſatio, vel divina veneratio feruebat, tunc ibi cerui & capreoli, & cæteræ id genus beſtiæ petulanter diſcurrerent, nec illæ quidem

mortalium uſibus communiter expoſitæ. Unde pro vero aſſeritur quod in eadem ſylua filius ejus Guillelmus & Richardus filius filii ejus Roberti mortem offenderint ſevero judicio, ille ſagitta pectus, iſte arboris ramusculo collum trajectus. Extremo tamen vitæ tempore Rex Angliæ Guillelmus dum in Anglia habitaret, contraxit inimicitias cum Philippo Rege Francorum, cujus amitæ filiam uxorem duxerat. Ejus patientia abutens Rex Philippus jocatus in ejus ventrem quem alleviarat potione, more parturientium Rotomagi dixerat eum fovere cubile. Quo perſtrictus nuntio reſpondit: cum ad Miſſam poſt venero, centum millia candelarum ei libabo. Nec multo poſt eo cum hoſtili exercitu Franciam ingreſſo & depopulante, nihil erat quod furentis animum mitigaret, ut injuriam inſolenter acceptam multorum diſpendio ulciſceretur. Inde Rotomagum regreſſus eſt. ◦§ Inter Imperatorem & Saxones vario eventu plus vice ſimplici pugnatur. ◦§ Odo ex Monacho Cluniacenſi Epiſcopus Oſtienſis, contra Imperatorem & Guibertum fit Papa, & Urbanus ſecundus nominatur. ◦§ Magiſter Hugo. §◦ Sedit annis decem, menſibus quatuor, *natus de Caſtellione ſuper Matronam*, filius Domini de *Lagery*. Habuit alium fratrem Rodulphum patrem Gerardi, cujus filius alter Gerardus genuit Odonem patrem Ægidii de Lagery Monachi Rhemenſis, cujus ſoror Herſondis fuit mater Baldufei Monachi Igniaci. ◦§ Guido de eodem. §◦ Hic Odo natione Gallus, primo Rhemenſis Archidiaconus, inde Prior Cluniaci, mox Epiſcopus Oſtiæ, poſt in Apoſtolicum conſecratur. Tunc Imperator niſus eſt Urbanum expellere, & Romæ Guibertum inferre. ◦§ Vigebat tunc in Italia præpotens *Marchiſa Mathildis* relicta Godefridi cognomento gibboſi, provinciæ quæ nunc Lotharii Regnum ſeu Lotharia dicitur, egregii quondam Ducis. Hæc eadem, viro ſibi ſublato quorumdam inſidiis, ad viſcerum interiora per inferiora ferro

dum

Digitized by Google

dum ad naturæ ſecreta ſederet illato, ſexus oblita, nec diſpar antiquis amazonibus, ferrata virorum agmina ducebat in bellum, & mariti defuncti Ducatum integrè retentabat, maximè ſuum infra Italiam, contra Imperatorem Henricum potentibus ejus auxiliis Urbanus Apoſtolicum obtinuit thronum, excommunicans cum Imperatore Guibertum. Hinc in Eccleſia ſcandala, ut dixit Sigebertus & in Regno &c. De translatione ſancti Nicolai. ❧ In Italia Venetianis meditantibus auferre corpus ſancti Nicolai a Mirrhæa Lyciæ a Turcis deſolata, præoccupaverunt eos Barrenſes Cives numero quadraginta ſeptem, & ab Antiochia Myrrhæam venerunt, & quatuor Monachis tantum ibi inventis, extorſerunt ſibi oſtendi tumbam ſancti Nicolai, qua effracta, oſſa ſancti in olei liquore natantia integro numero extruxerunt, & Barrim cum gloria tranſtulerunt. Facta eſt hæc translatio anno 746. a depoſitione ſancti Nicolai. ❧ *Translationem ejus ſcripſit Joannes Archidiaconus Barrinæ Eccleſiæ*, jubente Urſione Barrenſis & Canuſinæ Eccleſiæ Archiepiſcopo. ❧ Eodem anno incipit ordo Beati Nicolai de Araaſi, quod nos dicimus de trunco Berengarii, ſub præpoſitis erant usque ad tempora Beati Bernardi Clarevallenſis, & tunc Abbates conſtituti ſunt. ❧ Piſces in aquis moriuntur.

Anno 1088. In Hiſpania Rex Alfunſus Galliciæ Sarracenos fortiter debellat, & Tolletum maximam eorum urbem per aliquot annos obſeſſam tandem expugnat, & cultum Chriſtianitatis in ea dilatat. ❧ Monaſterium ſancti Joannis Baptiſtæ in Florinis concrematur anno 42. ſuæ conſecrationis. ❧ Rex Daciæ Kanutus hoc anno occiſus & martyrizatus eſt, cui ſuccedit Olauus frater ejus per annos octo. ❧ Relictam ejusdem Kanuti Adelam matrem Karoli duxit Dux Siciliæ Rogerus frater Boemundi, & genuit ex ea Guillelmum. ❧ Primogenitus Guillelmi Nothi Regis Angliæ vivente adhuc patre Nor-

Digitized by Google

Normanniam ſibi negari ægrè ferens, in Italiam obſtinatus abiit, ut duceret filiam *Bonifacii* Marchionis, cujus auxilio Patri adverſaretur, ſed hac ſpe fruſtratus Philippum Regem Francorum contra patrem excitavit, quare benedictione genitoris, & Anglia excidit poſt mortem ejus, Normannia vix retenta. Fuit autem Rex Guillelmus ſingularis cenſuræ & ſeveritatis, qui cum menſe Auguſto contra Regem Philippum exaſperatus Medantum oppidum injectis ignibus concremaret, ipſe dum propius flammas ſuccederet, calore forti & autumni inæqualitate morbum nactus eſt. Octavo igitur idus Septembris apud Rotomagum deceſſit, qui lecto exceptus, & mortem prævidens ſibi imminere, quæ Chriſtiani ſunt executus, Roberto, licet invitus Normanniam, Angliam Guillelmo, Henrico poſſeſſiones alias delegavit. Corpus ejus per Sequanam Cadomum delatum, eſt humatum. Quem tamen locum quietis ſine calumnia ibidem impetrare non potuit. Nam Miles quidam ad cujus patrimonium locus ille pertinuerat, clara voce rapinam conteſtans ſepulturam inhibuit, dicens locum ſibi ab eo violenter ablatum. Unde ab Henrico, qui ſolus ex filiis aderat, centum libras argenti accepit. ☙ Robertus tunc primogenitus in Francia contra patrem bellabat. Guillelmus antequam Pater expiraret in Angliam navigaverat. ☙ Rogerus *Comes Percenſis* frater Hoſceli *de grandi prato* cum fuiſſet captus & dehoneſtatus, malorum pertæſus filiam ſuam Sybillam cum comitatu ſuo dedit filio Comitis Alberti, Godefrido *Namurcenſi*.

Anno 1089. Coloniæ poſt Sigewinum Herimannus ordinatur Archiepiſcopus. Godefrido Godefridi gibboſi ex ſorore nepoti tandem datur *Ducatus Lotharingiæ*. ☙ Annus peſtilens, maximè in occidentali parte Lotharingiæ, ubi igne ſacro multi, interiora conſumente, computreſcentes, exeſis membris inſtar carbonum nigreſcentibus, aut miſerabiliter mori-

Digitized by Google

moriuntur, aut pedibus & manibus putrefactis truncati miserabiliori vitæ reservantur; multi vero nervorum contractione distorti tormentantur. ☙ Guillelmum filium Regis Angliæ Guillelmi, Lamfrancus Cantuariæ nutrivit & militem fecit, die sanctorum Cosmæ & Damiani eum in Regem coronavit. Erat ille Guillelmus ita liberalis, quod prodigus, ita magnanimus, quod superbus, ita severus, quod sævus, parum Deum verebatur, homines nihil, cum Deus timendus sit omni tempore, homo pro tempore, vestium suarum pretium in immensum tolli volebat, dedignans si aliquis allevasset. Quodam mane cum calcearetur novas caligas, quæsivit a cubiculario quantum constarent. Cum ille respondisset tres solidos, indignabundus & fremens: Fili, ait, meretricis, ex quo habet Rex caligas tam exilis pretii? vade & affer mihi emptas marcha argenti. Ivit ille, & multo viliores afferens, quanti præceperat mentitus est. Ad quem inquit Rex: istæ Majestati regiæ convenient. Itaque ex eo cubicularius pretium vestimentorum pro voluntate numerabat, multa proinde suis utilitatibus nundinans. ☙ Erant, ut dictum est, tres fratres, Dux Normanniæ Robertus, Rex iste Guillelmus Rufus, & Henricus. Tres isti *quinque sorores* habuerunt. ☙ Prima fuit Cecilia Monialis & Abbatissa Cadomensis. ☙ Secunda, Constantia *Britanniæ Comitissa* quam habuit Comes Alanus. Ista austeritate Justitiæ provinciales in morriferam sibi potionem exacuit. ☙ Tertia fuit Adela *Campaniæ Comitissa* quæ Comiti Stephano *Carnotensi sive Blesensi* peperit tres filios, Comitem Theobaldum & Regem Stephanum, & Episcopum Wintoriensem Henricum. Quartus natu major Odo de Soilliaco in Bituria non habuit in se probitatem, nisi quod reliquit filiam nobilem & sanctam. Ista tamen Comitissa Adela Marcenniacum Cluniacensis ordinis sanctimonialis habitum sumpsit. ☙ Quarta soror Haroldo promissa ante nuptias obiit. ☙ Quinta

Adelphonſo *Regi Galliciæ* juncta, virgineam mortem a Domino impetravit. In cujus defunctæ genibus callus inventus eſt ex crebra oratione creviſſe. ☙ Eodem anno mortuus eſt venerabilis Cantuariæ Archiepiſcopus Lamfrancus, quo vivente Rex Guillelmus iſte Rufus minus malum ſe exhibuit. ☙ Exinde per quatuor ferè annos Cantuaria vacavit, quibus annis Rex Eccleſiam immaniter oppreſſit.

Anno 1090. Henricus Imperator ad debellandos adverſantes ſibi Italiam repetit. ☙ Hermannus Tyrannus a Saxonia Lotharingiam repetens ad concitandos Regni motus laborat, qui dum muro caſtelli cujusdam incautè approximat, jacto de turri ſaxo in caput percutitur atque moritur. ☙ Metis corpus Beati Clementis primi Epiſcopi ab Apoſtolis illic ordinati inventum levatur. ☙ Herimannus Epiſcopus *permiſſu* Imperatoris a Metenſibus urbe receptus, dum poſt prandium liberaliter celebratum in lecto ſe reclinaſſet, mortuus invenitur. Succedit ei Burchardus præpoſitus Treverenſis, & huic quidam Epiſcopus qui Poppo dictus eſt. ☙ Electus eſt in Epiſcopum Virdunenſem Decanus Metenſis Richerus per annos octodecim, frater *Alberti de Brie*, Bezelini & Joannis. Apud Tullum poſt Udonem Pibo Monachus ſancti Benigni Divionenſis, erat Epiſcopus. ☙ Sigebertus. ☙ In Saxonia *Egebertus Comes* dum fideles Imperatoris bello inſequitur, & ipſe perimitur. ☙ Sterilitas terræ frugum augeſcit, & fames paulatim repetit. ☙ In Anglia ſub Rege Guillelmo Rufo iſta accidunt. Secundo anno ejus ingens *terræ motus* tertio Idus Auguſti, totam Angliam exterruit horrendo miraculo, ita ut ædificia omnia eminus reſilirent. Secuta eſt inopia, omnium fructuum, tarda maturitas frugum, ut vix ad feſtum ſancti Andrææ meſſis reconderetur. ☙ Rex autem Guillelmus tandem exhauſtus expenſis, paulatim ad rapinas convertit animum, adju-

Digitized by Google

adjuvante eum in hoc ſcelere Rainulfo Clerico ex infimo genere hominum, lingua & calliditate provecto ad ſummum.

Anno 1091. Sigebertus. Henricus Imperator in Italia caſtella & munitiones adverſantium ſibi expugnat, *Mantuam* quoque obſidet & capit. ❧ Bonæ memoriæ Henricus Leodienſis Epiſcopus amator pacis & Religionis obiit, & in Eccleſia ſanctæ Mariæ ante altare ſancti Joannis Baptiſtæ tumulatur, eique Obertus ex Clerico ejusdem Eccleſiæ ſuccedit. Qui Obertus fuit præpoſitus Eccleſiæ ſanctæ Crucis in Leodio; per Epiſcopum Henricum ejectus ſervivit fideliter Imperatori Henrico in parte Guiberti Ravennenſis, & ita donatus eſt. ❧ Guillelmus. ❧ Eo tempore ſepulchrum Galvaini, qui fuit nepos *Arturi* inventum eſt in provincia Walliarum ſuper ora maris quatuordecim pedes longum. Hic regnavit in ea parte Britanniæ quæ adhuc Wallia vocatur. ❧ Quarto anno Regis Angliæ Guillelmi fit tumultus fulgurum, motus turbinum idibus Octobris apud Wincelcumbam ictus de cœlo miſſus turris latus tanta vi impellit, ut debilitata materia in confinio tecti ingens foramen ad humanæ groſſitudinis modum efficeret, quo ingreſſus trabem maximam in fragmina per totam diſſecit Eccleſiam, & Crucifixi caput, cum dextera tibia, & imaginem ſanctæ Mariæ dejecit, ſecutus eſt foetor intolerabilis. Tandem Monachi felici auſu irrumpentes benedictæ aquæ aſpergine præſtigias inimici effugerunt. ❧ Fuit etiam diſcordia *ventorum* inter ſe diſſidentium ab evro & auſtro venientium decimo ſexto Calendas Novembris, qui *Londoniæ plusquam ſexcentas domos effregerunt*, cumulabantur Eccleſiæ cum domibus, maceriæ cum parietibus. Idem furor ventorum tectum Beatæ Mariæ Eccleſiæ quæ ad arcus dicitur ſublevavit pariter, & duos ibi homines obruit, ferebanturque tigna cum trabibus per inane, mirantibus qui longè, timentibus qui propè ſtabant, quatuor tigna ſex & viginti pedes longa tanta

vi pariter in humum impacta ſunt, ut vix quatuor pedes extarent notabiles, niſi quomodo duritiem ſtratæ publicæ prorumperent, eo ibi ordine poſita, quo in tecto ab artifice fuerant collocata, quæ ob impedimentum tranſeuntium, ad planitiem terræ deſecta ſunt, quod aliter erui nequirent. Sigebertus. Nobilis vir Heribrandus divina revelatione ammonitus a ſancto Petro ſe a damnatione abſolutum, apud Affligem ad converſionem venit, qui trigeſimo die mox a Deo vocatur, quem ſecuti ſunt quinque filii ejus, frater quoque magni nominis & potentiæ nomine Ingelbertus, omnes tonſurati ad cœleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt.

Anno 1092. Weſtphali, ait Sigebertus, Friſoniam aggreſſi, omnes pene a Friſonibus perimuntur. Incentoribus Saxonici belli omnibus penè peremptis, pertæſi malorum compoſita inter ſe pace quieſcunt ab omnium motu bellorum. *Ivo* præpoſitus ſancti Quintini, Belluacenſis, fit *Epiſcopus Carnotenſis*, Gaudefrido tamen anteceſſore ejus, cauſa dilapidationis rerum Eccleſiæ depoſito. Richerus erat Epiſcopus Senonenſis, Fulco Belluacenſis, Petrus Pictavienſis, Hugo Sueſſionenſis, Walterus Meldenſis, Lambertus Atrebatenſis Epiſcopi, & Guillelmus electus Pariſienſis, Rainaldus adhuc erat Archiepiſcopus Rhemenſis, Hugo fuit Legatus ſub Papa Hildebrando Archiepiſcopus Lugdunenſis. Quinto anno Regis Angliæ Guillelmi violentia fulminis apud Saleberiam tectum turris Eccleſiæ omnino dejecit, multamque materiam labefactavit, quinta die poſtquam eam dedicaverat Osmundus præclare memoriæ Epiſcopus.

Anno 1093. Sigebertus. Conradus filius Imperatoris Henrici in Italia ſe ad patris ſui adverſarios contulit, & multis ſe a patre ad filium vertentibus, hæc res priores patris victorias multum offuſcat, & vires ejus attenuat. Jaculum igni-

Ignitum a meridie usque ad aquilonem per cœlum ferri visum est Calendis Augusti prima hora noctis. ❧ *Ecclypsis solis* facta est nono Calendas Octobris. ❧ Eodem anno, tertio Idus Octobris obiit Robertus primus hujus nominis Flandriæ Marchisus cognomento Friso, succedit filius ejus Robertus. ❧ Sexto anno Regis Angliæ Guillelmi tantum fuit in Anglia *diluvium* ex abundantia imbrium, quantum nullus meminerat. Mox accedente Hyeme fluvii sunt congelati, ut essent pervii equis quadrigis & plaustris. Gelu resoluto, ex impetu glacialium crustarum pontes effracti ❧ Prima Dominica quadragesimæ pridie nonas Martii eligitur tandem in Archiepiscopum Cantuariæ *sanctus Anselmus Abbas de Becco Harluini*, & per annos octodecim præfuit, qui inter Ecclesiasticos Doctores sui temporis præcipuè enituit, & *multa laude digna scripsit*, & sub prædicto Rege Guillelmo multas persecutiones sustinuit. Nam audita morte cujuslibet Episcopi vel Abbatis, confestim Clericus Regis eo mittebatur qui omnia inventa scripto exciperet, omnesque imposterum reditus fisco regio inferret. Hæc & alia quædam intolerabilia sanctus Anselmus corrigere conatus est, sed societate suffraganeorum destitutus, sponte discessit, nequitiæ temporis cedens. Rex enim Guillelmus audita discordia quæ erat Urbanum Papam inter & Guibertum Ravennatem, tributum Romanæ sedi denegavit, pronior tamen in Guiberti gratiam, quæ fuit prima causa discordii inter eum & Anselmum. ❧ Idem Rex Guillelmus Judæos quos pater ejus a Rotomago Londoniam transtulerat, cum in quadam solemnitate eum adirent munera afferentes, ausus est ad conflictum contra Christianos animare, per vultum de luca * pronuncians, quia si vicissent, in eorum sectam transiret. Magno igitur timore Episcoporum & Clericorum res acta est, pia sollicitudine fidei Christianæ timentium. De quo certamine Judæi nihil præter confusionem retulerunt. ❧ Obiit Ro-

gerus tertius Catalaunenſis Epiſcopus, cui ſuccedit Philippus frater *Comitis Hugonis Campanienſis*, natus de Alaide ſorore ſancti Simonis, filius illius Theobaldi qui apud Sparnaceum obiit.

Anno 1094. Guido. *De Petro Eremita*, dum ſancta Hieruſalem Civitas ſub Turcorum dominio multis & graviſſimis eſſet oppreſſa miſeriis, inter eos qui cauſa devotionis & orationis ad eum veniebant, nec tamen intrabant, niſi dato prius auro pro tributo; Petrus quidam ſacerdos de Regno Francorum, & pago Ambianenſi, verè cognominatus Eremita quantitate contemptibili, venerabili ſanctitate pervenit. Hic in Eccleſia dominicæ reſurrectionis dum pernoctaret in orationibus & vigiliis, ab apparente ſibi Domino confortatus, & juſſus, ut pro populo ejus & ſancta Civitate legatione fungatur ad Dominum Papam, & exulantem eum adhuc inveniens propter controverſiam quæ erat inter ipſum & Imperatorem Henricum ſuper inveſtitura baculi paſtoralis & annuli facienda, pro qua ſeptimus Gregorius prædeceſſor ejus fuerat a propria ſede per eumdem Imperatorem expulſus, eidem Papæ Hieroſolymitani Patriarchæ apices, indices magnæ fidelium calamitatis oſtendit. A quo prædicator electus, & ad principes directus & plebes virtute multa Dei verbum evangelizans, Domini Papæ qui eum in Franciam ſubſequebatur, neceſſarius fuit præcurſor. ☙ Elinandus. ❧ Quidam venerabilis Abbas &c. usque dilataverunt. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Ea tempeſtate.&c. Usque profectus eſt. ☙ Sigebertus. ❧ In Gallia & Germania gravis hominum mortalitas facta eſt. In Italia illi qui ſe ad Imperatorem ab hoſtibus ejus tranſtulerant, eo ad Galliam reverſo, omnes penè ad hoſtes ejus rurſum tranſeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt. ☙ Inundatio magna a pridie idus Octobris ad Calendas Aprilis. ☙ Gerardus Cameracenſis Epiſcopus obiit,

obiit, cui Galtherus ſuccedit, ſed ipſo poſtea ab Epiſcopatu pulſo, Manaſſes ordinatur Epiſcopus. ❧ *Juo Carnotenſis Epiſcopus* captus a Vicecomite Carnotenſi, & quibusdam militibus & in carcere detentus, prohibuit ſuis ne eum armis liberarent. Scribit Hoello Cœnomanenſium Epiſcopo quod Papa Urbanus diſponat per Franciam Legatum, ſicut fecerat Papa Gregorius Hildebrandus. ❧ Item ſcribit plures epiſtolas contra illicitas nuptias Regis Philippi contractas cum Bertranda Comitiſſa Andegavenſi. ❧ Septimo anno Regis Angliæ Guillelmi Wallenſes in Normannos efferati, Ciceſterniſem pagum, & partem Serobesberienſem depopulati ſunt, & Angleſiam armis obtinuerunt. ❧ Et eodem anno propter tributa quæ Rex in Normannia poſitus edixerat, agricultura defecit, qua deficiente ſecuta eſt fames, qua creſcente ſucceſſit mortalitas hominum adeo crebra, ut deeſſet morituris cura, mortuis ſepultura.

Anno 1095. Fames diu concepta validiſſimè ingravatur, & fit annus calamitoſus, multis fame laborantibus, & pauperibus per furta & incendia ditiores graviter vexantibus. ❧ Cum valido ventorum turbine, etiam terræ motus factus eſt media nocte. 4. Id. Sept. ❧ Rex Anglorum a fratribus ſuis bello ſollicitatur in Normannia & Anglia. ❧ In multa terrarum parte pridie nonas Aprilis circa diluculum ſtellæ perplures ſimul de cœlo in terram occidiſſe viſæ ſunt inter quas unam maximam labi in terra cum quidam in Francia ſtuperet, & notato loco ubi viſa eſt labi, cum aquam ibi fudiſſet, fumum cum fervoris ſono inde exire magis ſtupuit. ❧ *Baldricus* ita retulit. ❧ Pridie nonas Aprilis feria quarta, lunæ vigeſimo quinto, viſus ab innumerabilibus inſpectoribus in Gallia tantus ſtellarum diſcurſus, ut grando nili lucerent, pro denſitate putaretur, quas quidam opinati ſunt cecidiſſe, quidam motus earum metus Chriſtianitatis interpretati ſunt.

Anno

Anno enim hoc eodem ſubſequente, & ſynodus Arvernis habita eſt, & via Hieroſolymitana inchoata eſt. Porro ante hanc ſynodum generale Concilium idem Papa Urbanus apud Placentiam celebraverat. Sigebertus. Henricus *Comes Lovanienſis* ſecundus hujus nominis Tornaci perimitur. Succedit frater ejus Godefridus. In Comitatu Namurcenſi panem ſubcinericium quaſi ſanguine infectum *vidimus*. Sanctus Ladislaus Rex Ungarorum moritur, cui ſucceſſit Colomannus annis ſexdecim. In Dacia Regi Olavo ſuccedit frater ejus Rex Henricus per annos novem ſupra viginti. Sequitur Sigebertus. Urbanus Papa per Burgundiam & Franciam habitis Conciliis, Hildebrandi, id eſt Gregorii decreta renovat & confirmat. Unde dicit Sigebertus. Habitis Conciliis de illo Concilio, cujus per orbem fama clarior enituit, ſpecialiter meminiſſe debuit. In menſe Novembri hujus anni ante feſtum ſancti Andrææ, generale Concilium, ut ſcribit Guilielmus apud Clarummontem Alverniæ Civitatem a ſummo Pontifice Urbano congregatur. Numerus congregatorum *Epiſcoporum & Abbatum* fuit trecentorum & decem & ſedit a die lunæ decimo quarto Calendas Decembris per dies decem, ubi aliquot diebus primum de fide Catholica, & eorum qui interſe diſſidebant pace, prolixe tractatum eſt. Guido. Ibi Dominus Apoſtolicus excommunicavit Guibertum Ravennatem qui ſe Papam appellabat, & Henricum Imperatorem Romanorum, qui eum manutenebat, Philippum quoque Regem Francorum, ejus concubinam Comitis Andegavorum uxorem, & omnes qui eum Regem vel *Dominum vocarent vel obedirent*, quousque veniret ad emendationem, ut alter ab altero diſcedat. Unde ſequitur Sigebertus. Philippum Regem Francorum qui vivente uxore ſua, ſuperduxerat alterius viventis uxorem, Papa Urbanus excommunicat. Autor: Alterius viventis, id eſt Comitis Andega-

degavorum Fulconis. ☙ Iſte Fulco duos habebat filios, Gaufridum juniorem, Martellum, & Fulconem, & unam filiam Comitiſſam Rhedonenſem, quorum Gaufridus inſidiis ſuorum necatus eſt. ☙ Amore autem prædictæ mulieris, ut ſcribit Guillelmus, ita Rex captus eſt, ut illa ſibi in omnibus imperaret, cum tempore omnibus aliis imperare cuperet. Denique omnium digitis ſe notari, & ab omni orbe Chriſtiano ſe excommunicari propter ejus libidinem aliquantis annis paſſus eſt. ☙ *Capitula vero Canonum Eccleſiaſticorum hujus Concilii* ſecundum Guillelmum iſta ſunt. Primum, ut Epiſcopi vel Abbates, vel aliquis de Clero aliquam dignitatem Eccleſiaſticam de manu Principum, vel quorumlibet Laicorum non accipiat. Secundum, Clerici in duabus Civitatibus vel Eccleſiis præbendas non habeant. Tertium. Ut nemo ſimul ſit Abbas & Epiſcopus. Quartum. Ut Eccleſiaſtica dignitas a nullo ematur, vel vendatur. Quintum. Ut nullus cujuslibet ſacri ordinis carnali commercio utatur. Sextum, ut eis auferantur Eccleſiaſticæ dignitates, qui ſcienter a ſe vel a parentibus ſuis emptas habuerint. Septimum. *Ut eis ignoſcatur qui hoc ignoraverint a Canonibus prohibitum.* Octavum. Ut nemo Laicorum a capite jejunii, nemo Clericorum a quinquageſima usque ad Paſcha carnes comedat. Nonum. Ut in Sabbatho paſchæ non niſi poſt nonam officium celebretur. Decimum. Ut ab adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & a ſeptuageſima usque ad octavas paſchæ, & a prima die rogationum, usque ad octavam pentecoſtes. & a quarta feria occidente ſole, *trevuja Dei* cuſtodiatur. Undecimum. Ut qui Epiſcopum ceperit omnino exlex habeatur. Duodecimum. Ut qui ſacri ordinis viros, vel eorum famulos ceperit, anathema ſit. Decimum tertium, Ut qui Epiſcoporum vel Clericorum morientium bona ceperit, anathema ſit. Decimum quartum, Ut nemo in

Episcopum eligatur, nisi Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, & cui natalium dignitas suffragatur, nisi maxima necessitate, & licentia Papæ. Decimum quintum. Ut filii presbyterorum vel concubinarum ad presbyteratum non promoveantur, nisi prius ad religiosam vitam transierint. Decimum sextum, Ut qui ad Ecclesiam vel ad Crucem confugerint, *data membrorum impunitate, justitiæ tradantur* vel innocentes liberentur. Decimum septimum, Ut unaquæque Ecclesia decimas suas habeat, nec ad alteram transeant. Decimum octavum. Ut Laicus decimas non vendat nec retineat. Decimum nonum. Ut pro sepultura mortuorum pretium non exigatur. ☙ Sequitur Hugo de institutione peregrinationis Hierosolymitanæ. ☙ Posteris diebus sermo Papæ processit ad populum, sanè luculentus & efficax, in quo relaxatis pœnitentiis peccatorum præsentes exhortatur, & absentes exhortari jubet in Domino ad liberandum populum Christianum & loca nostræ redemptionis de manibus impiorum. Tunc a Domino Papa præcipitur, ut signum crucis super vestibus peregrinantium Hierosolymam ad humeros imponatur. ☙ Auditores Apostolica exhortatione succensi, indicium animi clamore testantur, exhortationi faventes, staimque in Concilio nonnulli proceres genibus Papæ acclives se suaque militiæ Dei consecrarunt. E quibus fuit Aimarus insignis potentiæ Podiensis Episcopus, qui postea Christianum exercitum rexit prudentia & eloquentia sua. *Autor.* ☙ Quod iste Episcopus *Antiphonam, Salve Regina* fecit, audiisse me recolo. ☙ Qualiter autem Beatus Bernardus ab Angelis audierit decantari, ubi oportunum invenero, assignabo. Sequitur. ☙ Raimundus *Comes Tholozanus* primus omnium Laicorum crucem accepit, qui plura dedit in itinere indicia fortitudinis & patientiæ suæ. ☙ Continuo fama boni tanti totum perlapsa per orbem, dulci Christianorum animos

Digitized by Google

nos infecit aura, qua circumquaque spirante nulla Christianorum natio fuit tam abdita quæ partem sui non mitteret ad hoc servitium Dei. ⁂ Episcopus Otto. ⁂ Urbanus habito in Gallia Concilio verbo sanctæ prædicationis circiter centum millia hominum ex diversis nationibus in militiam Christi coadunavit. ⁂ Baldricus. ⁂ Excessit & medicina modum, quia plusquam debuit in quibusdam voluntas eundi Hierusalem subrepsit. Nam & multi Eremitæ & recluſi, domiciliis suis non sapienter relictis viam perrexerunt; quidam tamē orationis gratia ab Abbatibus suis accepta licentia profecti sunt, plures vero fugiendo se subduxerunt. Multi enim de gente plebeja crucem sibi divinitus innatam jactitando ostentabant, quod & idem quædam de mulierculis præsumpserunt quod omnino falsum fuisse deprehensum est. Alii vero ferrum calidum instar crucis sibi adhibuerunt, vel peste jactantiæ, vel bonæ voluntatis ostentatione.

Anno 1096. Ecclypsis lunæ facta est tertio Idus Februarii. Rursus septimo Idus Augusti Ecclypsis lunæ facta est. Episcopo Leodiensi Otberto *Dux Godefridus* castrum *Bullonium* venale exposuit, vivente adhuc matre sua Ida & consentiente, pro mille & quingentis Marcis argenti. Facta fuit hæc distractio, & ita castrum oblatum est in eleemosynam Beato Lamberto. ⁂ Idem Dux Sathanacum & Mosacum sanctæ Mariæ Virdunensi in perpetuum tradidit, & Comitatum urbis quitravit; sed & castrum Falconis Montis quod erexerat, amore Episcopi diruit, & Episcopus Richerus multam summam argenti dedit, scilicet Mathildi Marchilæ pro reclamatione. Idem Episcopus Richerus Comitatum prædictum contulit Comiti Barrensi Theodorico, donis & obsequiis delinitus. ⁂ Sigebertus. ⁂ Occidentales populi dolentes loca sancta Hierosolymis a gentibus prophanari, & Turcos etiam terminos Christianorum jam multa ex parte invasisse & innumerabiles

una aſpiratione moti, & multis ſignis ſibi oſtenſis, alii ab aliis animati Duces, Comites, potentes, liberi & ſervi, Epiſcopi, Clerici & Monachi, ſenes & juvenes, etiam pueri & puellæ, omnes uno animo, nullo alio angariante undique occurrunt. Scilicet. Ab Hiſpania. A Provincia. Ab Aquitania. A Britannia. A Scotia. Ab Anglia. A Normannia. A Francia. A Flandria. A Lotharingia. A Burgundia. A Germania. A Longobardia. Ab Apulia. Et ab aliis Regnis, & virtute & ſigno ſanctæ Crucis ſignati & armati ultum ire parant injurias Dei in hoſtes Chriſtiani nominis, & quanto quisque hactenus ad exercendam mundi militiam erat pronior, tanto nunc ad exercendam ultro Dei militiam fit promptior, firmiſſima pace interim undique compoſita, & primo, *Judæos* in urbibus in quibus erant aggreſſi eos ad credendum Chriſto compellunt, credere nolentes privant, trucidant, aut urbibus eliminant. Aliqui Judæorum zelo tenendæ patriæ legis ducti ſe mutuo trucidant, alii ad tempus ſe credere ſimulantes, poſt ad Judaiſmum revolvuntur. ☙ Eminebant in hoc Dei *boſtico*, Dux Lotharingiæ *Godefridus & fratres ejus* Euſtachius & Balduinus. Balduinus Comes Montenſis. Robertus Comes Flandrenſis. Stephanus Comes Bleſenſis. Hugo Frater Regis Francorum. Robertus Dux Normanniæ. Raimundus Comes Sancti Egidii. Boëmundus Dux Apuliæ. Cum iſtis fuerunt. Rotroldus Comes de Pertico. Arpinus Comes Bituricenſis. Renardus Comes Tullenſis. Ludovicus Comes de Montione. Cono Comes de Monteacuto Leodienſis diœceſis, & Lambertus filius ſuus, Comes de Claromonte. Hiſcellinus Comes *de grandi prato* frater Rogerii Comitis *Porcenſis*. Anselmus de Riboldi monte. Thomas de Coci. Et plures alii. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Hæc fama commovit diverſos populos & ignotos, non ſolum terram, ſed & Inſulas maris, ac ultimum inhabitantes oceanum, e quibus tam ignota

lingua,

lingua, moribus & opibus* visæ sunt gentes, ut alii tantum pane & aqua, alii pro omnibus utensilibus argento uti dicerentur. Hi omnes ex diversis linguis & nationibus in unum corpus adunati, crucem in vestibus portantes, Crucis Christi discipulos verbo & opere se fore prædicabant, ac crucis virtute confisi, contra inimicos crucis in Domino dimicaturi iter in orientem aggrediuntur. Verum orientales Francos, Saxones, Thoringos, Bavarios, Alemannos propter schisma quod tempore inter Regnum & sacerdotium fuit, hæc expeditio minus permovit. ☙ Fuere tamen quidam ex iis qui falsa specie Religionis eamdem militiam aggrederentur, inter quos *Emicho quidam Comes de partibus Rheni* usurpans sibi ducatum fere duodecim millium, *Judæos* ubicumque reperit, vel delere, vel Ecclesiæ incorporare satagebat. ☙ In Pannonia itaque incolis transitum in arctis locis prohibentibus, ad propria idem Enicho & sui redire coguntur. ☙ Guido vero expeditionem istam Francorum in Turcos vocat secundam, quia Carolus magnus fecit primam. ☙ Jam, inquit, advenerat mensis Martius quando senecta brumali deposita, mundus vernali juventa vestitus in plagam orientis ituros invitabat. Exercitus autem peregrinorum quem prædictus Petrus Eremita de Imperio conflarat, ut Regno, priusquam conjungi valeret magnis Principibus Francorum, qui cum infinitis agminibus & armorum apparatu multiplici, properabant post eos ad debellandos Crucis Christi inimicos, pene deletur, primum perfidia Bulgarorum, ante Nichæam urbem trans Hellespontum maximam & hostilem, a Turcorum potentissimo Principe Solimanno. ☙ Baldricus & Robertus: primum sustinuerunt detrimentum in festo sancti Michaëlis tertio Calendas Octobris ante castrum Exerogorga, ubi quidam Princeps eorum quem sibi præfecerant, apostatavit. ☙ Aliud damnum habuerunt apud castrum Civitoth prope Nichæam

* rectius puto quam *aperibus*, ut extat in Ecclesingensi

menſe Octobri, ubi occiſus eſt Galtherus. Sine habere*, qui erat *primicerius, ſive ſignifer* Eremitæ. ☙ Petrus vero jam Conſtantinopolim redierat quando illi adquieſcere gens litigioſa nolebat. ☙ Interea Hugo magnus & Comes Flandrenſis Robertus, & alius Robertus Dux Normannorum cum ſuis Romam prætereuntes in Apulejam devenerunt. Audiens autem Bœmundus famam eorum ſingulorum, probitatibus ſignisque percunctatis, duo pallia optima ſibi præcepit adferri, dum eſſet in obſidione Malfæ ſuper litus Caphardi, & ipſa pallia per particulas conſerta, crucem** unicuique ſuorum diſtribuit, unam quoque ſibi retinuit. ☙ Hugo magnus itaque, & Guillelmus Marchiſus filius ejus per portum Barrenſem venientes, navigando Durrachium venerunt, qui capti a Duce regionis illius Conſtantinopolitano Imperatori miſſi ſunt. ☙ *Poſt hunc* Eremitæ Petri lamentabilem exercitus caſum Dux Lotharingiæ Godefridus vir virtutum titulis eminentior inter alios Princeps occidentis, cum nobiliſſimis Comitibus Balduino & Euſtachio fratribus ſuis, & Balduino Comite Montenſi, id eſt, de Hainaco, & aliis multis clariſſims viris & viribus copioſis ante Conſtantinopolim urbem & ſedem Imperialem caſtra metatus eſt & duobus diebus ante natalem Domini, tam Imperatorem, quam urbem terrore concutit, incutitque ſtuporem. ☙ Imperator Alexius hic erat qui ſubdolus & nequam munificum ſibi Dominum ſuum Imperatorem Nicephorum a propria ſede ſine cauſa depulerat, & tamquam invaſor Imperium tunc tenebat, homo tergiverſatione famoſus, & nihil unquam niſi dolo machinatus: ipſe nobilem illum & victoriоſum Ducem Robertum Guiscardum veneno, & uxorem ejus auro corruperat, fidem ei conjugalem falsò per nuntios pactus. Ipſe Chriſtianum exercitum in inſidias Turcorum inductum fraude circumveniens, & notis artibus toxica vel fluminibus, vel cibis, vel veſtibus infundens, pro magna parte dedit

* Walterus cognomento ſine habere. Balderic. ** in cruces.

dedit interemptioni. Hic enim Hugonem magnum fratrem Philippi Regis Francorum cum multis aliis de eodem Regno nobilibus captos tenebat in vinculis. ❧ Mandat ei Dux, ut eos liberè abire permittat, quod dum ille præcisè renuit, Dux regionem præcepit depopulari. ❧ Imperator rogat, ut desistat, & coactus reddit liberos quos custodiæ manciparat, qui ad Ducem conveniunt, & amplexus, & copias simul jungunt. Imperator ad se Ducem invitat, qui suspectum habens ejus colloquium, ad eum venire recusat. ❧ Indignatus Imperator forum eis venalium rerum interdixit. Dux iterum regionem incendiis & prædis exponit: pugna committitur inter exercitus Imperatoris & Ducis: strages maxima fit Græcorum. ❧ Episcopus Otto dicit ita. ❧ Godefridum cum suis Deo propitio Bulgaria quamvis difficulter permeata Constantinopolim pervenire, ubi multa dolis Imperatoris Alexii perpessi dum seditione orta mortis periculum evasissent, ponte urbis expugnato, suburbia ejus destruxerunt. ❧ Sequitur Guido. ❧ Interim Imperator sollicitat Ducem per Legatos, ut eum veniat pacis in osculum visitare, timens ne si convenirent qui venturi erant Principes peregrini priusquam placabilem sibi redderet Ducem, in ejus ruinam unanimiter consentirent. ❧ Dux placatus ad Imperatorem ingreditur, accepto filio ejus Joanne Prophyrio adhuc adolescentulo obside, & cum adhibita, de more, quadam solemnitate vestitus Imperialibus in filium Imperatorium adoptatur, muneribusque pretiosissimis honoratur. ❧ Robertus. ❧ Dum hæc aguntur venerabilis Podiensis Episcopus & Comes Raimundus per Sclavoniam gradientes, Constantinopolim cum suis devenerunt. Porro Bœmundus cum Tancredo Nepote suo Marchisi filio & Richardo de Principatu & singulorum exercitibus per Bulgariam Andrinopolim venientes transfretaverunt, & venientes usque Castoriam, natale Domini ibidem celebraverunt, & inde per castrum

Pelago-

Pelagoniam venerunt usque ad flumen Bardarum. ☙ Baldricus. ❧ Erat Pelagonia castrum munitissimum hæreticorum, omnibus bonis refertum, quo diruto radicitus ventum est ad flumen Bardarum, ubi Tancredus cum suis Imperatoris satellites fugavit, quos Imperator sibi conduxerat de paganis & barbaris ad inferenda nocumenta Bœmundo & ejus sociis. De his ergo Tancredus cum suis triumphavit, quosdam peremit, quosdam juratos Bœmundo præsentavit. Et de isto anno satis dictum est. ☙ Ida Bolonensium Comitissa tradidit Affligensibus Ecclesiam quæ est in villa Genapia cum decimis, & universis ejus reditibus, consentientibus filiis suis Godefrido Duce Bullonii, Eustachio & Balduino. ☙ Idem Godefridus Dux filius ejus in eadem villa quinque mansos Affligensi monasterio tradidit, ad quos ipsa postea quasdam partes circumjacentes plene unum mansum continentes in augmentum concessit. ☙ Rhemis obiit Rainoldus Archiepiscopus & Abbas sancti Remigii Henricus, Adenarius, Odo frater Ludovici Grossi de alia uxore, Hugo Petrus, Manasses eligitur in Archiepiscopum Rhemensem.

Anno 1097. Sigebertus. Cometes in occidente apparuit tota prima hebdomada. ❧ Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur, & sterilitas frugum terræ sequitur. ☙ Anno decimo Regis Angliæ Guillelmi apparuit Cometes Calendis Octobris quindecim diebus majorem crinem emittens ad orientem versus austrum; Apparuerunt & aliæ stellæ quasi jacula inter se emittentes. ❧ Eodem anno *Anselmus* lux Angliæ tenebras erroneorum fugiens Romam ivit ❧ Sigebertus. ❧ Exercitus Dei aggressus terminos paganorum viriliter agit. Primum fuit illis bellum ad pontem fluminis Bardarum nono Calendas Martii, ubi multi Turcorum occisi sunt. ☙ Author. ❧ Hoc est illud bellum quod anticipando jam diximus, quod Baldricus scribit actum fuisse

quarta

quarta feria in capite jejunii. Conferantur ſingula ſingulis, & ſicubi mendacium deprehenditur, corrigatur. ☙ Tandem Imperator diſſimulando quod factum fuerat miſit obviam Boëmundo mandans, ut in ſuo conductu Conſtatinopolim venire non recuſaret. Interea Boëmundus cum ſuis venerat in civitatem Serram ubi ſufficiens habuere mercatum. Ibi Boëmundus cum duobus *Corpalatiis* amicitias iniit. Itaque ad Serram dimiſſo exercitu cum Tancredo, ipſe Boëmundus cum paucis Conſtantinopolim venit, ubi ſupradictas noſtrorum acies invenit. ☙ Guido. ☙ Dux igitur Godefridus cum ſuis tranſiens Helleſpontum, ſive Bosphorum in Bithinia quæ prima de Aſianis provinciis occurrit, in pago Calcedonenſi caſtra metatur. ☙ In Calcedone fuit quondam quarta ſynodus generalis. Civitas eſt Conſtantinopoli proxima, & ſola Bosphori interpoſitione diſtincta. ☙ Boemundus ab Imperatore muneratus poſt Ducem Godefridum iter accelerat, & ex pacto, maris brachio * præcedentibus copulatur. ☙ Robertus quoque Flandrenſis Comes nobiliter ab Imperatore ſuſceptus, & pretioſis muneribus cumulatus, mari tranſito Principibus ſociatur. ☙ Robertus etiam Dux Normannorum illuſtris, & Stephanus Carnotenſis Comes ſororius ejus cum multis aliis potentibus viris, ab Imperatore variis donariis honorantur, & transfretantes aliis conjunguntur. ☙ Raimundus vero Dux Provinciæ Narbonenſis & Comes Tholozanus, adjuncto ſibi Epiſcopo Podienſi, & multis Nobilibus illarum partium, & immenſis tam equeſtrium, quam pedeſtrium turmis per Dalmatiam, quæ eſt inter Hungariam & Adriaticum mare ſubſequuntur. ☙ Comes iſte Tholozanus ad Imperatorem ingreſſus, ſed ab eo pro fidelitate diſſentiens, Imperatoris inſidiis impugnatur. Comes indignatus accingitur ad ultionem, ſed per revocatos ab Imperatore prædictos Principes reconciliatur, & pretioſis ab Imperatore donariis honoratur, quo

* f. tranſmiſſo

facto pariter transfretant, & ad ſuas ſe conferunt legiones, ibique juxta Nicomediam, maximam Bythiniæ metropolim Petrus Eremita cum paucis de Comitatu ſuo reſiduis, eis conjunguntur, & ita multiplicatis copiis perveniunt ad Nicæam clariſſimam Bythiniæ Civitatem. ◂§ Baldricus. §▸ Exercitus interea Boëmundi pervenerat ad Civitatem Ruſa, quam Robertus vocat Suſam quarta feria ante Cœnam Domini, venerunt ergo Niceam 4. nonas Maij. ◂§ Guido. §▸ Adjunxerunt etiam ſe noſtrorum Caſtris Tatinus quidam Princeps Græciæ Imperatori familiaris, viæ dolis inſtructus, & in arte Pelasga, & in ſignum perverſæ mentis narſibus mutilatus. ◂§ In hoc loco legionum ſuarum numerum recenſentes, inventi ſunt cum centum millibus equitum habere plusquam quingenta peditum millia, qui pariter prædictam urbem obſident, laborum ſuorum primitias Domino conſecrantes. ◂§ Epiſcopus Otto. §▸ Recenſitis absque parvulis & mulieribus trecentis millibus pugnatorum Niceam Catholicæ fidei quondam turrem devenere. ◂§ Guillelmus ita §▸ Nusquam tot gentes in unam cojere ſententiam, opinionemvinc ebat numerus quamvis æſtimaretur ſexies centum millia, qui omnes Hieroſolymam pergebant. ◂§ Author. §▸ Secundum Guidonem fuerunt ibi centum millia milites, ſecundum Epiſcopum Ottonem trecenta millia pugnatores, ſecundum Guillelmum qui comprehendit omnes divites & pauperes, juvenes & ſenes, parvulos & mulieres, potuerunt æſtimari ad ſexies centum millia. Ita poteſt fieri diverſarum ſententiarum concordantia. ◂§ Nicæa vero Civitas a Conſtantino ſeniore Auguſto emancipata fuit de jurisdictione Nicomediæ ſuæ Metropolis ad reverentiam ſanctæ ſynodi primæ, quæ in ea convenerat adverſus Imperatorem * dogmatis Arriani. ◂§ Ad hanc cum noſtri primitùs acceſſerunt, munitiſſimam eam cum valde virtualibus viris, armis, muris & turribus invenerunt. Urbem

bem hanc ab Helleſponto usque in Siriam itinere dierum triginta* provincias temporibus Conſtantinopolitani Imperatoris Romani, qui cognominatus eſt Diogenes, qui ante de quo prædiximus Alexiũ, fuerat tertius, ille Perſarũ Soldanus Belferot, ſicut prædictũ eſt, violenter occupaverat & Nepoti ſuo tradiderat ex parte plurima Solimanno. Solimannus autẽ cum quinquaginta millibus Turcorum in noſtros irruit, vincitur & proſternitur a noſtris exercitus ejus. Occiſorum capita machinis jaculatoriis projiciunt in urbem. Ad Imperatorem ſigna victoriæ diriguntur, ille remunerat exercitum victualium plenitudine, & Principes immenſitate donorum. ⁂ Civitas oppugnatur, quidam Nobiles ibi procumbunt, multi ſub machina conteruntur. Noſtri naves deferunt in plauſtris, lacum occupant qui pene circumfluebat urbem, cives mirantur & deſperant. Turris in urbe cæteris validior & eminentior ſuffoſſa diruitur, de qua uxor Solimanni capitur, Civitas redditur Imperatori, conſilio Tatini Principis Græci, receptis tamen, quos Solimannus ceperat antè captivis. ⁂ Baldricus. ⁂ Obſeſſa fuit Nicea a die aſcenſionis Domini per ſeptem Hebdomadas & tres dies, tandem capta, & a Chriſtianis Imperatori Alexio reddita, qui tamen Turcos, qui ab ea ad ſe refugerant, in pace ſuſceperat. ⁂ Sigebertus hunc locum breviter ita tangit. ⁂ Secundum Chriſtianis fuit bellum apud Niceam tertio nonas Maji, in quo etiam pagani victi ſunt. ⁂ Guido ⁂ Obſidione Niceæ ſoluta, noſtri ſuſceptum iter arripiunt. ⁂ Dux Boëmundus, Stephanus Comes, & Tancredus Marchio cum aliis quibusdam parentibus ab exercitu dividuntur, quibus Solimannus cum militibus Turcorum trecentis occurrit; pugna committitur, in qua Guillelmus Tancredi frater occumbit, Tancredus pene capitur, gnaviter arctatus, exercitui Boëmundi reliqui Principes occurrunt oppreſſo, vertitur in fugam Solimannus, perit ejus exercitus, ad quendam pontem

pervenitur. Tertia die Turcos inimicos, offenderunt Saracenos, Angulanos, Perſas, trecenta & quadraginta millia, & Arabes innumeros. Cæſa ſunt ibi multa millia barbarorum. Cecidit ibi Guillelmus frater Tancredi, & Gaufridus de monte ſcabioſo & multi alii. Turci autem jactitant ſe de Francorum ſtirpe genitos, nullosque naturaliter debere militare niſi ſe & Francos. ❧ Factum hoc prælium Calendis Julii, inventum eſt in eorum tentoriis aurum & argentum plurimum, equi, boves & cameli, mille verveces, aſini & copioſa ſupellex. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Poſtquam Niceam fugato Principe Paganorum Solimanno cepere, captamque Imperatori tradidere, progredientes maritima Ruthenorum attingunt. ❧ Baldricus. ❧ Solimannus autem, Solimanni ſenioris filius de Nicea fugiens invenit Arabum decem millia, quibus fugam perſuaſit. Et venientes ad civitates & caſtella in quibus morabantur Suriani Chriſtiani, dicebant eis ſub dolo, devicimus Francos, & ſic inter portas recipiebantur; ingreſſi autem domos & Eccleſias deprædabantur & auferebant eis omnia concupiſcibilia, & filios & filias. His auditis Chriſtiani eos inſecuti ſunt. ❧ Guido. ❧ De Bythinia Phyſidiam ingreſſi laborant aquæ penuria, plusquam quingenti deficiunt ſiti, ſed tandem invento flumine juxta minorem Antiochiam quæ eſt Phyſidiæ metropolis, recreantur. ❧ De pugna inter Godefridum Ducem & Urſum. ❧ Dum Godefridus indulgens ſibi venationi, occurrit urſo perſequenti pauperem ligna portantem, & clamore periculum proteſtantem. At bellua videns aſtantem ſibi Ducem ſpreto gladio, & quem perſequebatur, eum aggreditur, quam Dux audaciter cum ea diu colluctans, & vulnus ab eo ſatis periculoſum accipiens, capulo tenus emiſſo gladio transfodit & proſternit. ❧ Transcurſa Phyſidia Licaoniam ingreſſi, Yconium regionis ejusdem metropolim pervenerunt, quam quia vacuam reperiunt, patiuntur alimen-

torum

rorum penuriam ibi magnam. ☙ Turci exſpoliatis urbibus & regione vaſtata cum uxoribus & filiis & omni ſubſtantia ad montana verterunt ipſi ſe in fugam. ☙ Baldricus. ❧ De Yconio venerunt ad Civitatem Eracliam, quæ Turcis abjectis illis ſe reddidit, deinde venerunt Tharſum Tancredus & Balduinus Godefridi Ducis frater, & ceperunt eam, ubi per contentionem Balduinus Tharſum ſolus obtinuit; Tancredo autem non multò poſt redditæ ſunt duæ Civitates Azora & Mamiſtra & caſtra plurima. ☙ Guido ita refert. ❧ Tancredus Marchio nobilem Ciliciæ Metropolim obſidet, ſed ſubveniente Ducis fratre Comite Balduino, dum ſe reputant hoſtes, concurſus invicem ſibi parant hoſtiles, ſed pòſt mutuam redeunt ad obſidionem. Tancredi vexillum elevatum ſuper arcem in ſignum deditionis, Balduinus Comes dejici facit, & ſuum illic collocari. ☙ Tancredus cum indignatione recedit. ❧ *Guelpho Burgundio*, Turcis ejectis capit Adamam Civitatem, multiplici commoditatis genere redundantem. ☙ Tancredus Mamiſtram occupat, Turcis interemptis in muris & turribus, & amœnitate præcipuè commendabilem urbem. ☙ Balduinus Comes prædictus occupata Tharſo, trecentis de exercitu Boëmundi propter Tancredum interdicit urbis introitum, quos ibi pernoctantes Turci de civitate clam effugientes interficiunt. Balduinus prædictus Mamiſtram veniens, & comperiens a Tancredo poſſeſſam caſtra metatur. Pugna gravis committitur inter eos, & mox ducti pœnitudine reconciliantur. Balduinus ad majorem revertitur exercitum, Tancredus Ciliciam armis obtinet univerſam, finitimi Principes Turcorum oblatis muneribus ei ſe conciliare feſtinant. ☙ Baldricus. ☙ Aliis optimatibus reddita eſt civitas Alphia in Armenia quam petiit miles quidam terræ illius indigena nomine Simeon, & accepit. Deinde venerunt ad Cæſaream Capadociæ quæ ad ſolum uſque diruta eſt, ruinæ tamen adhuc de-

monſtrabant quid fuerit. Inde venerunt ad pulchram & optimam Civitatem Plaſcentiam, quam Turci tribus hebdomadis obſederant, ſed inexpugnabilis erat. Hæc illico patuit Chriſtianis. Hanc Petrus de Alpibus petivit & accepit. Deinde ventum eſt ad Coxam, ſive Chorſos, nobilem & copioſam Civitatem quæ illis reddita eſt. Deinde venerunt in vallem Antiochiæ. Petrus autem de Rouſa declinans ſe ab aliis, introivit vallem de Rugia, inventosque ibi Turcos quam plurimos ſuperavit & fugavit, & Armenii dederunt illi Rufam Civitatem, & quædam caſtella. Major autem exercitus cum magna difficultate venit in vallem Antiochiæ, quæ eſt Syriæ metropolis. Sigebertus. Et cum eſſent plusquam trecenta millia armatorũ in exercitu Chriſtianorum, tanta eis rerum omnium ſuppetebat copia, ut aries uno nummo, bos vix decem nummis venderetur. Epiſcopus Otto. Tanta uſi ſunt rerum abundantia, ut aries nummo, bos ciclo teſte Roberto venundaretur. Principes quoque, ſeu Reges Sarracenorum ſibi occurrentes, opitulante Deo oppreſſerunt. His elati ſucceſſibus Antiochiam Syriæ Metropolim obſidione cingunt, ubi per novem menſes morantes, deficiente exercitu, ac exhauſtis copiis plurimum humiliantur. Guido. Balduinus interea frater Gaudefridi Ducis apud Edeſſam Aſſyriis Chriſtianis poſſidentibus eam, ſub dominatione tamen Turcorum, cum honore & lætitia ſuſcipitur, & efficitur dominator ejusdem. In hac regnavit Abagarus ſecundum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ librum, & pro implendo ejus deſiderio fertur ei Dominus miſiſſe epiſtolam, & ſui vultus impreſſionem in panno. Hujus urbis cives in ea quam per Thadæum Apoſtolum ſuſceperant ſinceritate fidei perſeverantes, quamvis Turcis tributa penderent, obtinebant tamen absque cohabitatione infidelium civitatem. Idem quoque Balduinus Comes Samoſatham &

Soror-

Digitized by Google

Sorórgiam munitiſſimas ſubjugat civitates. ☙ Robertus Flandrenſis Comes Arteſiam capit Civitatem, & nepos ejus ex amita Dux Normanniæ Robertus fugatis Turcis occupat ſuper fluvium Orontem lapideum pontem. ☙ De obſidione *Antiochiæ* Robertus. ☙ Primus Antiochiam obſedit Boëmundus decimo nono Calendas Novembris quarta feria a tribus portis; cæteri venientes de quadam Civitate quæ dicta eſt Maraſum, ſequenti die obſederunt. ☙ Guillelmus. ☙ Fluvius Farnus duodecimo ab urbe milliario pelago influens fluentis rapacibus, & ipſo impetu frigidioribus, ſalubris auræ temperie civitati medetur, commeatum navium oppidanis invehens, perſeverantiam obſidentium quantolibet tempore deridet. Eſt præterea ipſa civitas mœnibus tuta, montibus ardua. Eccleſia Beati Petri, & Eccleſia Beatæ Mariæ quandiu Turci ibi fuerunt illibatæ manſerunt. ☙ Baldricus. ☙ Infra Civitatem Antiochiam ſunt quatuor montanæ ſatis altæ, in quarum una, ſublimiori ſcilicet, caſtellum eſt quod omni præeminet Civitati. Deorſum civitas eſt decenter ædificata, & duplici muro circumdata, murus interior amplus & altus, & quadris lapidibus compactus in quo ſunt turres trecentæ quadraginta, formoſis mœnis venuſtæ, & defenſæ propugnaculis, murus exterior non eſt tantæ celſitudinis, ſed admirandæ venuſtatis. ☙ Continet in ſe trecentas & quadraginta Eccleſias, Patriarcham habent, cujus Patriarchatui ſubjecti erant centum quinquaginta tres Epiſcopi. Ab oriente quatuor clauditur montanis; ab occidente Civitatis muros præterfluit fluvius qui Farfar dicitur. Septuaginta & quinque Reges eam conſtituendo ſublimaverunt & nobilitaverunt, quorum maximus & primus Antiochus fuit, a quo denominata eſt. ☙ Guido. ☙ In hac urbe primus conventus fidelium eſt habitus, & Chriſtianorum nomen dedicatum. ☙ Montem ab auſtro habet dictum Orontem, ſicut & Fluvium. Mons iſte juxta Solinum

Caſſius

Cassius appellatur, cujus e vertice circa quartam noctis vigiliam globus solis, & illinc nox, & illinc dies conspici potest. Dominatum tam egregiæ civitatis potentissimus ille Persarum Soldanus, de quo prædiximus, qui tot provincias suo subjugaverat imperio, Belphetot, cuidam suorum dederat Axiano, sive Cassiano, sicut & Solimanno Nepoti suo Nicæam, Dudac vero Principi Damascum, alteri quoque Halasiam, qui dictus est Asingor: Hic est pater Sanguini, Patris* Nordarini. Nam ab Ægypto usque ad Laodiceam Siriæ regiones alias Ægypticus Califas possidebat. ⁂ Robertus. § Erant autem in civitate Armeni multi, & Suriani Christiani quidam, sed Turcis obnoxii, qui fugam simulantes audaciter exibant in castra mendicantes, & castrorum explorantes consilia in urbem reportabant, quod multum nocuit Christianis. ⁂ Guido. § Uno milliario ab urbe in pascuis latè virentibus, nostri castra locaverunt. Obsessa vero Civitate nostri pontem erigunt ligneum, distantem aliquantulum a ponte lapideo Civitatis, ut hos arceant, & liberius exeant pabulatum. Porta vero Civitatis per quam nocturnæ fiebant irruptiones & ab hostibus nonnumquam assultus objectis molibus obturantur. ⁂ Author. § Dum quidam de nostris irent pabulatum inter Antiochiam & Harach,** & in Perside transmissi, quorum unus fuit Arpinus Comes Bituricensis, & unus Richardus de Caluomonte, qui postea fecit duellum in præsentia Soldani Persidis contra duos Turcos pro Carbaranno, & ita seipsum & socios suos liberavit. Prædictus autem Comes Arpinus in reditu Romæ obiit. § Idem Comes Arpinus Cruce signatus Comitatum suum vendiderat, & ex tunc Reges Franciæ tenent immediate Civitatem Bituricas, & castrum de Duno Roberto. § Boëmundus & Comes Flandrensis abierunt cum triginta millibus in terram Sarracenorum, & obviantes Turcis qui

* Noradini.

qui venerant ab Jerusalem, & Damasco, & Haleph ubi multum lucrari sunt. ☙ In illo spatio Podiensis Episcopus suum perdidit * Dapiferum.

Anno 1098. Post natale Domini supervenit tempus famis. ☙ Unde Sigebertus. ❧ Obsessa vero Antiochia in tantum attenuati sunt Christiani propter rerum omnium penuriam, ut in toto exercitu vix centum boni equi invenirentur. ❧ Baldricus. ❧ Ibi in castris tanta fames facta est quod *Asselli onus de frumento* vendebatur *octo putatis,**qui valent denariorum centum viginti solidos*, nux vendebatur denario, & ovum decem denariis. ☙ Guillelmus Carpentarius, & Petrus Eremita latentes aufugerunt, quos inuentos Tancredus apprehendit, & honestè conviciatos & coactos redire compulit. Guillelmus iste fuit *Vicecomes Meleduni* consanguineus Hugonis magni. Compulsus est ergo jurare coram Principibus quod non recederet, & tamen post juramentum clanculo recessit. ❧ Guido. ☙ Exercitus & pluviis & fame laborat & peste. Tatinus Græcus Princeps qui & Tetigus tamquam victualium commercio missurus ad Imperatorem, ut subveniat rogaturus, discedit ab exercitu non rediturus, relinquens aliis periculosum exemplum. ☙ Compescitur hostilium importunitas exploratorum *** ascitis quibusdam Turcis, & quasi ad opus Cœnæ diligentius præparatis. ☙ Robertus. ❧ Quintum bellum Christianorum factum est ante Antiochiam Idibus Februarii, tertia feria ante caput jejunii in qua multi Turci occisi sunt, & equi eorum capti. Et in hoc bello nulli fuere pedites, sed omnes fuerunt equites. Centum capita peremptorum missa sunt Legatis Admiralis Babylonii, & occupatum est a nostris castrum Hareth, id est civitas Harene ubi Abanar & Farfar fluvii Damasci simul conveniunt. ☙ Guido. ❧ Factum est divinitus, ut multis Turcorum millibus clam venientibus & super nostros occupatos circa civitatis assultum irruenti-

* Baldric. Signiferum. ** id. Purpuratis

bus ex improviſo, noſtri Principes qui contra proceſſerant vix cum militibus ſeptingentis, viderentur occurrere cum millibus infinitis. Sed Turcis victis & in fugam verſis & pene deletis, victores occupant oppidum ipſorum Harene, & in victoriæ ſignum, & ad doloris hoſtilis incrementum, machinis jaculatoriis contorqueri faciunt in urbem capita trecenta captorum. Poſtea Turci in alio bello peremerunt plusquam mille Chriſtianos. Inde ſequitur memorabile factum Ducis Godefridi & militia ſingularis. Unde Guido. Poſt Chriſtianorum in magna multitudine properantium ad caſtra in portu maris fit ſtrages maxima, Turcorum irruentibus in eos inſidiis, ſed egreſſis, ut opem ferrent illis pereuntibus, Chriſtianis Principibus & Legionibus ordinatis, Turci verſus pontem civitatis vertuntur in fugam. Axianus Princeps Civitatis ad auxiliandum eis electam manum præcepit contra portam occurrere bellatorum, quos ut fugiendi tollat occaſionem, ab eis obſerratis portis excludit: ſed Chriſtianorum attriti viribus pecudum more cæduntur, vel fugiendo comprimentes, in fluvium devolvuntur, reſidui portis ſerra reclusis miſerabiliter illabuntur. Ibi Dux Godefridus ſingularis ſuæ virtutis memorabile dat argumentum, dum ictu fulmineo dividit per medium loricatum, cujus ſuperior pars ad terram labitur, inferior equo, cui ſuperſedebat infertur, cæſis ad millia Turcis, duodecim de majoribus eorum ſatrapis memorantur extincti. Fluvius præ magnitudine cædis ſanguineus in mare deſcendit. Baldricus. In hoc ergo ſexto bello mortui ſunt Principes Turcorum duodecim quos admirallios vocant, & mille quingenti milites fortiſſimi defenſores Civitatis. Chriſtiani *Burdones* quatuor cæſorum capitibus onuſtos miſerunt ad portam ubi erant Legati de Babylonia. Septem quoque millia Sarracenorum capti fuerunt. Armenianos & Surianos qui neceſſaria in civitatem abundanter afferebant,

Tancre-

Tancredus cepit, & omnia eis abſtulit, facta eſt ergo fames in civitate. ☙ Guido. ❧ Nunciatur in caſtris Chriſtianorum, quod potentiſſimus Soldanus Perſarum eminentiorem inter ſuos, & a ſe ſecundum ad Chriſtianos debellandos, & ad ſolvendam urbis obſidionem cum immunerabili ſuorum multitudine, & Turcorum copiis dirigeret infinitis, pro quo Carnotenſium Comes Stephanus non rediturus ſimulata valetudine deſcendit ad mare. ☙ Robertus. ❧ Sequitur luctuoſa mors Walonis militis tempore *trebarum, cujus uxor erat ſoror Everardi. ☙ Sequitur qualiter civitas fuit reddita. ❧ Baldricus. ☙ Erat in obſeſſa Antiochia quidam Admiratus Turcorum nomine Pyrrus qui fœdus amicitiæ per fideles internuntios cum Boëmundo inierat, fama ejus allectus. Hic Boemundo filium ſuum miſit obſidem, & reddidit ei tres turres quas tenebat, & hæc fuit cauſa cur poſtea capta fuit civitas. ☙ Guido. ❧ Boëmundus in conſilio pactum fecerat ſecretum, quod ſuper tradenda Chriſtianis contraxerat cum quodam potentiore cæteris urbis habitatoribus, qui fide media ſe obligaverat ei reddere civitatem ſi obtineret eam a Principibus jure hæreditario poſſidendam. Gaviſi Principes hoc ei ſolo Tholozano reſiſtente, concedunt. Boemundus amicum ſuum de promiſſo complendo convenit. Ille conſentit tantò libentius & promptius, quanto de violata conjuge ſua gravius erat offenſus, & ſollicitus de ſuſpicione civium de qua prudenter ſe reddiderat abſolutum, ammonendo, diligentiores urbis cuſtodias adhibendas, & easdem crebrò mutandas, unde ſollicitior factus fratrem, quia ſentit eum a ſuo propoſito diſſentire, perimit, & Chriſtianos per ſcalas aſcendentes, in turrim propriam recipit. ❧ Boemundus Dux cunctantibus cæteris prior aſcendit, & adhuc videns reliquos dubitantes regrediens, dat eis ſecuritatis certius argumentum Unde poſt eum prior Robertus Flandrenſium Comes & Tancredus, & poſt

* induciarum

ipſos innumeri mox aſcendunt intromiſſi. ☙ Cæſis cuſtodibus occupantur turres & mœnia, portas aperiunt, exercitus in urbem irruit, civitas expugnatur. Aſſianus qui & Caſſianus extra urbem fugiens occiditur, de quo Baldricus. ☙ Caſſianus, inquit, Dominus Turcorum inter fugientes delituit, cujus caput Armeni abſtulerunt, & Boemundo detulerunt. ☙ Robertus. ❧ Pars civium fugæ ſubſidio liberatur, pars vero maxima gladiis cæditur, aut vinculis mancipatur. Facta eſt hæc exaltatio & lætitia Chriſtianorum circa quartum diem menſis Junii, ſiquidem per octo menſes & quindecim dies civitas fuit obſeſſa. ☙ Sigebertus. ❧ Et quamvis ex deſperatione rerum multi ſe ſubſtraxerint, multi etiam repatriaverint, nono obſidionis menſe capta eſt a Chriſtianis Antiochia. Deinde verſa vice Chriſtiani a paganis obſeſſi ſunt in ea. ☙ Baldricus & Robertus. ❧ Capta civitate per tres hebdomadas obſeſſi ſunt Chriſtiani: Carborannus Carbagath Princeps eorum qui ad auxilium Antiochenenſium confluxerunt, accepta ſibi licentia ſæviendi in Chriſtianos a Calipha, ſuæ gentis Apoſtolico, innumeras gentes ſibi coagulaverat, inter quos Admiratus Hieroſolymitanorum erat, & Rex Damaſcenorum. His Antiochiam appropinquantibus Saſſandolus Regis Antiochiæ Caſſiani nuper occiſi filius obviavit, & dedit municipium fortiſſimum quod urbi imminebat Corboranno. Quo facto Corborannus civitatem obſedit, ad quem venit ibi mater ejus centenaria auguratrix ſortilega, prædicens ei, ſi pugnaret cum Chriſtianis, ſuperandus eſſet ab illis. ☙ Guido. ❧ Corbagat magni Soldani Princeps urbē obſidione cingit ingenti. Trecenti de infinito Perſarum exercitu qui obſidionem Antiochiæ ſolvere præparabant, & magno Principi Corbagat commiſſi erant, ignorantiam ex induſtria prætendentes, ante urbem diſcurrunt, a quibus Rogerus de Larnavilla, Normannorum Ducis Miles egregius, dum eorum properat in occurſum more ſuo aliquid in-

ſigne

ſigne geſturus, ſagitta confoſſus interiit ſuis perpetuo lugendus. ❧ Corbagat Dux Perſarum quosdam è noſtris captivos, inopes & famoſos compeditos cum armis ſuis ad Dominum ſuum dirigit, mandans his verbis. Ecce populos qui regna veſtra ſollicitant, ecce arma quibus ſinceritatē veſtram ſubjugare meditantur, quod poſtea retorſit Dominus in ejus confuſionem. Infra urbem invaleſcente fame vix ulla continet Hiſtoria tot & tantos Principes tantumque exercitum, tantas alibi ſine defectu moleſtias pertuliſſe. Noſtris præ inedia & labore fatigatis & remiſſius ſe habentibus, hoſtes unam pene de turribus occupant. Henricus de Aſcha viriliter reſiſtit & arcem obtinet, & hoſtibus interemptis turri deſcendentes ad mare, ſuccenſis ex parte navibus, & nautis, * noſtrorum pluribus interfectis, reliquis verſis in fugam, & aliis deterritis, rerum venalium ceſſante commercio augent noſtris periculum famis. ❧ Sigebertus & Epiſcopus Otto. ❧ Tanta fame afflicti ſunt, ut vix aliqui ab humanis carnibus ſe abſtinerent. ❧ Baldericus. ❧ Panis paximacius & permodicus biſanceo vendebatur. Equinæ carnes & aſininæ pro imperialibus computabantur deliciis, gallina quindecim ſolidis, ovum duobus ſolidis, nux vel glans uno emebatur denario. Hanc paſſionem continuam tulerunt diebus viginti tribus circiter. ❧ Metu Sarracenorum effugiebant quidam de exercitu Chriſtianorum funibus demiſſis per murum, Guillelmus de *Girantenamesnil*, & Albertus frater ejus, Guido Turcellinus, & Lambertus pauper perpetuo opprobrio deinceps onerantur. De puſillanimitate & opprobrio Comitis Stephani. Fame ita prævaleſcente in civitate, Stephanus interim *Comes Bleſenſis* propter infirmitatem ſeceſſerat apud Alexandretam, quæ non longe abeſt ab Antiochia, convaleſcendi gratia, cujus reditum omnes expectabant, quia vir conſilii erat, qui ut audivit Turcos circumvallaſſe Civitatem, latenter montana conſcendit, & feſtinanter clandeſtinus diſces.it

ſceſſit & putans ſuos defeciſſe, vel in brevi defecturos fore, & perveniens ad Imperatorem, qui cum magna multitudine Græcorum & Anglorum in auxilium noſtrorum veniebat, perſuaſit ei, ut reverteretur. Hanc offenſam & hanc infamiam Stephanus idem tacitus poſtea contritione cordis & confeſſione* rediens a patria in Jeruſalem pervenit, & ſic omnibus ſatisfecit. ❧ Guido de eodem. ❧ *Stephanus Carnotenſis Princeps* Conſtantinopolitanum Imperatorem paratum noſtris ſubvenire pernitioſa fidelibus oratione deterret. Quam infamiam poſtea Deus magna miſericordiæ ſuæ gratia eidem Stephano proprii ſanguinis pretio delere conceſſit. ❧ Cognito Imperatoris deceſſu, hoſtes amplius inſtant, & noſtri deſperant, obſequia negant. Boëmundus urbem incendit, ut latentes eliciat. ❧ De inventione *Lanceæ Domini*. ❧ Petro cuidam Clerico revelata lancea per Beatum Principem Apoſtolorum qua latus Domini fuerat patefactum, in ejusdem Apoſtoli reperitur Eccleſia conſonantibus ad hoc factis ad quosdam apparitionibus Angelorum. Populus confortatur, & Principes ſe obligant juramento quod indulta ſibi victoria a Domino non ſeparabuntur niſi prius ſepulchro Domini reſtituto priſtinæ libertati. ❧ Baldricus. ❧ Cuidam Sacerdoti apparuit Dominus cum beatiſſima genitrice ſua & Petro Apoſtolo, cruce ſuper caput Domini reſplendente, exprobrans beneficia quæ Chriſtianis contulerat, & ingratitudinem eorum cum mulieribus fornicantium, cumque minaretur ſe de illis vindicaturum, mater miſericordiæ & S. Petrus ceciderunt ad pedes ejus ſupplicantes ne pro culpis paucorum cunctis iraſceretur, qui precibus eorum acquieſcens dixit presbytero, vade & dic populo meo. Lupanar & proſtibulum, & omnem a vobis removete abuſum; & infra quinque dies ſi reverſi fueritis ad me, revertar ad vos, & oportunum vobis providebo auxilium, & interim quotidie decantent hoc reſponſorium.

* f. redimens

rium. Congregati sunt inimici &c. cum versu, Dispergе illos &c. Cuidam etiam peregrino nomine Petro apparuit sanctus Andræas Apostolus, demonstrans ei locum in Ecclesia sancti Petri, in quo invenienda erat lancea salvatoris. ☙ Non multo post ignis de cœlo cadere visus est in castra Saracenorum nocte. ☙ Tredecim homines laboriosi & strenui foderunt a mane usquè ad vesperam & invenerunt lanceam Domini nimis altè infixam. ☙ Sigebertus. ❧ Confortati sunt a Deo per inventam illius lanceam, a tempore Apostolorum non visam. ☙ Author. ❧ Hanc authoritatem Sigeberti præfert Dominus Elinandus opinioni Willelmi Anglici de lancea Domini a tempore Apostolorum non visa. Radulphus. Habet autem quorumdam relatio, & Dominus Clarevallensis *mihi retulit*, quod cum lancea ista quoddam *vasculum plumbeum* fuit inventum, de quo non meminit historia. Et illud vasculum Dominus Podiensis Episcopus sibi appropriavit. Et erat in eodem vasculo sudarium Domini nostri Jesu Christi diligentissimè locatum, non illud sudarium quod est apud Compendium, sed aliud. Utrum autem illud sudarium fuit capitis aut corporis, non affirmo quia plura fuerunt linteamenta circa corpus Jesu secundum Evangelium. Quodcumque autem horum istud sit, satis est reverendum ubicumque sit. Qualiter autem vasculum illud plumbeum cum sudario de manu usque ad quamdam nostri ordinis Abbatiam pervenerit, suo loco dicemus, ne hic aliud pro alio dicere videamur. ☙ Sequitur Guido. ❧ De communi consilio Principum mittitur Petrus Eremita, & quidam cum eo vir egregius Herleuvinus ad Corbagath Principem hostilis exercitus. Petrus intrepidus peragit legationem, cujus hic erat tenor. Ut in ejusdem Principis esset optione utrum super Civitatis dominio perpetuo possidendo singulariter cum uno nostrorum Principum mallet gladii subire judicium, an sub certo numero pugnaturi, an concurren-

currentibus ad invicem legionibus experiri. Ille verò ſpreta ejusdem legatione dicitur reſpondiſſe quod optiones ſibi proponere non deberent, quos pro ejus arbitrio oporteret ſumere vel deponere voluntatem, ſeque pro certo ſcirent ſenioribus ad vincula reſervatis, ultore gladio feriendos. Petrus revertitur, bellum indicitur, & ordinatis aciebus urbem egrediuntur. Urbis cuſtodia Comiti Tholozano committitur. Duodecim acies hoc ordine diſponuntur. Franci ſub Hugone magno fratre Philippi Regis Francorum, videlicet Comite Veromandenſium, Duce & ſignifero in prima, & nona & decima ſunt acie conſtituti. Secundam educit aciem Flandrenſium Comes Robertus. Item Robertus Normannorum tertiam. Quartam Epiſcopus Podienſis Ademarus. Quintam, ſextam, & ſeptimam magnificus Lotharingiæ Dux Godefridus & frater ejus. Octavam Tancredus. Undecimam Provinciales. Duodecimam Dux illuſtris Apuliæ Boëmundus. Comes Tholozanus cuſtodiæ præficitur civitatis. Baldricus. Dum autem Chriſtiani exirent de civitate ad pugnam contra Corbaranum, quædam dulcis pluviola, tamquam roſcida ſtilla ſuper eos cecidit, equos & equites ita lætificans, ut equi hinnirent, & equitum animi exhilareſcerent. Erat autem iſta pluvia tam ſubtilis & modica, ut magis ſentiri potuerit, quam videri, velut quædam guttulæ rorantes. Non multo poſt exire viſus eſt exercitus innumerabilis equis albis inſidentes, & in manibus vexilla candida præferentes, cujus agminis Duces ſanctus Georgius, ſanctus Demetrius & ſanctus Mercurius. Autor. Quid in hoc bello Godefridus & frater ejus, quid Hugo magnus, quid uterque Robertus, quid Boëmundus & Tancredus fecerint, longum eſſet proſequi. Sigebertus. Lancea Domini eos præcedente obſeſſoribus ſuis occurrunt Chriſtiani quarto Calendas Julii, & victoriam adepti ſunt. Amodo & uſque in ſempiternum ſit nomen Domi-

Domini benedictum. Occisi ex paganis secundum Robertum centum millia equitum, peditum non fuit numerus ☙ Guido. ❧ Corbagath Princeps hostium præmissis suorum duobus millibus, exitum paraverat impedire nostrorum, quibus partim prostratis, partim adactis in fugam nostri violenter irruperunt. ☙ Corbagath suas instruxit acies, pugnatur cominus, & Solimannus a tergo irruens aciem Ducis Boëmundi graviter premit. Subveniunt Principes deficienti. Turci ignem subjiciunt, vertitur tamen Solimannus cum suis in fugam, & repellitur ad Corbagath recurrere stationem. Christiani tandem autore Christo victoriam obtinuerunt, Turcorum exercitus universus nostrorum sustinere constantiam non valentes, prostratis ex eo millibus multis, fugam inire compelluntur. ☙ Baldricus. ❧ Victi ergo Turci fugerunt, ibi capti sunt equi multi, & jumenta, oves & boves, & gazæ innumeræ; & in civitatem redactæ. ☙ Robertus. ❧ Quindecim millia ibi fuerunt inventa Camelorum, & multa alia. De nostris non memoratur occubuisse nisi Odo Belgencinicus, & Gerardus senex de Melione. Ibi autem mentio de Blemensi Guillelmo, de Evrardo de Puteolo, Pagano Belvacensi, Drogone, Thoma, Clarembaldo, qui cum Hugone fortiter occurrerunt. Factum est hoc prælium quarto Calendas Julii in vigilia Apostolorum Petri & Pauli. ☙ Guido. ❧ Consummato prælio Christiani victores egrediuntur cum spoliis infinitis & divitiis, referentes laudes & gratias Christo victoriæ largitori. Composita civitate reparant Ecclesias, & clerum ordinant studiosè. ☙ Nuntii diriguntur ad Alexium Constantinopolitanum Imperatorem, quatenus secundum pactorum præcedentium formam, civitatem Antiochiam recipiat manu forti & in persona præparet ad Jerusalem, a Turcorum Dominio liberandam. Funguntur hac legatione nobilissimi Principes Hugo magnus & *Comes Hainacorum Balduinus*,

nus, cujus nunc usque dubius est exitus, aliis dicentibus eum in acie cecidisse, aliis captum ab hostibus, & in vinculis in orientis interiora deductum. Hugo vero magnus visus est derogasse gestorum suorum titulis, dum expleta legatione nec responsum ab Imperatore his qui eum miserant significare, nec redire curavit. Sed victoria consummata statim in Antiochia lues oritur. In qua moritur Episcopus Podiensis Calendis Augusti. ☞ Sigebertus. ☜ Illud fuit bellum Christianis in Romania Calendis Julii, & ibi Turci occisi sunt & victi. ☞ Robertus. ☜ Inde Raimundus Pilerus subegit castrum de Talamannia, & Comes sancti Egidii subegit sibi Rugiam & Albariam civitatem Sarracenorum non ignobilem; & in ea factus est novus Episcopus. ☞ Autor. ☜ Ad ea quæ inde dicta sunt quædam nova addenda sunt secundum Episcopum Ottonem. Dominus, inquit, afflictionem populi sui respiciens, urbem Antiochiæ cum copiis Turcorum in manibus nostrorum tradidit. Circa idem tempus Christianis in obsidione Antiochiæ morantibus, cunctis orientalibus populis terrore perculsis, Ægyptiorum Regis, qui vulgo Babyloniorum putatur, Legati ad Godefridum Ducem veniunt, eique auxilium contra Turcos qui tunc Hierosolymam cum tota Palestina Saracenis ablata tenebant in dolo promittunt. ☞ Quid sit Baldach. ☜ Etenim antiquæ Babylonis, ut a probatis transmarinorum cognovimus, pars adhuc habitabilis Baldach dicta, pars ut in Prophetia habes, deserta & invia per decem milliaria usque ad turrem Babel extensa, ipsa autem quæ inhabitatur & Baldach vocatur, maxima est & populosa, & cum de imperio debebat esse Persarum, summo sacerdoti suo quem illi Calipham dicunt, a Regibus Persarum est concessa, ut & in hoc quædam habitudo, sicut sæpe jam dictum est, inter Babyloniam & Romam eluceat, quia quod hic a Christiano Imperatore summo nostro Pontifici in urbe Roma traditum est, ibi a Paga-

Paganis Perſarum Regibus quibus ex longo Babylonia ſubjacuit, eorum ſummo ſacerdoti indultum eſt. Ipſi vero Perſacum Reges, ſicut & noſtri urbem regiam Aquisgrani, Ecbatanis, quam Arphaſaxat in libro Judith fundaſſe legitur, lingua eorum Hany dictam, centum & amplius, ut volunt paganorum millia habentem, ſedem Regni conſtituerunt, nihil ſibi de Babylone præter nomen reſervantes. Porro ea quæ nunc vulgo, ut dixi, Babylonia vocatur, non ſuper Eufratem, ut quidam putant, ſed ſuper Nilum circiter ſex diebus ab Alexandria poſita eſt. Ipſaque Memphis, a Cambiſe filio Cyri Babylonia olim vocata, & ibi Rex Ægyptiorum, quamvis caput Regni ſui Alexandria ſit, propter ortum balſami morari dicitur. Quod etiam ex hoc perpendi poteſt, quia cum in utraque Chriſtiani, ſed ſub tributo, maneant urbe, Mempheorum Epiſcopus Alexandrino Patriarchæ jure Eccleſiaſtico ſubditus eſt, quem non a Syriis ſeu Babyloniis, ſed Ægyptiis & Africanis ex prima inſtitutione, & Niceni Concilii authoritate prælatum fuiſſe invenimus. ❧ Itaque præfati Regis Legatis Duci Godefrido præſentatis, lectiſſimi proceres Francorum, (ſic enim omnes occidentales populos ob antiquam gentis illius dignitatem, ut puto, & virtutem orientales appellare ſolent) Babyloniam deſtinantur. ❧ Barbari ergo fortitudinem, proceritatem, habitum, inceſſum, elegantiam eorum mirantes, eos Deos, non homines affirmabant. Proinde habito conſilio Babyloniorum Rex, ductis ſecum Francorum Legatis Jeruſalem obſedit, præfatosque Heroes in medium producens, ſe cum eis fœderatum dicit. Et ſic eorum potius, quam ſuo terrore, civitate in deditione accepta, Turcis expulſis, Saracenos ibi locavit. ❧ Inter hæc a Chriſtianis, ut dictum eſt, Antiochiæ poſt intolerabilem famem gratia Dei & miſericordia lanceam ſacram qua Chriſti filii Dei latus in paſſione perforatum legitur, usque ad id tempus incognitam, ſuperna

revelatione fidelibus ſuis monſtravit, cujus fiducia Chriſtiani quamvis attenuati, Saracenos non ſua ſed Chriſti virtute fuderunt. ☙ Sigebertus. ❧ Commiſſa Antiochia Boemundo Chriſtiani propter vitandum tædium & famem, & maximè propter diſcordias Principum proficiſcuntur in Suriam, ubi Marram & & Ubarram urbes Saracenorum expugnaverunt. ☙ Robertus. ❧ Poſtquam in Antiochia requieverunt Chriſtiani quinque menſibus & novem diebus, ventum ad Marram civitatem opulentam quam ceperunt hora veſpertina die Sabbathi tertio Idus Decembris, ubi Guillelmus de monte Piſlerio, & Guillelmus de Turra Lemovicenſis diœceſis mirabiles innotuerunt. Facta eſt hæc maceratio Turcorum duodecima Decembris, die Dominica. ☙ Morati ſunt in Marra Franci per menſem integrum & tres dies, & ibi mortuus eſt Epiſcopus Orienſis. ☙ Baldricus. ❧ Cum eſſent in Marra Chriſtiani menſe Decembri, famem validam paſſi ſunt, ut Turcorum carnes comederent. ☙ Epiſcopus Otto ❧ In Syriam profecti Barram & Marram urbes ceperunt, ubi moram facientes tanta famis inopia narrantur attriti, ut humana quoque corpora jam fœtentia comederent. ☙ Sigebertus. ❧ Etiam hoc teſtatur, expugnatis multis regionum caſtellis, tanta ibi fame affecti ſunt, ut corpora Saracenorum jam fœtentia comedere compulſi ſint. ☙ Author. ❧ Quæ vero lætitia tantam triſtitiam ſecuta ſit, ſequentis anni narratio declarabit; ſed jam ad alia nova ſtylus vertendus eſt. ☙ Hoc *Ordo Ciſterſienſis* cœpit modo per quemdam Robertum Abbatem & quosdam alios Monachos qui exierant a Molismo, qui inventes locum* ſalinoſum cujusdam horroris & vaſtæ ſolitudinis reſederunt, & ipſum locum Ciſtertium vocaverunt. Venerabilis itaque Hugonis Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, ſedis Apoſtolicæ tunc Legati, & Religioſi viri Galterii Cabilonenſis Epiſcopi, nec non & clariſſimi Principis Odonis Burgundiæ

* f. ſaltuoſum

gundiæ Ducis freti consilio, authoritate roborati, inventam Eremum in Abbatiam constituere cœperunt, duodecimo Calendas Aprilis, videlicet in festo Beati Benedicti præfato Abbate Roberto ab illius Diocesis Episcopo, videlicet Cabilonensi suscipiente curam virgamque pastoralem, cæteris sub ipso in eodem loco firmantibus stabilitatem. ☙ Sigebertus. ☙ Conradus Ultrajectensis Episcopus quarta feria paschæ post Missam a se celebratam, a quodam servorum in domo sua perimitur. Multis in locis quinto Calendas Octobris cœlum quasi ardere visum est nocturno tempore, & secuta est gravis animalium pestilentia, & segetes nimio imbre & aurugine corruptæ sunt.

Anno 1099. Raimundus Comes inclytus spreta contentione quam habebat in Boëmundum de Antiochia civitate, de Marra cum peregrinis hominibus nudis pedibus Idibus Januarii, usque Caphardam pervenit; ipse postea, & Dux Normannus & quidam alii Principes agmina sua disponunt, & ad Cæsaream tendunt. Rex Cæsareæ fecit pacem cum illis, & post hæc prædati sunt in quodã castello animalũ quinque millia, & alimenta multa, & Castrenses dederunt exercitui equos & aurum plurimum, & pecuniam multam. ☙ Inde venerunt ad urbem Cephaliam pulcherrimam & bonis omnibus plenam quam cives reliquerunt & fugerunt. ☙ Franci ea potiti venerunt in Vallem Uberem, ubi per dies duodecim quieverunt. Deinde castellum invenerunt vacuum hominibus, plenum frumento, vino & oleo, farina & hordeo, ubi purificationem beatæ Mariæ fecerunt. ☙ Inde venerunt ad oppidum Arche ab Jerusalem octo mansionibus situm. Ibi quatuordecim milites Christiani quadraginta Turcos vicerunt. Post hæc fecerunt pacem cum Admirallio Gibelli. Post Laodiceam & Gibellum sequitur Moraclea, deinde Tortosa. ☙ Post hæc Rex Tripolis dedit eis quindecim millia Byzantiorum, & quindecim equos magni pretii, & reddidit eis trecentos peregrinos, & mercatum eis præstitit.

ibi fecerunt Paſcha quarta Idus Aprilis. ❧ Hic obiit Anſelinus de Ribodi monte qui multa bona fecerat, inter cætera novi monaſterii Aquiscincti indefeſſus adjutor extiterat: mortui etiam ſunt Pontius Balonenſis, Guillelmus Picardus, & Warinus de Petra mora. ❧ Exierunt de Tripoli die quarto Maij ad caſtrum Bethalon. Sequitur civitas Zebaris & flumen Braim. Ibi celebrata eſt aſcenſio Domini. ❧ Poſt hæc venerunt ad civitatem Baruth, & inde ad Sidonem, id eſt, ſagittam, & inde ad Tyrum, id eſt Sur. ❧ Sigebertus ita. ❧ Exercitus Dei divino monitu in interiora Syriæ profectus, larga Dei manu refocillatus, quia cives & Caſtellani regionis illius Legatos cum multis denariis ad eos præmittebant, parati etiam oppida vel urbes eis tradere. A quibus Chriſtiani ſecuritate accepta, & indicto urbibus tributo Jeruſalem tendebant. Interim etiam multis eorum qui ſe abſtraxerant ad eos, apud Tyrum recurrentibus. ❧ Sequitur Baldricus. ❧ De Sur venerunt ad Acram, & inde ad caſtellum Caiphas & juxta Cæſaream, ubi die pentecoſtes quarto Calendas Junii quieverunt. ❧ Inde ventum eſt ad Ramulam, juxta quam civitatem honorabilis monſtratur Eccleſia, in qua precioſiſſimum Beati Georgii Martyris corpus quieverat. ibi Epiſcopum de novo conſtituerunt, cui decimas facultatum ſuarum obtulerunt, quia non habebat unde viveret. ❧ Ramula a Jeruſalem viginti quatuor miliaribus diſtat. Cum vero ad locum ventum eſt unde Jeruſalem poterat conſpici, præ gaudio nimis fleverunt, & flexis genibus adorantes, terram deosculati ſunt. Et ſeptimo Idus Junii feria tertia eam obſederunt. ❧ Guido per recapitulationem, ac deinde proſecutio. ❧ Nobiliſſima civitate Antiochia capta & reparata ſimul, & patrata victoria memorabili, cæſis, captis, & fugatis Turcorum millibus infinitis, potitus auxilio Domini noſter exercitus, multis etiam ſubactis tàm civitatibus circumquaque, quàm caſtris; cum ad ſanctam appropinquaſſent

quaſſent Civitatem, nudis pro maxima parte pedibus acceſſerunt ad eam, & deſideranter intuentes loca venerabilia, pro quorum amore tertio jam anno ſuſtinebant tot labores, tot pericula, lachrimis & ſuſpiriis præ gaudio fuſis, Dominum ſuppliciter deprecantur, ut mereantur clauſulam ſe tam longæ peregrinationis inveniſſe felicem, & ordinata cingunt obſidione civitatem. ❧ Princeps Ægyptius quantò poterat mœnibus & victualibus, & virorum viribus munierat eam, quam eodem anno ſuæ reddiderat poteſtati, per annos triginta & octo ſibi a Turcis ablatam, quorum jam Deus in tantum potentiam humiliaverat & virtutem, ut in omni penè conflictu deteriorem calculum reportarent. ❧ Eſt autem Jeruſalem Judææ metropolis prius dicta Solyma a Rege ſuo Melchiſedech, poſt Jebus a Jebuſæo, à Geber & Salem, tempore David Jeruſalem, Hieroſolyma ſub Salomone, ſed a Tito Imperatore Romano penitus everſa, & ab Helio Adriano, qui fuit quartus poſt eum denuò reſtituta, Helya eſt nuncupata, & eum a principio ſitus ſui ad auſtrum vergeret, ab eodem Imperatore tota translata eſt in montis vertice, ita ut Dominicæ paſſionis & reſurrectionis locus nunc murorum ejus ambitu ſit concluſus. Vehementer igitur a Chriſtiano exercitu Civitas expugnatur. Erigunt diverſa genera machinarum, quarum ictibus præcipitantur de muro exanimes veneficæ, quæ machinas easdem venerant faſcinare. ❧ Pro celebrandis ex more Litaniis nudis pedibus in montem Oliveti in ſpiritu humilitatis & animo contrito populus Chriſtianus aſcendit. ❧ Sigebertus hunc locum ita retulit. ❧ Venientes Jeruſalem peregrini Chriſtiani, cum laborarent pro victualibus, & maximè pro aquæ penuria ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circumibant. Octavo ergo talis humiliationis die, obſidionis autem trigeſimo nono, capta eſt Jeruſalem. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Cum noſtri Jeruſalem obſidione clauſam ca-

pere-

pere non poſſent, habito conſilio humilitatis magiſtrum imitantes, nudis jam pedibus circuire diſponunt. Igitur octavo die, id eſt ea die qua diviſio Apoſtolorum celebratur, civitas capitur, & hoſtes qui ibi fuerunt tanta ſtrage cæduntur, ut in porticu Salomonis ſanguis interfectorum a noſtris ad genua usque pertingeret equorum. ☞ Guido. ☜ Factum eſt hoc dato noſtris de monte Oliveti victoriæ ſigno per militem, qui nec ante viſus fuerat, nec poſtea apparuit, qui refulgentem ventilando clypeum, fatigato & delabenti populo Chriſtiano ſignum dabat reiterandi conflictum. Plurimi ſunt animati tam ex hoc indicio, quam cujusdam ſervi Dei ſolatio qui in monte Oliveti habitabat. ☞ Godefridus & ſui a caſtello ligneum pontem ſuper muros, de ponte ſuos immittunt. Primo aſcendunt duo milites Ducis, Lethardus de Duris & Wichterius interfector Leonis, & poſt eos prior ingreditur Dux Godefridus; poſt eum Flandrenſium Comes Robertus, item Robertus Normannorum Dux & Tancredus. ☞ Urbs capitur, poſtea reſeratur & introducitur exercitus Chriſtianus. Venerabilis Epiſcopus Podienſis, qui jam Antiochiæ in Domino dormitionem acceperat, ipſo die prior omnium murum aſcendiſſe viſus eſt a multis & fide dignis hoc teſtantibus viris. ☞ Autor. Verbum mirabile interſerendum hic, quod idem Epiſcopus Podienſis illa die * dixiſſe ſuis, qui cum eis dicerent. Domine, nonne vos eſtis qui anno præterito fuiſti mortuus? Reſpondit, non ſolum ego, ſed & omnes cruce ſignati qui ex quo iter arripuimus ab hoſpitiis noſtris itinere iſto ſunt mortui, hodie mecum præ gaudio ſurrexerunt & ad auxilium veſtrum huc advenerunt; & his dictis evanuit. ☞ Sequitur Hugo. ☜ Dies illa celebris habenda decernitur in æternum. Eſt igitur divinitus procuratum, ut qua die primus homo conditus, qua hora de paradiſo fuit expulſus; qua die & ho-

* f. fertur.

& hora pro lapsu primi hominis & totius generis humani passus est Dominus, de hostibus, eadem die fideli populo datus est triumphus. Dux cum suis per civitatem discurrens, dant innumerabilem de hostibus stragem. Tholozanus ab australi parte legiones suas inducit; civium pars se recepit in præsidium Civitatis, pars plurima civium in templi se confert atrium. Tancredus eos illuc persequitur, ibidem sanguis hostium funditur infinitus. ☙ Sigebertus. ❧ In templo Salomonis & in porticu ejus, Christiani cum paganis bello conserto, tanta in eos cæde debacchati sunt, ut in sanguine eorum occisorum equitarent usque ad genua equorum. ☙ Author. Hic interseritur quædam miraculosa narratio tradita a majoribus de domo Coci qui ad sepulchrum Domini ante omnes alios cucurrit, & de equo illius morello nomine solo ante januam relicto. ☙ Episcopus Otto. ❧ Et nota quod civitas sancta quæ fuerat a gentibus conculcata, a nostris obtinetur. Sicut enim Jericho sub observatione sabbathi, à priore populo septimo die, sic & hic a Christiano populo octava, tanquam abolita lege ac Sabbatho, resurrectionis die sequente, Jerusalem girata expugnatur. ☙ Guillelmus. ❧ Mons Sion intra Jerusalem receptus pro arce eminet. Ibi templum Domini & templum quod dicitur Salomonis, a quibus incertum authoribus ædificata, Turcorum celebri colebatur frequentia. In templo Domini collocatum erat simulachrum Mahometi. Ibi tereti compacta Ecclesia sancti sepulchri capax ædificata a Constantino Magno nullam unquam ab inimicis fidei tulit injuriam, metu, ut conjicio, ignis cœlestis, qui quotannis in vigilia paschæ in lampadibus serenus refulget, quære supra in anno Domini 970. Quarta decima die Julii, pridie ejusdem idus capta est Jerusalem. ☙ Sigebertus ❧ Cum ordinatum esset qui Jerusalem deberent retinere, Principibus jam de repatriando agentibus, ecce Rex Saracenorum ad debellandum eos venit Ascalonam cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus

bus peditum, quibus cum occurriſſet exercitus Domini, in quo non plus quam quinque millia equitum & quindecim millia peditum erant, Deo pro ſervis ad ſe clamantibus pugnante, & nube eos ab æſtu ſolis defendente, Saraceni ſolo Chriſtianorum impetu territi, omnes projectis armis fugerunt. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Porro Mempheorum ſive Alexandrinorum Rex, qui Babyloniorum a peregrinis Admiraldus vocatur, apud Aſcalonem manens, Antiochiam eo quod & urbem dolo capturus iter diſponit, Chriſtiani vero relictis in Jeruſalem ſarcinis & infirmis contra Saracenos procinctum movent: cumque infinitam hoſtium multitudinem conſpexiſſent, fuſis ad Deum precibus, audacter eos cum pauciſſimis aggrediuntur. Et mirum dictu Dei, qui omnia poteſt virtute, cum quinque milibus equitum, & quindecim *millibus* peditum, centum millia equitum cum quadringentis millibus peditum terga vertere compellunt, ac ſpolia immenſa diripiunt. Ceciderunt in illo prælio ex Saracenis plusquam centum millia gladio, duo quoque millia ſuffocata circa portam urbis Aſcalonæ narrantur, etiam innumeri ſubmerſi, ſeu in ſpinis obruti feruntur. ☙ Sigebertus. ❧ In hoc bello quarto nonas auguſti facto cæſa ſunt centum millia Saracenorum, circa portam urbis Aſcalonæ ſuffocati ſunt ad duo millia. At eorum qui in mari perierunt, & qui inter ſpineta ſylvarum conſumpti ſunt, neſcitur numerus. Capta eſt autem Jeruſalem poſt annos circiter quadringentos ſexaginta, ex quo ſub Eraclio Imperatore ſecunda vice capta, poſſeſſa eſt ab Saracenis. ☙ Autor. ☙ Chriſtianis tamen ſub tributo manentibus in ea. ☙ Sequitur de aliis hujus anni contingentibus ☙ Epiſcopus Leodienſis Obertus, de *Mirevalt* caſtrum reformavit, & Bovonem de Wahart fecit Caſtellanum ejusdem loci, qui Bovo genuit Nigonem Caſtellanum patrem Theobaldi, Julianum de Esmonvilla, Bovonem Cano-

Canonicum ſancti Lamberti, Joannem Abbatem ſancti Huberti & Decanum Simonem Metenſem & Leodienſem. ❧ Nata eſt in Alemannia quædam virgo mirabilis quæ dicta eſt ſancta Hildegardis, de cujus libris & prophetia mirabili quædam Deo donante intendimus declarare. ❧ Obiit Anshelmus de Ribodimonte cujus filia Agnes peperit Goſſuino Galtherum *de Avennis*, qui de Yda genuit Nicolaum, Yuonem, Faſtradam, & Epiſcopum Eurardum Tornacenſem. Nicolaus de Mathilde genuit Jacobum. ❧ Yuo genuit Petronillam de Ciſon, cujus filia Isabella de Nigella. ❧ Guillelmus. ❧ Hoc anino qui fuit Guillelmi Regis Angliæ duodecimus annus, fluvius * marinus per fluvium Tameſim aſcendit, & villas multas cum hominibus merſit. ❧ Sigebertus. ❧ Coloniæ poſt Hermannum Fredericus ordinatur Archiepiſcopus, triginta tribus annis præfuit. ❧ Sanctus Guibertus in Cœnobio Gemmelacenſi a ſe fundato ad ſepulchrum ſuum magnis clareſcit miraculis. ❧ Civitate Jeruſalem deletis invaſoribus ſuæ libertati reſtituta, ſedato tumultu, armis depoſitis, loca venerabilia circumeunt noſtri orationis gratia, diem agentes ſolennem. Sic inimicis veræ fidei triumphatis, & fugatis a ſancta Civitate Jeruſalem infidelibus, & ab ejus territorio profligatis, poſt tot labores immenſos emenſos, Chriſtianus exercitus, & devota Deo militia metam a Deo obtinuit tam gravis, & tam longæ peregrinationis optatam. ❧ Octavo vero die poſt urbem captam Principes conveniunt, ut urbi ſanctæ & terræ promiſſionis Regem præficiant Clerus indiſcretus nititur contraire: Principes, ut in electione procedant ſecundum merita perſonarum, a familiaribus unius cujusque magnorũ principũ præſtito juramento, de moribus inquirunt & converſatione Dominorum. Inter quos Ducis Godefridi familiares interrogati reſpondent: quod in omnibus actibus ſuis domeſticis magis videatur abſonum, quod ab Eccleſia etiam poſt ſacra myſteria vix poterat ſeparari, detentus deſiderio

* f. fluctus.

contemplandi ſacras imagines, & de ipſis rationem a peritioribus agnoſcendi. Quod audientes qui eligendi gerebant officium, beatum dixerunt virum cui hæc ſunt, & cui inter defectus reputatur hoc ſolum quod alius ſibi adſcriberet ad virtutem. Unde Principes neglecta Cleri contradictione Dùcem in Regem eligunt, & electum cum hymnis & canticis ſepulchro Domini repræſentant. Sigebertus. Duce Godefrido electo ad principandum remanente in Jeruſalem, cæteri Principes repatriant. Epiſcopus Otto. Reverſis ad propria primoribus, Godefridus Ducatum eorum qui remanſerunt ſtrenuiſſimè rexit. Hic etiam *inter Francos, Romanos & Teutonicos*, qui quibusdam amaris & invidioſis jocis frequenter rixari ſolent, tamquam in termino utriusque gentis nutritus, utriusque linguæ ſcius, medium ſe interpoſuit, ac ad comeandum multis modis reformavit. Guido. Per idem tempus pars Dominicæ crucis ibi reperitur. Elinandus. Partem ligni dominici quidam Syrius avita ſucceſſione domi cuſtoditam reddidit. Guillelmus & Baldricus. *Dux Godefridus* in Regem electus filius fuit *Comitis Euſtachii Bolonienſis* qui per maternum genus ad Caroli magni lineam ſpectabat; mater ejus Yda filia Godefridi, antiqui Lotharingorum Ducis, habuit fratrem Godefridum gibboſum cujus fuit uxor Mathildis Marchiſia. Godefridus Idæ filius Imperatori Henrico contra Hildebrandum militavit, & in oppugnando Romam partem muri quæ ſibi obtigerat, primus irrupit, poſtea præ nimio labore in nimia ſiti nimium vinum hauriens febrem quartanam nactus eſt. Audita autem fama viæ Hieroſolymitanæ, illuc ſe iturum vovit, ſi Deus illi redderet ſanitatem. Quo voto emiſſo, vires ejus penitus refloruerunt. In Antiochena obſidione Turcum quemdam ſingularem pugnam poſcentem medium a lateribus gladio Lotharingio diſſecuit, cujus dextera medietate jam in armis palpalpi-

pitante & cadente, reliquam tulit equus cui inſederat. Adeo firmè Turcus ille inſederat equo ſuo. Idem Godefridus alterum Turcum æque congreſſus, vibrato in caput enſe, usque ad inguina diffidit, & ex eodem ictu ſellam & pinnam equi penitus diſcidit. In eadem obſidione militem quemdam ſuum pabulatum, a leone invaſum, & clypeo ſe defendentem, tandem occiſum adeo indoluit, ut venabulo feram transfoderit, quæ ſaucia & dolore acriter ſæviens in eum irruit; itaque e ferro quod exſtabat ex vulnere tibiam ejus ſauciavit, qui mox gladio beſtiam eviſceravit. Guido. Item Guido de moribus & origine, & actibus glorioſi Ducis Godefridi. Fuit autem Godefridus Dux Religioſus vir, & in omni vita ſua commendabilis & Deo placens, virtute vero & exercitio militari omnium judicio ſingularis, antiqua Caroli magni linea trahens originem, cui verè plurimus inerat Carolus tam ſanguine quam mente. Pater ejus dictus eſt Euſtachius Comes magnificus Bononiæ civitatis, quæ poſita eſt ſuper mare, quod a Francia noſcitur Angliam ſeparare. Mater ejus Yda nomine, nobiliſſima Duciſſa provinciæ, quæ nunc Lotharii Regnum, ſeu Lotharingia vocatur, filia Godefridi, ejusdem patriæ Ducis antiqui, fratrem habuit Ducem Godefridum ſimiliter nomine, cognomento gibboſum, cui ipſe ſucceſſit defuncto ſine liberis in Ducatum: frater ejus Balduinus, primo Comes Edeſſanus, & poſt eum Regni ſucceſſor. Tertius frater Euſtachius Bolonienſis Comes. Horum major Godefridus, ſcilicet antequam iter peregrinationis arriperet & electus eſſet in Regem, cætera pro more ſuo geſſit eximiè. Hoc etiam dignum memoria dicitur accidiſſe in ſingulari quodam certamine quod invitus ſubiit, ſed ſalva opinionis integritate aliter declinare non potuit, dum vibrato in adverſarii clypeum ictu, gladius ejus eſſet per medium fractus, impetratam propter hoc ab amicis ſuis compoſitionem repulit indignans, & capulo

quod tenebat caput adverſarii ſolita magnanimitate & virtute percutiens, ab eo proſtrato gladium tulit, & ad quas voluit conditiones, eum adduxit. Nec inferioris gloriæ fuit ferè ſub eodem tempore hoc ejus aliud factum, frequenti memoriæ commendatum, quod ſcilicet contra Imperatorem Henricum rebellantium Saxonum *pſeudoregem Rodulphum*, Imperatoris ejusdem *vexillum* ad quod geſtandum fuerat præ cæteris electus*, in medio congreſſu transforatis vitalibus exanimem projecit ad terram. ❧ Hoc etiam in cæteris ſuis inſignibus geſtis adjecit, quod caſtrum ſuum dictum *Bullione*, quod caput erat ſui Ducatus, cum jam haberet peregrinandi propoſitum, in perpetuam Eleemoſynam Beato Lamberto & Eccleſiæ Leodienſi conceſſit habendum. ❧ Autor. ❧ Hoc ita factum eſt per induſtriam Otberti Epiſcopi Leodienſis, quod ipſe Dux caſtrum illud & vendidit, & ſuper altare obtulit, & quia cruce ſignatus indigebat pecunia, ipſa pecunia poſita fuit ſuper altare, videlicet quantum altare majus tenere potuit ad cumulum de denariis argenteis videlicet, id eſt mille & quinquaginta marcas, & quando Dux caſtrum ſuum detulit. denarios recepit. Tamen ne videretur ſuos poſteros exhæreditare, tres hæredes ſibi proximiores ſcripſit hoc modo. Quod ſi poſſent in vita ſua caſtrum redimere, illud rehaberent, videlicet alter, quicumque tamen illorum alteri jure hæreditario ſuccederet, & ſi hoc modo non eſſet redemptum tribus illis hæredibus mortuis, in perpetuum caſtrum Beato Lamberto maneret. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Verum etiam Urbanus Papa a Concilio Claromontenſi regreſſus auxilio eorum, quos ad Hieroſolymitanum iter accenderat, Guibertum ab urbe, excepto caſtro Creſcentii ejecit, ſedemque propriam recepit, inde per Apuliam & Calabriam, & Siciliam, quas tunc Normanni inhabitabant, ingreſſus, pecuniam magnam collegit, ſicque ad urbem

* f. vexillo. vid Willh. Tyr.

urbem regrediens, corruptis eis qui caſtrum Creſcentii ſervarbant, muneribus, Guiberto tam caſtro quam urbe expulſo, libere urbe tota fuit poſitus.

Anno 1100. Urbanus Papa moritur. ◂ Sigebertus. ▸ Guibertus & Urbanus de Papatu Romano contendentes, moriendo uterque finem faciunt ſuæ contentionis. ◂ Autor. ▸ Indiſcretè loquitur & confusè. Guibertus mortuus eſt ſchismaticus, & ut dicit Epiſcopus Otto horribili ſchismati, tamquam denſiſſimis Ægypti tenebris finem moriendo impoſuit. Dico autem quod Urbanus mortuus eſt Catholicus, & in multis laudandus, cui tantum honorem contulerit Dominus, ut in ejus diebus recuperarentur Antiochia & Hieroſolyma & fierent omnia illa quæ ſupra memoravimus. Inſuper & de principio *noſtri Ciſtercienſis ordinis* idem Urbanus memorabile perpetuum ſemper habebit. ◂ Sigebertus. ▸ Raimerus qui & Paſchalis ei ſuccedit, Romanæ Eccleſiæ quindecim annis præſidet. ◂ Magiſter Hugo. ▸ Sedit annis octodecim, menſibus quinque, diebus ſeptem. ◂ Guido. ▸ Dux Godefridus Regnum Hieroſolymorum adeptus, pia & pura liberalitate erga Eccleſias quæ ſunt Hieroſolymis abundavit, & humilitatis intimo & reverentia ejus qui ſpineam coronam ibi pro mundi ſalute portaverat, regio diademate noluit inſigniri. Primus etiam ſecundum morem Gallicanæ Eccleſiæ in Eccleſia ſepulchri Domini & templo Domini Canonicos inſtituit regulares, & Monachos in Valle Joſaphat in Eccleſia Dei genitricis Virginis Mariæ. ◂ Idem Rex Godefridus dum eſſet in quadam expeditione, Turcis quibusdam ei deferentibus, nimium plus explorandi, quam honorandi gratia, & mirari ſe dicentibus quod tam honoratus, nominatus, formidatus Princeps absque tapetibus vel holoſericis, & honore ſatellitum armatorum ſuper ſaccum plenum ſtramine dignaretur tam quam inglorius ſedere; fertur laudabiliter reſpondiſſe. Quod ſcilicet homini

homini mortali debeat esse terra sufficiens, cui domicilium est perpetuum præstatura post mortem. Quod illi audientes, admirantes redeunt, & dicentes, quam vere hic est qui regiones universas debet subjugare, & de jure, & meritò populis & nationibus principari. ❧ Rex autem Godefridus dum victor de partibus Arabiæ cum ingenti præda gregum & armentorum & mancipiis revertitur infinitis, quidam Arabiæ Princeps cupidus eum videndi, impetrata licentia venit ad eum, & implorata confidentia rogat, ut virtutem ejus posset agnoscere, & de ipsa etiam aliis testimonium perhibere, quatenus dignaretur hoc in percussione camelorum, maximè suorum, per gladii officium exhibere, quo jocosè concesso, sed plusquam viriliter completo, cum Arabs id adscribere videretur hoc multum ensis acumini, subridens Rex, postulato principis ejusdem gladio & accepto, alterius cameli sibi præsentati uno caput ictu, & sine difficultate cum dubitatione Principis amputavit. Qui quod de virtute Regis audierat verum esse cognoscens & vehementer admirans, Regi muneribus pretiosis, & ejus sibi conciliata gratia, mox ad propria, Rex vero Jerusalem est reversus. ❧ Tancredus autem vir inclytus Tyberiadensis Civitatis, quæ sita est super lacum Genezaret, & universæ Galilææ comitatus, sed & urbis Caiphæ maritimæ, munificentia* dominus est effectus. Dux verò Normannorum, & Comes Flandrensium repatriant. ❧ Sigebertus. ❧ Robertus Comes Flandriæ desideratus a multis, acquisita sibi multa laude secularis militiæ redit de via Domini. Multi similiter ante eum & post eum redierunt, plurimis cum Rege supradicto Hierosolymis vel Antiochiæ, & cæteris civitatibus Deo acquisitis remanentibus. ❧ Elinandus. ❧ Iste Comes Flandrensis a Hierosolymis repatrians detulit secum brachium sancti Georgii Martyris quod Ecclesiæ Aquiscincti transmisit. Guido.

* Ducis Godefridi.

Guido. ☙ Dux vero Tholozanus ab Imperatore Conſtantinopolitano cum honore magno ſuſceptus, cum donis ingentibus, & ampla munificentia ad uxorem & propriam familiam in Syriam reverſus, huc remiſſus. ☙ Guillelmus Anglicus de eodem. ☙ *Raimundus Comes Tholozanus* fuit filius Guillelmi antiquiſſimi Tholozæ Comitis, cujus uxor Almodis multinuba nupſit Arelatenſi Comiti, mox huic Guillelmo, cui duos peperit filios, Guillelmum & hunc Raimundum *Barcinonenſem Comitem.* ☙ Guillelmus iſte ſenior moriens Guillelmo filio ſuo dedit Comitatum Tholozanum, Raimundo Cadurcenſem. Cui idem Raimundus poſtea adjecit virtutibus ſuis, Arelatenſem, Narbonenſem & Lemovicenſem, Tholozam poſtea a Germano ſuo emit. Qui Raimundus filium habuit Nothum nomine Bertranum, quem hæredem ſibi conſtituit, & ei Neptem *Mathildis Marchiſæ* conjunxit; & ipſe in ultima ætate ſua uxorem duxit filiam Regis Tarraconenſis. ☙ Pontius & Raimundus erant Bertranni filii ex Lombarda, Guillelmus vero Raimundi filius ex Hiſpana, Pontius Comes Tholozanus, Guillelmus Comes Tripolis. ☙ Sigebertus. ☙ Godefridus Dux Lotharingenſium & Princeps Hieroſolymitanorum moritur, Balduinus ejus frater in principatu ei ſuccedit. ☙ Guido. ☙ Eodem menſe & anno quo regnare cœperat idem Regni Hieroſolymorum egregius moderator, poſt tot labores pro Chriſto ſuſceptos, & ſibi * titulos triumphales, ad cœleſte regnum ſuperna vocatione facit tranſitum de terreno; ſepultus eſt autem in Eccleſia Dominici ſepulchri ſub ipſo Calvariæ loco, ubi paſſus eſt Dominus, & ſucceſſoribus usque in præſentem diem ſepulturæ deputatus eſt locus. ☙ Guillelmus. ☙ Fertur otii deſuetudine antiquam febrem quartanam revocaſſe. Interrogatus de ſucceſſore nullum nominavit, ſed eum tantum qui dignus eſſet, poſt quem in Regem electus eſt Balduinus frater ejus. Hujus actus ſcripſit ex parte *Fulcherius Car-*

* f. partos.

giter epulatum crebrioribus quam consueverat poculis frontem serenasse. Mox igitur post cibum in saltum contendit paucis comitatus, quorum familiarissimus fuit Galtherus cognomento Tiriacus, qui de Francia liberalitate adductus venerat, is cæteris per morem venationis quo quemque casus detulerat dispersis, cum eo solus remanserat. ❧ Itaque Phœbo in oceanum proclivi Rex cervum ante se transeuntem extento nervo & emissa sagitta percussit, & adhuc fugitante opposita contra violentiam solarium radiorum manu percussus est. Tunc Galterus Rege alias interim intento, cervum qui fortè prope transibat prosternere cupiens, regium pectus lethali arundine trajecit: saucius ille nullum verbum emisit, sed ligno sagittæ quantum corpus extabat effracto, moxque super vulnus cadens mortem acceleravit. Occurrit Galtherus, sed quia nec sensum, nec vocem sensit, perniciter equum insiliens, probè evasit. ❧ Corpus Regis in rheda tabellaria Wintoniam in Episcopatum devehitur, & terræ traditur, infra ambitum turris multorum procerum comitatu, paucorum planctu. At Normannorum Dux, cum Regnum Angliæ, quod ei mortuo fratre Guillelmo competebat, ab Henrico minore fratre fraude comperisset invasum, cum eo dimicans ab eo captus est, & perpetuæ custodiæ mancipatus. ❧ Hugo & Guido secundum dicta Guillelmi, item Guillelmus & Elinandus. ❧ Robertus Normannus genus suum indelebili macula respersit, quia cum esset filius Regis, & ei consensu omnium procerum offerretur Regnum Hierosolymorum, noluit accipere labores metuens. Uxorem in reditu duxit in Apuleia filiam Guillelmi de Conversana elegantissimæ speciei, de qua tulit filium Guillelmum. Postmodum idem Robertus fatua liberalitate omnibus consumptis ad tantam redactus est inopiam, ut precarium victum a Burgensibus nundinaretur, & tandem a fratre Henrico in vinculis positus est. ❧ Rex

Digitized by Google

autem Guillelmus qui eo modo, ut prædiximus, hoc anno fuit mortuus nullum ſuo tempore Conventum Eccleſiaſticum fieri permiſit, & tres Epiſcopatus, & duodecim Abbatias in manu ſua tenebat, cui ſucceſſit in Regno frater ſuus Henricus. Hujus Henrici Uxor dicta eſt Regina Mathildis, & per eam ad genus antiquorum Regum Angliæ revertitur Regnum. Filia fuit ſanctæ Margaretæ de Scotia de qua ſuperius mentio incidit in anno 1017. Ibi dicitur quod fuit quidam frater ſancti Edvvardi, non tamen uterinus, ſed ex patre nomine Edvvinus, cujus filius Edvvardus privatus duxit Agatam *Reginæ Humorum ſororem*, & genuit cum aliis Margaretam iſtam quæ nomen ſanctitatis obtinuit. Hæc autem *Regina Scotorum* Malcolino peperit tres filios Reges Edgarum, Alexandrum & David patrem Henrici & duas ſorores eorum, Mathildem prædictam Anglorum Reginam, & Mariam, quam habuit Comes Bononiæ frater Ducis Godefridi Euſtachius. Obiit Philippus Catalaunenſis Epiſcopus, cui Hugo ſuccedit. Treveris Bruno erat Archiepiſcopus. Hieroſolymis poſt Arnulphum primum *Patriarcham Latinum*, Daimbertus Archipræſul Piſanus, poſtquem Guibelinus Arelatenſis Archiepiſcopus.

Anno 1101. Translatio Corporis ſancti Edvvardi Regis celebratur in Anglia anno poſt ejus obitum * vigeſimo ſexto. Guido. Hieroſolymis Balduinus Comes Edeſſanus frater Regis Godefridi nuper defuncti, dum ad Regnum ſe præparat obtinendum, potitus triumpho celebri, cum honore & lætitia eſt receptus. Guillelmus. Coronatus eſt apud Bethleem a Daimberto Patriarcha die Natalis Domini. Vix tunc erant in tota militia Chriſtianorum qua tringenti milites & tot pedites qui Jeruſalem, & Ramulam & Caipham & Joppam cuſtodirent. Illo anno *ſacratus ignis* in vigilia paſchæ tardavit usque in mane reſurrectionis Dominicæ. Accenſa

censa autem divinitus una lampade sepulchri, mox per omnem Ecclesiam cæteræ lampades divinitus accensæ sunt. Postea Cæsaream Palestinæ cepit Rex Balduinus. ⁂ Captus est Admiratus urbis Episcopus eorum quem Archadium *vocant. Ibi Turcus in collo pugno Christiani percussus Bizanceos evomuit. Mares enim inter gingivas, fœminæ inter pudenda Bizanceos absconderant. ⁂ Ita Balduinus Rex capta prius Antipatride Civitate, quæ nunc dicitur Assur, Cæsaream ei vicinam obsidet, quæ prius Turris Stratonis dicebatur. Civitate violenter effracta, cives in quoddam oratorium suum confugerunt, ubi tanta fuit strages eorum, quod columnarum bases languis tingeret occisorum, ubi participes illius victoriæ Januenses, *vas viridissimi coloris* repertum, & in modum paropsidii formatum pro multa summa pecuniæ recipientes in sortem pro excellenti obtulerunt ornatu Ecclesiæ suæ. ⁂ Guillelmus. ⁂ Subjecit idem Rex postea Sydonem & alias urbes maritimas. ⁂ Guido. ⁂ Tancredus veteris memor injuriæ quam passus fuerat ab eodem Rege, nolens ei vinculo fidelitatis alligari, Tyberiadem & Caifam civitates suas ei resignat, quarum Rex Tyberiadem Hugoni cuidam Flandrensi, nobili & armis strenuo dedit. ⁂ Cono Comes de Monte acuto, & Lambertus filius suus Comes de Claromonte Leodiensis diocesis cum aliis etiam viris nobilibus & ignobilibus, inter quos & venerabilis sacerdos *Petrus Eremita*, primus hujus sanctæ peregrinationis prædicator & autor, cum quibusdam Burgensibus revertuntur ad natale suum, & cum essent in mari in magno periculo positi, ita ut de sua salute omnes desperarent, communi assensu, parique voto humili prece voverunt Deo, & Domino nostro Jesu Christo construere Ecclesiam, si eos Dominus liberaret ab his imminentibus periculis: statimque voto completo sequitur tanta maris tranquillitas, & aëris serenitas, ut cœlum posset comparari saphiro purissimo. Cumque

* f. Cadjum.

Digitized by Google

prædictam urbem ab irruentibus Turcorum insidiis capitur. Civitas Balduino redditur Comiti Edessano. Tancredus ab Antiochenis accitus fit Principatus administrator, tamquam Nepos ex sorore pro Principe Boëmundo. Expeditio. Interea Guillelmus Pictavensium Comes & Aquitaniæ Dux, Hugo Magnus, Stephanus Carnotensis & Stephanus Princeps Magnus de Burgundia, cum multis aliis nobilissimis viris, & peditum ingentibus turmis Hierosolymitanum iter arripiunt. Episcopus Otto. Cum prædictis Themo Juvaviensis Archiepiscopus, *Welpho Noricorum Dux* qui in guerra cum Imperatore habita Frisingensem & Augustensem destruxerat urbes, *Ita Marchionissa* Leopoldi Marchionis orientalis mater, Guillelmus & Stephanus Italici Barones, cum multis ex Italiâ, Aquitania, Germania, Hierosolymam per Hungariam & Græciam pergunt. Baldricus. His associatus est apud Constantinopolim Raymundus, qui Romaniæ fines ingressi sunt, & per terram meantes, urbes & castra subigendo, Hierosolymam tendunt. Episcopus Otto. Quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expositos pene omnes crudeliter extinxit, elegantioribus ex iis captis, & Mempheorum Regi seu Admiraldo præsentatis. Guido Imperator Alexius per Turcos eis molitur insidias, a quibus plusquam quinquaginta millia pereunt, ex peregrinis residui Tharsum Ciliciæ pervenerunt. Baldricus. Solimannus Admiratus, cui per primos Duces & peregrinos itineris Nicea sublata fuerat, istis obstitit peregrinis, & cum innumera manu Turcorum eis insidias tetendit. Mulieres ibi multæ gladio perierunt, & plures captivæ ductæ sunt, viri multi trucidati sunt, vel ferreis compedibus mancipati. Episcopus Otto. Quam Historiam miserabiliter ac luculenter in modum Tragœdiæ quidam ex his qui se eidem expeditioni interfi-

terfuiſſe teſtatur executus eſt. Comprehenſus inter alios venerabilis Præſul Themo, ad idololatriam, ut tradunt, angariabatur.

Anno 1103. Sigebertus. Henricus Imperator ſedatis Saxonum motibus, pacem in quinquennium conſtituit. ◂§ Epiſcopus Otto. ◂§ Henricus Imperator Nativitatem Domini Moguntiæ celebravit, ibique Henrico filio ſuo Rege poſt ſe deſignato, *ſepulchrum Domini ſe viſitaturum publicè denunciavit*, ac multos ex diverſis partibus Regni ad idem accendit. ◂§ Sigebertus. ◂§ Eodem anno Legiæ generali conventu habito, Robertus Comes Flandrenſis in gratiam Imperatoris recipitur. ◂§ Boëmundus in Gallias veniens uxorem duxit Conſtantiam filiam Regis Francorum, hanc Conſtantiam duxerat Comes Hugo Trecenſis, ſive Campanienſis in uxorem, ſed cauſa parentelæ factum fuerat inter eos divortium, ſecundum quod in quadam Yuonis epiſtola ad Archiepiſcopum Hugonem Lugdunenſem eſt expreſſum. Cum Epiſcopus Yuo rogaſſet per epiſtolam, ut Archiepiſcopo Hugoni Lugdunenſi, vel alteri idoneo committeretur iterum per Franciam Legatio, miſſus eſt Legatus Dominus Richardus Albanenſis Epiſcopus, qui primò tenuit Concilium apud Belgenciacum Aurelianenſis diœceſis, deinde Trecis de abſolutione Regis Philippi, jam fere per decennium propter Berthradam excommunicati. ◂§ Gualo Belluacenſis Epiſcopus translatus eſt ad Epiſcopatum Pariſienſem, & quidam Gaufridus factus eſt Belluacenſis Epiſcopus.

Anno 1104. Henricus Imperator Natale Domini Ratisbonæ egit, ubi orta ſeditione Sigehardus Comes a familia Principum, qui *miniſteriales* dicuntur, eo quod Juſtitiam eorum confringere diceretur, occiſus eſt. ◂§ Rex Hieroſolymorum Balduinus capit *Ptolemaidem*, id eſt Acram, habentem tranquillam infra mœnia navibus ſtationem & latifundium

inter

Digitized by Google

inter mare & montes optimum, quæ a duobus Ptolomæo & Acone fratribus & a Dominis ſuis Ptolomaïs & Acon traditur appellari. Capta fuit Acra auxilio Januenſium & Piſanorum. Sigebertus. Hieroſolymitæ Acram urbem capiunt, ſed quam acquiſierunt per induſtriam, perdiderunt per negligentiam. In Anglia apud Dunelmum facta eſt hoc anno translatio glorioſiſſimi Confeſſoris Chriſti ſancti Cutberti, Lindiſarnenſis Epiſcopi, & ejus corpus poſt annos octodecim ſupra quadringentos & dimidium mirabiliter inventum eſt incorruptum, anno quinto Regis Henrici, quarto Calendas Septembris, ubi affuerunt Radulphus Sagienſis Abbas, & Guillelmus Clericus Epiſcopi Dunelmenſis, qui duo poſtea fuerunt Cantuarienſes Archiepiſcopi.

Anno 1105. Sigebertus. Filius Henrici Imperatoris a patre averſus quosquos potuit, ab eo avertit, & ſub obtentu meliorandæ Eccleſiæ in eum inſurgit. Epiſcopus Otto. Imperatore Henrico Natale Domini Moguntiæ celebrante, Henricus filius ejus rebellionem contra patrem in Noricis partibus, conſilio Theobaldi Marchionis & Berengarii Comitis ſub ſpecie Religionis, eo quod pater ejus a Romanis Pontificibus excommunicatus eſſet, molitur, aſcitisque ſibi quibusdam ex Orientali Francia, Alemannia, Bavaria, Principibus, Saxoniam, terram & gentem contra Regnum facile animandam ingreditur, ubi honorificè ſuſceptus ac Paſcha Domini Quintilingeburg manens, univerſos gentis illius primates ad voluntatẽ ſuam inclinavit, habitoque in villa Regia Northuſen Epiſcoporum Conventu, præſidente Rothardo Moguntino Archiepiſcopo, qui a ſede propria jam per multum temporis ab Imperatore pulſus fuerat, Simoniam, aliaque Eccleſiæ Romanæ contraria condemnavit. Ac poſt pentecoſtem Martinopoli ferians Henricum Medeburgenſem electum, ſed a patris ſui fidelibus repulſum conſecrari fecit; inde collecto milite Ma-

obedientes effecti, ad ausus nefarios, factaque nefandissima per diversa voluptatum suarum flagitia volutati rapiuntur. ❧ Et nota quod hæc tempora quæ utique noviſſima creduntur, tamquam prioribus sceleribus finem impositura, ac velut mundi terminum ex flagitiorum immanitate minantia, & ex oppoſito Regnum Christi appropinquaturum prodentia, sicut quosdam, ut dixi, sceleſtiſſimos, ac mundi amatores avidiſſimos, sic alios Zelo Dei ferventiſſimos, ac cœleſtis deſiderii pleniſſimos habent, ut sicut hos nequitiæ spiritus jam modicum tempus habens & ob hoc amplius inardescens, amplius ad vitia inflammat; sic iſtos dulcedo Regni cœleſtis, quasi jam in januis posita ad amorem suum magis alliciat. Unde circa hæc tempora dum Regnum Romanorum non solum *civiliter*, sed & parricidialiter libidine dominandi dividitur, alii contemptis suis pro Christo, militiæ cingulum se non sine causa geſtare conſiderantes, Jeruſalem tendunt, ibique novum militiæ genus exorsi, sic arma contra inimicos Christi geſtant, ut Christi mortificationem jugiter in suo corpore portantes, vita & converſatione non milites, sed Monachi videantur. Rigor etiam tam in Monaſtico, quam Clericali ordine ex hinc *usque in præſentem diem* amplius cœpit creſcere, ut juſto Dei judicio civibus mundi in sordibus magis sordeſcentibus, cives sui ad summam virtutum per ejus gratiam magis ac magis proficiant. Sed jam ad hiſtoriam revertamur. ❧ Igitur dum in ripa prædicti fluminis uterque conſediſſet exercitus, ac quibusdam in ipso flumine sibi occurrentibus, occiſis, Henricus junior omnes vires Patris in Duce Boëmiæ Beroe, ac Marchione Leopoldo, cujus sororem prædictus Dux habuit, fore conſiderans, ipsos multis modis, promiſſa sorore sua, quæ tunc nuper a Frederico Suevorum Duce viduata fuerat, in uxorem Marchioni, inductos, ambobus, ut patrem relinquerent, perſuaſit, quibus recedentibus, Imperator cedere compellitur & ex

Quidam Romanæ Eccleſiæ Clerici, qui pro Religioſis & ſapientibus habebantur, qui etiam Hildebrando * Papæ, Rodardo & Raginero familiariter adhæſerant, relicta eorum ſecta, quam erroneam tandem intellexerant, ad ſatisfactionem ſanctæ * venerunt. Hujus rei maxima cauſa fuit quia Raginerum Papam pollutum ſimonia pro certo habebant. Infamabatur etiam publicè ipſe Raginerus quod dum fuiſſet Abbas ſancti Laurentii, prioratum ejusdem Eccleſiæ cuidam Monacho * viginti ſolidis, quod ipſe diffiteri non potuit. Infamabatur etiam quod poſt Odardum ambiens papatum promiſerit pacto & ſacramento Gregorio Comiti Tusculanenſi, & filio ejus Theodulo & Petro de Columna daturum ei centum libras denariorum Papienſium & unciam confeſſionis, & tres Romanæ Eccleſiæ Curias, ſcilicet Nympham, Ziberiam, Ariciam, ſi aſſentirent ejus electioni, & ita electus dederit in hac ſumma ſolvenda Calicem aureum Eccleſiæ, & purpureum planetem, reliquum vero ſummæ ſolveret pro eo Petrus Leonis & Albertus Stephani. Libram etiam auri dedit ſcriniario. ¶ Ob hoc Romani ſe ſubtrahentes ab ejus communione, factis inter ſe conſiliis cum Epiſcopis & Cardinalibus, monebant eum, ut de tanta infamia ſe ſponte purgaret. Quod cum Raginerus ferret indignè, & ſe magis ad furorem, quam ad ſatisfactionem accenderet, & accuſatoribus tormenta & mortem intentaret, Romani eum verè hæreticum & ſchismaticum proteſtantes, tulerunt in eum ſententiam juſtæ damnationis. Præeminebat inter Romanos quidam Maginolfus Archipresbyter, qui quia erat laudabilis vitæ, & in utraque ſcientia adprimè eruditus, longo tempore prælatus Romano Clero, diligebatur a cuncto populo Romano, tamquam pater a filiis. Cum etiam hic Zelo Dei accenſus conteſtaretur publicè Raginerum eſſe hæreticum; tunc vero omnes ferè Romani conclamant Raginerum, ut ſimoniacum

* f. Eccleſiæ.

esse deponendum; Maginolfum vero, ut veritatis testem esse substituendum in sede Apostolica. At Maginolfus & insidias hominum, & onus Apostolici honoris fugiens, in munitissimum locum se contulit. Berto vero caput & Rector Romanæ Ecclesiæ, quasi causa audiendi verbi vitæ ad eum accedens cum expeditione Cleri & populi, eum inde extraxit, & ad Warnerum Principem Anconæ in Tyburtinam urbem adduxit; & sic electus quarto nonas Novembris in sedem Apostolicam promotus, & *Sylvester quartus* appellatus est. Paschalis Papa interim transiens ad Gallias, exercet Synodales causas, & non apparente nota Simoniæ, a Romanis sibi injuste objecta, honoratur Apostolica dignitate. At Maginolfus invasionis reus non multò post reprobatur à Romanis, & fama nominis ejus evanuit. ❧ Immunitas Ecclesiæ Afligensis etiam apostolica authoritate a Paschali Papa roboratur, anno sexto pontificatus ejus.

Anno 1106. Sigebertus. Quarto nonas Februarii stella per diem visa est in Cœlo ab hora tertia ad horam nonam, quasi cubito distenta a sole. ❧ Pridie Idus Februarii apud Barrum Italiæ stellæ visæ sunt in Cœlo per diem, nunc quasi inter se concurrentes, nunc quasi in terram cadentes. ❧ Toto ferè mense Februarii Cometes apparuit. ❧ Episcopus Otto. ❧ In Nativitate Domini maximus Principum Conventus Maguntiæ factus est, ubi supervenientes Apostolicæ sedis Legati, anathema a Romanis pontificibus in Imperatorem factum, manifestè omnibus qui aderant, promulgabant. Eapropter dum ipse in quodam castro positus ac custodiæ mancipatus audientiam peteret, Principes seditionem vulgi timentes, ei apud Ingilheim occurrunt, ibique multis modis commonitum, vel (juxta alios) circumventum ac coactum, insignia Regni resignare, ac filio mittere persuadent, anni Regni sui quinquagesimo post mortem Patris, Imperii vero quod

poten-

Digitized by Google

potenter magis, quam justè a Guiberto capta urbe susceperat, vigesimo tertio. Quæ omnia utrum licitè an secus acta sint, nos non differimus : Sunt tamen qui credant ei ad probationem, non ad damnationem hanc tentationem circa finem suum contigisse, affirmantque eum eleemosynis ac multis misericordiæ operibus a Domino meruisse, ut excessus ejus lascivaque Regni conversatio hoc modo in præsenti puniretur. Reversi ad filium optimates Imperialia deferunt, eumque primo *a Patre* electum, per impositionem manus Apostolicæ sedis Legatorum, *eumdemque electione*, Regem creant anno Domini millesimo centesimo sexto. Huc usque Episcopus Otto: ex aliorum libris lecta posuimus. ❧ Cæterum quæ sequuntur quia recentis memoriæ sunt, a probabilibus viris tradita vel *a nobis ipsis visa vel audita* hic ponemus. ❧ Resignatis ab Imperatore regalibus, ipse jam ex Rege opulentissimo miserabile mortalibus relinquens exemplum, egenus factus ad inferiores partes Rheni in Belgas se contulit, ibique *a Colonienſibus* non ut exul, sed ut Rex regio apparatu susceptus est. Hæc civitas in Belgica Gallia super Rhenum posita, omnibus Galliæ ac Germaniæ urbibus ex quo Treviris labi cœpit, tam divitiis quam ædificiis, magnitudine ac decore sui præferenda dignoscitur. Inde Leodium digressus, & ab eis fastigio regali susceptus, omnibus se fraude circumventum, se ad reddenda regalia vi coactum, quibus potuit in Regno suo, seu in aliis Regnis positis declaravit. Extat de hoc inter cæteras ejus epistolas ad Regem Celticæ qui Francorū dicitur, *seu Aquitaniæ Ducem* epistola missa, quæ miseriarum ejus tragœdiam continens, saxeas quoque mentes ad mutabilium rerum ærumnas contemplandas ac deplorandas emollire posset, quæ sic incipit. Princeps charissime & omnium in quibus &c. ❧ Sigebertus. ❧ Henricus Rex filius Imperatoris contra jus naturæ & fas legum contra patrem insurgens quam indigne eum tractavit declarat

epistola

epiſtola ex ore ipſius patris ſcripta ad Philippum Regem Francorum. ℔ Princeps chariſſime, & omnium in quibus poſt Deum ſperamus, amicorum noſtrorum fideliſſime, primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare calamitates & omnes miſerias neceſſariũ duxi, & etiam genibus veſtris advolvi, (ſi liceret ſalva Majeſtate Imperiali) primũ quidem eſt, quod non ſolum nobis, ſed etiam totius Chriſtianæ profeſſionis hominibus graviſſimum & intolerabile arbitramur, quod ab illa Apoſtolica ſede, unde usq; ad memoriam noſtri temporis ſalutifer fructus conſolationis dulcedinis & ſalvationis animarum continebatur * & oriebatur, modo perſecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum in nos emittitur, nec ponunt ullum modum ſententiæ, tantum, ut ſatisfiat voluntati indiſcretæ. Hujus voluntatis ſuæ intemperantia adeo usque nunc abuſi ſunt in me, ut nec Deum, nec quod malum inde proveniat penſantes, per ſe & per ſuos omnimodis invehantur in me, cum obedientiam & omnem debitam ſubjectionem ſæpe obtulerim Apoſtolicæ ſedi; ſi tamen reverentia & honor debitus, ſicut anteceſſoribus meis, ab Apoſtolica ſede exhiberetur & mihi. Quid autem intendat ipſe, oportunius ſignificabo vobis, ſi tandem optati colloquii copiam Deus dederit nobis. In hac igitur perſecutionis & odii inflammatione cum parum viderent ſe proficere, contra ipſum jus naturæ laborantes (quod ſine maximo cordis dolore, ſine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremiſco) filium meum, meum, inquam, Abſalon dilectiſſimum, non ſolum contra me animaverunt, ſed etiam toto furore armaverunt, ut inprimis contra fidem & ſacramentum quod, ut miles Domino juraverat, Regnum meum invaderet, Epiſcopos & Abbates meos deponeret, inimicos meos & perſecutores ſubſtitueret. Ad ultimum (quod maximè vellem tacere, aut ſi taceri non poteſt, vellem non credi) omnem

* f. continenter.

naturæ

naturæ effectum abjiciens in ſalutem & animam meam intenderet, nec penſi quidam haberet quocumque modo, vel vi, vel fraude ad hanc periculi & ignominiæ ſuæ ſummam aſpiraret: in hac tanti mali ſui machinatione, cum eſſem in pace, & in aliqua ſalutis meæ ſecuritate, in ipſis Dominici adventus ſanctiſſimis diebus, in locum qui Confluentia dicitur, ad colloquium advocavit me, quaſi de communi ſalute & honore filius tractaturus cum patre. Quem ut vidi illico ex paterno affectu tactus intrinſecus dolore cordis mei ad pedes ſuos procidi, admonens & obteſtans per Deum, per fidem, per ſalutem animæ, ut ſi pro peccatis meis flagellandus eram a Deo, de me ipſe nullam maculam contorqueret animæ, honori & nomini ſuo, quia culpæ patris vindicem filium eſſe nulla divinæ legis unquam conſtituit ſanctio. At ille jam pulchrè atque miſerrime inſtitutus ad malitiam, quaſi abominabile atque execrabile ſcelus cœpit deteſtari, procidens & ipſe ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam precari, in reliquum, ut miles Domino, & ut patri filius cum fide & veritate per omnia ſe mihi obauditurum cum lacrymis promittere, ſi ſolummodo ſedi Apoſtolicæ vellem reconciliari, quod cum promptiſſimè annuiſſem, & deliberationi ſuæ, & conſilio Principum in hoc totum me mancipandum promiſiſſem, in præſenti Nativitate ſe perducturum me Maguntiam, & ibi de honore meo, & reconciliatione mea quam fidelius poſſet ſe acturum, & inde in pace & ſecuritate me reducendum promiſit. In ea veritate ac fide qua patrem a filio, & filium a patre præcepit Deus diligi, hac promiſſione, quæ etiam gentili obſervanda eſt, ſecurus* illorum ibam, & filius meus aliquantulum præceſſerat me, cum quidam fideles mei accurrentes, veriſſimè affirmabant me deceptum & proditum ſub falſa pacis & fidei ſponſione. Revocatus autem filius meus, & iterum a me inſtantiſſimè admonitus, ſub ejusdem fidei & ſacramenti obteſtatione, animam

ſuam pro anima mea fore promiſit jam ſecunda vice. Cum vero ad locum qui Binga dicitur perveniſſemus, jam exiſtente die veneris ante nativitatem, numerus armatorum ſuorum jam ſatis augebatur, jam fraus ipſa detegi videbatur. Et filius ad me.. Pater, inquit, nobis ſecedendum eſt in vicinum caſtellum, quia nec Maguntinus Epiſcopus in civitate ſua admitter vos, quandiu in banno eritis, nec vos impacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis veſtris. Illic nativitatem cum Dei honore & pace agetis, quoscumque placuerit vobiſcum habebitis: ego interim quantò inſtantius, quantò fidelius potero, pro nobis utrisque laborabo, quia cauſam veſtram meam eſſe æſtimo. At ego. Mi, inquam, fili, teſtis & Judex ſermonum & fidei adſit inter nos hodie Deus, qui quomodo te in virum perfectum & hæredem meum perduxerim, quantis laboribus & tribulationibus honori tuo inservierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeam, ſolus, es conſcius. Ille autem iterum jam tertiò ſub ejusdem fidei & ſacramenti obteſtatione, ſi ingrueret occaſio periculi, caput ſuum pro capite meo fore promiſit mihi. Sic poſtquam me in eodem caſtello * quo omnia animo & corde erat locutus manifeſtè oſtendit rei eventus. Ex omnibus meis ego quartus ſum incluſus, nec admitti potuit quilibet alius, cuſtodes mei deputati, qui vitæ meæ erant atrociores inimici. Benedictus per omnia Deus, exaltandi & humiliandi quæcumque voluerit Rex potentiſſimus. Cum igitur ipſo ſacratiſſimo die Nativitatis omnibus redemptis ſuis ſanctus ſanctorum puer fuiſſet natus, mihi ſoli filius ille non eſt datus. Nam ut taceam opprobria & injurias, minas & gladios in caput meum exertos, niſi omnia imperata facerem, famem & ſitim etiam quam ferebam, & ab illis quos injuria erat videre & audire, ut etiam taceam, quod eſt gravius, me olim ſatis felicem fuiſſe, illud

num-

numquam obliviſcar, numquam deſinam omnibus Chriſtianis conqueri, quod illis ſanctiſſimis diebus ſine omni Chriſtiana communione in illo carcere fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus a filio meo miſſus venit ad me quidam Principum Wicbertus, dicens nullum vitæ meæ eſſe conſilium, niſi ſine ulla contradictione etiam Regni inſignia redderem ex voluntate & imperio Principum. At ego, etſi omnis terra, quantum inhabitatur, Regni mei eſſet terminus, nolens vitam meam Regno commutare, quia vellem nollem ſic agendum eſt & ſic diffinitum intelligebam, coronam, crucem, lanceam, gladium miſi Moguntiam. Tunc communicato conſilio cum inimicis meis filius meus regrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis noſtris, quaſi me ei adducturus ſub multa frequentia & cuſtodia armatorum, me eductum ad villam quæ Ingelheim vocatur, fecit me ad ſe adduci, ubi maximam multitudinem inimicorum collectam inveni, nec ipſum filium cæteris meliorem mihi reperi. Et quia firmius & ſtabilius eis videbatur eſſe, ſi propria manu me cogerent Regnum & omnia regalia deponere, ſimili modo & ipſi omnes minabantur, niſi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ conſilium fieri poſſe. Cumque inquirerem ſi ſaltem ſic de vita certus & ſecurus eſſe deberem, ejusdem Apoſtolicæ ſedis Legatus qui ibidem aderat, non dico qui hæc omnia ordinaverat, reſpondit, me nullo modo eripi poſſe, niſi injuſte me Hildebrandum perſecutum eſſe publicè confiterer, Guibertum injuſtè ei ſuppoſuiſſe, & injuſtam perſecutionem in Apoſtolicam ſedem, & omnem Eccleſiam hactenus exercuiſſe. Tunc cum maxima animi contritione, humi proſtatus cœpi per Deum & per ipſam Juſtitiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præſentia omnium Principum, unde innocens eſſem, & in judicio me purgarem, & in quo culpabilem me recognoſcerem, ex conſilio omnium ſanioris ſententiæ, pœnitentiam & ſa-

tisfactionem,quo ordine juberent, quærerem, & inde de Principibus Regni,de fidelibus meis,quoscumque vellent, obsides darem. At ille idem Legatus diem & locum mihi abnegavit, dicens aut in totum debere terminari, aut nulla spes mihi esset evadendi. In tantæ tribulationis articulo,cum interrogarem si omnia confiterer quæ imperabantur,an confessio mea, ut justum est, veniam & absolutionem consequeretur. Idem Legatus respondit. Non esse sui juris me absolvere. Et cum ego ad hæc dicerem : Quicumque confitentem audet recipere, confessum debet absolvere. Si vellem,inquit absolvi,Romam irem satisfacere Apostolicæ sedi. Sic spoliatum & desolatum (nam & castella & patrimonia, & quidquid in Regno conquisiveram, eadem vi & arte sua extorserant a me) in ea villa reliquerunt me, in qua cum aliquo tempore moratus essem, & filius meus ex eodem fraudis suæ consilio demandasset, ut eum expectarem,superveniens quorumdam fidelium meorum legatio me præmonuit, ut siquidem ad momentum ibi remanerem, aut inde in perpetuam captivitatem raperer, aut in eodem loco decollarer. Quo nuntio satis etiam tunc vitæ diffisus illico aufugiens, fugiendo veni Coloniam, & inibi aliquot diebus commoratus postea Leodium veni, in quibus locis viros fideles inveni. ❧ Imperatore morante Leodii, filius ejus Aquisgranum venit,& volens venire Leodium contra patrem suum quinta feria Dominicæ cœnæ præmisit suos præoccupare pontem ad Visacum. ❧ Episcopus Otbertus Leodiensis multorum corda ad auxilium patris contra filium sollicitavit. ❧ Episcopus Otto. ❧ Filius itaque jam Rex collecto milite patrem subsequens circa Mosam consedit, ubi a Duce Belgarum, aliisque patris sui fidelibus super pontem Mosæ in loco qui Wisacum* dicitur, bello tentatus, cedere compellitur. ❧ Unde Sigebertus. ❧ Militibus Patris concurrentibus ad præoccupandum pontem, milites filii a ponte

* Otto Fr. Guegesar; Sigeb. Visatum; Visc.

repel-

repelluntur, aliis in Mosam demersis, aliis occisis, inter quos Comes *Bruno* etiam occisus est. Ibi etiam occisus fuit juvenis quidam petulans & stolidus qui erat unus hæres Varciniæ. Prædictum vero Comitatum Comitissa licet vidua propter defectum & stultitiam filii sui quam die in diem crescere cernebat, jam contulerat in eleemosynamm Beato Lamberto, & sic illo interfecto possedit Ecclesia pacificè quod minus justè collatum fuerat. Sic filius ut supra dictum est contra Patrem veniens rediit inglorius. ❧ Colonienſibus fidem Imperatori servantibus ac eorum Episcopo filium Imperatoris contra patrem animante, Colonia obsessa oppugnatur : nec tamen expugnatur. Interim Imperator Leodii moritur, septimo Idus mensis Augusti. ❧ Episcopus Otto ❧ Filio ad superiores Regni partes redeunte ac rursum militem instaurante, pater Leodii moritur ; sicque intestino hoc malo terminato, pacis negotia tractantur. ❧ Author. ❧ * Est Imperator extra Leodium in monte Cornelii, ubi erat quædam domus Religiosorum, & modo Abbatia Præmonstrati, & post duos annos relatum est corpus ejus de licentia Papæ, & sepultus apud Spiram. ❧ Sigebertus. ❧ Dux Henricus Lotharingiæ qui ab Imperatore ad filium ejus animo transiens eum contra Patrem suum consilio suo armavit, & a filio ad Patrem rediens, partes filii debellavit, mortuo Imperatore se ut reum Majestatis filio Regis dedit, & ab eo captus custodiæ traditur de qua ipse per industriam suam evasit. Ducatus ejus datur Godefrido Comiti Lovanienſi. ❧ Mense Februario in occidente *Cometa* oritur admodum gracilis sed igneus, cujus radii miro modo lactei visi sunt diutim crescere, atque sub orione ad orientem protendere. Visus est globus etiam igneus tertia quidem nocte ab eadem stella in terram cadere. ❧ Mense Septembri Robertus Comes Normanniæ fratrem Henricum Regem An-

* f. depositus est.

gliæ dum bello aggreditur, multis utrinque interfectis, idem Robertus a ſuis traditus & captus in Angliam ducitur & carceri includitur. ❧ Hoc anno Petrus Alphonſus de Hiſpania, cum eſſet Judæus, baptiſatus eſt ab Epiſcopo Stephano in Civitate Oſca in præſentia Regis Alphonſi & ab eo cognominatus eſt Petrus Alphonſus, qui prius in Judaïſmo dicebatur Moyſes. Iſte eſt *Petrus Alphonſus qui librum optimum contra Judæos edidit.*

Anno 1107. Guido. In partibus tranſmarinis Rex Balduinus captis civitatibus maritimis Tripoli, Berytho, Sydone, caſtrum ædificat trans Jordanem quod montem appellant regalem, & ad coercendum Tyrum antiquiſſimam & munitiſſimam civitatem, proximum illi renovat Alexandrium caſtrum, fundatum olim ab Alexandro Macedoniæ propter Tiri coercendam inſolentiam; nunc autem appellatione vulgari dicitur Scandalum, pro eo quod Scander vocant Arabes Alexandrum. ❧ Robertus Exdux affectans repetere ducatum, occupat oppidum Aquisgrani contra Galefridum Ducem, ſed hæc non ferens Dux Godefridus, oppidum Aquenſe violenter irrupit, oppidanos a favore Henrici exterruit; aliquos Comites & multos potentes & nobiles cepit; ipſe Henricus cum filiis ſuis vix fuga evaſit, uxorem ejus capere Dux indignum duxit, Comites & honoratiores quos ceperat per conditionem ſub ſe militandi ſibi conciliatos, ad fidelitatem ſuam adduxit. Iſte *Henricus Lemburgenſis* qui Ducatus perdidit, filius fuit antiqui Valeranni & filium habuit Paganum nomine qui ſimiliter pro Comitatu contra Lovanienſes decertavit. Similiter filius ejusdem Pagani Henricus, qui tandem filiam ſuam dedit tertio Godefrido de Lovanio, & ita diſcordia temporum quievit. ❧ Elinandus. ❧ Bellum fuit apud Tenethebarg inter Robertum Normannum & fratrem ejus Henricum Regem Angliæ.

Digitized by Google

gliæ. ✒ Episcopus Otto. ✒ Henricus V. patre mortuo libere regnans Coloniam Agrippinam obsidione cingit, eamque tandem multa pecunia accepta ad deditionem coegit. Omnibus in Gallia seu Germania rite compositis, Episcopos etiam qui in schismate propriis sedibus pulsi fuerant, restituit, inter quos venerabilis Juvaviensis Ecclesiæ Archiepiscopus Conradus, qui hactenus in Ecclesia Dei florere fructuoso labore noscitur, ad sedem quam post mortem felicis memoriæ martyris Themonis Bertholdus quidam concessione senioris Henrici invaserat, missus est. ✒ Obiit Richerius Episcopus Virdunensis.

Anno 1108. Paschalis Papa Concilium tenuit Trecis. ibi cassavit electionem Gervasii filii Comitis Reitestensis, & Radulphum Præpositum ordinavit in Rhemensem Archiepiscopum. ✒ In eodem Concilio secundum epistolas Yuonis Valgrinus Cancellarius Carnotensis electus fuit in Archiepiscopum Dolensem. ✒ Hoc tempore Leodegarius erat Archiepiscopus Bituricensis, ✒ Guido. ✒ Rex Hierosolymorum Balduinus Pharamiam antiquam Ægypti civitatem expugnat, & exercitui suo dat in prædam. ✒ Sigebertus. ✒ Henricus Imperator contra secundum Robertum Flandrensem vadit, & pacto pacis magis utrinque simulato quam composito, pene inefficax rediit. ✒ Boëmundus Dux Apuliæ contracto undique exercitu accingitur ad invadendum Constantinopolitanum Imperium. Unde colligimus Imperatorem Constantinopolitanum hoc anno demum mortuum, cujus filius Joannes Porphyrogenitus dictus est ✒ Quod filius Regis Francorum Philippi Ludovicus Grossus non fuit Rhemis inunctus habetur in epistola Yuonis quæ sic incipit. Noverit sancta Romana Ecclesia, noverint omnes Ecclesiæ ad quas murmur Rhemensis Ecclesiæ pervenerit, nos in consecratione Regis Ludovici Francorum nihil nostrum quæsiisse, sed pro com-

communi utilitate Regni & Sacerdotii consulte vigilasse &c. Postea scribit Radulpho Archiepiscopo Rhemensi, ubi in fine ait. Sciant dilectio vestra quia pro pace Rhemensis Ecclesiæ & vestra Regem humiliter & fideliter interpellavimus. Idem Paschali Papæ: Audientes Rhemensis Ecclesiæ mirabilem & miserabilem desolationem Regem interpellavimus quatenus prædictæ Ecclesiæ expulso invasore Gervasio pacem restitueret, & Dominum Radulphum ejusdem Ecclesiæ Metropolitanum in gratiam suam receptum eidem Ecclesiæ præesse concederet. ❧ Richardus Virdunensis Archidiaconus Comitatum Virdunensem regebat, qui ante Gervasium de Reteſt electus fuerat in Archiepiscopum Rhemensem, sed recusavit, electus est in Virdunensem, ubi multa mala fecit, & fuit de parte schismatici per annos septem. ❧ Lisiardus fuit Episcopus Suessionensis.

Anno 1109. Contra Ungaros Henricus Imperator vadit, sed pacto facto rediit. ❧ Episcopus Otto. ❧ Eo tempore Colomannus Ungarorum Rex fratrem suum Almũ de consortio Regni suspectum habens persequitur, qui profugus ad Regem Henricum veniens, injuriamque suam deplorans, auxilium ejus impetrat. Itaque condicta Rex expeditione Ungaros bello petit, sed castrum quod * Basan vocatur inconsulte obsidens, parum proficere potuit, sicque infecto negotio ad propria redijt. ❧ Philippus Rex Francorum obiit, Ludovicus filius ejus succedit. De hujus coronatione diximus in anno præcedenti. Annos viginti septem ei adscribere possumus. ❧ In parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est pullus gallinæ quadrupes. ❧ Hoc anno multi sacro igne accenduntur membris instar carbonis nigrescentibus. ❧ Elinandus. ❧ Tres plagæ tribus regionibus appropriari solent, Anglorum fames, Gallorum ignis, Normannorum lepra. In territorio tamen Bellevacensi rarissimè

* Otto, Posonium.

solet

ſolet accidere plaga ignis, quod Beato Germano ſpeciali dono a Deo datum aſſerunt. ❧ Obiit ſanctus Anshelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus ſcriptor librorum famoſiſſimus,& vita ſanctiſſimus,Pontificatus ſui anno decimo ſexto, cui ſuccedit Rodulphus Epiſcopus Roffenſis, cujus electio diu protracta fuit. ❧ Obiit ſanctus Hugo Abbas Cluniacenſis anno ſexageſimo tertio ex quo fuit in Abbatem promotus. *Hujus vitam ſcripſit Gilo Monachus.* Eadem nocte qua pater beatus dormivit in Domino, vidit Abbas quidam in viſione duos lectos decenter adornatos Angelorum manibus ad aſtra ſuſtolli, & audivit voces in ſublime dicentium. Heroas geminos ſui correctores ſeculi ſtratis auro radiantibus vitæ merito collocabimus, videlicet Cantuarienſem Archiepiſcopum & Cluniacenſem Abbatem,qui multorum ſunt patres filiorum in gloria. Iſti quidem duo pene ſub eodem tempore deceſſerunt. ❧ Verſus de quinque ſanctis *Abbatibus Cluniacenſibus.* ❧ Ordine Bruno prius, ſtat honore beatior Odo

*** ***

Surgit ab his Sanctus Majolus fama virorum
Igneus ardentem vix cohibens animum.
Poſt fuit Arvernis Odilo miſſus ab oris,
Mitior ingenio quam ferus imperio.
Proximus Hugo venis diſcretis uſus habenis,
Ordine poſterior, utilitate prior.

Anno 1110, Erant hoc tempore in Aquitania quatuor Eremitæ, quorum unus, videlicet ſanctus Vitalis, fundavit Abbatiam de Sanguineo in Normannia, Alter domum Monialium excellentiſſimam fontis Ebraldi in Andegavia. Tertius domum quæ dicitur ſancti Sulpitii in Britannia. Quartus Abbatiam de Tyron Carnotenſis dioceſis ſub Comitibus de Pertico.

Unde Yuo Carnotenſis Epiſcopus in ea epiſtola quæ ſic incipit. Cum ea quæ Religionis locis devotio fidelium &c. Quod Rotochus Nobilis & ſtrenuus Mauritaniæ Comes humilitatis noſtræ præſentiam adierit, poſtulans, ut conſecraremus cujusdam cœnobii cœmeterium, quod ſitum ſuper fluvium qui Tyron vocatur ad uſus quorundam virorum Religioſorum. Et hoc anno Richardus Albanenſis Epiſcopus ſecunda fuit vice per Galliam Legatus, qui ad inſtantiam Comitis Hugonis Campanienſis oratorium ſancti Nicolai de Schiminum dedicavit, & ſua authoritate privilegiavit. ☙ Hoc anno Stephanus qui & Herdingus natione Anglus fit Abbas Ciſtercienſis, de quo *magiſter Petrus Cantor Pariſienſis meminit in verbo abbreviato*, qualiter eleemoſinam presbyteri ſimoniaci rejecit de ſacculo Converſi ſui, nolens eam deferri Monachis eſurientibus, ſed pauperibus quos invenit illam diſtribuit. ☙ Sigebertus. ☙ Henricus quintus, Regis Anglorum filiam Mathildem admodum parvulam in matrimonium ſortitur. In menſe Junii Cometes apparuit radios dirigens ad auſtrum, multis conjicientibus hoc ſigno portendi futuram Regis Henrici quinti expeditionem verſus Italiam. ☙ Sanctus Wibertus fundator Gemmelacenſis cœnobii, ubi & ſepultus requieſcit, quem Deus multis & magnis miraculorum ſignis per annos duodecim longè lateque glorificaverat, *authoritate* venerabilis Federici Colonienſis Archiepiſcopi, & aſſenſu generalis ſynodi a Domino Oberto Legienſi Epiſcopo elevatur. Quæ elevatio innumerabili concurſu & mirabili gaudio populorum celebrata eſt nono Calendas Octobris. ☙ Erardus vir nobilis fuit hoc tempore *Comes Brenenſis*, qui duxit unam filiarum Comitis Andrææ de Archeis & de Kamerut, de qua genuit Comitem Brenenſem Galterum, & ſororem ejus Felicitatem, quam duxit Simon de Brois qui jacet in Baja filius Hugo-

Hugonis Bardol, & genuit ex ea Hugonem de Brois qui jacet in Claravalle, & Simonem de Bello forti. ☙ De altera vero filia Comitis Andrææ de Ramerut orti ſunt illi de Plagerra & de Montemirabili, & de Monteregali, & de Archeis. ☙ Habuit autem idem Andræas filium unum Ebalum nomine, de quo ſuo loco dicemus quod fuerit Epiſcopus Catalaunenſis. Item hoc tempore *apud Jovevillam* fuit Gaufridus hujus nominis ſecundus, tertius autem hujus loci Dominus, & habuit duos filios, Renardum qui fuit *Comes Joveniaci*, pater Comitis Guillelmi & Rogerum Jovevillæ Dominum, & filiam Hadwidem *de Aſperomonte* Dominam quæ facta eſt in gentem magnam. ☙ Ipſe Gaufridus prædictus Jovevillæ Dominus fratrem habuit Hildoinum nomine, qui in juventute mortuus, tres parvulos reliquit, Galtherum videlicet, & Witherum, qui ſine liberis mortui ſunt & Heiſcelinam Dominam de Nullejo. ☙ Iſte Guido de Acromonte fuit ex parte matris frater Teſſelini ſori * de fontanis, qui fuit pater *beati Bernardi* Clarevallenſis Abbatis, & habuerunt alios fratres, Hodoinum qui fuit Avus Albrici de Esmanejis & Hainonem de Collombejo, patrem Abelini. ☙ Item Guido de Acromonte fuit ex alia parte frater Ulrici, ſub quo fundata eſt Abbatia Morimundi. ☙ Rogerus de Jovevilla Gaufridi filius duxit Guidonis ſororem de Vangionis rivo, & genuit Gaufridum Groſſum, Robertum, & Guidonem Epiſcopum Catalaunenſem, & Beatricem Comitiſſam de Grandiprato, cujus progenies multiplicata eſt numero. Gaufridus Groſſus de Jovevilla duxit ſupradictam Felicitatem relictam Simonis de Brois, & genuit Gaufridum Vasletum & Gertrudem matrem Comitis Hugonis Vaudani montis. ☙ Nulli ſit oneroſum quod perſonas iſtas hîc annotavimus, quarum nomina frequenter in Chartis Abbatiarum inveniuntur.

* f, ſoris id eſt ſenioris ſeu domini de loco Fontaine.

Anno 1111. In Ungaria regnavit Stephanus annis quindecim. ☙ Sigebertus. ❧ Henricus quintus hujus nominis Rex Romam vadit, propter ſedandam diſcordiam quæ erat inter Regnum & Sacerdotium, quæ cœpta a Gregorio nono hujus nominis Papa qui Hildebrandus nominatus eſt, & exagitata a ſucceſſoribus Gregorii, Victore & Urbano, & præ omnibus a Paſchali, magno ſcandalo erat toti mundo. Rex uti volens authoritate & conſuetudine & privilegiis Imperatorum qui a Carolo Magno, qui primus ex Regibus Francorum imperavit Romanis, jam per trecentos & eo amplius annos imperaverant ſub ſexaginta tribus Apoſtolicis; dabat licitè Epiſcopatus & Abbatias, & per annulum & per virgam. Contra hanc Majorum authoritatem cenſebant Papæ ſynodali judicio, nec poſſe nec debere dari per virgam & per annulum Epiſcopatum aut aliquam inveſtituram Eccleſiaſticam a laïcali manu, & quicumq; ita Epiſcopatum, aut aliam Eccleſiaſtici juris inveſtituturã accipiebant excomunicabantur. Propter hanc præcipuè Rex cauſam Romam tendebat, & ſi qui Longobardorum ei quoquomodo reſiſtere volebant, potenter eos proterebat. Robertus ſecundus in expeditione Regis Francorum Ludovici mortuus Atrebati ſepelitur, ſuccedit filius ejus Balduinus. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Rex Henricus ex omnibus Regni viſceribus infinito contracto exercitu Romam iturus per montem Jovis Pyrenæum tranſit, ac in plano Italiæ reſiſtens juxta Padum militẽ recenſuit. In Comitatu ejus triginta millium equitũ electorum, exceptis his qui ex Italia ad eum confluxerant, tantumque caſtrorum ambitum, qui adhuc ſuperſtites ſunt, fuiſſe tradunt, ut viſu vix penetrari potuiſſet. In plano igitur Italiæ caſtra metantes, unusquisque militum ante papilionem ſuum noctu lumen accendit, quod ad humanæ oſtentationem gloriæ factum, quantum ſpectaculum indigenis in tam amplo ambitu præbuerit, dicere non oportet. Inde caſtra movens Appenninum tran-

tranſcendit, oppidumque, quod Pons Tremulus vocatur, natura locorum, & altiſſimis turribus munitiſſimum tranſitum prohibens oppugnavit & cepit, & poſt hæc per Tuſciam iter agens, Ariciam in robore mœniorum ac altitudine turrium confidentem, eo quod Cives ejus urbis Eccleſiam ſancti Donati extra muros, ne ſedes Epiſcopalis ibi haberetur, deſtruxiſſent, ad ſolum usque proſtravit. Verum Novariam Liguriæ Civitatem dum per Longobardiam pergeret, ceperat, ac igne concremaverat. Multis ergo tam in ulteriore quam citeriore Italia quæ modo Longobardia & Tuſcia vocatur fortiter geſtis, ad Urbem usque progreditur. Ibi a Paſchali Papa cum Clero & populo Romano in urbe Leonina ante fores Beati Petri cum crucibus ac thuribulis, atque aliis eccleſiaſticis ſeu forenſibus ornamentis ſtante, & adventum ejus præſtolante, cum maximo tripudio ſuſcipitur. ☙ Sigebertus. ❧ Quid vel quomodo inter Papam & Regem convenerit, cum multa a multis dicantur, hæc tantum a nobis dicentur quæ in *epiſtola* ab ipſo Rege ſcripta legimus. Inſtabat omnimodis Papa, ut averteret a poteſtate dandi Epiſcopatus vel Abbatias, nec per annulum, nec per virgam. Regi quærenti per internuntios a Papa, his omnibus ſibi ablatis quomodo ſtaret Regnum, quoniam ferè omnia regalia anteceſſores ſui conceſſerant & tradiderant Eccleſiis? Reſpondit, ſacerdotes decimis & oblationibus contenti ſint. Rex vero omnia prædicta, & Regalia quæ à Regibus collata ſunt Eccleſiis, recipiat & detineat ſibi & ſucceſſoribus ſuis. Rege per nuntios reſpondente ſe nolle violentiam & injuſtitiam inferre Eccleſiis, promiſit Papa, & ſuis pro ſe jurantibus affirmavit ſe dominica inſtantis quadrageſimæ omnia regalia cum juſtitia & authoritate Apoſtolica ab Epiſcopis & Eccleſiis auferre, & Regno reddere, id eſt *Civitates, Ducatus, Marchias, monetas, thelonia, advocatias, omnia jura Centurionum vel villicorum, Curtes & Villas, cum omnibus pertinentiis*

ſuis qui Regni erant, Militia & caſtra. ❧ Hanc conventionem in charta ſcriptam Regi dedit, hoc addens quod ipſe Regem & Regnum ulterius non inquietaret, & privilegia ſub anathemate confirmaret, ne poſteri ſui eum inquietare præſumant, Regem bene & honorificè ſuſciperet, eumque Imperatorem coronaret, & ad tuendum Imperium officio auxilii ſui adjuvaret. Pro his omnibus implendis Papa Regi obſides dedit. Internuntii Regis quamvis ſcirent hoc nullomodo fieri poſſe, affirmaverunt, ſi Papa hoc compleret, Regem quoque inveſtituras Eccleſiarum uti quærebat refutaturum. Hac ſpe promiſſionum Regi Romam tendenti, Paſchalis Papa primò per ſuos, poſtea cum primoribus Romanorum extra Urbem occurrit, & nullam cauſam reſiſtendi oſtenderunt. Vix Civitatis portas ingreſſus erat, cum militibus ejus infra Civitatis mœnia ſecure vagantibus alii vulnerati, alii occiſi, omnes verò pene capti aut ſpoliati ſunt. Rex tamen quaſi pro levi cauſa non motus, tranquilla mente usque ad januas Eccleſiæ Beati Petri cum proceſſione pervenit. Ubi volens oſtendere nullam Eccleſiarum Dei deſtructionem ex ſuo velle procedere, in oculis & auribus omnium aſtantium hoc decretum promulgavit. ❧ Ego Henricus Imperator Auguſtus affirmo Deo & ſancto Petro, & omnibus Epiſcopis & Abbatibus, omnibus Eccleſiis, omnia quæ Anteceſſores mei Reges vel Imperatores conceſſerunt, vel quoquomodo tradiderunt Deo, ego nullomodo ſubtrahere volo. ❧ Hoc decreto lecto & ſubſcripto petiit a Papa, ut impleret ei quod in charta conventionis ſcriptum erat. Ipſe autem Rex conventionem ſuam ad Papam firmavit, jurantibus quatuor Comitibus quod proxima quarta vel quinta feria Rex Principes ſuos amicitiã jurare faceret, & obſides daret eo tenore, ſi Papa adimpleret proximo die dominico Regi per omnia, quod in charta conventionis ejus ſcriptum erat. ❧ Cum igitur Rex inſiſteret, ut Papa cum juſtitia & authoritate promiſſam ſuam conventionem

nem de reddendis ſibi regalibus confirmaret, univerſis tam ſuis quam noſtris, videlicet Epiſcopis, Abbatibus & univerſis Eccleſiæ filiis in faciem ei reſiſtentibus, & decreto ſuo plenam hæreſim inclinantibus, voluit Papa, ſi ſalva Eccleſiæ pace potuiſſet, hoc privilegium proferre, ne ſacerdotes, Abbates, aut Clerici ſecularibus occuparentur, neve ad comitatum accedant, niſi pro damnatis erudiendis, * neve militiam exerceant, quæ vix aut nullo modo ſine rapinis, ſacrilegiis, aut homicidiis exhibetur, neve Miniſtri Curiæ, ** neve accipiant a Regibus ad Regnum pertinentia: Regi autem, ſive Imperatori cenſuit eſſe dimittenda omnia ad Regnum pertinentia a tempore Caroli Magni & cæterorum Imperatorum; interdicens ſub anathemate quisquam *** non Imperator ad Regnum pertinentia. Interdixit etiam ſub anathemate ne illi qui poſt eum in Apoſtolica ſede ſeſſuri ſunt audeant Regem aut Regnum ejus inquietare ſub hoc negotio. ☙ Epiſcopus Otto ita dicit. ☙ Rege Romam tendente, inter ipſum & Papam conventio facta ac obſidibus firmata narratur, quod ſcilicet Rex inveſtituras Epiſcoporum remitteret, & Papa ipſi regalia eorum reſignaret. Itaque dum Romam veniſſet, & a Pontifice promiſſa ſibi perſolvi exegiſſet, Papa eo quod reclamantibus Epiſcopis ea quæ petebantur adimplere non poſſet, tamquam nocens, cum per omnia eſſet innocens, cuſtodiæ mancipatur. Rex namque præfatum Pontificem conſilio quorumdam ſceleratorum, cum magna tamen reverentia captivatum, ac Ulrico Aquilejenſium Patriarchæ cuſtodiendum commiſit: ſicque tumultu orto, ac omnibus pretiolis rebus ad decorem & regale faſtigium expoſitis immaniter diſtractis, in luctum verſum eſt gaudium. Videns hoc venerabilis Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Conradus qui cum Rege venerat, Zelo æquitatis vicem Dei dolens, factum hoc improbavit; cui dum quidam Magiſter Regis cognomento Caput evaginato gladio mortem in-

* f. eruendis ** ſint. termi-

terminaretur, tamquam pro Juſtitia mori optans jugulum præbuit, malens (ſi minas ille ad effectum perducere voluiſſet) temporalem vitam finire, quam tanti piaculi ſcelus diſſimulare. Populus etiam Romanus, cum infinita irrumpens multitudine, Tyberim tranſeunt, ac Regem pene ex improviſo, multis de exercitu in civitate, ſive in agro manentibus, ante gradus Eccleſiæ ſancti Petri invadunt. Rex vero ut erat armis expeditiſſimus, cum paucis quos ibi habebat in hoſtes ruit, diutiſſimeque ac acerrime ſuis jam adventantibus pugnans, occiſis multis, cæteros in fugam vertit. Romani fuga in ponte juxta caſtrum Creſcentii coarctati, Tyberi ſe committunt, plures que aquis quam gladiis periiſſe narrantur. Rex tam crudeli facto perpetrato, anguſtias portarum ſuſpectas habens, muros urbis rupit, egreſſusque Papam captivũ ſecum duxit. Hujus maximi ſceleris author fuiſſe dicitur Albertus, natione Lotharingus, qui poſtmodum factus Moguntinus Archiepiſcopus, tunc vero Regis Cancellarius & primus inter primos ejus præcordialis Conſiliarius, quem tamen poſt reditum Rex captivatum & in carcere poſitum, diverſis tormentis, & incredibili famis inedia afflixit, ipſumque de amiciſſimo inimiciſſimum, ac Regni ſui peſtiferum hoſtem divino judicio usque ad vitæ terminum ſenſit. Sed hæc hactenus. Igitur per aliquod tempus ſacrilego auſu tento ſummo Pontifice, conventione facta Rex a Civibus revocatur, & per conventionem dimiſſo ſummo pontifice ac extorto ab eo per vim de inveſtitura Epiſcoporum privilegio, & ſic dimiſſo urbem ingreditur. Tunc quaſi pœnitentia ductus, Cives ac Pontificem muneribus conciliat, ab eoque coronatus favore omnium Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur, Regni ejus poſt reſignata a Patre imperialia anno quinto. In reconciliatione autem quæ facta eſt inter Papam & Imperatorem, qui ipſum Papam cum Epiſcopis & Cardinalibus ceperat, hoc fuit

jura-

Digitized by Google

juramentum Regis. ☙ Ego Henricus Rex quarta vel quinta feria proxima liberos dimittam Dominum Papam, & Episcopos Cardinales, & omnes captivos & obsides; & Papæ & fidelibus ejus, & Romanis pacem & securitatem servabo, tam per me, quam per meos, & in personis & in rebus, eique obediam salvo honore Regni & Imperii. Hoc juramentum juraverunt etiam Episcopi & Principes circiter quatuordecim. *Juramentum ex parte Papæ* hoc fuit. ☙ Dominus Paschalis Papa non inquietabit Dominum Regem ac Regnum ejus de investitura Episcopatuum vel Abbatiarum, neque de injuria sibi vel suis illata in personis, in bonis, nec aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac causa, & penitus in personam Regis Henrici numquam anathema mittet, nec remanebit in Domino Papa quin coronet eum, & Regnum & Imperium auxilio officii sui eum tenere adjuvabit pro posse suo. Et hoc adimplebit Papa sine fraude & malo ingenio. ☙ Hoc juramentum Papæ confirmaverunt jurando Episcopi & Cardinales numero quindecim. ☙ Henrico Rege in Imperatorem coronato post lectum Evangelium tradidit ei Papa ante altare Apostolorum Petri & Pauli hoc *privilegium de investitura Episcoporum*, tam per annulum quam per virgam. ☙ Paschalis Episcopus servus servorum Domini, charissimo in Christo filio Henrico *Teutonicorum Regi*, & per omnipotentis Dei gratiam Romanorum Imperatori augusto salutem & Apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ singulariter cohærere dispositio divina constituit. Prædecessores vestri probitatis ac prudentiæ amplioris gratia Romanæ urbis coronam & Imperium consecuti sunt, ad cujus videlicet coronæ & Imperii dignitatem tuam quoque personam, fili charissime Henrice, per nostri ministerium sacerdotii Majestas divina provexerit. Illam igitur dignitatis prærogativam quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus ca-

tholicis Imperatoribus concesserunt, & privilegiorum paginis confirmarunt; nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præsentis privilegii pagina confirmamus, ut Regni tui Episcopis vel Abbatibus liberè præter violentiam & simoniam electis, investituram annuli & virgæ conferas, post investitionem vero, canonicè consecrationem accipiant ab Episcopo ad quem pertinuerint. Si quis autem a Clero & populo præter tuum assensum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur. Sane Episcopi & Archiepiscopi libertatem habeant a te investitos Episcopos vel Abbates canonicè consecrandi. Prædecessores enim vestri Ecclesias Regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliaverunt, ut Regnum ipsum Episcoporum vel Abbatum maximè præsidiis oporteat communiri, & populares dissensiones quæ in electionibus sæpe contingunt regali oporteat Majestate compesci. Quamobrem prudentiæ & potestati tuæ cura debet sollicitius imminere, ut Romanæ Ecclesiæ magnitudo & cæterorum, salva, præstante Domino, beneficiis tuis & servitiis conservetur. Si qua igitur Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ concessionis paginam sciens contra eam temerario ausu venire tentaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis suæ periculum patiatur. Observantes autem misericordia divina custodiat, & personam potestatemque tuam ad honorem suum & gloriam feliciter imperare concedat. ☙ *Confirmatio pacis inter Apostolicum & Imperatorem* dum in celebratione Missæ ei traderet corpus & sanguinem Domini: Domine Imperator, hoc corpus Domini nostri Jesu Christi natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta & Catholica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis & concordiæ inter me & te. Datum est Idibus Aprilis indictione quarta. ❧ Qualiter hoc totum revocatum fuit in irritum sequentia manifestant. Unde Yuo Carnotensis in quadam Epistola

Epiſtola: Joanni Dei gratia Lugdunenſis primæ ſedis Archiepiſcopo, Daibertus eadem gratia Senonenſis Provinciæ Archiepiſcopus, Yuo Carnotenſis, Joannes Aurelianenſis, cum cæteris Coëpiſcopis Senonenſis provinciæ, Salutem. Jure primatus veſtri invitaſtis nos ad Concilium apud Anſam celebrandum; mandatum non contemnimus, ſed contra conſuetudinem Patrum extra provinciam ire recuſamus, nolentes Eccleſiarum noſtrarum ſtatum permutare. Deinde ubi dicitur ſummus Pontifex poſtquam evaſit periculum, ſicut ipſe quibusdam noſtrum ſcripſit quod juſſerat juſſit, & quod prohibuerat, prohibuit, quamvis quibusdam nefandis urgente periculo quædam nefanda ſcripta permiſerit; ſic Petrus timore negavit, ſic Marcellinus ſacrificavit, ſic Aaron vitulum fabricavit, ſic Moyſes titubavit, ſic Paulus Timotheum circumcidit. ❧ Idem Yuo Paſchali Papæ. Quoniam paternitatem veſtram a Civibus Babyloniæ audivimus plusquam mille paſſus angariatam, imo dolore congemimus. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Hoc ergo privilegium quod a Romano Pontifice minis extorſit Imperator, poſtmodum ſynodo congregata Epiſcoporum authoritas tamquam pravilegium reprobavit. ❧ Author. ❧ Cuidam Monacho ſancti Laurentii Leodii extra muros cogitanti de reſurrectione Domini &c. dictum eſt hoc anno. Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulchro. Ejusdem Monachi diſcipulus fuit Prior ejusdem loci nomine Robertus, qui ſcripſit *librum famoſum de divinis officiis per annum* & multa alia. ❧ Illi qui erant in caſtro de Vlovvart ex parte Richardi Virdunenſis electi, civem quemdam Metenſem ceperunt; Metenſes vero indignati caſtrum captum everterunt, Richardus electus Rainaldum Comitem filium Theodoriei Barrenſis in jus vocavit quod caſtrum non defendiſſet, & caſtrum reædificavit. Comes Rainaldus ad audientiam non venit. Richardus coram Nobilibus Comitatum urbis Virdu-

nenſis Rainaldo abiudicatum committit Guillelmo de Luſcemborc, dedit inſuper pro ducentis libris Muſacum, & Sathanagum ei oppignoravit, quæ usque hodie Eccleſia perdidit.

Anno 1112. Sigebertus. Deo peccatis hominum offenſo multa eveniunt hoc anno: in monte Caſtri loco Eccleſia Valdetrudis, cum aliis duabus Eccleſiis minoribus, & cum toto pene oppido arſit. Eccleſia ſancti Michaelis de periculo maris fulgurata divinitus comburitur cum ædificiis ſibi appendentibus. ☙ Waldricus Epiſcopus Laudunenſis cives ſuos a ſacramento perperam juratæ communitatis revocare niſus, a ſeditioſis ad arma concurrentibus, quod dictu nefas eſt, gladio confoſſus interiit feria quinta hebdomadæ paſchalis ſeptimo Calendas Maij in Letania majori; tumultu etiam confuſæ multitudinis, domus Epiſcopi ſuccenditur. Unde etiam ipſa mater Eccleſia ſanctæ Mariæ, & Eccleſia ſancti Joannis Baptiſtæ in Abbatia Monialium, cum aliis Eccleſiis omnibus e vicino appendentibus concremantur. In authores ſeditionis a Rege Francorum tam ſeverè eſt vindicatum, ut tam præſentes quam futuros a ſimili ſcelere deterrere poſſit exemplum. ☙ Elinandus. ❧ Huic tribulationi Laudunenſium quædam perturbatio præceſſerat, quæ futuræ hujus calamitatis ſeminarium & radix fuit & quoquomodo prænuntia. Quidam enim Princeps nobilis & Caſtellanus Laudunenſis nomine Girardus de* Ciriſiaco, dum in eadem Dei genitricis Eccleſia genibus flexis ſuppliciter oraret, ab inimicis ſuis qui eum alibi aggredi non audebant dolosè circumventus, & ab oratione ſurgens, diverſis gladiorum plagis ibidem eſt interfectus, cujus ſanguine pavimentum Eccleſiæ reſperſum, cum multoties aqua ſuperfuſa non poſſet ad plenum ablui, plures ſpectatum venientes non parum ſuper hoc mirantur. Ante ſupradictum Epiſcopum Laudunenſem Gaudricum interfectum,

* Sigeb. Chariſiaco.

Digitized by Google

ctum fuit Episcopus Laudunensis Ingelrandus nomine, & ante eum Elinandus, sub quo quoddam Beatæ Mariæ contigit miraculum. ❧ Sigebertus. ❧ Mense Majo siligines & arbores sacro igne adustæ fructus sui spem sunt mentitæ, & quædam sylvæ insuper arefactæ. Subsecuta est hominum ægritudo gravis & diuturna cum profluvio ventris & mortalitate. Huc usque Sigebertus, sequitur Anselmus Gemblacensis Abbas. ❧ Dominus *Sigebertus venerabilis Monachus Gemblacensis cœnobii*, vir in omni scientia literarum incomparabilis ingenii, descriptor præcedentium in hoc libro temporum tertio nonas Octobris obiit, qui etiam librum illustrium virorum, & multa utilia doctrinæ suæ, & librorum monumenta suis reliquit. ❧ Episcopus Otto. ❧ Imperator Henricus ab urbe regressus ad transalpina revertitur. Ergo non tantum finitimis, sed & exteris gentibus ob ejus metum trepidantibus, cunctos ad Imperium & voluntatem inclinavit. ❧ *Comes Barri* Rainaldus Comitatum Virdunensem armis sibi vendicavit. Richardus cum Comite Guillelmo *Luscheburgensi* ipsum graviter urgebant, ita quod primo impetu belli amisit vicum sancti Michaelis, & castrum incensum est & eversum. Deinde tota terra cœpit esse in ruinam, præter castella & quædam loca munita. Ad quæ expugnanda Imperatorem Richardus evocavit, qui capto castro Barri & incenso Comitem Rainaldum abduxit.

Anno 1113. Imperator Henricus Belgas ingressus RainaldumComitem hostem judicans bello petiit. Quem *in castro Barro in termino Regni sito* obsidione clauso, ad ultimum expugnato castro, in deditionem accepit, & captivum abduxit. Ante vero prædictum Rainaldum fuit Comes Barri & Moncionis frater ejus Theodoricus, qui cum esset intolerabilis subjectis, expulsus fuit, & *Comitatum Montis Beliardi* tantum sibi retinuit. Horum autem Pater fuit antiquus Comes

Barri Theodoricus, cujus uxor mater eorum Erementrudis est nuncupata. ☙ Abbas Anshelmus. Feria tertia hebdomadæ paschalis, sexto Idus Aprilis *Monasterium Pumice* *arsit cum officinis suis, thesauro & bibliotheca Ecclesiæ per Dei providentiam durantibus illæsis. ☙ In pago Bracbatensi nono Calendas Maij circa Tornacum nix tanta cecidit, ut etiam sylvas fregerit. ☙ Hoc anno electus est in Episcopum Laudunensem Bartholomæus, tam generis nobilitate quam morum probitate rerumque opulentia in tota Laudunensi Rhemensique provincia famosissimus, & a Rodolpho Rhemensi Archiepiscopo consecratur. Quis autem, vel de quo genere fuit iste Bartholomæus in anno Domini 1067. habes. ☙ Anno a fundatione Cistercii decimo quinto *Beatus Bernardus* cum esset annorum viginti duorum ætatis, *venit* ad ordinem cum sociis fermè triginta. ☙ Obiit Catalaunensis Episcopus, succedit Magister Guillelmus de Campellis *qui moralia Gregorii Papæ abbreviavit* & quædam alia fecit. ☙ Abbas Anshelmus. ☙ Mense Augusto Balduinus Rex Jerusalem cum Rogerio Antiochiæ Comite contra Turcos vadit, sed dum Rogerus cum exercitu suo juxta quemdam fluvium resedisset, Rex cum suis processit, ut adventum Turcorum exploraret, Turci vero montem occupaverant, in quo insidias per quatuor loca collocaverant, & in singulis insidiis ad quatuor millia equitum deputaverant, a quibus ex insperato Rex undique interceptus, miserabili fuga est liberatus. Ascalonitæ cognoscentes abesse Regem Balduinum cum gravi multitudine Jerusalem assiliunt, sed non prævalentes adversus eam, partem Ecclesiæ sancti Stephani extra civitatem, ubi lapidatus est, sitæ, diruunt, segetes incendunt, & ita inefficaces redeunt. Turci cœnobium Monachorum in Monte Tabor evertunt, & monachis cum reliquis omnibus interfectis omnia sibi diripiunt.

* Prumiæ.

piunt. ☙ Rex Jeruſalem Balduinus uxorem ducit relictam Rogerii Siciliæ Ducis. ☙ Apud Ravennam & Parmam civitates Italiæ in agris & infra mœnia ſanguis pluit Junio menſe. ☙ Guillelmus. ❧ Rex Jeruſalem Balduinus uxorem duxit relictam Rogerii Ducis Siciliæ. Venit Jeruſalem ad illius impetrandum connubium Duciſſæ Siciliæ, infinitas gazas ſecum afferens, quam tunc quidem duxit, ſed poſt dimiſit, quia, (ut ajunt) genitalia ejus cancri morbus exederat. ☙ Sequitur Guido. ❧ Sub eodem Rege Balduino *ordo militiæ templi* inſtitutus eſt de novo. Alter autem *ordo magnæ domus eleemoſynariæ quæ dicitur hoſpitale*, jam inſtitutus erat hoc modo. ☙ Viri quidam Italici de Malfa civitate quæ poſita eſt inter Neapolim Virgilianam & Salernum, maritimas Civitates, cum propter mercimonia quæ deferebant in Ieroſolymam apud infideles gratiam inveniſſent, dum adhuc Caliphas Ægyptius in civitate dominaretur, eandem de conſtruendo ſibi in ea domicilio a Calipha prædicto impetrant, & ſecus Eccleſiam dominicæ reſurrectionis erigunt habitationem & Monaſterium monachorum in honore Dei genitricis Virginis Mariæ; ſimiliter in honore Beatæ Mariæ Magdalenæ monaſterium fœminarum ſub prædictorum providentia Monachorum. Ab his etiam ædificatum eſt Xenodochium, propter confluentiam ad ſancta loca pauperum peregrinorum, & in eodem altare ſancti Joannis Alexandrini Patriarchæ, qui quia miſericordiæ viſceribus affluebat, dicitur eleemon, id eſt miſericors, in honore. Hoc eſt initium magnæ domus Eleemoſynariæ in Hieroſolymis quæ dicitur hoſpitale. Dicitur quod ordo iſte fratrum hoſpitalis Hieroſolymitani *circa annum Domini milleſimum ducenteſimum quadrageſimum* usque ad tria miliaria* quingentas habeat capellas. ☙ Guido. ❧ Ordo militiæ templi novem annis in ſeculari habitu more Canonicorum

* millia.

corum regularium Deo ſerviit, ſed poſtea Concilio in Francia apud Trecas habito, inſtituta eſt ei regula Beati Auguſtini, & albus habitus aſſignatus Concilio Prælatorum & de Domini Papæ mandato, & Beati Bernardi conſilio. Dicitur quod ordo militiæ templi anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo habebat domos ad ſeptem millia, licet de novo multas perdidiſſe videatur ſub Imperatore Frederico de Apulia. Illud autem eſt mirabile quod ordo militiæ templi cœpit de eleemoſyna fratrũ hoſpitalitatis. Ordo vero fratrum Barbatorum qui circa hoc tempus, coepit circa ſupra ſcriptũ annũ habebat domos usq; ad centum & ſexaginta. ☙ Intervenientibus pro *Comite Barri* de toto Regno nobiliſſimis conſanguineis Imperator eum cuſtodia ſolvit cum omnibus ſuis, & ut ſibi cognatum ad propria remiſit, tantummodo ſibi *hominium ab eo ſuſcepit*. Richardus Epiſcopus omnia ſibi contraria videns, Eccleſiam infenſam, Imperatorem non fidum, qui hoſtem ejus dimiſerat, & ipſum contra ſe nova moliri, crucem accepit, ultra Romam in itinere obiit, nondum a Papa abſolutus.

Anno 1114. Epiſcopus Otto. Henricus Imperator Maguntiæ regio apparatu conjuncta ſibi filia Regis Anglorum Mathilde, magnificè nuptias celebravit. ☙ Anſelmus ☙ Henricus Imperator cum magna optimatum ſuorum, & totius Regni gloria natale Domini celebrat Maguntiæ, ibique uxorem ducit filiam Regis Anglorum. Ipſa Mathildis Imperatrix, quam poſt mortem Imperatoris Henrici duxit Gaufridus Comes poſt Fulconem patrem Andegavenſem, ut in ſequentibus habetur, genuit ex eo Henricum hujus nominis ſecundum, poſtmodum Regem Anglorum. ☙ Sequitur Epiſcopus Otto. ☙ In ipſa nuptiarum ſolemnitate *Lotharius Dux Saxonum* nudis pedibus, ſacco indutus, coram omnibus ad pedes ejus venit, ſeque ei tradidit. Tantus enim usque ad id tempus

tempus timor omnibus Regni Principibus invaſerat, ut nullus rebellare auderet, vel rebellans cum *maximo damno ſui vel etiam vitæ detrimento in gratiam ejus non rediret. Verum in hac Curia quia omnes pene Regni Principes confluxerant, conſpirationes fiunt, & ex hinc non ſolum occulta conſilia, ſed & publica contra eum machinamenta diſponuntur. Hinc iterum miſerum imperium, quod per paucos vix quieverat annos ſcinditur, ac tam in transalpinis, quam in cisalpinis regionibus intra ſe colliditur. ☙ Sedes Virdunenſis per quatuor annos vacabat. Inde occaſione ſupradictarum injuriarum Imperator Henricus Henricum Archidiaconum Wintonienſem * factus eſt Virdunenſis Epiſcopus, poſtquam malus Richardus Virdunenſis electus obiit in Apulia. ☙ Comes Guillelmus de Lucelburg Comitatum Virdunenſem reddidit Comiti Rainaldo. Cives eum non receperunt, ſed factum eſt prælium ante Virdunum, & inde Comes Rainaldus ſaucius reportatur.

Anno 1115. Electi ſunt de Canonicis Laudunenſibus ſeptem, quibus traditum eſt * ſanctæ Mariæ, cum aliis pluribus ſanctorum reliquiis, inter quas eminebat forma & dignitate unum Phylacterium, in quo ſcriptum legitur.

Spongia, crux Domini, cum ſyndone, cum faciali
Me ſacrat atque tui genitrix & virgo capilli.

Cum his reliquiis profecti ſunt in Angliam, in qua inſula multa facta ſunt miracula in diverſis locis per Beatam Virginem. Tandem poſt multos dies de Saleberia vix ad tria milliaria venerunt ad Abbatiam Sanctimonialium quæ dicitur Wiltonia, ubi oſtenſa eſt eis ſepultura *venerabilis Bedæ Presbyteri.* ☙ Hîc oritur quæſtio, utrum requirendum eſt quid ſit veritas de ſepultura venerabilis Bedæ, vel ſi utrumque ſtare poteſt & quod

* f. niſi cum.

hic dicitur, & quod in Legenda translationis Beati Cuthberti de corpore venerabilis Bedæ ſcribitur. Sed dicunt quidam quod fuerunt duo Bedæ, primus qui fecit Homilias, & ipſe de Wiltonia, juxta quem ſepulta eſt mulier illa verſificatrix inclyta Non dicitur hic quæ fuerit iſta, ſed hanc dicunt fuiſſe Egitham quæ dicitur Idith de qua ſuperius in anno Domini 1052. expreſſimus. ❧ Hoc tempore, ut ait Elinandus florebant in Francia apud Laudunum nominatiſſimus ille magiſter Anſelmus qui *gloſſaturum interlinearem*, ſeu marginalem interruptam primus exhibuit, & frater ejus Radulphus, & ipſe magiſter Theologus, & Catalaunenſis Epiſcopus. ❧ Magiſter Guillelmus. ❧ Floruit etiam eo tempore *Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus*, qui factus eſt Turonenſis Archiepiſcopus, Berengarii Turonenſis diſcipulus, verificator & dictator egregius, ut apparet ex paucis quæ fecit, qui *Epitaphium quoque ejusdem Berengarii* ſcripſit magnificè in verſibus quinquaginta duobus, ſed in eis laudum modum exceſſit, qui etiam Canonem metricè expoſuit. Deinde de urbe Romana diſtichon compoſuit.

Urbs felix ſi vel Dominis urbs illa careret
Vel Dominis eſſet turpe carere fide.

Hoc anno fundatum eſt cœnobium Clarevalenſe ſub primo Abbate Beato Bernardo, qui uno anno fuit novitius, & uno anno clauſtralis monachus, & annis triginta octo, id eſt usque ad obitum ſuum fuit in Abbatis officio, & tam in exterioribus quam in interioribus ſanctæ Eccleſiæ negotiis officialiter occupatus. Erat autem quando factus eſt Abbas, viginti quinque annorum. ❧ Mortuo Lingonenſi Epiſcopo Josceranne ſucceſſore Roberti, vacabat ſedes Lingonenſis antequam Dominus Guillelmus eſſet electus. Unde ab Epiſcopo Guillelmo Catalaunenſi benedictionem ſuam Beatus Bernardus accepit.

Anſel-

Anſelmus. Idibus Novembris in ſuburbio Antiochiæ terra motu dehiscens, turres multas, & adiacentes domus cum habitatoribus abſorbuit. Quidam autem, ut eſt illud hominum genus, cum uxore & filiis de illis locis migraverat, ſed in redeundo poſitum, idem terræ motus abſorbuit in loco in quo erat. Unde addit Elinandus. Credibile eſt quod cum aliquo terræ motu hoc factum eſt, quia vix tam lato hiatu terra hiare poteſt, cum integras domos abſorbeat, quin etiam tremat. Henricus Imperator dum quidquid libet licere putavit, magnas totius Regni pene inimicitias comparavit. Etenim quia ſuperioribus annis Albertum Cancellarium, & quosdem alios Regni Principes inſidiosè ceperat, & ſine audientia & judicio cuſtodiæ mancipaverat, aliis ſimilia timentibus malè ſuſpectus erat. Unde etiam Fredericus Colonienſis Archiepiſcopus ab eo averſus totis viribus inſequitur eum & fautores ejus, oppida & caſtella contra ſe poſita oppugnat, & omnia ad eum pertinentia ferro & igne vaſtat. Secundum epiſtolas Yuonis fuit hoc tempore in Francia Legatus Cono Cardinalis Epiſcopus Prænestinus, qui *Concilium ſuum apud Belluacum* tenuit, & poſtea Rhemis in Concilio Imperatorem Henricum excommunicavit. Iſte Cono de quodam *novo ordine* Beati Nicolai de Arroſia hoc tempore inchoato, hoc eſt de trunco Berengarii fuit, aſſumptus. Henricus Imperator promiſerat Aquis ſe paſcha celebraturum, ideoque inter alios Regni Principes Dominus Otbertus Leodienſis Epiſcopus ibi præſtolabatur illius adventum. Unius igitur eorum Arnulfus de Arslath dum manus ſuas confricaret, magno omnium miraculo ſine aliqua vulneris aut ulceris læſione ſanguis ab ejus digitis fluere viſus eſt, quæ res pro magno portento habita ſignificabat humani ſanguinis effuſionẽ pro indigna Regni & Principum diſcordia. Epiſcopus Otto. Hinc jam publica bella cum magna ſanguinis effuſione, tam

præsente Imperatore, quam in Italiam migrante, rerumque summam sororiis suis Conrardo & Frederico committente peraguntur. Henricus Imperator in Italiam secedit propter maximos motus Regni, & maximè propter *Marchisæ Mathildis cognatæ suæ* quæ recens obierat hæreditatem, quæ sibi jure competebat, obtinendam.

Anno 1116. Obiit Yuo Carnotensis Episcopus, vir multarum virtutum, ut dicit Elinandus, similiter & literarum, qui Decreta abbreviavit, & multa alia utilia scripsit. Hujus volumen epistolarum de boni & æqui commendatione, maliqué & injusti dissuasione habetur a multis. Hic est qui Philippum seniorem Regem Francorum ausus fuit excommunicare pro pellice Bertrada suæ Conjugi superinducta. Contra Comitem suum Stephanum Carnotensem ejusque relictam Adalam, & ejus filium Comitem Theobaldum, & contra Vicecomitem similiter, Dominum scilicet de Puisato, in diversis causarum conflictibus pro Ecclesia sua viriliter stetit. Cum Henricus Rex Angliæ quamdam filiam suam cuidam Nobili in diocesi Carnotensi vellet dare, idem Yuo illud matrimonium dissuadendo consanguinitatem in sexto gradu computavit. Mater sancti Richardi Normanniæ Ducis nomine Gunnor, sororem habuit Seufriam nomine de qua Josselina nata peperit Rogerum de Montegommeri, hujus filia Mabilia soror Roberti Belismensis peperit alteram Mabiliam, uxorem Gervasii, cujus filius Hugo de Castro novo debuit habere filiam prædicti Henrici sed non habuit. Pater autem hujus Henrici Guillelmus Nothus fuit filius Ducis Roberti, qui filius secundi Richardi memorati. ☜ De obitu & fine Comitis Flandriæ Roberti Guido ita dicit. ☜ Robertus qui in expeditione Asiaca, quam Europa contra Turcos movit, mirandus innotuit, gratiæ quam meruerat apud Deum & apud homines laudis & gloriæ

gloriæ magnæ, partum virtutis & elaboratum multâ exercitii ſpiritualis lima, ſplendorem, lethifero decoloravit eventu quo vitam (dum ita temerario lasciviæ militaris arma tractaret) amiſit. ☙ In hiſtoria Comitis Karoli de iſto Roberto ita dicitur. Meldis ægrotans obiit, & apud ſanctum Vedaſtum Atrebati ſepultus eſt. Genuerat ex Clementia filium nomine Balduinum, qui circa biennium Flandriæ nobiliter tenuit Comitatum.* ☙ Anshelmus. ❧ Menſe Januario tertio nonas ipſius quarta feria in aliquibus locis, ſed non usque quaquam, terræ motus accidit, alias clementior, alias validior; adeo ut quarumdam urbium partes cum Eccleſiis ſubruiſſe dicantur. Elinandus non dicit quarum urbium, nec in qua parte urbis, & ideo nimis negligenter annotantur caſus qui ſic annotantur; Sed Epiſcopus Otto ita dicit. ❧ Circa idem tempus terræ motus horribilis oppida, templa, villas, montes quamplurimos (ſicut usque hodie in valle Tridentina apparet) ſubvertit. ☙ Anselmus. Moſa etiam fluvius juxta Abbatiam quæ dicitur Suſtula, quaſi pendens in aëre fundum ſuum viſus eſt deſeruiſſe. ☙ Hoc quoque anno Leodium civitas multis plagis attrita eſt. Menſe enim Majo nocte inventionis ſanctæ Crucis quæ tunc erat vigilia Aſcenſionis Domini, dum in majori Eccleſia veſperas celebrant & illum pſalmi verſiculum Quis ſicut Dominus Deus noſter, cantant, ſubito tonitruus cum terræ motu omnes ad terram ſtravit, & fulmen a læva templi ingreſſum, non modicas cruſtas de muro hac illac disjecit; deinde turrim ingrediens, multas trabium partes disjecit. Subſecutus eſt fœtor intolerabilis, adeo ut multo aromatum* vix potuerit expelli. ☙ Item Junio menſe quarto Idus ipſius circa horam nonam nubes pluviæ ſubito rapta** a monte qui dicitur Roberti, ſubjectam ſibi partem Civitatis peſſumdedit, adeo ut multas domos dirueret, & immenſam annonam perderet, & matrem duos infantes alternatim amplexam in

** f. rupta

chiis necaret, & alios octo homines in diverſis locis opprimeret. ☙ Pulſantibus veſperis ſabbatho quædam fœmina caput dum lavat puero, manus rubent ſanguine fluido ☙ Calendis etiam Julii circa horam ſextam turbo nimis vehemens & obſcurus Civitatem operuit, & nubes ex abrupto ſciſſa ita omne tectum majoris Eccleſiæ dejecit, ut & imbribus pateret, & totum pavimentum perfunderet Illico fulmen a parte aquilonari ingrediens quemdam Clericum retro altare ſanctorum Cosmæ & Damiani in pulpito legentem, & alterum ante Crucifixum orantem, tertium de ſcriptorio Eccleſiæ proximo egredientem, in ipſo Eccleſiæ ingreſſu extinxit. ☙ Septimo Idus Julii ab hora tertia usque ad nonam quatuor turbines a quatuor plagis cœli urbem circulaverunt, ventus etiam cum magna vi inſonuit, & urbem multo imbre abluit. ☙ Tertio nonas auguſti primo noctis conticinio quaqua terrarum cum tonitruus audiretur, & fulgitræ ſæpius micarent, & iterum atque tertiò id fieret, usque mane in urbem Leodium amplius ipſe turbo deſævit; ita ut homines a ſtratis exilientes templa ac Eccleſias triſti coetu complererent, & tota nocte ſupplicationibus intenderent: ſummo vero auroræ diluculo a parte orientis cum ingenti flamma circulavit Civitatem tantus ignis, ut omnes divinitus cremari exiſtimaverint. Poſt hæc magnus turbo erumpens ab occidente, ipſum ignem viſus aliquantulum obſcuraſſe. Iterum quaſi victor ignis cum flamma recaluit, & iterum turbine revertente paululum delituit. Tertio etiam ipſe ignis recaluit; & tertio nihilominus turbine victus cecidit. Hoc ſpectaculum a ſummo mane usque ad horam tertiam civitatem vehementer terruit. ☙ Tertio Idus Decembris ad mediam noctem lucentibus ſtellis, cœlo ſereno, Luna eclipſim paſſa eſt, & contracto orbe, multis coloribus, ſed maxime ſanguineo penè integra hora ſuffuſa eſt. Decimo tertio Calendas Januarii, prima hora noctis igneæ

acies

acies a ſeptentrione in orientem in cœlo apparuerunt, deinde per totum cœlum ſparſæ plurima parte noctis videntibus miraculo & ſtupori fuerunt. ☙ Monſtrum quoddam Namurci viſum eſt, videlicet biceps infantulus, qui hoc vidit teſtis eſt populus, hic tam ſexu duplex, quam cæteris membris ſimplex erat compage corporis. ☙ In Hiſpania civitas Colimbria a Rege Fernando Chriſtianiſſimo per Beatum Jacobum de manu Saracenorum fuit recuperata. ☙ Poſt Arnulphum Patriarcham Hieroſolymitanum, qui Privilegium cruce ſignatorum ad opus Eccleſiæ novi Monaſterii Hoienſis, procurante venerabili ſacerdote Petro Eremita, qui in eadem tunc Eccleſia, transmiſit Otberto tunc temporis Leodienſi Epiſcopo, fuit Patriarcha Guerimundus, cui ſucceſſit Stephanus, deinde Guillelmus.

Anno 1117. Balduinus ſecundus Rex Jeruſalem moritur, frater Godefridi Ducis Lotharingorum, & primi Regis Hieroſolymitanorum. Fuerunt autem filii Comitis Euſtachii de Bolonia ex Ida ſorore Godefridi Gibboſi Ducis Lotharingorum. Quibus de medio factis, tertius regnat Balduinus filius Hugonis Comitis de Reiteſta. ☙ Henricus Imperator ab Italia in Lotharingiam repatriat, & ſecundum illud, qui a multis timetur, neceſſe eſt, ut multos timeat: conjuratos in ſe Regni Principes modo minis, modo ſatisfactione ad pacem invitat. ☙ Guido. ☙ Hieroſolymis in die feſto qui dicitur in ramis palmarum, cum populus univerſus in valle Joſaphat cum proceſſione tantæ ſolemnitati debita conveniſſet, Balduini Regis qui rediens ab Ægypto in via deceſſerat, multa proſequente militia ab una parte funus infertur, ab altera cum ingenti comitatu Balduinus de Burgo in Francia Comes ingreditur Edeſſanus, qui defuncti Regis conſanguineus, Rege juxta fratrem ſuum nobiliſſimum Ducem & Regem Hieroſolymæ

lymæ Dominum Godefridum ſepulturæ regiæ tradito, fit ſucceſſor ejus in Regno. ❧ Elinandus. ❧ Hæc civitas Ediſſa diſtat ab Eufrate viginti milliariis, & ab Antiochia centum, Græci dicunt Edeſſam, Syri Rohaſyam. ❧ Sequitur Guido. ❧ Comes autem Bolonienſis Euſtachius defunctorum Ducis & Regis Germanus ad Regni Hieroſolymitani moderamen per quosdam ejusdem Regni nobiles * cum usque in Apuliam jam veniſſet, audito quod in Regno hæreditario jure ſibi debito Comes Ediſſanus conſanguineus ſucceſſiſſet utrique Germano; perſuadentibus ei celeriter transfretare, & quod factum erat in irritum revocare, digna tanto Principe voce reſpondit. Quod numquam illi terræ moveret ſcandalum, in qua Chriſtus nos Deo reconciliaverat per ſanguinem ſuum. Frater autem jam dicti Balduini de Burgo Gervaſius ab Epiſcopatu caſſatus Rhemenſi, Clericatum dimiſit, & Comitatum de Reiteſt ſibi hæreditarium arripuit, ducens in uxorem Elizabeth filiam Comitis Godefridi Namurcenſis, natam ex Sybilla filia Comitis Rogerii Porcenſis. ❧ Iſto Gervaſio mortuo qui filiam unicam reliquit, duxit eamdem Elizabeth Clarembaldus de Roſeto, & genuit ex ea Renaldum, & illum Rogerum qui poſtea fuit Epiſcopus Laudunenſis, & ſorores ejus. Una fuit Ælis de Cunaco, altera Alfeliſa quæ ex nobili viro Philippo de Altaripa genuit Mathildem, quam habuit Windus Doiscenus de quo noſtris temporibus dicemus. ❧ Claremboldus vero ſupradictus de Roſeto filiaſtram ſuam Gervaſii filiam alienavit a terra, dans eam cuidam nobili Roberto Marmioni de Normannia. ❧ Dictus vero Gervaſius & fratres ejus ſorores habebant, quarum una Mathildis Odoni Caſtellano Vitriaci peperit Caſtellanum Guitherum & ſorores ejus, & iſte Guitherus Caſtellanus Vitriaci factus eſt ex parte matris Comes Reiteſtenſis, & duxit unam filiarum ſupradi-

* f. vocatus.

dicti Comitis Namurcenſis Beatricem nomine, de qua liberos utriusque ſexus genuit, de quibus poſtea declarabimus. Anselmus. Paſchalis Papa moritur ſuccedit Johannes Cajetanus qui & Gelaſium ſe nominat. Cum vero Henricus Imperator tunc temporis agens in Italia Romam renderet ad eligendum Papam; Joannes præſentiam ejus veritus jam electus & ordinatus ſeceſſit Capuam. At Imperator quia electioni non interfuerat, nec ordinationi conſenſit; ſed aliquibus Romanorum annitentibus, Hiſpanum quemdam Burdinum nomine ſatis bonũ Clericum ei ſuperordinari fecit. Joannes interim tranſiens ad Gallias per Burgundiam & *Gothiam* quæ & Provincia ſancti Ægidii dicitur, agit ſynodales cauſas. Balduinus Comes Flandriæ Roberti junioris & Clementiæ filius, vigeſimo ſexto ætatis ſuæ año monachus effectus, ſine hærede moritur, & apud ſanctum Bertinum ſepelitur. Cui ſuccedit Conſobrinus ejus Karolus, filius ſcilicet Amitæ illius, Athelæ nomine, quem ſuſcepit de Canuto Rege Daciæ. Ex *vita Comitis Caroli.* Comes Balduinus Flandriæ, juvenis egregiæ probitatis ſcuto ipſi fronti ſuæ per infortunium parum illiſo ægrotare cæpit, & in villa Roſillaria Monachi ſumens habitum decimo quinto Calendas Junii moritur, & apud ſanctum Bertinum ſepelitur. Guillelmus de Ypra Philippi filius fratris Roberti Friſonis neptem Comitiſſæ matris hujus Balduini duxerat, ideo Comitiſſa hunc ſuccedere volebat, ſed Balduinus Carolum conſobrinum ſuum deſignaverat, cui Margaretham filiam Comitis Rainaldi de Claromonte conjunxerat, & Comitatum Ambianenſium cum caſtello Inerenſi donaverat, ſed Comitiſſa Clementia nomine nupſit Duci Lovanii, qui Dux & Comes Hainonii & Hugo Campus * Avenæ Comes ſancti Pauli & ipſe erant contra Carolum, & Galtherum Hisdinii Comitem patriâ expulit. Comitem quo-

que Hainonii & Thomam de Coci devicit. Unde Clementia tandem victa de duodecim oppidis pro dote ſua ſibi aſſignatis, ei quatuor guerpivit, Dixemum, Bergium, Ariam & ſanctum Venantium. ☙ Guido. ❧ Comes Flandriæ Balduinus juvenis moriens conſanguineo ſuo Carolo Danorum Regis Filio Flandriæ tradidit principatum, qui Carolus Roberti Comitis Patris Balduini ex ſorore Nepos fuit.

Anno 1118. Anselmus. Joannes Cajetanus qui & Gelaſius Papa Cluniaci moritur & ſepelitur. Conſenſu omnium Epiſcoporum tam Germaniæ quam & Galliæ cum Romanis habito, Dominus Guido Viennenſis Archiepiſcopus in Papam eligitur & Calixtus vocatur,& deſignatus Cluniaci benedicitur quia in illa diſſenſione in qua Henricus Imperator Paſchalem Papã Romæ ceperat,iſte fortiter & probè pro Eccleſia ſtetit,quod jam iñotuerat omnibus: idcirco in ejus electionẽ tranſivit omnium conſenſus. ☙ Anselmus. ❧ Poſtea mediante Octobri menſe ſynodum congregans Rhemis, multos in utroque Regno Epiſcopos conſecrat, inter quos etiam Dominus Fredericus Leodienſis Epiſcopus Otberto jam mortuo ungitur. Interim Henricus Imperator Yuoſium venit, & dum pro reconciliatione Regni & ſacerdotii nunc à Rege ad Papam venit, nunc a Papa ad Regem viciſſim redit, diſſenſu quorumdam invidorum lux pacis turbatur, & Imperator cum ſibi faventibus excommunicatur. ☙ Unde Epiſcopus Otto. ❧ Sententia anathematis a Calixto qui Paſchali & Gelaſio ſucceſſit, ſuadente Alberto Maguntino, Frederico Colonienſi, Conrado Juvavienſi, in Henricum Imperatorem datur, iterumque ſchismate renovato, totum Regnum perturbatur. Ipſe autem Imperator procinctum antea contra urbem movens Burdinum Hiſpanum Epiſcopum Romanæ ſedi violenter impoſuerat. Qui Burdinus non multò poſt ad Sutrium recedente Imperatore a Romanis captus

apud

Digitized by Google

apud Clavam cuſtodiæ mancipatur. ❧ Unde Anſelmus. Burdinus Pſeudopapa Sutrii poſitus, dum peregrinos Romam euntes & redeuntes turbat & deprædatur, tandem viliſſimus Apoſtata capitur, & in Monachum attondetur. ❧ Anſelmus. Henricus Rex Anglorum Ducis Godefridi filiam Atheleidam ſibi conjugio ſociat & Reginam in Anglia conſtituit, qui Rex magna prudentia rexit imperium ſuum, omnesque terrenorum motus miro ingenio compeſcuit, & larga manu Eccleſias ditavit. ❧ In Concilio Rhemenſi Henricus in Epiſcopum Virdunenſem confirmatur, ſed a Virdunenſibus non recipitur. Ille ad gratiam Comitis Rainaldi ſe inflexit, & cum eo urbem cepit violenter, ignem immiſerunt, & quædam Eccleſiæ exuſtæ ſunt. Comes ad ſuum votum cives cepit, & ad redemptionem pecuniarum coëgit. ❧ Anſelmus. ❧ Dominus Calixtus Papa Romam proficiſcens, ab omni ſenatu & populari turba gloriosè excipitur, & in ſede Apoſtolica confirmatur. Quia ad hunc locum ventum eſt, miraculo Beati Jacobi quæ iſte *ſcripſit Papa Calixtus* breviter ſecundum Elinandum tangenda ſunt. ❧ Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ſanctiſſimi, Conventui Cluniacenſi baſilicæ ſedis Apoſtolicæ ſuæ electionis, Heroibusque famoſiſſimis Guillelmo Patriarchæ Hieroſolymitano, & Didaco Compoſtellanenſi, ſalutem &c. Deinde his literis præmiſſis dicit in prologo translationis. Beatus Jacobus duodecim ſpeciales diſcipulos habuit, quorum Hermogenes & Philetus apud Antiochiam quieverunt. Joſias Herodis dapifer cum eo occiſus eſt. Septem alii Idibus Maij, quieverunt ſcilicet: Torquatus Accii, Tyſifons Vergi, Secundus Abulæ, Indalecius Urſi, Cecilius Hilberi, Eſicius Careſæ, Enfantius Eliurgi: Alii duo Athanaſius & Theodorus, qui corpus Beati Jacobi retulerunt, & juxta ipſum ſepulti ſunt. ❧ Libellum de miraculis ſancti

Jacobi numquam perdere potuit, qui ut dicit Dominus Guido, qui & Papa Calixtus, cum a latronibus omnibus aliis rebus aliquando ſpoliatus ſit, & domus in qua hoſpitatus erat cum omni ſupellectili ſua arſerit,& cum ipſe in mari naufragiũ paſſus ſit, libellus ejus ſemper evaſit omne periculum ignis, aquæ, latronum. ❧ In epiſtola Leonis Papæ ſcriptum eſt quod Beatus Jacobus anno undecimo a paſſione Domini paſſus eſt tempore azymorum cum Joſaia diſcipulo ſuo, qui Joſaias fuiſſe dicitur dapifer Herodis. Cum autem diu ignota eſſet dies paſſionis Apoſtoli, cuidam (ut ait Papa Calixtus) fideli in ſomno viſus eſt in nocte annunciationis Beatæ Mariæ, quod dum Jacobus in aula Herodis dicitur judicandus, facta eſt altereatio magna inter gentes & Judæos pro Apoſtolo. Tandem ab Herode judicatur, ducitur extra urbem & decollatur, ſtatimque inclytus quidam qui quaſi prælatus erat, ſic de eo locutus eſt ad plebem. In aula Regia circa tertiam eſt judicatus, & circa nonam, ut Chriſtus paſſus eſt, patitur & diſcipulus. Hieronymus tamen in martyrologio quod ad ſanctos Epiſcopos Chromatium & Heliodorum ſcripſit, nono Calendas Auguſti paſſionem ejus celebrandam innotuit. Translatio ſancti Jacobi quæ eſt tertio Calendas Januarii facta eſt hoc modo. ❧ Peracta paſſione Beati Jacobi duo prædicti diſcipuli Athanaſius & Theodorus corpus ejus aſſumunt, ad littus devehunt, navim ſibi paratam inveniunt, quam aſcendentes alto pelago committunt, atque die ſeptima ad portum * Kyrie, qui eſt in Galetia perveniunt. Domina loci Luparia nomine nolens eos recipere, miſit eos ad Regem Indugio, qui Rex volens eos occidere, cum receſſiſſent ab eo, miſit poſt eos perſecutores. Hi cujusdam fluminis ſubeunt pontem, pons diſſolvitur & perſecutores demerguntur. Reverſis ad Lupariam prædictis duobus diſcipulis,miſit eos in montem ubi boves

boves habebat indomitos, qui euntes draconem inveriunt. Draco ſignum crucis ferre non valens, ventris medio crepuit, inde boves indomiti ſubmisſis colla ſanctorum manibus, cornua deponunt, qui jugatis bobus Reginæ palatium cum plauſtro intraverunt. Illa his tribus miraculis excitata, Chriſti nominis efficitur credula cum ſibi ſubjectis. ☞ Item in epiſtola Beati Leonis. Ab Illyria octo milliaribus habetur prædiolum liberum donum ubi idolum invenerunt, quo deſtructo ibi corpus Apoſtoli ſepulturæ tradiderunt. ☞ Item Calixtus peracta de tribus ſolemnitatibus Beati Jacobi: Beatus Jacobus octavo Calendas Aprilis patitur, quarto Calendas Auguſti ab Illyria ad Compoſtellam defertur, tertio Calendas Januarii ſepulturæ traditur. Materia enim & opus ſepulturæ ejus ab Auguſto menſe usque Januarium ad faciendum perduravit. Feſtum miraculorum Beati Jacobi quinto nonas Octobris celebratur, quando Beatus Apoſtolus hominem qui ſe occiderat ſuſcitavit, & alia miracula fecit. Beatus Anshelmus primus colere cœpit. Tertio vero Calendas Januarii quando ſepulturæ traditus eſt, inclytus Imperator Hildephonſus, ſive Alphonſus nomine, bona memoria dignus ita obſervabat celebritatem, quod propter honorem duodecim Apoſtolorum offerebat ſuper altare Beati Jacobi annuatim duodecim marchas argenti, & duodecim talenta auri, & novos milites faciebat, & convivium generale, ad quod convocabantur per præconem, & tubam. ☞ Item in argumento Calixti. Et his miraculis quædam in Gallecia, Gallia, Teutonica, Italia, Ungaria, Dacia, quædam etiam *ultra tria Maria* vel ſcripta reperi vel audivi.

Anno 1119. Ordo Præmonſtratenſis cæpit hoc tempore per virum mirabilem Norbertum natione Teutonicum, & fundata eſt Eccleſia ſub Epiſcopo Bartholomæo in dioceſi Laudunenſi in præſentia viri nobilis Thomæ de Coucy

& filii ejus Ingelranni. Habuit hic Ordo trecentas quinquaginta Abbatias. Et quia iſtorum hæredes Nobilium ſub quibus fundata eſt domus illa, adhuc valde nobiles ſunt, annotanda eſt breviter eorum antiquitas. ☙ Duo fuerunt fratres Ebalus Comes de Rocejo, & Letardus Dominus de Marla, quorum fuit ſoror Comitiſſa de Reireſt uxor Comitis Maniſſerii Juetta, mater Comitis Hugonis, qui fuit pater Regis Jeruſalem Balduini. ☙ De filia vero Comitis Ebali Ælide dictum eſt in anno 1063. quod ipſa peperit duos Comites, Ebalum & & Andræam & ſeptem eorum ſorores, de quibus ibi ſatis dictum eſt. Ebalus autem iſte ſecundus de Sybilla genuit Comitem Wiscardum de Rocheio, & Comitem Hugonem Cholet, & Thomam de Boſcho & duas earum ſorores, una Hugoni de Puiſato peperit alterum Hugonem, & exinde illa progenies de Barro ſuper ſequanam. ☙ Altera poſt mortem mariti ſui de Ribodimonte, Domino de Clarimonte in Baſſigneio peperit Wichardum &c. ☙ Comes Hugo Colez de ſorore, ut dicitur, *Imperatoris Conradi* genuit Wichardum noviſſimum, & Hugonem patrem Ebali de Boſco, cujus mater de Curia Landonis, & duas earum ſorores. Una Galthero de Montejai peperit Guidonem patrem Comitis Galtheri de ſancto Paulo, & Galtherum patrem Galtheri de Nantholio. ☙ Altera fuit mater Warmundi de Caſtillione. Wicardus noviſſimus de relicta Roberti de Monteacuto, quæ fuit filia Joannis Vicecomitis de Morvelli, genuit Joannem & Radulphum, & tres eorum ſorores. ☙ Unam Euſtaciam habuit Robertus de Petraponte, & per illam fuit Comes filius ejus Joannes. Filia vero Letardi Domini de Marla nomine Ada Albrico peperit ſupradictum Thomam de Cocy, qui de ſorore Comitis Hainiaci duas habuit filias, quarum Baſilia Alardo de Cimay peperit virum nominatiſſimum Gilonem & Hadvvidem quam habuit Cono de Villers & de Han, & poſt

Ber-

Bernardo de Urbais peperit Ingelrannum. ❧ Alteram habuit Guerardus de Bretulio. Idem quoque Thomas de Cocy de ſecunda uxore Domina de Bovis genuit Ingelrannum ſuperius nominatum, patrem Radulphi de Marla & Robertum Bovenſem, virum crudelem, & illam quæ data eſt Hugoni de Gornaio. ❧ Et de his omnibus ſufficiat ſic tetigiſſe in hoc loco. ❧ Dominus Calixtus Papa Romam proficiſcens ab omni Senatu & populari turba gloriosè excipitur, & in ſede Apoſtolica confirmatur. ❧ Sudarium Domini de quo ſupra tetigimus in hiſtoria Antiochena modo eſt in Abbatia de Cadunii Petragoricenſis diœceſis. Dominus Ademarus Podienſis moriens in Antiochia vasculum plumbeum cum ſudario commiſit cuidam Vicecapellano ſuo deferendum Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Podio cum litteris ſuis, in quibus literis præcipiebatur, ut idem Vicecapellanus eſſet Canonicus Podienſis, qui cum literas præſentaſſet & de ſudario prælibaſſet, ſpreverunt Canonici de Podio qui erant magni & nobiles Domini, tamquam iſta confinxiſſet, & ita Vicecapellanus iſte qui erat de Petragoricenſi diœceſi natus, ad Parochiam ſuam cum ſudario illo revertitur, & vaſculum plumbeum in quadam trabe in Eccleſia ſua non longè ab altari latenter & decenter collocavit. Contigit paulo poſt Eccleſiam illam comburi, & vaſculum plumbeum cum ſudario miraculo divino incolume evaſit. Deinde procedente tempore presbyter idem in Abbatia Caduinii quæ erat vicina ſe reddidit, & ſanctuarium illud ibidem dedit. ❧ Anshelmus. ❧ Major Eccleſia Epiſcopi Monaſterienſis in Weſtphalia, eo quod Epiſcopum repudiaſſet, ab ipſo Epiſcopo Theodorico & *Leudone* Duce Saxoniæ cum cum tota civitate exuritur. ❧ Stephanus fit Epiſcopus Metenſis per annos tres & quadraginta, natus ex ſorore Papæ Calixti.

Anno

Anno 1120. Episcopus Otto. Ea tempestate Stephanus Ungarorum Rex Colomanni filius, cum magna multitudine fines Regni Teuthonici clanculo invasit, & vastatis terminis manubias abduxit. Quem illustris vir Leopaldus Marchio adjuncto sibi Duce Boemorum subsecutus usque ad claustra terræ progreditur, captoque & succenso castro quod Ferreum dicitur, & cuncta in circuitu vastata terra ferro igneque, sine damno ad propria revertitur. Elinandus. Hoc anno dicitur pugnasse Rex Anglorum Henricus contra Ludovicum Regem Francorum inter Andeliacum & Nogejum, sed non dicitur cui victoria cesserit. Anshelmus. Dominus Fredericus Leodiensium Episcopus obiit, ad cujus sepulchrum multa signa visa sunt * a plerisque conjiciuntur. Mense Octobris Henricus Imperator Quintiliburg venit, & huc Optimates Regni, Legati etiam Apostolicæ sedis tractaturi de controversia quæ erat inter Imperatorem & Regnum, seu etiam contra Dominum Papam. Cum autem disceptatur de statu Regni & de investituris Ecclesiarum, & hæreditate Sicfridi *Comitis Palatini* & de aliis negotiis, partim favendo Regi, partim differendo causam usque ad præsentiam Apostolici, dissimulato fœdere incertiores redeunt quam venerant. Terræ motus in secunda hebdomada adventus Domini, Sabbatho hora tertia, alias clementior, alias inclementior accidit. Comes Hainonensium Balduinus moritur, cui succedit Balduinus filius ejus.

Anno 1121. Anshelmus. Optimates Regni convenientes cum Episcopis Henricum Imperatorem, Deo sibi propitio id egerunt saluberrimo consultu, ut inter ipsum & Apostolicum controversia de investituris Ecclesiarum tandem finiret. Legantur inde Romam ex parte Imperatoris Bruno Spirensis Episcopus, & Arnulphus Abbas Fuldensis. Interim Henricus Impe-

Digitized by Google

Imperator Paſcha Domini Aquisgrani celebrat, deinde Leodium rendit. Hic querela apud eum facta de inſolentia cujusdam Goſſuini: Caſtrum ejus quod Mons falconis dicitur, annitente ſibi Godefrido Duce obſidet, capit, incendit, & deſtruit. ☙ Eccleſia Hannonenſis cum omnibus appendentiis ſuis, ſeditione Advocati ſui cum tota villa crematur, ſalvo tamen Theſauro & Bibliotheca. ☙ Thuronis contentione orta inter Clericos & Laicos Eccleſia ſancti Martini penitus eſt combuſta. ☙ Obiit venerabilis Epiſcopus Catalaunenſis, ſuccedit Dominus Ebaldus vir nobilis filius Comitis Andrææ de Arceis, de quo habetur ſuperius in anno 1010.

Anno 1122. Dominus Apoſtolicus viſa & recepta legatione Imperatoris ſibi genere propinqui, pertæſus & ipſe valde diſſonantiæ nimium inter eos diutinæ, libenter aſſenſit, & tam conſultu totius Romani ſenatus, quam etiam omnium Epiſcoporum Italicorum, mittuntur ex latere Apoſtolici, Lambertus Epiſcopus, Saxo Cardinalis de Monte celio, & Gregorius alter Cardinalis ad ordinandam rem tanti negotii. ☙ Menſe Septembri in Nativitate ſanctæ Mariæ Henricus Imperator cum optimatibus & epiſcopis regni venit Vormatiæ, ubi occurrerunt ei Legati ſedis Apoſtolicæ. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Igitur Romano Imperio multis modis in ſe attrito, Imperator propter anathema a ſe deficere Regnum videns, Patrisque metuens exemplum, congregato juxta Vormaciam maximo Principum conventu, inveſtituram epiſcoporum Legato Apoſtolicæ ſedis *Lamperto, qui poſtmodum ſummus Pontifex factus Honorius eſt dictus*, reſignavit, per eumque ab anathematis vinculo abſolutus eſt; Privilegium ergo de hoc Eccleſiæ ſcribitur. ☙ Unde ſequitur Anselmus. ☙ Diu, ut fit in tantorum magnatum conſeſſu, eventilata ratione, tandem gratia antiqua Charitatis redintegratur inter Imperato-

rem & Apoſtolicum Dei ordinatione. Quorum conſenſus talis eſt. ❧ Ego Henricus Imperator Romanorum auguſtus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ dimitto Deo, & ſanctis Apoſtolis Dei, Petro & Paulo, ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo omnibus Eccleſiis quæ in Regno & Imperio meo ſunt, canonicam fieri conſecrationem: poſſeſſiones & regalia beati Petri quæ a principio hujus diſcordiæ usque ad præſentem, ſive tempore patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ reſtituo; quæ autem non habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Poſſeſſiones autem aliarum Eccleſiarum & Principum, & aliorum tam Clericorum quam Laicorum conſilio Principum & juſtitia, quæ habeo reddam, quæ non habeo, ut reddantur fideliter juvabo: & do veram pacem Domino Calixto, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in partibus ipſius ſunt vel fuerunt, & in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit fideliter juvabo. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Rurſum Imperatori, ut electi tam ciſalpini, quam transalpini non prius ordinentur Epiſcopi, quam regalia de manu ejus per ſceptrum ſuſcipiant, ſcripto confirmat. ❧ Unde ſequitur Anſelmus. ❧ Ego Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, tibi dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori auguſto, concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni qui ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri absque ſimonia & aliqua violentia, & ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Comprovincialium conſilio & judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas, electus autem regalia a te & ſceptrum accipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his tibi jure debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii conſecratus, infra ſex menſes

regalia

regalia per ſceptrum a te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris & auxilium poſtulaveris, ſecundum debitum officii mei auxilium tibi præſtabo. Do tibi veram pacem & omnibus qui in tua parte ſunt vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Hoc pro bono pacis ſibi ſoli & non ſucceſſoribus datum *dicunt Romani*; exhinc Eccleſia libertati ad plenum reſtituta, paceque ad integrum reformata, in magnum mortem creviſſe ſub Calixto Papa ſecundo invenitur. Unde de ipſo Romæ ſcriptum eſt. ☙ Ecce Calixtus honor patriæ, decus imperiale, Burdinum nequam damnat pacemque reformat. ☙ Guido. Per idem tempus inter Calixtum Papam, & Imperatorem Henricum quartum pax reformata eſt, & ſchisma ſopitum quod a tempore Gregorii ſeptimi, usque ad tempora Domini Papæ Urbani, Paſchalis quoque & Gelaſii, ſucceſſorum ejus, quaſi per triginta annos Eccleſiam fatigaverat inceſſanter. ☙ Sequitur ex geſtis ejusdem Calixti. ☙ Anno quarto Calixti Papæ *Patriarcha Indorum Joannes* Conſtantinopolim ad ſuſcipiendum pallium venit, unius anni ſpatio in itinere conſumpto, illius ſcilicet Indiæ Patriarcha quæ ultima finem facit. Papa Calixtus pro concordia Romani & Graij Regis Conſtantinopolim Legatos miſerat, quibus Patriarcha per interpretem *qui a Græcis Dragomannus dicitur*, collocutus, intellexit totius orbis Romam caput eſſe, & cum eo Romam venit, qui de patria ſua requiſitus in præſentia Papæ & Cardinalium dixit per interpretem. Civitas cui Domino dante præſidemus ultima * vocatur, quæ quidem totius Regni Indici caput eſt atque dominatrix, cujus magnitudo quatuor dierum itinere per circuitum lata extenditur. Mœniorum vero, intra quæ ſita eſt, talis extat groſſitudo, quod ſuper eam Romanorum curruum duo pariter juncti largiter irent. Altitudinis etiam tanta eſt proceritas, ut ad comparationem cellarum Ro-

* Ulna, habet magn. Chron. Belg.

manarum turrium diffuſa videatur. Per medium ejus Fiſon unus de paradiſi fluminibus limpidisſimus emanat, aquis aurum pretioſisſimum atque gemmas foras emittens. A fidelisſimis autem Chriſtianis univerſa interius pleniſſimè eſt habitata. Paulum vero extra urbis mœnia mons ſeparatus eſt, profundiſſimi lacus aquis undique ſeptus, in cujus ſummitate beatiſſimi *Apoſtoli Thomæ* mater Eccleſia conſtat. In circuitu lacus deforis duodecim Apoſtolorum Monaſteria condita ſunt. Prædictus vero mons nulli hominum infra annum acceſſibilis eſt. Patriarcha vero ſemel in anno ingreditur, quia octo diebus ante feſtum Apoſtoli, totidem poſt illud abundantiâ aquarum evaneſcit. In ciborio Eccleſiæ argentea concha argenteis dependet catenis, ubi ſacrũ Apoſtoli corpus illæſum conſervatur, ſtans ſuper eam etiam tamquam vivens cernitur *erectus*, ante cujus præſentiã aurea lampas accenſa balſamo plena ab anno in annum plena reperitur. Dividitur fidelibus illud balſamũ, & inde fiunt ſanitates plurimorum. Patriarcha cum Epiſcopis dependunt cum corpore concham, & ſacrum illud corpus in aurea ante altare collocant ſede. Per voluntatem Creatoris primam adhuc retinet formam, cum veſtibus ſuis illæſis. Poſt Miſſam Patriarcha componit hoſtias, & inclinatis genibus eas Apoſtolo offert, qui per diſpenſationem Creatoris extenſa manu dextera providè ſuſcipit eas, & omnis populus unus poſt alterum accedens, ſinguli ſingulas de manu ejus ſumunt hoſtias. Si quis infidelis vel erroneus, ſeu peccati macula infectus acceſſerit, videntibus cunctis manum retrahit & claudit, nec quandiu præſens fuerit aperit. Ille vero aut ſtatim reſipiſcit aut ſtatim moritur. His expletis ſacrum Apoſtoli corpus in dicta concha reponunt. Populus ad ſua regreditur; & aqua celerrimè in priſtinum ſtatum revertit. Hæc patriarcha in Lateranenſi Curia recitavit.

Anno 1123. Dominus Adelbero ex Clero ſancti Stephani Meten-

Digitized by Google

Metenſis electus, Leodienſium ordinatur Epiſcopus. ❧ Translatio ſancti Guiberti Gemblacenſis Patroni. ❧ Guido. ❧ In partibus transmarinis Gaſi quidam Turcorum Satrapa potentiſſimus partibus Antiochenis multis nocumentis gravisſimus oppreſſor incumbit, quem Rex Balduinus cum ſuis copiis in fugam convertit, ſuorum innumeris captis & interemptis. ❧ Poſt Boëmundum, Tancredum, & Rogerum, Balduinus Rex principatum Antiochiæ adminiſtravit. ❧ Anſelmus. ❧ Balduinus Hieroſolymorum Rex a Saracenis capitur, qua de re mente excedentes, undique verſum evocati ad ſexaginta millia glomerantur, ut Chriſtianos a ſuis finibus exterminent, & apud Aſcalon impedimenta ſua commodant, ſcilicet uxores, ſoboles, & victualia, Chriſtiani in arcto poſiti nihil ſpei niſi in Deum habentes, exemplo Ninivitarum utriquo ſexui jejunium indicunt: pueris, etiam infantibus lactantibus, univerſoq; pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur, procedunt Chriſtiani cum militibus & peditibus vix ad tria millia æſtimati. Principes gradiuntur in fronte, ſcilicet Patriarcha pro vexillo crucem ferens Chriſti. Abbas olim Cluniacenſis Pontius, præferens lanceam transfixam Lateri Chriſti. Epiſcopus Bethleemites ferens in pixide lac ſanctæ Mariæ perpetuæ Virginis. Saraceni vero quaqua verſum fuſi ex omni latere in orbẽ circumcingunt Chriſtianos, ne quis poſſit evadere. Dum ita in procinctu hærent Chriſtiani, vident Deo ſibi auſpice ſplendorem ſciſſo aëre ſuper paganos ſubito cecidiſſe, non proſperum ſed ſatis nocivum, quamvis hunc ipſi Saraceni non viderent. Illico enim omni virium robore enervati paſſim fugientes cæduntur, non ſolum a viris, ſed etiam a pueris & fœminis. Perierunt in bello ſeptem millia, ſubmerſi ſunt in aquis quinque millia; omnes vero Chriſtiani incolumes reverſi, ſummum & dulce epinicion reboant Deo in excelſis. ❧ Guido. ❧ Exercitum innumerabilem Ægypti

Califæ mirabili virtute proſternunt Hieroſolymitæ, dum Rex Abulaz Turcorum potentiſſimus per inſidias captus detinetur. ❧ Querimoniâ Virdunenſium ad Imperatorm delatâ contra Comitẽ Rainaldum, Imperator Henrico de Grandiprato Comitatum civitatis dedit, qui improviſus civitatem intravit, ac Epiſcopus ad Rainaldum Comitem fugit. Pugnatum eſt acriter ab utraque parte, ita quod pars illius de Grandiprato facta eſt ſuperior.

Anno 1124. Anselmus. Henricus Imperator Aquisgrani Natale Domini celebrat. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Poſt hoc Imperator in Celticam cum exercitu profecturus, Metas usque progreditur, ubi dum Vangiones a ſe defeciſſe, ac palatium ſuum extra muros poſitum comperit deſtruxiſſe, iter reflexit, urbem obſidione cinxit. Dum autem cives quadam die incautè erumperent, & cum Auguſto pugnare cogitarent, a muris callidè provocati, plurimis occiſis, ac paucis per fugam elapſis, cæteri capiuntur, qui ad refrænandam aliorum inſolentiam, alii naribus mutilati, alii luminibus orbati dimittuntur, & ſic demum infinitæ pactione pecuniæ in gratiam Imperatoris redierunt. ❧ Anselmus. ❧ Hyems ſolitò acerbior, & aggeſtu nivis ſuperius decidentis, nimis horrida & importuna. Multi enim pauperum, infantes & mulieres nimietate frigoris defecerunt; mortalitas quoque animalium maxima. Hyemi ſucceſſit intemperies aëris, nunc nive, nunc pluvia, nunc gelu alternatim ſatis deterrima usque in medio Martio. Poſtea diutino frigore & pluvia, aëris horrente inconſtantia, vix tandem arbores floruerunt menſe Majo, vix tandem terra herbarum & graminum reviguit virore. Imber vero ſingulis menſibus aſſiduè decidens ſata agrorum penè abſorbuit. Nam ſiligo & avena proventum ſuum ſatis ſunt ementitæ: multi quoque ſacro igne aduruntur. ❧ Anselmus. ❧ Tirus hæbrea

brea lingua Sor dicta urbs maxima Phœniciæ & antiqua in corde maris ſita, Sydoniorum Colonia, negotiatio maris, emporium totius orbis, vaticinio Prophetarum celebrata, & carminibus Poëtarum inclyta, olim quidem inſula, ſed a Nabuchodonozor vel Alexandro, propter expugnationem multis in brevi freto aggeribus comportatis terra continens facta, pridem a Nabuchodonozor expugnata & partim capta, & poſtea ab Alexandro penitus usque ad ſolum diruta & deſtructa, ſed juxta Prophetas poſt ſeptuaginta annos reædificata & in antiquum reſtituta, noſtris modo temporibus in fine mundi a Chriſtianis terra marique obſeſſa capitur & Chriſti imperio ſubjugatur. ⁂ Guido. ⁂ Hieroſolymitæ initis pactionibus cum Venetianis qui jam de Ægyptiorum claſſe triumphaverant, glorioſe Tyrum urbem maritimam obſeſſam capiunt, poſito adhuc ſub Turcorum cuſtodia Balduino Rege. Eſt autem Tyrus urbs antiquiſſima, marinis fluctibus antiquitus circumcluſa. Hæc a Salmanazar Aſſyriorum Rege prius, dum in ea regnaret quidam Heliſæus, obſeſſa; Rex Aſſyriorum vehementer afflixit cum duodecim ſuorum navibus, centum quadraginta naves ſubmerſit hoſtium aut diſperſit. Poſtea Nabuchodonozor Babylonis, obſidens eam annis tribus & menſibus tribus, cum regnaret in ea Jotabalus, cœpit eam continuare ſolo ſed non conſummavit. Magnus Alexander in ejus obſidione ſeptem menſibus perſeverans continentem reddidit & vaſtavit. In ea quoque olim legitur regnaſſe Agenor, cujus filii Cadmus & Fenix, quorum Cadmus Græcas Thebas & literas primus feciſſe ſcribitur, Fenix Thebas Ægyptias, & literas phœniceas à ſe dictas. ⁂ Unde Lucanus. ⁂ Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi manſuram rudibus vocem fignare figuris. Ab ea pretioſum purpuræ genus & colorem traxit & nomen, unde Tyria diceretur. Ex hac Dido proceſſiſſe

ceſſiſſe dicitur, & Carthaginem in Africa fundaſſe, unde Regnum dicitur punicum, tamquam a Phœnice Phœnicum. Super hanc Ezechiël Propheta jubente Domino planctum aſſumpſit, ita dicens: O Tyre tu dixiſti, perfecti decoris ego ſum. In hac regnavit Yram Salomonis amicus, & ex hac ſub eodem fuit Abdemonis cujusdam filius Abdinius adoleſcens, qui ea ſubtiliter evincebat quæ Salomon Yram prædicto gratia familiaritatis mutuæ, cum pœna ſolvendæ pecuniæ ſub ænigmate proponebat. Hic forſitan eſt ille qui vulgo Marculus * appellatur. Hujus etiam urbis Apolonius perhibetur fuiſſe Dominus, cujus geſta late vulgantur; ſecundum etiam Evangelium mulier Chananea de finibus illis eſt egreſſa. Hæc eadem civitas teſte Hieronymo corpus Origenis egregii ſacræ ſcripturæ Doctoris occultat, quod nunc fide usque cernitur oculata. Anselmus. ✒ Calixtus Papa, qui & Guido moritur. Succedit Lambertus qui & Honorius, Oſtienſis Epiſcopus. ✒ Obiit Archiepiſcopus Rhemenſis Radulphus, & apud ſanctum Dionyſium honorifice ſepultus. ✒ Godefridus fit Treverenſis Archiepiſcopus, mediante Frederico Tullenſi Comite. Comes Rainaldus & Comes Henricus de Grandiprato apud Caladiam cauſa pacis convenerunt, & Henricus Comitatum Virdunenſem illi reddidit. Epiſcopus vero Henricus dedit eidem Rainaldo Dunum caſtrum, & quatuor villas proximas. ✒ *In Dacia* poſt Regem Herricum regnavit Nicolaus frater ejus, Iſte Hericus jacet in Cypro, & ejus filius dictus eſt Tamichus, a quo deſcendunt Reges moderni. ✒ Huc usque pertingere videtur Hiſtoria Guillelmi Malbesberienſis.

Anno 1125. Rhemenſium ordinatur Rainaldus Archiepiſcopus per annos tredecim. ✒ Anselmus. ✒ Hiems aſpera ſex hebdomadibus continua & valde noxia. Fames valida

* f. Marculfus.

Digitized by Google

lida ubique, magna multitudine utriusque ſexus pereunte. ☙ In Hiſpania ignobilis muliercula monſtrum bis gemini corporis eſt enixa, averſis vultibus ſibi cohærens, ante quidem effigies hominis integro corporis membrorumque ordine diſtincta, retro verò facies canis, ſimiliter corporis & membrorum proprietate integra. ☙ In Bracbanto villa Nederiſea, alia mulier enixa eſt quatuor maſculos unico tantum partu. Secundum Elinandum hyems aſperrima, & fames valida, & in Hasbania monſtrum naſcitur ante homo, & retro canis. De duobus capitulis conſonat Abbas Anshelmus & addit. In Gemblacenſi parochia dum paterfamilias dominica die mixturam ſegetum præ penuria famis moleret in uſus familiæ, ſubito juſta Dei indignatione arſit farina cum ſectoris nigredine ad exemplum poſteris ne quis præſumat ſimile. ☙ Eccleſia ſancti Dionyſii ſita in Bocharenſi ſylva, ſeptimo Calendas Maij in feſto ſancti Marci primo crepuſculo noctis, cum omnibus appendentiis & tota villa penitus crematur, ſalvo tamen theſauro & armario. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Henricus Imperator, omnibus pene compoſitis, *conſilio generi ſui Regis Anglorum totum Regnum vectigale facere volens*, multum optimatum in ſe odium contraxit. Hujus rei gratia dum inferiores Regni partes circuire parat, in Trajecto Friſiæ urbe morbo corripitur. ☙ At Anſelmus ita. ☙ Leodii paſcha Domini celebrat Henricus Imperator, inde Aquis contendens, *morbo dragunculi qui ſibi erat nativus* moleſtari cœpit, propter quod & ibi aliquot dies remoratur; deinde Neomaciam venit; ſed cum poſt dies languor increſceret, tandem feria quinta in pentecoſte vitam cum regno amiſit. Corpus ejus ejectis inteſtinis ſale reſperſum Spiræ relatum eſt. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Anno Regni ſui decimo nono diem ultimum clauſit, ac per Coloniam Aggrippinam deportatus, in civitate Spira, juxta patrem, avum, proa-

vum Imperatores regio cultu ſepelitur. ☙ Anſelmus. ☙ Menſe Auguſto in feſto Beati Bartholomæi Apoſtoli excellentior dignitas optimatum Imperii, ſive eminentior gloria Eccleſiæ Evrardus & Romanus Legati Apoſtolicæ ſedis,& Archiepiſcopi cum Epiſcopis ex condicto convenientes Maguntiæ conſultant ſibi & toti Romano Imperio de ſubſtituendo Rege. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Quia Rex Henricus defunctus eſt absque hærede, Principes Maguntiæ conveniunt, ibique tractatu habito de ſucceſſore, quatuor Regni Optimates,ſcilicet Lotharius Dux Saxonum, Fredericus Dux Suevorum, Nepos ex ſorore; defuncti Henrici Leopaldus Marchio Orientalis, qui ſororem jam dicti Henrici, matrem videlicet dicti Frederici, habebat uxorem; & Carolus Comes Flandriæ ad Regnum deſignantur. Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo,voto omnium, reniten:s valde ac reclamans ad Regnum tractus, ſub præſentia ſedis apoſtolicæ legati, confirmatur. ☙ Anſelmus. ☙ Lotharius Dux Saxonum vir ſapiens ac induſtrius, & eccleſiaſtico juri devotus, præpotens divitiis & victoriis,omnium conſenſu eligitur. Hic menſe Septembri cum eisdem Legatis, & duobus Archiepiſcopis & octo Epiſcopis, & multis Abbatibus, & *cum eminentioribus aulæ regalis primatibus*, Aquisgrani veniens dominica die, Idibus Septembris, a Frederico Archipræſule Colonienſi in Regem benedicitur & ungitur, omni clero & populo teſtivum epinicium acclamantibus. ☙ Anſelmus. ☙ Rex Hieruſalem Balduinus data redemptione a Saracenis remittitur. ☙ Guido. ☙ Rex data pecunia ſolutus a vinculis Turcorum Satrapam Solſequium, multis eorum proſtratis millibus fugat, & Damaſcenum Principem Dodequinum. ☙ Hugo Comes Campaniæ factus eſt Templarius, & Theobaldus Nepos ejus Comes Carnotenſis fit etiam Comes Campanienſis; & abhinc diſſenſiones multæ cœperunt oriri, ſiquidem Comes Hugo

duxe-

duxerat in uxorem Elizabeth ſororem Comitis Rainaldi de Burgundia, & *Comitis Guillelmi de Ultraſagonam*, & illa peperit filium Odonem nomine de Chanlita, & dictum a Phyſicis Comiti Hugoni quod ipſe non habebat poſſibilitatem generandi, & idcirco conſequens erat eumdem Odonem non eſſe ſuum filium, ſed alterius, & fuit cauſa qua Comes Hugo dictum Odonem non conſtituit ſibi ſucceſſorem.

Anno 1126. In Ungaria regnat Ladislaus anno uno. Obiit Epiſcopus Ebalus Catalaunenſis, ſuccedit quidam Magiſter Albricus. Apud Tullum poſt Epiſcopũ Richuinum fuit Henricus Epiſcopus *frater Ducis Simonis de Nancejo & illius Theodorici qui poſtea fuit Comes Flandrenſis*. Dominus *Norbertus* Præmonſtratenſis ordinis inſtitutor, miſſus eſt ad partes Alemannorum a Comite Theobaldo Campaniæ ad accipiendam & deducendam ſibi uxorem, filiam cujusdam Ingelberti nobilis *Marchionis Foro julienſis*, & fratres ejusdem Ingelberti erant Epiſcopus Ratisbonenſis, & *Archiepiſcopus Colonienſis Fredericus*. Ex hac occaſione contigit ipſum Norbertum venire ad curiam Lotharii in Imperatorem electi qui venerat Spiram, & ibi cum veniſſent illi de Magdeburg ad poſtulandum ſibi Archiepiſcopum, annuente Metenſi primicerio Alberone, electus eſt in Archiepiſcopum de Maideburc Dominus Norbertus, & ſtatim a Lothario inveſtitus. Anſelmus. Hyems acerrima, ver periculoſum, hoc anno fuere. Rex Lotharius contra Bohemos vadens, quorundam ſuorum Principum traditione magnam ſtragem militum ſuorum paſſus eſt, quingentis ſcilicet & quadraginta occiſis, In Syria hoc anno exercitus Dei bis congreſſus eſt Saracenis In primo prœlio de paganis ceciderunt duo millia quingenti, de Chriſtianis ſolummodo quindecim. In ſecundo prælio non incruentam victoriam habuerunt Chriſtiani; ſed quamvis plurima pars eorum occubuerit, tamen auxilio Dei revigorati, absque numero ho-

ſtes corruerunt & vicerunt. ☙ Hoc anno omnis ſeges ægra, & vineæ cum fructu acerrimæ. ☙ Obiit in Hibernia Archiepiſcopus Celſus de Ardmaaca, & Metropolitanus totius Hiberniæ, qui ſibi ſemel *Maiachiam* conſtituit ſucceſſorem, volens abolere deteſtabilem, quæ inoleverat *per hæreditatem*, ſucceſſionem.

Anno 1127. In Ungaria regnat Stephanus anno uno. Anselmus. ☙ Rex Lotharius natale Domini &c. usque labuntur. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Lotharius per omnia progeniem Imperatoris Henrici anteceſſoris ſui humiliavit, & planè juſto Dei judicio, ut, ſicut in libro Regum habes, & peccatis & prævaricatione patrum ſemen ipſum affligi videretur, unde gravis diſſenſio Regni in multos annos protracta, plurimos in anima & corpore periclitari fecit. Prædictus enim Dux Fridericus & Conradus frater ejus juvenes *ſororii* Henrici Imperatoris, dum ſe viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Obquam cauſam a ſummo Pontifice Honorio, qui Calixto ſucceſſerat, excommunicantur. ☙ Anselmus. ☙ Anathema in medio terræ, facinus audax, & indignum omnibus ſeculis judicandum. Ecce enim ſolutus Sathanas terras perambulat. Flandria & Burgundia longo terrarum ſitu disjectæ conjurant in Apoſtaſia proditoris Judæ. Quidam Flandrenſium proceres Dominum ſuum Carolum Comitem Morinorum Brugis in templo ſancti Donatiani pſalmos canentem jugulant. Ex vita ipſius Caroli. Iſte Carolus erga egenos clementiſſimus, apud Ypram una die ſeptem millia & octingentos panes pauperibus erogavit; Clericorum & Monachorum cauſas ante omnes alias in Curia ſua expediebat. ☙ Præpoſitus quidam non Laicus, ſed Clericus erat Bergenſis nomine Bertulfus Archicapellanus & Cancellarius totius Curiæ Flandrenſis, vir ditiſſimus & parentum multitudine ſtipatus,

patus, cujus conſanguineam quidam Nobilis habuit, & huic in curia Comitis alius Nobilis reſpondere ut libero refutavit, eo quod haberet conſanguineam Præpoſiti. Hæc redolere videbantur calumniam. Unde non ſolum contra prædictum militem, ſed etiam contra Carolum tota Præpoſiti parentela exarſit in iram. Quidam quoque Buchardus nepos ex fratre dicti Præpoſiti contra virum nobilem Tagmarum Caſtellanum de Brugis inimicitias graves exercebat, a Domino Buchardo & ſuis treugæ infractæ, & rapinæ factæ ſunt in abſentia Comitis. Reverſo Comite per juſtam ſententiam munitio Buchardi deſtructa eſt, Nepotis Præpoſiti. Facta ergo conjuratione a parentela illa Comes Carolus in Eccleſia ſancti Donatiani hora tertia cum ſeptem Pſalmos pœnitentiales decantaret, & ad miſerere mei Deus veniſſet, a Buchardo & ſociis ejus occiſus eſt. Ideo occiſus eſt, quia a rectitudine non declinavit. Tagmarus quoque Brugenſis Caſtellanus ibi occiditur, & filii ejus. Arnulphus Abbas Blandinenſis in Monaſterio ſuo corpus Comitis voluit ſepelire, ſed Brugenſes tam clerici quam laici cives non permiſerunt. Puer contractus eodem tempore ibi ſanatus eſt. Quarta feria occiſus, ſexta feria epultus eſt in eodem loco quo occiſus eſt. In altera vero Eccleſia obſequium celebratum eſt. ☙ Anselmus. ❧ Unus atque idem Sathanas uno & eodem die ſimile nefas præſumit in Burgundia. Damnatitii quidam dum diffidunt ſuæ ſaluti, ut pote rei Majeſtatis, Dominum ſuum Guiellelmum Comitem Sedunenſium gladiis confodiunt in quadam Eccleſia ante altare orantem. Actum ſecunda hebdomada quadrageſimæ, feria tertia, Calendis Martii. Homicidæ hac illac diffugientes diverſis injuriis, ut digno ſatis fine perierunt. ☙ Ex vita Caroli. Primus in Flandria cepit vindictam Gervaſius cum triginta Equitibus vicinus Brugis. Deinde Arnulphus Advocatus

phanum Boloniæ & Moretonii Comitem ad multorum animos promiſſis & muneribus ſollicitandos. Ducem Lovanii ſocerum ſuum Balduinum Montenſem, & Thomam de Cocy, & Guillelmum de Ypra in parte ſua habuit. Comes tamen Guillelmus Normannus per præſentiam Regis prævaluit. ☙ Unde Anſelmus. ☙ Comitatus Morinorum a Ludovico Rege Francorum datur Guillelmo filio Roberti Comitis Normanniæ, fratris Henrici Regis Anglorum. Hunc Robertum olim ab Hieroſolymis redeuntem, eoquod præſtitam pecuniam redhibere nequibat, idem frater ſuus Rex Anglorum Normannia expulerat, & eam ſibi ſubjugaverat, fratemque in Anglia in cuſtodia libera redegerat, ſed per Balduinum Flandriæ Comitem Caroli anteceſſorem, Guillelmus iſte Roberti filius Normanniam contra Regem Angliæ recuperavit, & idcirco Rex Angliæ dolebat de illius promotione. De reliquis qui ſe abſconderant proditoribus in munitione Brugis * quod nullum ſaporem ſentiebat in alimentis. ☙ Poſt tres & quinquaginta dies effoſſo tumulo inventum eſt corpus Comitis incorruptum & ſine fœtore, quaſi ea die fuiſſet occiſus. Per Simonem Tornacenſem Epiſcopum Eccleſia reconciliata, corpus reportatur ad tumulum. ☙ Rege Ypram tendente, ſupradictus Guillelmus ſtultè ſe illi oppoſuit, Guillelmus capitur, Ypra incenditur, Flandria ſubjugatur, & vindicta exercetur. Hæc omnia per duos menſes poſt mortem Comitis ſunt facta. Frater autem Caroli Guillelmus poſt Fratrem defunctum *Dux Apuliæ*, audita morte Caroli fratris ſui cœpit lethaliter languere, & quidquid habebat ſancto Petro & Papæ Honorio delegavit in præſentia Archiepiſcopi Salernitani, & Trojani Epiſcopi, & ita obiit. ☙ Rex Lotharius apud Bavemburc pentecoſtem celebrat. Ibi Dux Boemiæ cum multis millibus equitum adveniens Domino Regi de ſuperiori traditione ſatisfecit, & omnes

mnes quorum parentes vel amicos occiderat, multa insignium donorum exhibitione reconciliaverat sibi. ☙ Monasterium sancti Huberti in Ardenna nonis Junii primo conticinio noctis, cum omnibus appendentiis combustum est, salvo tamen thesauro & armario. ☙ In pago Lovaniensi in villa Gerpinas paupercula mulier in festiva nocte sancti Michaelis ordeum moluit, unde illico panem faciens azymum coxit, quem dum frangeret ad edendum, sanguinem & aquam elicuit. ☙ Apud Catalaunum Herbertus fit Episcopus. ☙ Comes Rainaldus Barri fit vitricus Comitis Frederici Tullensis, & fratrum suorum Theodorici & Widrici.

Anno 1128. In Hungaria regnat Stephanus annis octo. Dominus Albertus Leodiensis Episcopus &c usque redit. ☙ Dominica die quarto Calendas Februarii auditum est tonitruum circa horam nonam. ☙ Cum intrante Martio serenus aër arrideret, ipso mense mediante subito totus in nube cogitur & frigore riget, aquæ gelant, rura torpent, & nunc nive nunc gelu, nunc pluviis elementa solvuntur, subsequitur magna mortalitas omnium agnorum, boum, vaccarum. Tandem miserante Deo cuncta ad gratiam redeunt in Litania majori. Pridie Idus Maij feria secunda Coloniæ grandis tempestas exorta est, fulmen quoque ingressum majorem Ecclesiam sancti Petri, dextrum brachium Crucifixi discidit. ☙ Guillelmus Comes Flandriæ cum Godefrido Duce Lotharingiæ castellum Alost obsidione premit, ibique leviſſimo vulnere, sed incisura in manu accepta, malè (ut putatur) a medico potionatus, repente moritur, sed unde, nescitur; Theodoricus ei succedit. ☙ Mediante mense Septembrio gelu valde nocuum factum, in quo legumina & vineæ perierunt, & quidquid exprimi potuit, in acredinem versum est. ☙ In Flandria multi fluvii sanguinei facti sunt, & fossata similiter. ☙ Rex Lotharius longa obsidione urbem Spiram premit, sed tandem inefficax redit.

Episco-

Epiſcopus Otto. ☙ Conradus namque a Fratre *Theodorico ac quibusdam aliis Rex creatus, Pyreneum per jugum ſeptimi montis, qua Rhenus & Enus fluvii oriuntur, tranſcendit, ubi a Mediolanenſibus qui tunc Cumanum bellum per decem annos profligatione populi utriusque civitatis miſerrimè protractum, capta ac deleta urbe, proſpere conſummarant, honorifice ſuſcipitur ac ab eorum Archiepiſcopo Anselmo, *Modoniæ ſede Italici Regni* in Regem ungitur. Pro his aliisque præfatis Archiepiſcopus a ſummo Pontifice deponitur, & alter in locum ejus ſubrogatur. ☙ Poſt Gaufridum & Rotomagenſem Archiepiſcopum fit Archiepiſcopus Hugo Cluniacenſis Monachus. Iſte *Hugo ſcripſit librum elegantem de diverſis quæſtionibus* ad Matthæum Albanienſem qui ſimiliter de Cluniaco fuerat. ☙ Henricus Virdunenſis Epiſcopus accuſabatur a ſuis de incontinentia, de ſimoniâ, de rerum Eccleſiæ dilapidatione, qui Romam profectus remiſſus eſt ad Matthæum Albanenſem qui erat in Francia Legatus. ☙ Magiſter Hugo Farſitus. ☙ Anno Domini 1128. in pago Sueſſionenſi poteſtati adverſæ conceſſum eſt percutere multos plaga inviſibili diverſæ ætatis & ſexus, ita ut ſemel ſuccenſa eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent. Eſt autem morbus hic tabificus, ſed extenſa liventi cute, carnem ab oſſibus ſeparans & abſumens, & mora temporis ** argumenta doloris & ardoriscapiens per ſingula momenta cogit miſeros mori, ſed deſiderantibus mortem non venit, donec depaſtis artubus ignis ille celer & peſtifer invaſit membra mortalia, & (quod valde mirum eſt) ignis hic ſine calore validus ad conſumendum tanto frigore velut glaciali perfundit miſerabiles, ut nullis remediis poſſint calefieri. Item, quod non minus eſt, ex quo divina gratia reſtinctus fuit, fugato mortali frigore tantus calor in eisdem partibus ægros pervadit, ut morbus cancri eidèm calori perſæpe ſe ſociet niſi medicamentis occurra-

*l. Friderico. **augmenta

curratur. His diebus apud Sueſſionem menſe Septembrio in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis fuerunt(*) Ad preces autem populi de aliis Eccleſiis & de majori Eccleſia in eandem Eccleſiam concurrentis adfuit Beatæ Dei genitrix trahens ſecum fortia agmina ſpirituum, ad cujus præſentiam formidaret in ferus & paverent portæ mortis, cujus adventus præcurſor tam magnus tremor Eccleſiam replevit, ut terræ motum eſſe factum, aut Eccleſiam a fundamentis concuſſam arbitrantes fugerent omnes. Sed ubi nihil periculi adeſſe ſenſerunt, reverſi omnem ardorem languentium extinctum, & omnem dolorem conſopitum celerrima ſanitate collata inveniunt. Ajunt a quibusdam ex languentibus pridie hujus beneficii cœlitus dati, viſas eſſe cœlitus claritates per feneſtras Eccleſiæ vitreas collapſas, quaſi quædam præconia beneficii & largitionis ſubſequentis. ☙ Infra quindecim dies nominatim annotati ſunt centum & tres ab hoc reſtincti. Sed & plures aſſeverant ſtellas miræ magnitudinis tenebroſam noctis caliginem intra Eccleſiam perſequendo fugaſſe.

Anno 1129. Cum intrante Januario menſe gelu liquaretur, tanta inundatio nivis & pluviæ fluvios & vivaria inflavit, ut ſata proxima diluerent, & excavarent, domos quoque vicinas ſubverterent, quæque in eis inventa perderent. ☙ Feria tertia paſchæ bovem cujusdam ruſtici arantem cereus ſudor delibuit in parochia Gemelacenſi. ☙ Prælium apud Duratium *inter Alexandrum Leodienſem Epiſcopum, & Godefridum Lovanienſem Comitem* in quo tanta ſtrages fuit, ut peditum utrinque octingenti & viginti quatuor inſimul perirent, exceptis qui fugientes in ſegetibus vel in ſylvis vulnerati perierunt, & his qui in aquis præfocati ſunt, & his qui ad ſua regreſſi incertis horis & diebus mortui ſunt. Horum ſumma non potuit colligi. Actum ſeptimo Idus Auguſti feria quarta. Anſelmus. ☙ Hoc anno *plaga ignis divini* Carnotum, Pariſiu

riſius, Sueſſionem, Cameracum, Attrebatum, & alia multa loca mirabiliter pervadit, ſed mirabilius per ſanctam Dei genitricem extinguitur. Juvenes etiam ſenes cum junioribus, virgines etiam teneræ in pedibus, in manibus, in mamillis, & (quod gravius eſt) in genis exuruntur & celeriter extingvuntur. ❧ Apud Pariſius Eccleſiola eſt in honore ſancti Martini in qua quidam hac infirmitate detentus ſe asportari fecit, ubi dum pernoctans urgentibus anguſtiis vociferaretur, primo noctis conticinio adeſt ſanctus Martinus, qua de causa domum ſuam intraſſet ſciscitans. Ille infirmitatis ſuæ anguſtias demonſtrans orat ſibi miſereri, cui ſanctus Martinus, Scito, inquit, in Curia ſupremi Judicis terribilem & horribilem datam ſententiam, hanc combuſtionis plagam per Gallias deſævire, & matrem miſericordiæ precibus obtinuiſſe omnes hac clade laborantes & ſe invocantes miſereri. Ideo Pariſius in templo ipſius ſanctæ Virginis fac te deportari, & ibi habeas ſanari. Cui ille, omnium ore beatus & miraculorum patrator, hac de cauſa domum tuam ſanitatem per te recuperaturus intravi. Et ſanctus Martinus. Sine permiſſione Virginis Matris quæ peperit Dominum noſtrum, qui ignis conſumens eſt, non poteris extingui. Diſcedit ſanctus Martinus; iterum rediens, juſſit illum redire ad matrem miſericordiæ. Et ille. Aut per te ſalvabor, aut hic moriar. Et ſanctus Martinus. Sanet te Jeſus Chriſtus precibus ſuæ Matris. Et hoc tibi ſignum. Tu primus, poſt te ſex in hoc domo ſanabuntur. Cæterum quicumque advenerint fruſtra laborabunt. Sanctus Martinus diſcedit. Ille ſanatus prædicat ſanitatem ſuam. Multi confluunt, ex magna copia non ſanantur niſi ſex ſicut prædixerat sanctus Martinus. Pariſius confugiunt ad Eccleſiam Virginis Matris, centum & trés uno die sanantur, Duo, ſeu jubente, seu non permittente Deo non curantur, sed extinguuntur. ❧ Apud Lovanium in die aſcenſionis Do-

mini tres ante aram perpetuæ Virginis extinguuntur. ❧ Transeamus ad Sueſſionem civitatem. Ibi ſpecialius præ omnibus locis per miracula innoteſcit gentibus Dei genitrix. Ibi multi cœci, multi claudi, paralytici curati ſunt, mortuus reſuſcitatus. *Vidimus* horrendum quiddam. Ignis divinus naſum mulieris pauperculæ exuſſerat, fœtor horrore ſentientes & videntes repleverat. Expulſa de domo Virginis matris rediit ad propriam domum. Pro expulſione, pro infirmitate ſua dolet, gemit & orat dicens. Heu mihi, mater miſericordiæ omnes excipit, nullum repellit præter me ſolam. Deus qui factus es filius fœminæ propter miſericordiam, ſana me per fœminam matrem tuam propter tuam miſericordiam. Oravit, exaudita eſt. Nocte quæ incraſtineſcit in ſabbathum, recipit ſanitatem, reſtituta eſt ei caro ſua, naſus, labia, mentum, omnia propria ſua recepit ex integro. Videres nobile miraculum. Caro illa ſimilis facta eſt carni reliquæ, & quod mirabilius eſt, in conjunctione carnis veteris & novæ quaſi ſignum tenuiſſimi fili pro teſtimonio apparuit. ❧ Adoleſcens quidam, quem Abbatiſſa ejusdem Eccleſiæ ubi iſta gerebantur ab infantia pro amore Dei nutrierat ſurdus & mutus, dum in Eccleſia meridianis horis quieſceret, viſum eſt ei quod ſenior quidam niveis indutus veſtibus aures & labia ejus manu ſua pertractaret dicens. Dic inquit. Deus & ſancta Maria miſeremini mei. Dixit hoc. Sanatus gratias egit Deo, & omnis plebs magnificat Deum. ❧ Mulier de Rhemis civitate veniens cum filio ad domum ſanctæ Virginis, dum quærit animæ ſalutem amittit filium, ſed gratia Dei conſolatur. Filius enim dum in area luderet repente in puteum vetuſtate deſtructum decidit & mortuus eſt. Adveſperascente die quærit mater filium, ſed dum non invenit contriſtatur & clamat. Accurrunt vicini, turbatur civitas. Dicit quidam quia vidiſſet eum ſuper os

putei

putei cum pueris jocari. Introſpiciunt, vident eum mortuum jacentem. Extractus matri redditur. Illa nihil cunctata ad Eccleſiam veniens coram altari Beatæ Virginis & matris eum exponit. Quærit a matre miſericordiæ, ut reddat ei filium. Illico exaudita eſt a matre miſericordiæ. Surgit puer, vivit infans qui defunctus fuerat. In teſtimonium camiſia pueri ſuſpenditur coram altari. Fama volat per aures omnium. Cor & lingua contremit omnium per Gallias. ❧ In Veromando villa eſt Fintamas dicta ubi in templo virginis & matris crebro fiebant miracula. Dum ſcirent quidam mercatores & peregrini veritatem loci, fide & devotione firmi, & illo tenderent, obviavit illis matrona, quaſi mater honorificata ſic eos alloquens. Notifico vobis quia virgo & mater Domini Maria locum ampliori dilectione ſibi fecit dignum Sueſſionis, moneo vos ut illuc veniatis. Illi dum non magnopere curant verba quæ audierant, ecce iterum matrona quod primò dixerat, ſecundo iteravit & abiit. Tanto attoniti miraculo Sueſſionis tendunt, & venientes baſilicæ valvas obſeratas reſpiciunt. Orant, exaudiuntur, oſtia baſilicæ Virginis Matris eis aperiuntur. Ergo quique rei dum divino igne exuruntur, ad illud nobile templum virginis matris confugiunt, & dum eſſet idem templum languentibus plenum, audite quam gloriosè in momento curantur. ❧ Locus ille nobiliſſimus & antiquiſſimus ſubthalare ſanctæ Virginis & Matris apud ſe continet. Quadam autem nocte dum omnes flerent, & mugitum cordis ex nimia anguſtia cum ſtridore dentium emitterent, conſpiciunt lumen ſplendidum, & cum ipſo matrem miſericordiæ ſuper altare deſcendere. Accedit mater & Virgo, accedit ad unum de ægrotis, ſciſcitatur an velit ſanari. Intelligit cupitum ejus deſiderium ſanandi. Tangit eum, ſanatur. Imperat ut hoc omnibus a ſe viſum patefaciant, tangun-

tur, ſanantur. Tota civitas lætatur. Foramen per quod ingreſſum lumen de lumine quaſi pro ſigno remanet, & ab omnibus veneratur. ❧ Carnotum ubi camiſia habetur ejusdem Virginis innumera multitudo ſanata eſt. Quid etiam de Cameraco dixerim? ❧ Cameracus antiquiſſima & nobiliſſima civitas eſt, ubi templum habetur in honore ipſius Virginis Matris, dotatum de capillis & de beato lacte ejus. Ibi multi infirmi ſanati ſunt, quorum quidem numerum nemo novit, niſi ſolus Deus. ❧ Attrebati templo Virginis Matris dicto tot & tanti ſanati ſunt, ut omnis homo ad enarrandum elinguis fiat. ❧ Hæc præcipue loca conſcripſimus, ſi per alia loca in memoriam ejus dicata vellem evagari, vel *indicibili potentia cunctos inibi confugientes mirabilis Dei ſanavit potentia, nec ſenſus, nec ratio ad hoc ſufficere poſſet. ❧ Anshelmus. ❧ Rhemis hoc anno in Paſcha Ludovicus Rex Francorum elevavit in Regem filium suum poſt se, in præsentia omnium Epiſcoporum & optimatum Regni sui. Peſtilentia maxima boum, vaccarum, & pecorum. ❧ Decimo ſexto Calendas Novembris facta ſunt fulgura & tonitrua primo conticinio noctis, prima luna, quinta feria. ❧ Balduinus Rex Jerusalem moritur. ❧ Domus ſancti Victoris Pariſienſis quæ erat prioria nigrorum Monachorum de Maſſilia, ejectis prædictis Monachis *adductus eſt Conventus regularium de ſancto Rufo de Valentia per Magiſtrum Hugonem qui dictus eſt de ſancto Victore*, & de Regis authoritate, & ita multiplicata religione, habet ordo iſte bene triginta Abbatias, & plusquam octoginta priorias. ❧ Matthæus Albanenſis Legatus ex ordine Cluniacenſi concilium tenuit apud Catalaunum in purificatione Beatæ Mariæ Virginis, ubi de conſilio Beati Bernardi Abbatis Henricus Virdunenſis Epiſcopus Epiſcopatum dimiſit, & factus eſt Epiſcopus Virdunenſis

nenſis per biennium quidam Abbas Beati Remigii Rhemenſis. ❧ Comes Barri Rainaldus infra hocbiennium fecit ſibi turrim in civitate Virdunenſi, in qua plurima civitati fecit mala. ❧ Eodem tempore Sibodoni Comiti diabolus in ſpecie armigeri multo tempore ſervivit, caſtrumque ei ædificavit. Cumque die quadam Comes propter ſuam neceſſitatem ſtaret ad eam oram neceſſariam, videretque lunam ſtantem in ſuperiori parte circuli ſui, dixit prædicto ſervienti, quid tibi videtur de luna? Qui reſpondit. In ejus creatione præſens fui. Inſuper & de ætate lunæ, & prima ſua creatione & mundi origine ei manifeſtavit. Tandem licentiatus a Comite cum ſua confuſione per foramen cameræ coactus eſt diſcedere.

Anno 1130. Cum beatus Bernardus quadam die veniſſet apud Divionem hoſpitatus fuit de nocte in Abbatia ſancti Benigni quam ſemper dilexit eoquod mater ejus ibi ſepulta eſt, audivit circa horologium ante altare ab Angelis *ſalve Regina* &c. dulci modulamine decantari. Primo credidit fuiſſe Conventum, & dixit Abbati die ſequenti. Optime decantaſtis antiphonam de Podio hac nocte circa altare Beatæ Virginis. *Dicebatur autem antiphona de Podio eoquod Ademarus Podienſis Epiſcopus eam fecerit*, & inventum eſt quod illa hora quando antiphona audita eſt Conventus adhuc dormiebat; & ex tunc cum frequenter ad memoriam antiphonam illam reduceret, audivit eam etiam, ut vulgatum eſt, circa altare Beatæ Virginis in Claravalle decantari. Unde in quodam capitulo generali Ciſtercienſi veniam ſuam accepit, quatenus hæc antiphona ab omni ordine reciperetur, quod & factum. ❧ Lotharius Rex urbem Spiram alternis annis obſeſſam tandem capit tertio nonas Januarii, feria ſexta, immunitate prius conceſſa. ❧ Lambertus qui & Honorius Papa moritur. Sedit annis quinque, menſibus duobus. ❧ Huc usque *Magiſter Hugo*

Hugo de ſancto Victore Chronicam ſuam de Romanis Pontificibus & Imperatoribus digeſſit. Unde manifeſtum eſt illum hoc tempore floruiſſe: hic multa ſcripſit laude digna quæ in armariis habentur, in quibus hæc ſunt. Hugo de Sacramentis. Hugo ſuper Hierarchiam Dionyſii. Didascalicon Hugonis. Hugo de tribus virtutibus, fide ſpe & charitate. Exponit etiam luculento ſermone regulam Beati Patris noſtri Auguſtini, & multa alia ſcripſiſſe dicitur. Sed & quandam epiſtolam prolixam ſcribit ad Beatum Bernardum. *Dicunt eum natum fuiſſe de Saxonia.* Hugo vero qui ſcripſit de avium natura moraliter & allegoricè, & de clauſtro animæ, & de medicina animæ fuit de ordine Præmonſtratenſi, ut dicitur, Canonicus. Tertius qui ſcripſit minorem Eccleſiaſticam hiſtoriam ad Comitiſſam Campaniæ Adalam matrem Comitis Theobaldi, fuit niger Monachus Floriacenſis id eſt de ſancto Benedicto ſuper Ligerim in dioceſi Aurelianenſi. ☙ Anselmus. ❧ Romanæ Eccleſiæ pax interpolatur altercantibus duobus ſeditioſis de ſede Apoſtolica quodam Gregorio, & altero Petro Leonis de gente Romano, Monacho Cluniacenſi. Gregorius privilegium electionis ab Honorio Papa adhuc vivente, conſenſu quorumdam Cardinalium ſibi uſurpat. Petrus altitudine ſanguinis glorians domum Creſcentii invadit, cædibus hominum, rapinis, incendiis graſſatur. Hoc qualiter factum ſit in vita Beati Bernardi plenius continetur. ☙ Sequitur Anshelmus. ❧ Gregorius veritus potentiam Petri profugus a ſancto Paulo in Spoleto emenſo mari, tandem apud ſanctum Ægidium appulit, poſtea venit in Burgundiam, & a Cluniaco excipitur & favore omnium Francorum celebratur. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Honorio Papa mortuo cum ſchisma graviſſimum in Eccleſia Dei eſſet ortum Innocentio canonicè electo, ſed Petro Petri Leonis filio violentia amicorum ſuorum

qui

qui fortiſſimi in urbe erant, favente ſibi Rogerio Siculo, intruſo, Innocentius reſiſtere non valens urbe cedit, & per mare Tirrhenum Galliam ingreditur, ubi in Regno Gallici Regis, in civitate *Carnoto Concilium celebrans, nuntios Lotharii Regis, Conrardum Juvavienſem Epiſcopum, Ekebertum Monaſterienſem Epiſcopum, obvios habuit. ⁂ Unde ſequitur Anselmus. ⁂ Lotharius Rex Alamanniæ ab Epiſcopis ſuis perſuaſus, legationem a Francis de Gregorio miſſam benigne honoravit, & in ejus electionem manum dedit. ⁂ Eccleſia ſancti Petri in Lovanio crematur cum toto oppido. Eccleſia ſancti Furſei Peronæ penitus comburitur. ⁂ Fulco Comes Andegavenſis fit Rex Jeruſalem, ducta in uxore Meliſſende filia Regis Balduini nuper defuncti. Filius illius Fulconis dictus eſt Gaufridus poſt illum Comes Andegavenſis, qui duxit in uxorem relictam Imperatoris Henrici Mathildem Imperatricem filiam Regis Anglorum Henrici. ⁂ Rex Daciæ Nicolaus cum filio ſuo Magno filium fratris ſui *Henrici cognomento ſemper boni* in Cypro defuncti, Kanutum videlicet, cujus tutor ad regnandum eſſe debuerat, interfecit. Quod audiens Rex Lotharius qui Kanutum exaltaverat contra Daciam tendit, ſed Nicolaus cum filio ſuo Magno ipſum pecunia placaverunt, & pacem cum eo fecerunt. Quod ut vidit frater Kanuti Henricus nomine, licet ex alia matre natus ad vindictam fratris animum incendit, & congregatis omnibus qui in parte ejus eſſe voluerunt, fugit ad Archiepiſcopum Accerum, & obtinuit Scaniam inſulam, & civitatem nomine Lundam. Et Rex Nicolaus & filius ejus Magnus congregatis Principibus ſuis & Epiſcopis & copioſa multitudine eum inſequitur. Unde ſequitur Anselmus. ⁂ Apud Scantiam Inſulam Daciæ quinque Epiſcopi cum Regis ſui filio Magno nomine ac multis populis ſecunda feria Pentecoſtes publica congreſſione pererunt prælii. Sive dicatur *Scanthia*, ſive Scaunia, ſive Scandinavia,

*Otto Friſing. Claromonte.

dinavia, ipſa eſt una eademque Inſula in qua continetur civitas Lunda quæ eſt Daciæ metropolis. De hac autem congreſſione & morte Magni filii Regis Nicolai, & quinque Epiſcoporum & reliquæ multitudinis dicitur *a quodam Abbate ordinis Ciſtercienſis de Suecia*, quod ipſa die qua mutuò ſe interfecerunt, viſæ ſunt a paſtoribus in *Hyſſelandia* animæ eorum avolantes in ſimilitudine nigrorum corvorum & aliarum avium diverſi generis, & clamantes, væ, væ, nobis, quid eſt quod fecimus? væ, væ, nobis, quid eſt quod nobis contigit? & aliæ immaniſſimæ aves quaſi gryphes ipſas appellabant, & iſtis paſtoribus videntibus omnes in infernum Hyſſelandiæ ceciderunt, & unus ex illis qui vidit fuit poſtea Monachus Ciſtercienſis ordinis, qui omnia quæ vidit per ordinem ſæpiſſimè referebat. Sed & Abbates de Dacia in generali capitulo apud Ciſtercium per omnia vera eſſe proteſtati ſunt. Rex vero Nicolaus fugiendo apud civitatem Sleswic occiditur. De eodem quoque *inferno Hyſſelandiæ ſito in monte qui vocatur Eclafeld** plena continetur narratio Domini *Herberti* in libro miraculorum Clarevallis. In parte, inquit, Aquilonari inſula grandis eſſe cognoſcitur Hyſſelandia vocata Chriſtianæ fidei ſubdita, atque devota. Eſt autem in ea mons quidam arduus & enormis magnamque occupans partem ipſius regionis, ſub quo & in quo homines loci maximum arbitrantur eſſe infernum. Iſte ergo mons undique cavernoſus vel potius concavus totus ardens atque flammivomus igne perpetuo ſemper exæſtuat, qui eum foris atque intus usque ad fundamenta, imo verò ultra fundamenta penetrat atque devaſtat; ſiquidem ille ignis terribilis non modo ſub fundamento montis, verum etiam ſub fundo maris vivere ac ſævire cæteris ** indiciis comprobatur. Et quidem illa famoſiſſima olla Vulcani de Sicilia quæ gehennæ ſpiraculum dicitur & ad quam morientium

* Id eſt Hecla, nam feld ſignificat illic montem. ** f. certis.

entium animæ damnatorum ad comburendum, ut ſæpe probatum eſt, quotidie pertrahuntur, reſpectu iñenſi barathri hujus, ut aſſerunt, quaſi fornula reputatur. Tanta vero eſt in illa horrenda montis voragine interiori conflagratio ignium, ut exurgentes undique flammarum multiplices atque immenſæ pyramides ad nubes usque pertingant, ipſisq; recedentibus aliæ atq; aliæ inſurgant, prout ignis ſævientis incendii, alias evomendo alias reſorbendo vehementius exagitatus eſt, adeo ut illa pars cœli ſemper ardere videatur. Præterea quædam ſaxeæ moles adinſtar montium prominentes hisque flammeis globis ineſſe videntur, quæ de inferi ventre flammarum violentia vehementer avulſæ cum impetu magno ad ſuperiora rapiuntur, rurſumque pondere ſuo dejectæ ad ima barathri revolvuntur. Nec ſilendum exiſtimo quod ignis iſte tartareus quandoque (licet raro) excedere ſoleat limites ſuos. Denique temporibus noſtris tam vehementer erupiſſe viſus eſt, ut maximam illius regionis partem circumquaque diſperderet, qui non ſolum villas & ædificia quæque combuſſit, verum etiam herbas arboresque radicitus exurens, ipſam quoque humum cum ſuis oſſibus conflagravit. Et quidam montes lapidei, ſeu etiam metallini a facie ignis (quod mirabile dictu eſt) ſicut cera defluxerunt, & fluendo terram operuerunt; ita ut undique ipſorum liquamine valles complerentur, & montana campeſtribus æquarentur. At vero ſaxa liquefacta, & ſuper humum circumquaque diffuſa cum recedente igne poſtmodum duruiſſent, apparuit ſuperficies terræ quaſi marmorea, ac veluti pavimento lapideo ſtrata & redactum in ſolitudinem ſolum quod prius habitabile fuerat atque fructiferum. Cum igitur ignis iſte ſæviſſimus terram illam & univerſa quæ in ea erant inſatiabili voracitate depaſtus fuiſſet, adjecit etiam terribiliori miraculo, ut & mare vicinum invaderet, ingreſſusque altitudinem pelagi cœpit inaudita ſævitiâ usque in abyſ-

ſum comburere atque conſumere aquas. Præterea vero ingentes montium & collium moles quam relinquendo voraciſſima flamma ſubintrat, tanto ſecum impetu traxit, ut recedentibus aquis terra earum loco ſuccederet, & transferrentur montes in cor maris, qui cum æquora longe lateque cumulo tenus repleviſſent, converſum eſt mare in aridam, ita ut in eodem loco in quo penitus aquæ extiterant, ibi poſtmodum per decem milliaria ſolida haberetur. Porro in illa conflagratione diſperiit villa quædam nobilis atque populoſa habens in introitu maris portum egregium, quem & ipſum ſublato æquore conſtat fuiſſe deletum. ☙ Huc usque relatio Domini Herberti. ☙ Eccleſia novi Monaſterii Hoienſis dedicatur.

Anno 1131. Apud Virdunum factus eſt Epiſcopus *Albero* de Chisneo frater Comitis Ottonis, non tantum * uterinus filius Comitis Arnulphi; qui illico turrim quam Comes Barri in Virduno erexerat dejecit. ☙ Comes Otto de Chisnejo frater ejus jam deceſſerat, cujus erat filius Comes Albertus de Alaide ſorore Comitis Godefridi Namurcenſis. ☙ *Poſtea* fecit pacem Epiſcopus cum Comite Barri pro quadam ſumma & dedit ei feodum Clarimontis, & feodum de Hans * & de Vienna, & ita Comes civitatem ei quittavit. ☙ Albero fit Archiepiſcopus Treverenſis. ☙ Anselmus. ☙ Gregorius qui & Innocentius, multo Comitatu Epiſcoporum & Abbatum a Francia exiens in Lotharingiam tranſit, & dominica tertia quadrageſimæ quæ eſt undecimo Kalendas aprilis Leodium venit. Ibi a Lothario Rege Alemanniæ, & multis Epiſcopis & Abbatibus tam Lotharingis quam transrhenenſibus veneratur, muneribus honoratur, tota civitas in obſequio fervet, ſalutationibus & epulis vacat. ☙ Dominica in medio quadrageſimæ Gregorius cum curribus & rhedis ab Eccleſia

ſancti

ſancti Martini in publico monte, quaſi Romæ via triumphali usque ad Capitolium ſancti Lamberti aſcendit, miſſam celebrat, Regem & Reginam coronat, *conjugatos presbyteros excommunicat*; æſtimati ſunt a quibusdam triginta duo Epiſcopi affuiſſe & Abbates tres & quinquaginta, inter quos fuiſſe dignoſcitur ſanctus Bernardus Abbas Clarevallenſis. Sequitur Epiſcopus Otto. Papa Innocentius profectus apud Leodium Belgiæ urbem ſynodum Epiſcoporum convocans, Regem Lotharium ad defenſionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ convocavit. Qui nihil cunctatus, *expoſito tamen prius modeſtè in quantum Regnum amore Eccleſiæ attenuatum, inveſtituram earum quanto ſui diſpendio remiſerit*, auxilium Romanæ Eccleſiæ promittit. Rediens a Leodio ſummus Pontifex Clarevallem divertit. Anselmus. Gregorius qui & Innocentius Papa Rhemis poſt feſtum ſancti Lucæ Evangeliſtæ Concilium habuit cum Epiſcopis & Abbatibus trecentis mediante Francorum Rege Ludovico cum filio, qui ſecundus erat natu. Nam primus antea coronatus tunc forte Pariſius venerat, & (ut fertur) a dæmone porci in ſpecie ludificatus, dum hac illac equum girat, ſubito corruit exanimis. Unde Pater valde mœſtus Rhemis adveniens, ſecundum natu filium ſuum adduxit, & a Papa inungi & benedici & coronari in Regem impetravit. Fredericus Coloniæ Archiepiſcopus obiit. Idem Papa Innocentius Monaſterium ſancti Medardi Sueſſionenſis quod eſt trans fluvium ſitum dedicavit. Cum Beatus Bernardus in Epiſcopum Catalaunenſem fuiſſet electus recuſavit, & per ipſum Gaufridus Abbas ſancti Medardi Sueſſionenſis fit Epiſcopus Catalaunenſis. Anselmus Civitas Ultrajectum ex magna parte concrematur, ſcilicet palatium Epiſcopi & major Eccleſia ſancti Martini, & altera ſancti Bonifacii & tertia Eccleſia ſanctæ Mariæ. Hugo Comes ſancti Pauli

qui dictus est campus avenæ, exortis inimicitiis contra oppidanos sancti Richarii in pago Pontivo, totum oppidum cum Ecclesia sancti Richarii penitus combussit. In qua Ecclesia aliquanti Monachi, & inæstimabilis multitudo utriusque sexus (quod dictu nefas) simul concremata periit. In Lumbardia fundatur Abbatia sancti Andrææ Januensis. Ibi habetur major pars corporis sanctæ Barbaræ virginis quæ passa est in Tuscia. Abbatia aureæ vallis Treverensis diocesis octavo Idus Maij fundatur.

Anno 1132. Anselmus Rex Lotharius Natale Domini Coloniæ celebrat. Hic tumultuante multorum dissidentium seditione, electio sanctæ Ecclesiæ Colonienſis diu multumque cassata est. Iterum tertia hebdomada quadragesimæ Coloniam veniens, nihil dignum regali serenitate egit. Deinde Aquis veniens in pascha nihil de statu Regni ordinare voluit, imo rerum omnium querelas in respectu distulit. Ratisbona civitas tota penè fuit combusta. Rex Lotharius collectis viribus Romam vadit cum Innocentio Papa, sed vario eventu rerum multas difficultates in eundo patitur. Episcopus Otto. Reverso in Italiam summo Pontifice Rex Lotharius militem instaurat, exercitumque, sed propter discordiam Regni parvum in Italiam duxit per vallem Tridentinam. In multis locis, tam amore Conradi, quam respectu paucitatis suæ ab incolis terræ subsannatus & despectus. Verum paulo antè Conradus, qui a Mediolanensibus constitutus Rex fuerat, penè omnibus suis amissis, periculosè ad patriam repatriavit. Cum eodem Lothario Romam abiit Bruno electus Archiepiscopus Colonſenſis. Hic est Bruno qui de electione & promotione sua Beatum Bernardum per epistolam consuluit. Obiit sanctus Hugo Gratianopolitanus Episcopus anno quinquagesimo secundo sui Pontificatus, qui multum

Digitized by Google

tum fuit familiaris Beato Bernardo. ❧ Sanctus igitur Bernardus in Francia & in Burgundia, & sanctus Malachias in Hibernia clarent sanctitate & doctrina, & multorum miraculorum gloria, qui Malachias anno ætatis suæ trigesimo octavo videlicet civitatem Ardmacha Metropolitanam, confirmatus, pulsis incubatoribus intravit. ❧ Synodus magna apud Pisas celebratur ab Innocentio Papa, & facta sunt ea quæ de statu hujus temporis in vita sancti Bernardi continentur. ❧ Citra hoc tempus mortuus est Simon Dominus de Brois, cujus relictam Felicitatem nomine duxit Gaufridus Grossus de Jovevilla, ac per hoc Dominus de Brois filius hujus Simonis terram per annos octoginta tenuit.

Anno 1133. Anselmus. Quarto nonas Augusti, Luna XXVII. meridie facta est ecclypsis solis fere dimidia hora & stellæ visæ sunt in cœlo. ❧ Rex Lotharius veterem Romam ingressus, Innocentium Papam *in primarchio Lateranensi* relocat, & ab ipso in Imperatorem benedicitur. ❧ Episcopus Otto. ❧ Rex Lotharius plus mente quam milite confidentiam gerens ad urbem usque progreditur, ibique qualiter potuit cum paucis strenuè peractis in Ecclesia sancti Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, a summo Pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris & Augusti nomen assequitur. Anselmus. ❧ Sed Romanorum avaritiam a dissidio procerum nequiens revocare, dissimulato negotio inefficax rediit. Petrus vero alter pseudo Papa in domo Crescentii regnat, & alter in alterum prædis, incendiis, homicidiis hostiliter desævit. ❧ In villa Namurco dum vaccam occisam mango aperit, fœtus duorum capitum aperuit. ❧ Legumen & avena hoc anno proventum messis satis sunt ementita. ❧ Rex Anglorum Henricus obiit mense Decembrio. Vir pauperibus & Ecclesiæ Dei multæ benignitatis, qui honorificè apud Radinges sepelitur, titulo istiusmodi suppositio.

Orbi

Digitized by Google

Orbis honor, patriæque pater, Rex regula legum,
Juris apex, tumulo clauditur ecce brevi.

Factus eſt Abbas Stabulenſis vir eminentiſſimus Wibaldus per annos viginti ſeptem, qui etiam *Corbeiæ* præfuit.

Anno 1134. Henricus primus Abbas Vallis claræ Laudunenſis diœceſis factus fuit Archiepiſcopus Eboracenſis in Anglia, amoto quodam ſancto Guilelmo per Papam, & poſt ſeptem annos mortuo Domino Henrico, reſtitutus eſt idem vir ſanctus Guilelmus, ſed paulò poſt deceſsit *veneno in calice* ad miſſam infecto, cui oblata fuit theriaca, ſed ob reverentiam ſacramenti noluit recipere: & modo fiunt ad tumbam ejus miracula, oleo, ut dicitur, inde dimanante. ❧ Sanctus Abbas Wasleus de Mailros araneam in calice lapſam cum ſacramento abſorbuit, & nihil ei nocuit, ſed per minimum digitum de corpore ejus exivit. ❧ Comes Rainaldus Barri, mediante fratre ſuo Stephano Metenſi Epiſcopo tandem fecit pacem cum Epiſcopo Virdunenſi Alberone, & in eodem anno idem Rainaldus per * prædictionem, Bullonicum caſtrum ſancti Lamberti obtinuit. ❧ Obiit *ſanctus Norbertus* Archiepiſcopus de Maideburg octavo anno ſui Pontificatus. ❧ Congregatio Molinenſis Eccleſiæ quæ eſt in Brabanto omnibus fidelibus, ſalutem. ❧ Duodecimo Calendas Februarii *lupus venenatus & inſanus, qui intra corpus ſuum habebat tres colubros vivos*, conſuetas latebras linquens rura petiit, & innumeram multitudinem porcorum, ovium, canum & armentorum morſu venenato extinxit. Poſtea vaſto impetu homines invadens plusquam duodecim morſu ſuo multavit, quorum quatuor miſera morte defuncti ſunt, ſeptem vero ante obitum ſuum *nullum liquorem videre vel guſtare potuerunt*. Tandem a quatuor viris fortiſſimis comprehenſus & eviſceratus, fidem malitiæ ſuæ de colubris patefecit. ❧ Calendis Octobris intem-

igitized by Google

intempestivæ noctis silentio motus magnus factus est in mari, ita ut littora sua præteriret, & tamen iterum in se resideret: sequenti vero nocte primo crepusculo cum omni impetu terminos egrediens omnia circumquaque, id est villas & castella Ecclesiasqae ita pessundedit, ut *tres Comitatus id est Walacras & Valles & Brebant*, cum homine & pecore penitus exterminaret. ❧ Theobaldus Comes Blesensis decimo Calendas Junii per Abbatem Odonem sancti Remigii Rhemensis ex oblationibus offerentium ad miracula sancti Gibriani *.

Anno 1135. Ludovicus Grossus Rex Francorum obiit, filius ejus æquivocus ei succedit. ❧ In civitate Tornaco natus est agnus unius corporis, duum capitum & quatuor aurium & quatuor oculorum, octo pedum. ❧ In villa quæ dicitur Brania mense Aprili natus est infantulus carens collo & capite, oculos habens in spatulis. ❧ Lotharius Rex & Fredericus Dux Suevorum paciscuntur. ❧ Episcopus Otto. ❧ Imperator ab urbe regressus Germaniam ingreditur. Non multo post generalem curiam Babenberg circa mediam quadragesimam celebrans, Fredericum & Conradum Duces interventu Clarevallensis Abbatis Bernardi in gratiam recepit, & ita renovata pace, omnibusque in Gallia & Germania benè compositis, expeditionem rursum in Italiam edixit. Inde in Saxoniam divertens, *Polanorum Ducem* cum multis muneribus obvium habuit, quem tamen antea non dignatus est suo conspectui præsentari quam *tributum duodecim annorum, hoc est* *quinquaginta marcbas ad singulos annos* persolveret, & *de Pomeranis & Rugis hominium sibi faceret*, subjectionemque perpetuam sacramento firmaret. *Regem quoque Daciæ in signum subjectionis ad decorem Imperialis reverentiæ gladium sibi sub corona deferre fecit*, & ab Ungarorum Rege perculso terrore, multa & magnifica munera suscepit. ❧ Canutus vero Rex & Mar-

* In Chron. Fris. D. libras.

tyr a Magno occiſus filium legitimum Waldemarum & duas filias dereliquit, & ipſe Magnus qui malè periit, filium Canutum, & filiam unum dereliquit. Unde omnes iſti cum adhuc eſſent pueri quemdam Henricum de regio genere Barones Daciæ ſibi præfecerunt. ❧ Pannonia verò mortuo ſuo Rege Stephano Colomanni filio, qui & ipſe dum adhuc viveret cum Græcorum Imperatore diutinam diſſenſionem habuerat, multis itidem incommodis oppreſſa eſt, ſubſtitutoque in Regno Bela Almi filio a Colomanno quondam pariter cum patre Almo luminibus orbato, Boricius qui & ipſe Colomanni ſed ex alia, quam Stephanus, matre Ruthanorum ſeu Chios* Regis filia natus eſſe dicebatur, Regnum paternum requirit. Deinde in Græciam tranſiens conſanguineam ſibi Imperatoris Calojohannis copulavit, ac poſt Poloniam ingrediens Ducem terræ illius ad voluntatem ſuam inclinavit, ipſeque cum exercitu adjutorio illius ex vocatione quorumdam Ungarorum Comitum, ſylvam, quæ Polinios & Ungaros ſejungit, tranſiens Pannoniam ingreditur. Verum Bela Rex aſcito ſibi *Alberto Leobaldi Marchionis filio qui ejus ſororem habebat*, ac quibusdam de Regno noſtro Nobilibus, Boricio occurrunt. Ille vero audito ſtrepitu ac adhortantium voce ex linguæ idiomate Teutonicorum multitudinem in acie fore cognoſcens, illorum potius quam Ungarorum terrore perculſus, una cum Polonorũ Duce amiſſis in fuga multis, terga vertit. At in ipſo primo Ungarorum & Polonorũ congreſſu antequam Teutonici ſupervenirent, ex utraque parte cæſis plurimis, quidam ex illis qui ex parte Belæ aderant, ſed hoſtibus ſuos perfidè tradiderant, juſto judicio fraudis ſuæ pœnas perſolventes, occubuerunt. ❧ *Herbertus in libro miraculorum* ** *Clarevallenſis* de ſolitario qui erat in Alemannia per quatuordecim annos ſine tecto & ſine indumento, contentus etiam victu porcino.

Ego

* Kiovienſis. ** Bernardi an Monaſterii? add. ann. 1130. pag. 266. de miraculis Bernardi ſcripſiſſe dicitur Evrarũus.

Ego Achardus dum aliquando conversarer in Episcopatu Treverensi pro construendo cœnobio quod claustrum nominatur, vidi Beatissimum *Eremitam nomine Stochelinum*, cujus vitam admirari possumus qui annis quatuordecim solivagus, ac toto corpore nudus montibus & sylvis pro Christi amore oberrans ac latitans perduravit, cœlum habens pro tecto, pro vestimento cutem, pecorinum victum pro cibo humano, videlicet herbas agrestes & crudas radices, faginam & glandem pro magnis pitantiis & deliciis. Talis rigorem propositi per decennium custodivit. Deinde quatuor annis ante suam dormitionem necessitate coactus hyemis ad proximas villulas, non tamen nisi nocte descendebat, & accepto fragmine panis ordeacei vel furfuris aliquoties crustulam ruminabat, hora autem lucana recedens. Cujus audita virtute Beatus Bernardus ei pro signo charitatis tunicam misit & caligas, rogans pro ejus amore indueret eas. Tandem post fugam nobis videndum se præbuit, & ait. Benedictus Deus qui dedit in corde Apostolici viri, ut peccatoris & miseri hominis memoriam habere dignetur, & nunc pro amore ipsius vestimenta transmissa obedienter accepi & indui, diutius tamen portare non valeo, quia nec opus est mihi, nec ipse mandavit. Et cum quæreremus ab eo ædificationis gratia de suis tentationibus, inter alia tale exemplum retulit: Quadam die cum jacerem nudus in terra & nix operuisset omnia, de ipsa nive magnum habebam opertorium & amplum, atque ad unius cubiti mensuram fere condensum, ita ut de corpore meo nihil penitus appareret, tantummodo circa faciem virgula fumantis anhelitus modicam fecit aperturam, cum lepusculus fugitans casu venit ad ipsum foramen, qui suavitate caloris illectus illico substitit, & super caput meum ibi accubuit: tunc ipse novitate rei subrisi, & dejectus est animus a statu solitæ gravitatis, & incidit tentatio bestiolam capiendi & contrectandi, sed

di, ſed donante Domino ſuperavi. En iſtud unum de majoribus tentamentis quæ a multis retro diebus toleraſſe me memini. Tunc Beatum Bernardum humillimè reſalutavit, & ſeſe orationibus ſuis commendavit, & liberis ſaltibus a nobis avolavit. Qui appropinquante die dormitionis ſuæ revelante Domino ad propinquiorem villulam acceſſit, ubi percepto Dominici ſacramenti viatico lætantibus Angelis animam reddidit. Ad cujus exequias innumerabiles populi venientes, novam Eccleſiam ſuper ipſum conſtruxerunt, poſtea corpus ejus translatum eſt apud Lucelburgum, & in Eccleſia Beatæ Mariæ honorificè tumulatum, ubi ſanitates & miracula fiunt. Achardus autem qui hæc retulit in ſenectute bona in Clarevalle obiit. ❧ In Ungaria regnavit Bela cœcus per annos decem. ❧ Anselmus. ❧ Rex Anglorum Henricus *obiit*, vir Eccleſiæ Dei & pauperibus multæ benignitatis, ac per hoc etiam multæ liberalitatis.

Anno 1136. Anselmus. Cœnobium ſancti Vedaſti Attrebatenſis concrematum cum clauſtro & officinis & magna oppidi parte. ❧ Monaſterium ſancti Dionyſii in* Barocoroth comburitur cum clauſtro, & omnibus appenditiis & oppido. Nec meminit aliquis noſtra ætate tot villas, tot civitates, tot caſtra, oppida, vel municipia concremata fortuito igne, quot in hujus anni ſpatio combuſta eſſe referuntur. ❧ *Anselmus octavus Abbas Gemblacenſis Cœnobii* obiit, qui adhuc juvenis, etſi corpore invalidus, tamen erga Dei cultum erat ſtrenuus, hic *chronicam iſtam* à fine Chronicæ a Sigeberto venerabili Gemblacenſis Eccleſiæ Monacho deſcriptæ, ad hunc usque annum perduxit, & viſa, vel a fidelibus audita poſterorum notitiæ dereliquit. ❧ Godefridus Dux Lovanienſis & Comes Namurcenſis rupto pacis fœdere hoſtiliter inter ſe concerrarunt multo tempore. Erat autem cernere miſeriam, & omnium

um rerum deprædationem violentiſſimam, homicidia ſæpiſſimè fieri, villas cum habitatoribus concremari in tantum, ut Gemblacenſi oppido, cum parochiana Eccleſia combuſto, cum maximo inhabitantium periculo Dei clementia majus Monaſterium quod & contiguum, undique graſſante incendio jam ſuccenſum, miro reſtinxerit modo. Vicini enim fluminis alueus rivo ſuo ſubito magna ex parte eſt evacuatus, ita ut arenæ ejus cernerentur circumcurſantibus, & his qui reſiſtebant hoſtibus, è quo aqua ſuperfuſa Monaſterio in modum pluviæ incendium omne reſtinxit Dei virtute. Ne cui autem hoc videatur incredibile, multæ hoc hodieque atteſtantur, non ſolum laicales ſed etiam Eccleſiaſticæ perſonæ. Dominus Adalbero ex Clero Metenſi aſſumptus datus Leodienſium Epiſcopus: legitur hunc fuiſſe de proſapia Namurcenſi, & quod filius ſororis ſuæ fuit Dux Lovanii. Rex Lotharius multo Regni ſui congregato exercitu Romam ſecundò proficiscitur, duorum de ſede Apoſtolica contendentium diſcordiam ad pacis & unitatis cupiens revocari concordiam. Epiſcopus Otto. Imperator Lotharius exercitum non ut prius parvum, ſed copioſum & electum per vallem Tridentinam ſecundò in Italiam duxit, habens ſecum Conradum, qui (ut ſupra dixi) a quibusdam Rex creatus, poſtmodum reſipuerat: captisque in arctis locis fortiſſimis caſtellis, cum quodam Capitaneo, qui ei aditum viæ claudere moliebatur, in plano Italiæ juxta Gardam caſtra poſuit, quo in deditionem accepto ad Padum usque progrediens* *Guaſtallum* cepit, ubi Mediolanenſes ac Cremonenſes a Principibus Italiæ hoſtes judicantur, proſcriptique diſcedunt, quos Imperator ſubſecutus territoria eorum ac villas ſeu Caſtella deſtruxit, indeque Papiam veniens, illos pactione pecuniæ in gratiam ſuſcepit; Bononienſes quoque ac Æmilienſes qui eum priori expeditione deſpexerant, ſupplices, ac mul-

* Ott. Friſ. Cariſtallium.

tum ſervitium offerentes ultrò occurrunt. Poſt usque ad Taurinum progrediens, totam citeriorem Italiam in provinciam redegit. Inde Apenninum tranſiens, ac interiorem Italiam perluſtrans, Anconam, Spoletum, cum aliis urbibus ſeu caſtellis in deditionem accepit. Dehinc contra Rogerum aciem dirigens Campaniam & Apuliam peragravit. Porro *Henricus Noricorum Dux Gener Regis* per Tuſciam exercitum ducens, ſummo Pontifici usque ad Imperatorem conductum præbuit. Auguſtus vero tam fortia in Apuleia & Campania geſſit, ut *nullus ex Francorum Regibus a Carolo Magno usque ad id tempus* tanta feciſſe inveniatur. Denique non ſolum civitates, utpote Capuam, Trojam, Salernum, Barletum, Barrum cepit, verum etiam munitiſſima caſtra & arces inacceſſibiles expugnavit. At Henricus Dux cum militia Bojoariorum Beneventum cepit & Papæ reſtituit. Nam apud Albam ſuburbia civitatis ſibi reſiſtere nitentis ante expugnaverat & deſtruxerat. ☙ Angli dum haberent deliberationem quem ſublimarent regio nomine & honore, ſine liberis defuncto Henrico Rege, Stephanum nepotem ejus ex ſorore conſtituerunt pro eo regnare. Hic Stephanus fuit frater Comitis Theobaldi Campanienſis, & erat Comes Bolonienſis ex parte Idæ ſororis ſuæ quæ fuit filia Comitis Euſtachii fratris Ducis Godefridi. ☙ Ex *prophetia Merlini* ſic de iſtis duobus fratribus legitur. Nitentur poſteri transvolare ſuperna, ſed favor novorum ſublimabitur. ☙ Poſteros Regis Henrici Nepotes ex ſorore ejus Adala, Theobaldum videlicet Comitem Bleſenſem, & fratrem ejus Stephanum Comitem Moritonii & Boloniæ, quorum Stephanus* Theobaldus divulgata morte Avunculi ſui Henrici, cum jam in procinctu eſſet transfretare paratus in Angliam, ut ſe hæreditariæ ſucceſſionis jure regali diademate inſigniret, audito & pro veritate comperto quod eadem

dem intentione frater ſuus præfatus, ſcilicet Stephanus, jam tranſiiſſet, cœpto deſtitit, Regni dignitatem fratri, ſicut erat ſanctus & integer, germano ſine invidia cedens. ☙ Epiſcopus Otto. ☙ Mortuo Rege Henrico Principes Angliæ Stephanum ſororis ſuæ filium ex Gallia invitaverunt ad Regnum. Porro uxor Comitis Andegavenſis Mathildis quondam Henrici Imperatoris conjux, Henrici vero Regis Angliæ prædicti filia hæreditario jure paternum Regnum poſcens usque in præſens illud affligere non deſiſtit. Et exhinc Angliæ terra hactenus abundantiſſima tantis malis ſubjacere cœpit, quod multi ibidem fame & egeſta e attriti, vitam etiam miſerabiliter finiiſſe traduntur. ☙ Francia quoque occidentalis Rege ſuo amiſſo ſub filio ejus Ludovico, ob ipſius & Theobaldi Bleſenſis Comitis guerram tot prædis & incendiis perpeſſa eſt diſcrimina, quod niſi Religioſorum qui ibi morantur meritis, orationibus & conſilio tandem, ut poſt dicetur, pacata fuiſſet, usque ad internecionem deleta putaretur. ☙ Hæc mala noſtra noſtris diebus in vicinis Regnis pullulare cognoſcimus; quanta vero ex remotis & transmarinis Regnis indies audiamus pro faſtidio vitando ad præſens ſupprimimus. Tanta enim ſunt quod niſi *ſanctorum, quorum per Dei gratiam magna nunc copia eſt*, meritis & ſuffragiis ſtaret mundus, ejus certa foret ruina. ☙ Mons Caſtrilocus cum templo ſanctæ Valetrudis ex toto cum oppido cui ineſt concrematur.

Anno 1137. Rex Lotharius anno uno & menſibus quinque cum expeditione militari in Apulia commoratus, ab ingreſſu abſtinuit urbis Romæ, quia Petri Leonis de ſede Apoſtolica contendentis prælia & ſeditiones nequivit compeſcere. Rogerum Siciliæ Ducem ſibi reſiſtentem bellica congreſſione frequenter contrivit, provinciam ejus cæde & incendio devaſtavit, ſed tamen eum ad deditionem non compulit. ☙ Epiſcopus

ſcopus Otto. ☙ Morante in Apulia Imperatore Rogerius cum eum auri & argenti multo pondere attentatum flectere non potuiſſet, exercitum longe copioſiorem congregat, ſeque publico bello conflicturum cum eo denuntiat. Imperator ergo ut erat armis ſtrenuiſſimus & imperterritus militem inſtaurat, aciem ordinat, eosque reſpectu genuinæ fortitudinis ac innatæ hoſtium ignaviæ, nulla inimicorum multitudine frangendos denuntians, præſertim cum in extera & remota regione poſiti ad patriam fugere nequeant, ac contra Tyrannum non ſolum Regni, ſed etiam Eccleſiæ hoſtem & excommunicatum arma juſtè ſumpſerint, ad bellum confortat. Cumque in occurſum ejus procederet, fractus animo Rogerius fugit, ac ad montana ſe contulit. Imperator vero occurrente ſibi ſummo Pontifice Innocentio Barrum usque progreditur, ibique a civibus cum magno gaudio ſuſceptus, caſtrum quoddam ibi poſitum, ubi præſidia Rogerii fuerant, artificiosè valde expugnavit, militesque ibi repertos & præcipuè *Saracenos* patibulo ſuſpendit. ☙ Itaq; Auguſtus ejecto de Campania & Apulia Rogerio (dum eum in Calabria quoque ſeu Sicilia perſequi intendit) a ſuis, qui jam longo tempore extra patriam morati, uxores, liberos & amicos viſere cogitabant, revocatur. Rogerio ergo hoſte judicato, Rainaldo qui Ranulphus dicitur viro forti ac nobili, Ducatus Apuliæ relicta ſibi parte militum traditur, & Princeps victor de reditu diſponit. Verum ſilentio præterire nolumus, quod in dando Ducatu inter ipſum & Romanum Pontificem pene controverſia orta fuit, utroque Ducatum Apuliæ ſui fore juris affirmante, quæ lis hoc tandem modo deciſa conſilio dicitur, *ut in dando Duci vexillo, uterque manum adhiberet.* Igitur Lotharius ex Italia rediens apud Tridentum morbo correptus, in ipſis montibus in viliſſima caſa Imperator potentiſſimus, miſeram humanæ conditionis

tionis relinquens memoriam decimo tertio Regni ſui anno, Imperii vero ſexto plenus dierum obiit, futurus niſi morte præventus foret, cujus virtute & induſtria corona Imperii ad priſtinam dignitatem reduceretur. Regalia Dux Henricus gener ejus *in cujus finibus obierat*, accepit, & ipſe per Auguſtam & orientalem Franciam in Saxoniam ad monaſterium Luter, quod ipſe conſtruxerat, deportatus, honorificè ſepelitur. Rex Lotharius morte præventus bellum cum vita finivit, & a ſuis relatus in Saxonia eſt tumulatus. Bruno Colonienſis Archiepiſcopus obiit in Italia ſexto ſui Pontificatus anno. Epiſcopus Otto. Circa illa tempora multi ex claris optimatibus mortem ſui Principis præceſſerunt, & ſecuti ſunt. Bruno Colonienſis Archiepiſcopus venerabilis & adprimè eruditus, in Apulia decedens, ſexto anno ſui præſulatus in Eccleſia ſancti Nicolai apud Barrum honorifice humatus eſt. Ex his vero qui remanſerant, *Albertus Meguntinus* vir ad ſeculum prudens & potens, locupletiſſimusque. Henricus Friſingenſis Epiſcopus. Leopaldus Orientalis Marchio, vir Chriſtianiſſimus, ac Clericorum & pauperum pater, ac alii plurimi vivendi finem fecerunt. Eodem tempore obierunt Renaldus Rhemorum Archiepiſcopus, & Comes Pictavienſis Guillelmus. Petrus quoque Leonis moriens peſſimum ſchisma terminavit. Unde legitur. Petrus Leo diſceſſit ex hac vita, qui ſedem Apoſtolicam nitebatur retinere cum violentia: Eccleſiæ Dei & Papæ Innocentio pax eſt reddita, & ceſſaverunt ſeditiones & prælia. Epiſcopus Otto, Poſt egreſſum Imperatoris Lotharii, Rogerus Apuliam recipere geſtiens, congreſſu cum Rainaldo Duce habito in fugam verſus eſt. hoc in vita Beati Bernardi tangitur, ubi Rainaldus Ranulphus appellatur.

Anno 1138. Rex Danorum audita morte Regis Anglorum

glorum, cum multo navium apparatu, cum militari & pedestri exercitu, fines Angliæ devastat omni crudelitatis genere, dicens antecessorum suorum hæreditario jure, & collimitanei maris vicinitate sibi magis deberi Regnum Angliæ quam Stephano Regi, & Normannis ex Guillelmi Bastardi persuasione. Rex Anglorum reputans periculosum primo impetu cum tam efferato hoste non ex æquo confligere, habita dilatione & inspecta oportunitate, dispersos longè lateque & inhiantes prædæ facili superavit congressione, multisque eorum interfectis aut captis, reliquos compulit cum dedecore ad propria redire. Post mortem Lotharii non ferentes Principes Teutonici Regni aliquem extraneum a stirpe Regia sibi dominari Regem, constituerunt Conradum tertium virum regii generis. Erat quippe ex sorore Nepos Henrici quinti Regis, quarti Imperatoris hujus nominis. Episcopus Otto. Defuncto in autumno sine filiis Imperatore Lothario, conventus generalis Principum Maguntiæ in proxima Pentecoste condicitur. Quidam autem ex Principibus timentes *ne forte in generali Curia Henricus Dux, qui tunc præcipui nominis & dignitatis in Regno fuit, per potentiam prævaleret*, circa mediam quadragesimam Concilio habito in oppido *Galliæ* Confluentia conventum celebrant, ibique Conradum Imperatoris Henrici sororium, de quo supra diximus, præsente Theoduino Episcopo Cardinali, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legato, summi Pontificis ac totius populi Romani, urbiumque Italiæ assensum promittente, Regem creant, qui mox ad palatium veniens Aquis a prædicto Cardinale (nam Colonienſis Hugo qui id jure facere debuerat, noviter inthronizatus *pallio carebat*) cooperantibus ipso Colonienſi & Trevirenſi Archiepiscopis, cum cæteris Episcopis in Regem ungitur. Proximum dehinc Pascha Coloniæ celebrans Maguntiam quæ tunc fortè Priore carebat, adiit, ibique Albertum prioris Abbatis fratruelem per electionem

nem Cleri & populi Archiepiscopum constituit. At *Saxones & Dux Henricus*, aliique qui electioni non interfuerant, Regem non legitimè sed per subreptionem electum calumniabantur. Quibus omnibus in proxima Pentecoste generalis curia Bavemburc indicitur. Itaque Conrardus Rex in pentecoste Curiam in præfata Civitate, ut condictum erat, cum maximo Regni fastigio & maximo conventu Principum habuit. Ubi *omnes Saxones simul cum viduata Imperatrice Richila* venientes ultro se suæ ditioni subdidere. Solus ex Principibus Henricus Dux regalia servans aberat, ad quæ reddenda in festivitate Apostolorum Petri & Pauli dies ei Ratisbonæ præfigitur, quo veniens regalia quidem reddidit, sed ante conspectum Regis non admissus, infecto pacis negotio, sine gratia ejus recessit. ☙ Dux Boioariorum Henricus, quia filia Lotharii Regis ei nupserat, & jam liberos ex ea susceperat, Conrardum Regno sublimatum & se alienatum graviter ferebat, & quoscumque poterat ab ejus amicitia & fidelitate avertebat. Episcopus Otto. ❧ Cumque multis modis homo prius animosus & elevatus, sed nutu Dei humiliatus postmodum misecordiam peteret nec impetraret, tandem judicio Principum apud Herbipolim proscribitur, ac proxima nativitate Domini in palatio Goslarienſi Ducatus ei abjudicatur. Et mirum dictu, Princeps ante potentissimus, & cujus authoritas, ut ipse gloriabatur, a mari usque ad mare, id est a Dania usque in Siciliam extendebatur, in tantam in brevi humilitatem venit, ut penè omnibus fidelibus & amicis suis in Boioaria a se deficientibus, clam inde egressus, quatuor tantum comitatus sociis in Saxoniam veniret. ☙ Hugo post Brunonem electus Colonienſium Archiepiscopus dum Romam iret consecrandus peregrè est defunctus, intra duos menses vita & sacerdotio functus in Apulia apud Melfam quievit, eique successit Arnul-

phus. ☙ Godefridus Barbatus Lovanienſis Dux Lotharienſium moritur, & apud Affligem Abbatiam nigrorum Monachorum ubi multa bona contulit ſepelitur. Vir ſuo tempore & tempori & honori ſciens ſe decenter conformare.

Anno 1139. Conradus tertius hujus nominis Rex Godefridum Godefridi filium fecit paterni honoris ſucceſſorem, ea maxime pro cauſa quia *ſuæ conjugis ſororem* ei dederat in uxorem. ☙ Henricus Dux Boioariorum adhuc contrarius exiſtens Conrardo Regi, nec attendens illud dictum mundanæ ſapientiæ: Levius fit patientia quidquid corrigere eſt nefas, irremediabili morbo triſtitiæ pervenit ad extrema vitæ. Et Conrardus Rex Boioariam ingreſſus Leopaldo Juniori Leopaldi ſenioris filio, fratri ſuo ex patre matris *tradidit*, & ex hinc provincia illa multis malis ſubjacere cœpit. ☙ Ea tempeſtate in Apulia Rainaldo mortuo Rogerius Apuliam rectore deſtitutam ingreditur, expulſisque cum multis nobilibus Rainaldi fratre ac Principe Capuano, tam ipſam quam Campaniam recepit, ac multis malis incolas ejus afflixit, & usque hodie premit: Beati etiam Benedicti monaſterium in monte Caſſino poſitum, totique urbi venerabile, multis eccleſiaſticis ornamentis immaniter ſpoliavit. Tradunt eum in prima irruptione ac Barrenſis urbis expugnatione crudele & inhumanum piaculum perpetraſſe. Capta urbe non ſolum vivos diverſis tormentorum generibus affecit, ſed etiam in mortuos ſæviens, Rainaldum Ducem ac Brunonem Archiepiſcopum effoſſos per plateas trahi juſſit. Hæc crudelitatis opera ad antiquorum Siculorum formam tyrannorum. Quæ indeſinenter de ipſo audiuntur, quia pene cunctis nota ſunt, omittimus. Sunt tamen qui dicant eum hæc potius intuitu juſtitiæ quam tyrannidis exercere, ajuntque ipſum præ omnibus Principibus pacem diligere, pro qua conſervanda volunt eum tanta ſeveritate rebelles cohibere. Alii vero

vero amorem pecuniæ, qua etiam omnes occidentales reges exceſſit, plus quam Juſtitiæ pacem eum ſectari dicunt. Proxima media quadrageſima ſynodus maxima circiter mille Epiſcoporum, Romæ præſidente ſummo Pontifice Innocentio celebratur, ibique poſt multa ſalutifera decreta promulgata, ſchismatici qui Petro Leonis faverant, damnantur. Conſiderare hoc loco Dei conſilia ſuper filios hominum terribilia, mundique volubilitatem libet. Ecce enim Henrico, ut ſuperius dictum eſt, Imperatore mortuo, conſanguinei ejus qui tunc in Regno præcipui nominis, & quaſi Regii culminis per hoc ſecuri erant, non ſolum ad Regnum non eliguntur, ſed appoſito ſuper ſe Rege plurimum affliguntur & conculcantur. His ergo in ſumma tenuitate poſitis cum Dux Henricus authoritate ſui ſoceri Imperatoris propriisque viribus in tantum excreviſſet, *ut omnes deſpiciens nulli pro regno ſupplicare dignaretur*, dominus qui humilia reſpicit & alta a longe cognoſcit, deponit potentes & exaltat humiles, illum Conradum humiliatum & penè deſperatum ad faſtigium Regni provexit; hunc de alto in gloria & potentia ſua gloriantem dejecit. Quid hic aliud dicere poſſumus, niſi quod prius Conradum magnum in oculis ſuis humiliavit, humiliatum reſpectu pietatis ſuæ exaltavit? Quæ varietas humanarum rerum ex ubertate gratiæ Dei deſcendens, ad vitandam ſuperbiam & humilitatem appetendam nos incitare debet. Et quid aliud tam miſera mortalium conditio, nunc de inopia ad Regnum, nunc ad inopiam de Regno trahens & crucians hominem, quam contemptum præſentium parit, & ad æternorum ſtabilitatem quæ non mutatur nec tranſit, nos mittit? quanta vero mala toti Regno, & præcipuè miſeræ Boioariæ ex hoc evenerint, *nos quotidie experimur*. Saxones exhinc Regi rebellantes plus manſuetudine ipſius quam armis inclinantur. Leopaldus

vero Marchio ſuſcepto a Rege Ducatu Norico, omnibus penè Baronibus ad eum pertinentibus, amoreque ſeu terrore ad eum ultro confluentibus, primò metropolim ac ſedem Ducatus Ratisbonam ditioni ſuæ ſubdidit, poſt collecto milite copioſo totam Bojoariam pertranſiens in ipſo ejus termino juxta Lycum fluvium, contra urbem Auguſtenſem negotia terræ per triduum tractans, ſtrenui Judicis officium exercuit. ☙ Cum autem in Saxonia Dux Bajoariæ Henricus eſſet mortuus & juxta ſocerum Lotharium humatus, Saxones amore filii ſui parvuli quem eis adhuc vivens commendaverat, Regi denuo rebellant. Leopaldus vero Ducatum Noricum exhinc potenter habuit & fortiter rexit. ☙ Paludes & fontes qui per aliquot annos tanta defecerant ſiccitate, ut putarentur non poſſe denuo refluere, mirantur multi non ſolum fluere, ſed etiam ſolito majores aquas emittere. ☙ Gentis Anglorum Principes a Rege ſuo diſſentientes dum alter alteri varie aſſentitur, gens tota per eos affligitur, eo deterius quo cives ut hoſtes ſed interius, non exterius patitur. Unde *in Merlino* dicitur. Nitentur poſteri ſcandere ſuperna, hoc eſt Regni coronam capiti ſuo imponere, ſed favor novorum ſublimabitur. Novos appellans Godefridum Comitem & filios ejus ex Mathilde filia Regis Henrici, in quos major hominum numerus tamquam in naturales Dominos ſeſe affectuoſiùs & familiarius inclinabat. Unde & Henricus primogenitus fratrum poſt dira prælia, & diuturna bella, tandem inito fœdere pacis cum Stephano Rege ſucceſſor Regni ab illo deſignatus eſt futurus poſt obitum ſuum, de quo Stephano ſubditur. Nocebit poſſidenti ex impiis pietas, donec ſe genitore induerit. Cui ſenſus eſt iſte. Jam Stephanus Regio diademate inſignitus erat & Regni poſſeſſor, homo manſuetus: pietate abuſi numquam eum infeſtare quieverunt, donec ſeſe genitore induit, Henricum ſcilicet

juve-

Digitized by Google

juvenem affiliando, id est in filium adoptando, & Regiæ dignitatis successorem post excessum vitæ, ut jam diximus, designando. ☙ Circa hunc locum annotandus est obitus sancti Ottonis Bavembergensis Episcopi qui Pomeraniam convertit.

Anno 1140. Episcopus Otto. Rex Rogerius Innocentium Papam in Apulia cum militia Romanorum venire volentem flagitiosè in Christum Domini manum mittens ex insidiis cepit, & Regii nominis in Sicilia ab eo authoritatem & absolutionem anathematis extorsit, cum Ducatu Calabriæ, Apuliæ, ac Principatu Capuæ. ☙ Leopaldus dum in obsidione castri de Faleja duorum fratrum, qui soli ex Noricis Baronibus in parte Henrici Ducis steterant, incautè moraretur, Guelpho Henrici Ducis frater ex improviso superveniens, fortissimè pugnando, cæsis ex utraque parte pluribus, Ducem cedere coegit. His elatus successibus dum Regem quoque non multo post in obsidione castri Vinesberc morantem aggredi attentat, amissis multis cum paucis e prælio fugit. ☙ Ecclipsis solis facta est quarto Nonas Aprilis ad vesperam jam die & cœlo sereniſſimo existente, ita quod sol quasi tetro velamine videbatur circumfusus ecclyptina caligine. ☙ Exorta discordia inter Alberonem Leodiensium Episcopum, & Henricum Comitem Namurcensem, multa hinc inde contigerunt mala, prædæ, incendia, cædes & homicidia. Causa hujus discordiæ erat, quia Comes Namurcensis ex improviso aggressus oppidum quod Fossis dicitur, quia nomen sibi dat situs ipse loci, multis captis aut occisis, multa præda abducta, oppidum totum cum Monasterio Beati Foillani combussit & ædificia lapidea quæcumque eminentiora erant, destruxit. ☙ Henricus Comes Lemburgensis dolens se privatum honore Ducatus quem pater suus Dux Paganus, & Avus Dux Henricus aliquando habuerant, Godefrido Duci rebellis erat, contiguos

sibi

Digitized by Google

sibi possessionum ejus reditus invadebat, & sicubi prævalebat, nulli amicorum ejus parcebat. Godefridus Dux graviter ferens ejus impudentiam, oppidum sancti Trudonis, cum multo peditum equitumque exercitu obsidere venit, sed oppidanis obsidionem prævenientibus placito eorum accepto eos in gratiam recepit. Deinde cum eodem exercitu progressus, & oppidum Aquisgrani ingressus, cum multo potentatu per biduum in sede judiciaria resedit, exactiones quas Ducem Lotharingiæ exigere decebat, exegit, & ne Henrici Comitis fautores essent, obtestatione* potentiæ suæ deterruit. ☙ Henricus Comes filius Ducis Godefridi in superiori anno defuncti, militiæ cingulo deposito, Affligensis Monachus factus cœlestis militiæ signaculum accepit, & cito interius vocatus a Deo ad monasterium migravit.

Anno 1141. Conradus Rex quosdam Regni sui optimates sibi resistentes coegit suo parere imperio, munitiones eorum oppugnando. ☙ Hoc anno sancta *Hildegardis* cum esset annorum quadraginta duorum & septem mensium, librum Scivias per Spiritum sanctum visitata incœpit & per decem annos consummavit, in diebus Henrici Maguntini Archiepiscopi & Conradi Romanorum Regis. Quæ fuit ista Hildegardis & quantæ authoritatis insinuant epistolæ magnatum terræ ad eam transmissæ, Apostolicorum Eugenii, Anastasii & Adriani, Imperatoris Conradi, & Frederici Patriarchæ Hierosolymitani, & Archiepiscoporum, Abbatum & Præpositorum, & una specialis epistola Beati Bernardi Clarevallensis. ☙ Venit hoc anno super eam magnæ commotionis igneum lumen aperto cœlo, quod totum cerebrum ejus transfudit, & totum cor, totumque pectus ejus velut flamma non tamen ardens sed calens ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit super quam radios suos ponit, & repente intellectum expositionis librorum, videlicet Psalterii, Evangeliorum, & aliorum

* f. obtentatione

aliorum Catholicorum, tam veteris quam novi teſtamenti voluminum ſapiebat : non autem interpretationem ſyllabarum, nec cognitionem caſuum, aut temporum habebat ; ſolum pſalterium legere didicerat more nobilium puellarum a quadam incluſa in monte Dyſibodi, quod eſt clauſtrum nigrorum Monachorum. *Viſiones* autem quas vidit, non in ſomniis nec dormiens, nec in freneſi, nec corporeis oculis, nec auribus exterioris hominis, nec in abditis locis percepit, ſed eas vigilans & circumſpecta in pura mente, oculis & auribus interioris hominis in apertis locis ſecundum voluntatem Dei accepit, quod quomodo factum ſit, carnali homini perquirere nimis eſſet difficile. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Duce Leopaldo in urbe Ratisbona civilia jura diſponente, ex Palatini Comitis Ottonis importunitate ſeditio oritur. Dux cum ſuis, populo circumquaque concurrente, arma arripuit, ſuccenſisque aliquibus urbis vicis, civibus tam armorum quam incendii metu diſcurrentibus, periculum evadens urbe receſſit, ac vaſtatis in circuitu agris, ad tempus inde divertens, collecto milite non longè a civitate caſtra poſuit, tandemque terrore perculſos pecuniæ pactione in deditionem accepit. Dehinc dedecus ſibi a Guelphone apud Falejam illatum ulciſci ſtatuens, armata manu ad Lycum usque progreditur. Ibi deſtructis quorumdam inimicorum ſuorum munitionibus, cunctis circumquaque vaſtatis per fines noſtros cum multo Eccleſiæ noſtræ detrimento revertitur. Ipſe vero non multo poſt Ratisbonæ infirmatus in territorio Patavienſi diem obiit, & in monaſterio Ciſtercienſis ordinis dicto ſanctæ Crucis, quod a Patre ſuo fundatum ipſe plurimum dilataverat, humatur, eique in Marchia ſucceſſit frater ejus Henricus ☙ Filius ſupradicti Comitis Ottonis Palatini, Marchualdus nomine, de Beatrice genuit *Ottonem de Wittelsbac*. Dux autem de Moravia * filius fuit Marchvaldi fratris vel ſororii ſupradicti Ottonis. ☙ Leo-

* f. Meranie.

paldus marchio,& Henricus qui poſt frattem fuit Marchio Orientalis, filii fuerunt Leopaldi ſenioris, & habuerunt ſororem germanam nomine Agnetem, quæ ſimiliter fuit ſoror Conradi Imperatoris ex matre, & hanc duxit Dux Wengeſcelaus de Polonia, & genuit ex ea Bolislaum patrem Ducis Wratislaviæ Henrici, & filiam unam nomine Kikiſſam * quæ facta eſt in gentem magnam. Primo namque fuit Regina Sueviæ,** & poſt Regi Ruſſiæ nomine Muſuch,duas peperit filias, Sophiam Reginam *Daciæ* quæ multam prolem habuit, & Kikiſſam quæ Imperatori Caſtellæ Alfonſo peperit Sanctiam, & hæc peperit Reges *Aragonum*, & ſorores eorum, & illas de *Tholoza*: Et Conſtantiam quæ primo fuit Regina Hungariæ,& poſt, eam duxit Fredericus Rex Apuliæ & Imperator Romanus, & genuit ex ea Henricum Regem Alemanniæ. ❧ Iſta ſecunda Kikiſſa mortuo Imperatore Alphonſo nupſit cuidam Comiti Arragonenſi, & poſt Comiti Alberto de *Alureſten* ultra Coloniam peperit Albertum & fratres ejus, qui Albertus duxit Neptem Archiepiſcopi Moguntini, quæ erat *Comitiſſa ſylveſtris*, ſororem ſcilicet illius Comitis Ottonis de Wittelzbac qui interfecit Philippum de Suevia, ut inferius habetur, de qua ipſe Albertus ſeptem genuit filios, quorum major natu Otto ipſe eſt præpoſitus Aquenſis. Et hæc per anticipationem dicta ſunt. ❧ Epiſcopus Otto. ❧ Eo tempore Conrardus Moravienſis conſpiratione cum Boemis facta Ducatum terræ illius affectans,de Moravia in Boemiam exercitum ducit, cui cum Dux Ladizlaus cum copiis occurrere parat, a ſuis proditus fugæ præſidio vix periculum mortis evaſit, ſicque profugus ad Regem veniens caſum ſuum deplorat, quem Rex miſericordia motus cum exercitu in Boëmiam reduxit, ac Pentecoſte in urbe Praga provinciæ illius metropoli celebrata, Conrardo fugato in Ducatum reſtituit. Non multo poſt Saxoniam ingreſſus vidua Ducis Henrici (Gertrude) Lotha-

* f. Rikiſſam vel Rikinſam. ** f. Sueciæ

Lotharii Imperatoris filia, data fratri ſuo Henrico Marchioni pacem cum Saxonibus fecit, eidemq; Marchioni Noricum Ducatum, quem conſilio matris Ducis Henrici filius jam *abdicaverat*, conceſſit. Quæ res in terra noſtra maximæ diſcordiæ ſeminarium fuit. *Guelfo* enim Princeps Ducatum ſe jure hæreditatis contigiſſe calumnians, armata manu in præſentia Ducis Bojoariam ingreditur, parteque provinciæ vaſtata regreditur. Rex Anglorum Stephanus non ſatis cavens dubios animos Principum facta ſibi amicitia adhærentium, dum quosdam hoſtes expugnare nititur, a ſuis derelictus & ab hoſtibus interceptus capitur & cuſtodiæ mandatur. Sub hoc Rege Angliæ Stephano quidam miles in Hibernia *purgatorium ſancti Patricii* adiit, de quo narratio talis habetur. Dicitur magnus ſanctus Patricius qui a primo eſt ſecundus, hic cum prædicaret in Hibernia miſſus a Celeſtino Papa * homines valde rudes & beſtiales, qui pœnas inferni eſſe non credebant, & cætera inviſibilia quæ eis nunciabat. Cum vir ſanctus triſtis ſuper hoc conſuleret Dominum, apparuit ei Dominus Chriſtus, dans ei textum Evangeliorum & baculum, & hæc ſunt inſignia quæ habentur in magna reverentia apud Archiepiſcopos de Ardmach, ſicut in vita ſancti Malachiæ legitur. Eundem ergo ſanctum Patricium duxit Chriſtus in locum deſertum, foſſam rotundam & intus obſcuram oſtendit, dicens quod quisquis veraciter pœnitens pœnas quæ intus habentur unius diei ac noctis ſpatio ſuſtinuerit, ab omnibus peccatis ſuis erit omnino purgatus. Sanctus igitur Patricius foſſam illam muro circumdedit, eccleſiam Canonicorum regularium ibi ad partem occidentalem fecit, ſera & januis locum illum firmavit, clavem Priori ejusdem Eccleſiæ commendavit, & ut neminem intrare permitteret absque literis ſuis vel Epiſcopi Dioceſani firmiter inhibuit. Quo tempore & aliis poſtea

* f. invénit.

temporibus usque ad hæc tempora Beati Bernardi per multa annorum curricula plures fuerunt,qui foſſam illam intraverunt, quorum alii reverſi ſunt, alii perierunt, locus Eccleſiæ Reglis dicitur. 85 Tempore igitur quo ſupradictus Rex Stephanus in Anglia regnavit, erat in hibernia miles quidam nomine Ouvem multis irretitus criminibus, & qui multa mala fecerat in terra, qui cum confeſſionis gratia ad Epiſcopum ſuum veniret, cœpit Epiſcopus idem durius pro malis quæ fecerat arguere & increpare. Miles corde compunctus ſtatim ab Epiſcopo literas petivit, quibus intrare purgatorium ſancti Patricii permitteretur. Quod audiens Epiſcopus cœpit diſſuadere, ſciens ibi eſſe periculum, & timens ne deficeret, dixit, quod alio modo pœnitentiam minus periculoſam injungeret eidem. Ipſe perſeverans in petitione literas impetravit, ad Priorem venit, foſſam intravit. Qui primo per quandam concavitatem ſub terra aliquantulum ivit, & ecce ex alia parte locus aliquantulum clarus apparuit. Ibi erat campus magnus, & in medio campi quædam aula & quaſi palatium Regis. Aulam intravit, facturam & opus admirans circumſpexit, reſedit, & ecce ex parte Dei quinquaginta viri Religioſi coronas habentes, quaſi de novo raſi, quorum unus aliis tacentibus ſalutavit eumdem, confortavit & confirmavit dicens, in omnibus pœnis quas paſſurus es,invoca Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & liberaberis, & ne credas blanditiis Dæmonum, quia ex neceſſitate viriliter agere compelleris, aut (quod abſit) anima & corpore peribis. Illis recedentibus audivit tumultum & tonitruum & terrores per circuitum leonum, urſorum, luporum, & aliarum beſtiarum vagitus, latratus, & quidquid terrere poteſt cor hominis. Advenientes Dæmones cœperunt ei dicere deridendo & ſubſannando : Alii homines qui nobis ſerviunt poſt mortem ad

nos

nos veniunt, tu qui ante venisti, majori præmio donaberis. Veruntamen de his in quibus abundamus satis habebis, tormenta, dolores & miserias, ignem, frigus & vermes & cætera hujusmodi. Illo nil penitus respondente statim fecerunt in domo magnum rogum, & ligatis manibus & pedibus eumdem in ignem projecerunt. Primò quidem sensit tormentum, deinde invocavit Dominum Jesum Christum, & totus ignis extinctus est. Inde ut sibi videbatur, traxerunt eumdem per vastam regionem nigram & gelidam ad eam mundi partem ubi sol oritur media æstate, & exinde contra austrum venerunt in vallem ubi erat campus. In illo campo erat ingens multitudo hominum qui omnes nudi, ventre verso in terram, per manus & pedes clavis candentibus erant confixi, & præ dolore videbantur comedere terram, cum illis fuit confixus, & eum invocasset Dominum Jesum Christum, liberatus est. Venerunt in alium campum ubi quos invenerunt, dorsa clavis igne candentibus habebant terræ confixa: ibique dæmones, serpentes, bufones ascendebant super ventrem eorum, super faciem, & molestiam inferebant gravissimam. Et dixerunt illi dæmones. Certè vides quod hæc sustinere non possis, sed quia in nostro servitio diu fuisti, si nobis consenseris & reverti velis nos te conducemus, & tu illæsus ad propria remeabis. Ille nihil dicens, in tali cruciatu memor Domini nostri Jesu Christi tandem evasit. Exinde dicitur ad tertium campum adhuc doloribus majoribus plenum, in quo ita erant omnes confixi, ut præ multitudine clavorum locus vacuus non inveniretur in eorum corporibus. Inde quartus ostenditur campus in quo erant omnium tormentorum genera, in omnibus invocavit Dominum nostrum Jesum Christum & liberatus est. Inde quædam apparuit ignea rota, cujus radii uncis igneis erant pleni; erat autem una medietas rotæ in aëre, & alia medietas in

terra. Tanta facilitate voluebatur quod humanus oculus non poſſet intueri, & in ea pendentes miro modo torquebantur de flamma quæ aſcendebat de terra. Inde in quadam domo vidit balnea quædam formidanda, videlicet quasdam foſſas metallis ferventibus plenas, & cum invocaret Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum liberatus eſt. Deinde ductus eſt contra montem unum, ubi erat multitudo quædam curvata ſuper digitos pedum, & cum illis curvatus eſt, & ecce ventus turbinis omnes rapuit, illum militem & ipſos Dæmones in flumen fœtidum projecit, invocavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in alia parte ſe reperit. Ex hinc trahitur in flammam teterrimam. Tamen frequenter dicebant dæmones, ſi nobis aſſenſeris ad propria illæſus remeabis. Omnes ſupradicti, ut ibi dicitur * ſalutem adhuc expectant; cæteri verò, qui ſunt in inferno interiori, omnino damnati ſunt. Venerunt tandem ad puteum inferni, cum injectus fuiſſet, memor Domini Jeſu Chriſti de puteo per flammam ejectus eſt. Inde pons unus apparuit ſuper flumen latiſſimum & fœtidum. Tria erant difficilia hujus pontis, lubricus fuit, ſtrictus & gracilis, & contra aërem protenſus. Iterum ergo atque iterum dicebant Dæmones: Vides & ſatis perpendis quod hic tranſire non potes, ſed adhuc ſi nobis aſſenſeris ad propria illæſus remeabis, cœpit ſuper pontem figere pedem, & ecce crevit latitudo pontis, & ſublatæ ſunt omnes difficultates. Illo tranſeunte clamabant Dæmones prohibe eum, prohibe, retine eum, retine, & uncos ferreos poſt eum jaciebant. Liberatus eſt ab eis. Vidit ante ſe murum incomparabilis decoris, porta aperta eſt, & egreſſa eſt contra eum proceſſio, ibi erant animæ gaudentes in requie & deliciis, hic erat *paradiſus terreſtris*.** Iſti duo Archiepiſcopi oſtenderunt illi aliam partem ſupernæ lætitiæ auro ſimilem, vidit & guſtavit de quotidiana eorum

* f. ut dicitur, ibi

eorum refectione, quæ per lucem mirabilem a ſuperiori deſcendit, & dictum eſt quod hæc patria in qua erant, nondum erat ſuperna lætitia quam expectabant; qui accepta benedictione, eadem qua venerat via ſine difficultate revertitur. ☙ Alia die ſummo mane inventus eſt & receptus cum proceſſione in Eccleſia Canonicorum, ubi detentus in infirmitorium quindecim diebus, & quæcumque vidit & quæ paſſus eſt fideliter enarravit, vigiliis ex tunc & orationibus intentus. ☙ Quod ergo infernus vel ſubtus terram, vel in terræ concavitate ſit, & quod paradiſus terreſtris in oriente, & jam in terra ſit, concordat iſta narratio. Et quod item infernus ſuper terram in aliqua parte mundi ſit, concordat narratio quæ ſuperius poſita eſt de inferno Hiſſelandiæ, etiam Olla Vulcani & Æthna de Sicilia. ☙ Plaga ignis divini multos adurit, ſed per interceſſionem ſanctæ Dei genitricis Mariæ aliorumque ſanctorum, multis hâc ægritudine laborantibus Dei miſericordia ſubvenit. ☙ In partibus transmarinis Rex Hieroſolymitanorum cum ſuo exercitu fultus auxilio Chriſtianorum, loca ſancta ubi pedes Domini ſteterunt viſitantium, Aſcalonitas omni commeatu excuſſo, terra marique oppugnat: quorumdam etiam hoſtium caſtra propinquiora expugnat.

Anno 1142. Adalbero hujus nominis ſecundus Leodienſium Epiſcopus, dolens fraudulenta invaſione Comitis Barri Rainaldi jam per ſeptem annos violenter retineri caſtrum Bullonium, quod cum appenditiis ſuis Othbertus Epiſcopus multa ſuſna argenti adquiſiverat Epiſcopio Leodienſi, nec ferens tanti honoris & commodi ad præſens ſibi & inpoſterũ auferri Eccleſiæ Dei, oportunitatẽ expectabat qua juſte repeteret, quod Eccleſia injuſte amiſerat. Deus autem qui ad hoc dederat ei affectum, bonæ voluntati ejus dedit effectum. Inſpecta enim oportunitate caſtrum obſedit cum multa equitum peditumque multitudine. Plus tamen de divino quam de humano confidens auxilio, corpus

quod exemplum nobis exhibitum eſt usque ad mortem pro veritate & juſtitia certandi,& adhibitum eſt velut quoddam amoris incentivum, cum ex impenſo amore occaſio data eſt reamandi: ſed Beatus Bernardus ſic imitandum prædicabat Dominum patientem, & reamandum amantem, ut principalem hujus ſacrificii cauſam velut agni caput, redemptionem in eo profiteretur & adoraret humanam. Tria namque ſpecialia nobis in ſua paſſione Chriſtus exhibuit, exemplum virtutis, incendium amoris,redemptionis ſacramentum. Quod tertium ſi evacuatur ſecundum magiſtrum Petrum, non prodeſſe cætera poterunt, & cum dicatur, *caput agui cum pedibus ejus & inteſtinis vorabitis*, Magiſter Petrus caput omittens, pedes & inteſtina vorabat tantummodo. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Dux Auſtriæ Henricus conra *Guelphonem* inflammatus, immenſo coadunato milite fines noſtros ingreditur, multisque Eccleſiarum reditibus direptis, tandem etiam ipſius noſtræ civitatis Friſingenſis munitiones propter quosdam ex ipſa, qui fautores Guelphonis dicebantur, deſtruxit, cui dum Guelpho cum copiis occurrit, audito quod Rex ſuperventurus erat,ceſſit. Porro Dux ſimul cum Rege caſtrum Comitis Conradi qui ex parte Guelphonis erat, obſidione clauſit, vaſtatisque in circuitu univerſis, adjutorio Regis ad deditionem coegit ac igne ſuccendit. ☙ Circa idem tempus Veronenſes, qui longo tempore cum Paduanis diſſenſionem habuerant, amnemque qui civitatem eorum præterfluit,ab alveo derivaverant,congreſſu cum iis habito,plurimis captis,cruentisſima potiuntur victoria. Iis etiam diebus propter abſentiam Regis, Italiæ urbibus in inſolentiam decedentibus, *Venetii cum Ravennenſibus*, Piſani & Florentini cum Lucenſibus & Senenſibus, atrociter debellantes, totam penè Italiam cruore, prædis & incendiis permiscuere. Præter ea enim quæ jam diximus Paduanis illata incommoda, Veronenſes & Vincentini,ſequenti anno caſtella, vicos,

mel ſtillavit de cœlo in modum roris, quod verum mel fuiſſe probaverunt multi viſu, guſtu, & contrectatione. In parochia Gemblacenſi natus eſt puer monſtruoſus, qui miraculo & horrori ſe aſpicientibus fuit, ſed poſt modicum tempus obiit. Godefridus junior Dux Lotharingiæ quarto anno ſui Ducatus immatura morte præripitur operatica paſſione conſumptus, & Lovanii in templo tumulatur. Succedit filius ejus æquivocus, primum adhuc agens ætatis annum. Conradus Rex in oppido Frankefoert, cum multa frequentia optimatum Regni ſui Curiam habuit,& quæ confirmanda erant eorum conſilio & judicio confirmavit, & quæ corrigenda correxit. Deinde non cum multo comitatu aggreſſus quosdam Sclavorum rebelles regnum inquietantes, non (ut putavit) eos imparatos invenit, ideo viriliter reſiſtentibus ad horam ceſſit. Nec multo poſt incautis ſuperveniens improviſus multos eorum cepit vel occidit, multosque in fugam verſos in flumen quod contiguum fuit, demerſit, reliquos multa ſumma gratiam ſuam redimentes ad deditionem compulit. Epiſcopus Otto. Calojoannes Conſtantinopolitanus Imperator qui filio ſuo Emanuel *ſororem Reginæ Gertrudis* deſponſando, cum Romano Rege Conrardo amicitiæ fœdus inierat,ab Antiocheno Principe Raimundo qui ei provinciam illam pro pecunia cum ipſa urbe juraverat, Syriam cum maximo ingreſſus exercitu, promiſſo fruſtratur, cui venerabilis Gabulenſis Epiſcopus N. viriliter in faciem reſiſtit, eumque ex parte Romani Pontificis & Imperatoris, eoquod præfata civitas a Latinis poſſideatur, ut ab ejus impugnatione deſiſtat intrepidè commonuit. Ille autem eo quod a Principe eſſet deluſus, civitati quidem pepercit, ſed totam ferro flammaque devaſtans provinciam, Eremitas quoque, quorum grandis ibi copia eſt, de cellulis ſuis eductos, non Kalou, id eſt boni

Joannis officium agens, crudeliſſimè tractavit. Ipſe verò non multo poſt ſagittis toxicatis venationi inſiſtens, ab una earum ex improviſo vulneratus, miſerrimè Rex opulentiſſimus in ipſo procinctu diem obiit, & Emanuel filio regnum reliquit. Unde ſequitur Guido. ſ. Joannes Imperator Conſtantinopolitanus Alexii Imperatoris filius cum infinitis copiis Ciliciam occupavit univerſam, Antiochiam cepit, Principem coegit ad fidelitatem, & dum in Cicilia venationi indulget, toxicatâ ſagitta ſeipſum lethali vulnere figit. Remedium quærit & invenit, ſed mira magnanimitate contemnit, quod ſcilicet priusquam partem reliquam veneno contingeret infici, ſibi læſam manum pateretur præſcindi, ad quod datum ei conſilium reſpondiſſe fertur, indignum ſibi videri quod Romanum Imperium una manu regatur; & ſubrogato ſibi in Imperium filio Emanuele a præſenti luce ſubtrahitur cum nimio ſuorum planctu & mœrore. ſ. Epiſcopus Otto. ſ. At Emanuel ad Regnum ſublimatus, Nuntios ad Regem Conrardum cum pretioſis muneribus, ſicut & prius Pater ejus fecerat, dirigens, fœdus renovavit, & ſicut inter hos duos Imperatores a translato ad Francos Imperio, pro diverſis oportunitatibus mos iſte ſervatus eſt, ſic & nunc inter Joannem Patrem hujus & Conrardum, contra Rogerium, utriusque Imperii partis invaſorem, hæc facta eſt confœderatio. ſ. In Tuſcia Florentini Piſanis adjuncti, Lucenſes non ſolum bello attemptant, ſed & caſtella, oppida & agros Comitis *Guidonis* qui dictus eſt Guerra, eorum adjutoris incendio & rapina devaſtant. Senenſes etiam, qui ad vaſtandos agros eorum egreſſi fuerant, & erant Lucenſibus aſſociati, inſidiis a tergo poſitis vix paucis fuga elapſis captivant. Porro ex Piſanis & Lucenſibus non tantum plurimi ferro cæſi compendio mortis miſeriam terminavêre, ſed innumerabiles utrobique comprehenſi, ac

longa

longa (*ut ipſe vidi*) carceris inedia & ſqualore macerati, omnibus prætereuntibus lachrymabile humani caſus in ſe ſpectaculum præbent. ☙ In Hiſpania Rex Adelphonſus, Imperator dictus Choriam civitatem cepit. Quo anno *per induſtriam Petri Abbatis Cluniacenſis, liber qui dicitur Alcoranus cum tota ſecta impii & pſeudoprophetæ Mahumet, de Arabico in Latinum translatus eſt*, hac ratione ut ſciat Catholica Eccleſia quam vilis & quam frivola, & quam apertis mendaciis plena ſit iſta ſeductoris illius doctrina, quæ a tempore Beati Gregorii paulo poſt, (id eſt a tempore Imperatoris Heraclii) Saracenorum populos infecit, & hic erat annus Alhegiræ quingenteſimus trigeſimus ſeptimus. *Alhegira* autem dicitur ſublimatio in Prophetam, id eſt annus ille quo primum creditus eſt, ſive ab omnibus elevatus eſt Mahometus in Prophetam. Et ab illo anno Saraceni computant annos ſuos, ſicut & nos ab incarnatione Domini computamus. ☙ Rex autem Adelfonſus Hiſpaniæ Imperator, qui hoc anno Choriam cepit civitatem, & Saracenos inde fugavit, fuit filius Comitis Raimundi, frater Comitis Pontii de *Tholoza*, natus ex Waraca filia *Imperatoris Ferdinandi*, qui Civitatem Colimbriam recuperavit, & habuit iſte Alfonſus ſororem Sanctiam nomine ad quam extat una Beati Bernardi epiſtola. ☙ Filius autem prædicti Imperatoris Adelfonſi qui Choriam cepit, dictus eſt Rex Sanctius, de quo natus eſt Adelfonſus Rex Legionis; & de ſorore hujus Sanctii Waraca, nata eſt Blancha Campaniæ Comitiſſa; & de filio ejusdem Sanctii Rege parvo nata eſt *Blancha Francorum Regina*. Et hæc breviter per anticipationem tetigiſſe ſufficiat. ☙ Apud Catalaunum mortuo Epiſcopo Gaufrido ſucceſſit Guido de Monteacuto.

Anno 1144. Alfonſus Rex *Portugaliæ* mirabiliter & miraculosè de Saracenis triumphat. Hujus uxor fuit filia Co-

mitis Sabaudiæ. ☙ Regnum Francorum magnam patitur perturbationem bellorum per discordiam Regis & Principum, inter quos eminebat Comes Theobaldus Blesensium. ☙ Rex Anglorum, necdum pacato Regno suo contumaces subjugare volebat, sed non valebat, quia tutam fidem nusquam reperiebat, & conatus suos non prosperari sed frustrari dolebat. ☙ Conrardus Rex concessit filio Godefridi Ducis junioris, adhuc puerulo, quidquid beneficii vel honoris antecessores ejus habuerunt de manu Imperatoris. ☙ Pagani vicini Hierosolymitanis Christianis, pertæsi malorum & frequentis oppugnationis Christianorum, pactum pacis inierunt eum eis, & terras quas eis Christiani abstulerant sub tributo colendas susceperunt ab eis. ☙ Dum hæc aguntur, Romanus *Pontifex* Innocentius qui jam per multum temporis Tyburtinos excommunicaverat, & presserat, coangustatos, ad deditionem acceptis obsidibus, ac jurejurando interposito coegit. Populus vero Romanus volens, ut eos per sacramentum & obsides ad durissima præcepta, id est, ut muris ruptis omni provincia cederent, cogeret, dum nobilissimus ac liberalissimus sacerdos tam irrationabili & inhumanæ petitioni annuere nollet, seditionem movent, ac in ipso impetu in capitolio convenientes, antiquam urbis dignitatem renovare cupientes, *ordinem Senatorum* qui jam per multa curricula temporum deperierat, constituunt, & cum Tyburtinis rursum bellum innovant. Causa verò tantæ immanitatis fuit, quod in priori anno dum cum Pontifice in obsidione præfatæ civitatis morarentur, civibus egressis & cum ipsis manum conserentibus, multis amissis spoliis, turpiter in fugam conversi erant. Idcirco nulla nisi quam diximus conventione usque hodie se posse placari asserunt. Verum sapientissimus Antistes prævidens ne forte Ecclesia Dei quæ per multos annos *secularem urbis honorem, a Constantino*

sibi

Digitized by Google

ſibi traditum potentiſſime habuit hac occaſione quandoque perderet, multis modis, tam minis, quam muneribus, ne ad effectum res procedat, impedire conatur. Sed invaleſcente populo, dum proficere non poſſet, lecto cubans, juxta quosdam, de futuris viſione ſibi monſtrata, in pace quievit, eique Celeſtinus vir religione & literarum ſcientia præditus cum magna unanimitate electus ſucceſſit. Gregorius Papa, qui & Innocentius obiit. Guido, qui & Celeſtinus dicitur, ſuccedit. De iſto Guidone in epiſtolis Beati Bernardi memoratur, quod fuit Magiſtri *Petri Abelardi* diſcipulus, ſed non eſt Magiſtrum in errore ſecutus, qui non plenariè ſex menſibus ſedit, & ei Gerardus, qui & Lucius ſucceſſit, qui pro manſuetudine & humilitate ſui, officio ſacerdotali dignus, gravem a civibus perſecutionem paſſus, humiles ad Regem Conrardum literas mittit, tam ſuam oppreſſionem continentes, quam de incolumitate & proſperitate ejus Deo gratias agentes, ipſumque ad patrocinium Romanæ Eccleſiæ invitantes in hunc modum. *Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Cariſſimo filio Conrado Romanorum Regi* illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum &c Populus enim Romanus nullas veſaniæ ſuæ metas ponere volens, quos ante inſtituerat,* patrocinium adjiciunt, atque ad hanc dignitatem *Jordanum Petri Leonis filium* eligentes, omnes ei tamquam Principi ſubjiciuntur. Deinde Pontificem ſuum adeunt, & *omnia Regalia ejus, tam in urbe, quam extra poſita, ad jus patricii ſui repoſcunt, eumque (more antiquorum ſacerdotum) de decimis & oblationibus tantum ſuſtentari oportere dicentes*, de die in diem animam juſti affligere non timuerunt.

Anno 1145. Vehementiſſimus ventus arbores & turres & domos magnas ſubvertit, fames quoque valida invaleſcit in Francia, ſed præcipuè in Anglia. Unde quidam famis gladio

gladio perurgente coacti ſunt alias migrare, ut malum inopiæ vel evitare poſſent, vel alleviare, & meſis per menſem tardavit propter inundationem pluviæ. ☙ Rex Jeruſalem Fulco moritur anno Regni ſui decimo quinto, cui ſucceſſit filius ejus annorum tredecim, tertius Balduinus. ☙ Guido. Hic in virilem valens ætatem, ſicut elegantia formæ cæteris præeminebat, ſic & in vivacitate mentis, & eloquentiæ flore cæteros anteibat. Hujus mater Regina Meliſſendis in Bethania Monaſterium ædificavit puellarum, prædiis & divitiis regulariter ampliatum. ☙ Prædictus Rex Fulco antequam eſſet electus in Regem, fuit *Andegavenſium, Turonenſium & Cenomanenſium Comes*, cui frater fuit Gaufridus ſucceſſor ejus, qui duxit Mathildem Imperatricem, de qua ſupra diximus. Civitas Rotomagi dedignata ſubeſſe Regi Anglorum Stephano, reddita eſt cum Normannia huic Comiti Gaufrido. De morte & ſuperbia ejusdem Gaufridi fit mentio quædam in vita Beati Bernardi. ☙ Rex Francorum Ludovicus intelligens quia perturbatio capitis, perturbatio eſt membrorum, ut ſedaret perturbationes Regni ſui, adquievit confœderari Theobaldo Bleſenſium Comiti, ſed mediante Beato Bernardo pacificati ſunt. ☙ Conrardus Rex per ſe ſciens & per religioſorum virorum ammonitionem quantum reverentiæ debeatur Eccleſiaſtico ordini, cui Deus dicit, qui vos tangit, tangit pupillã oculi mei; ſi quos elatos faſtu ſecularis potentiæ contra Epiſcopos, vel contra alios Eccleſiæ prælatos noverat inſolenter agere, regia cenſura cogebat eos ab inſolentia deſiſtere, & illis quos offenderant, decenter ſatisfacere. ☙ Godefridus Comes. frater Balduini moritur. ☙ Lucius Papa obiit, qui quotidianis cruciibus & tædio vitæ propter Romanorum inſolentiam affectus, infra anni ſpatium Pontificatus ſui diem obiit. Bernardus qui & Eugenius ei ſucceſſit. Iſte fuit Monachus

Clare-

Digitized by Google

Clarevallenſis ſub Beato Bernardo Abbate & fuit primus Abbas ſancti Anaſtaſii Romæ. Cum vero Cardinales primam ejus electionem vellent irritari & adnihilari, dixit coram omnibus. *Excommunico omnes illos qui tractaturi ſunt de electione Papæ me vivente.* Epiſcopus Otto. Eugenius vir ſanctitate & religione perſpicuus communi voto Cleri & populi electus eſt. Hic in principio dignitatis ſuſceptæ, eo quod totus populus ad tradenda *urbis regalia* ipſum ſicut & anteceſſorem ſuum ſollicitare vellet, cum Epiſcopis & Cardinalibus urbe cedit, ac proxima dominica in monaſterio Pharphenſi conſecratione pontificali, ob perſecutionis immanitatem morem mutans, ſublimatur. Inde furorem populi Romani declinans, ad munita loca ſe tranſtulit, poſtque Viterbium veniens, ibi per aliquod tempus moram fecit. At populus Romanus cum patricio ſuo Jordane in furorem verſus *præfecturam* abolentes, omnes Principes ac Nobiles ex civibus ad ſubjectionem Patricii compellunt, & non ſolum quorumdam illuſtrium laicorum turres, ſed clericorum & Cardinalium domos ſubruentes, prædam immenſam diripiunt, Eccleſiam etiam Beati Petri omnium Eccleſiarum caput, *incaſtellare* ſacrilege ac prophaniſſimè non metuunt, peregrinos cauſa orationis advenientes, ad oblationem quæſtus gratia plagis ac verberibus cogunt, ac quosdam ex ipſis offerre nolentes, in ipſa porticu & veſtibulo templi nefario auſu occidere non verentur. Quos venerabilis Pontifex, percuſſo prius cum quibusdam fautoribus ſuis anathematis gladio Jordane, adjuncta Tiburtinis Romanorum antiquis hoſtibus militiâ, coercuit, tandemque pacem petere coegit, de qua ſuo loco dicetur. Civitas Edeſſe quæ & Rohaiz dicitur, multo tempore a Chriſtianis poſſeſſa, per negligentiam Chriſtianorum capitur inſidiis paganorum. Omnes qui in ea inventi ſunt perfectæ ætatis Chriſtiani trucidantur. Adoleſcentes utrius-

que ſexus per diverſas paganorum provincias in ſervos & ancillas venundantur. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Hoc anno incipiente in ipſa ſacroſanctæ nativitatis Chriſti ſolemnitate lugubre & miſerabile ex peccato populi Chriſtiani accidit in oriente piaculum. *Sanguinus* enim Holapienſis Syriæ & Meſopotamiæ, excepta Antiochia & Damaſco Princeps, Perſarum vero & Medorum Regis ſeu Soldani Vaſallus, Edeſſam, quæ nunc Rohaiz dicitur, unicum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ pro magnitudine ac abundantia ſui refugium, cum infinita Saracenorum multitudine circumdedit, ac in ipſa, ut dixi, nativitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum Epiſcopo urbis Chriſtianis in ore gladii occiſis, vel miſerabili captivitate in ſervitutem redactis. Eccleſias Chriſti, ac præcipuè Beatæ Mariæ ſemper Virginis baſilicam, & eam in qua corpus Thomæ Apoſtoli reconditum fuit, ad Salvatoris ignominiam introferens, ea quæ non decebat, fœdè polluit, noſtrisque penè exterminatis, vel tributo ſubactis, Saracenos ibi ad habitandum locavit. ❧ Ea tempeſtate *Armeniorum* Epiſcoporum eorumque Metropolitani, quem ipſi *Catholicon*, id eſt univerſalem propter infinitum Epiſcoporum ſub ſe agentem numerum, vocant, Legati ab ultimo penè oriente ſummum Pontificem Eugenium, Viterbi, laborioſum iter per annum & ſex menſes complentes, adeunt, eique ex parte illius Eccleſiæ ſubjectionem omnimodam conſalutando offerentes, cauſas viæ (*nobis cum aliis multis præſentibus apud veterem aulam*) aperiunt, quæ tales erant. Inter ipſos & Græcos quædam de ritu ſacrificii habitudo eſt in quibusdam, in aliis verò diſcrepantia. Ponunt enim fermentatum panem ſicut illi, aquam autem vino non admiſcent ſicut nos & illi Præterea nativitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illus feſtivitates unam faciunt. Pro his & aliis dum inter ſe diſſentirent, Romanam Eccleſiam Judicem eligentes conſultum veniunt, formamque ſacrifi-

Digitized by Google

ſacrificii juxta conſuetudinem ejus ſibi tradi depoſcunt. Quos Romanus Antiſtes gratanter ſuſcipiens Miſſarum ſolemniis ac ſacrificii ſecretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem eos animadvertere monuit; quod cum facerent, intentique ſacro altari adſtarent, unus ex iis pontificali dignitate præditus (ſicut poſtmodum in plena Curia retulit) in Beati Martini octava, quando dedicatio Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli celebrari ſolet, ſummo Pontifice Eugenio divina myſteria agente, ſplendido fulgore radium ſolis ſuper caput ejus coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendentes & deſcendentes vidit. Cumque diligentius oculos hac illic circumferret, nullumque aditum per quem lux illa transfunderetur inveniret, deificum hoc eſſe cognoſcens, ac ad obediendum Romanæ ſedi amplius accenſus, cunctis quæ viderat aperuit. At venerabilis pater non ſuis hoc meritis attribuens, ipſius potius fide cœlitus hoc ſibi monſtratum affirmabat, ut videlicet Eccleſia a qua ipſe miſſus, ſacramentorum virtutem veritatis luce perfuſam cognoſceret, ac deinceps quali ea reverentia & forma tractare deberet, addiſceret. Retulit etiam præfatus Epiſcopus quod in confinio Armeniæ quædam gentes eſſent quæ fœtus ſuos fœtentes generarent, eosque ſtatim ad aquas Armeniorum lavandos transmitterent, quos illi baptismatis unda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remiſſi ad paganismi ritum & ſpurcitiam redirent. Quod utrum faciendum eſſet item Romanam Eccleſiam conſuluerunt. Vidimus etiam ibi tunc prætaxatum de Syria *Gabulenſem Epiſcopum* cujus præcipue opere ad plenum Antiochia Romanæ ſedi ſubeſſe cœpit, tam de patriarcha ſuo Antiocheno, & de Principis matre Balduini Hieroſolymitani quondam Regis filiâ querimoniam facientẽ, quam de ſpoliis Saracenis ablatis, jure antiquitatis, exemplo Abrahæ, decimas (qui eas Deo recognoſcens victoriam de ſuis ſpoliis Melchiſedech dedit) exi-

gentem, ac ſuper hoc Apoſtolicæ ſedis authoritatem requirentem. Audivimus eum periculum transmarinæ Eccleſiæ poſt captam Ediſſam lachrymabiliter querentem, & ob hoc Alpes transcendere ad Reges Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem. Narrabat enim quod ante non multos annos *Joannes quidam, qui ultra Armeniam & Perſidem in extremo oriente habitans Rex & Sacerdos* cum ſua gente Chriſtianus eſt, ſed Neſtorianus, Perſarum & Medorum Reges fratres Samiardos dictos bello petierit, atque Ecbatanam, cujus ſupra mentio facta eſt; ſedem Regni eorum oppugnaverit. Cui dum præfati Reges cum Perſarum, Medorum, & Aſſyriorum copiis occurrerent, triduo utrisque mori magis, quam fugere malentibus dimicatum eſt. *Presbyter Joannes* (ſic enim eum vocare ſolent) tandem verſis in fugam Perſis cruentiſſima cæde victor extitit. Poſt hanc victoriam dicebat prædictum Joannem ad auxilium Hieroſolymitanæ Eccleſiæ procinctum moviſſe, ſed dum ad Tygrim veniſſet, ibique nullo vehiculo exercitum traducere potuiſſet, ad ſeptemtrionalem plagam, ubi amnem eumdem hyemali glacie congelari didicerat, iter flexiſſe. Ibi dum per aliquot annos moratus gelu expectaret, ſed minimè hoc (impediente aëris temperie) obtineret, multos ex inſueto cœlo de exercitu amittens, ad propria redire compulſus eſt. Fertur etiam ipſe de antiqua progenie Magorum illorum eſſe, quorum in Evangelio mentio fit, eisdemque quibus & illi gentibus imperans, tanta gloria & abundantia frui, ut nonniſi ſceptro ſmaragdino uti dicatur. Patrum itaque ſuorum qui in cunabulis Chriſtum adorare venerunt accenſus exemplo, Hieruſalem ire propoſuerat, ſed prætaxata cauſa impeditum fuiſſe aſſerunt. Sed hæc hactenus.

Anno 1146. In Ungaria regnat Boricius per annos ſex. ☙ Epiſcopus Otto. ❧ Eugenius Papa cum Romanis hoc tempore pacem fecit, ut *Patritiatus* dignitatem *exfeſtucarent*, &

Digitized by Google

& *præfectum* in priſtinam dignitatem reciperent. *Senatores* vero ex ejus authoritate tenerent. Sicque in urbem rediens, nativitatem Domini celebravit, ibidemque incipiente anno Domini 1146, ubi rurſum a populo pro excidio Tyburtinorum in tantum de die in diem ſollicitatur, ut de Lateranenſi palatio, improbitatem eorum non ſuſtinens, ad transtyberinam regionem migrans, animam ſuam vitæ ſuæ tædere confiteretur. Rex quoque eadem nativitate in palatio Aquis celebrata Bojoariam ingreditur. Ibi eum Boemorum Dux Labeslaus ſupra nominatum Boricium de Hungaria ſecum ducens adiit. Is flebili ac miſerabili voce querimoniam de privatione paterni Regni depromens, quatenus *authoritate Imperiali, ad quam totius orbis ſpectat patrocinium*, ei ſubveniat depoſcit. Ejusque ſuper hoc promiſſum (interventu Boemorum Ducis, ejusque Conſortis *Gertrudis ſororis Regis*) honeſto intercedente placito impetravit. Ex hinc non ſolum impræſentiarum perturbationes ſentimus, ſed & majores ſuperventuras ex his aliisque argumentis formidando conjicimus. Ecce enim inter noſtrum & Hungarorum Regnum, non ſolum iſto militem inſtaurante, ſed illo multos ex noſtris pecunia corrumpente, valida expectatur commotio. *In Polonia* inter tres fratres terræ Principes miſerabilis auditur tumultuatio. (Horum fratrum hæc ſunt nomina Vergescelaus *avus Ducis Henrici*, Meſeco & Casimirus. De iſto Mesecone nati ſunt *Duces Gnenſie*. Odoiscius pater ſecundi Logeslai, & ſorores eorum, quarum una Virgotslavia fuit *mater Ducis de Nancejo*. De Caſimiro nati ſunt Duces Cracoviæ Liſter & Conrardus.) In Belgica quoque Gallia virorum potentum indefeſſa viſa eſt conflictatio. Apud nos vero tam tetra videtur confuſio, ut non ſolum reliquo anni circulo prædâ & incendio cuncta permiſceant, ſed & in ipſo quadrageſimali & pœniten-

tiali tempore contra divinas & humanas leges desævire non pertimescant. ☙ Beatus Bernardus Abbas Clarevallensis cum audiisset Bernardum Abbatem sancti Anastasii Romæ, quondam Monachum suum in Clarevalle, electum in Papam & consecratum, dictumque Eugenium; scribit ad eum epistolam verbis consolatoriis & mellifluis plenam in hunc modum. ☙ Amantissimo patri ac Domino Dei gratia *summo Pontifici Eugenio, Clarevallis vocatus Abbas.* Modicum id quod est, audita est in terra nostra, & celebri sermone vulgatum verbum hoc quod factum est de vobis a Domino. Presseram stylum hactenus, rem tacitus considerabam, expectabam enim literas vestras, & præveniri a vobis benedictionibus dulcedinis. Expectabam virum fidelem qui veniret a latere tuo, qui duceret cuncta per ordinem quid, quomodo, vel qualiter actum esset. Expectabam si quis forte de filiis reverteretur, qui leniret dolorem patris, qui diceret, Joseph filius tuus vivit & ipse est dominator in tota terra Ægypti. Hinc est quod literæ istæ non sunt voluntatis, sed necessitatis & amicorum extortæ precibus, quibus negare non possum modicum illud quodcumque est residuum vitæ meæ. Jam enim de reliquo breves erunt dies mei, & nunc solum mihi supereſt sepulchrum. Quia ergo semel cœpi, loquar ad Dominum meum. Jam enim filium dicere nou audeo, quia filius in patrem, & pater mutatus est in filium. A modo non vocaberis filius sed vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit. Hæc mutatio dexteræ excelsi, & multi in mutatione ista gaudebunt. Magnificavit Dominus facere nobiscum & lætata est Syon. Exultat & gaudet Ecclesia Dei, sed specialiter illa cujus uterus te portavit & ubera quæ suxisti. Quid ergo? Nonne licet mihi gaudere cum gaudentibus? Numquid non ero unus de numero lætantium? Exultavi fateor, sed cum timore exultavi,

Digitized by Google

tavi, ſed in ipſo exultationis meæ articulo timor & tremor venerunt ſuper me. Ego enim etſi nomen patris depoſui, ſed non timorem, ſed nec anxietatem, poſtremo nec affectum, nec viſcera patris. Conſidero gradum, & caſum vereor. Conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi jacentis deorſum. Attendo celſitudinem honoris, & e vicino periculum formido, pro eo quod ſcriptum eſt : Homo cum in honore eſſet non intellexit. Quod quidem cauſaliter dictum eſſe arbitror potius quam temporaliter, tamquam diceret. Honor abſorbuit intellectum. Hinc eſt quod idem qui dixerat pro ſe & pro alio in alio pſalmo dicit. A facie indignationis tuæ, quia elevans allisiſti me. Altiori in loco poſitus es, ſed non in tutiori; in ſublimiori non ſecuriori: Noli ergo altum ſapere, ſed time. Opus eſt, inquam, timore. Tuus ergo locus in quo ſtas, terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus, inquam Principis Apoſtolorum ubi ſteterunt pedes ejus. Locus illius quem conſtituit Dominus Dominum familiæ ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ quæ in terris eſt. Si forte declinaveris a via Domini, ſepultus eſt in eodem loco, ut ſit tibi contra te in teſtimonium. Merito tali paſtori, tali nutritio commiſſa eſt Eccleſia, cum eſſet adhuc in cunabulis, cujus edocta miniſterio & exemplo educta omnia terrena calcaret, quippe qui excuſſerat manus ſuas ab omni munere, qui dicebat de puro corde & conſcientia bona : Argentum & aurum non eſt mihi. Hæc hactenus. Quis mihi det antequam moriar, ut videam Eccleſiam Dei ſicut in diebus antiquis, quando Apoſtoli laxabant retia ſua in capturam animarum ? Quis mihi det, ut audiam de ore tuo vocem illam virtutis. Pecúnia tua ſit tecum in perditionem. Confundantur & revertantur retrorſum omnes qui oderunt Syon. Hoc autem expectat & expectabit a te mater tua, & omnes qui diligunt eam hoc deſiderant,

rant, hæc ſuſpirant filii matris tuæ puſilli cum magnis, ut plantatio quam non plantavit pater cœleſtis manibus tuis eradicetur. Ad hoc enim conſtitutus es ſuper gentes & ſuper Regna, non ut evellas & deſtruas, ſed plantes & ædifices. Multi enim ut audierunt verbum hoc dixerunt, jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. ✠ Epiſcopus Otto de quadrifaria Eccleſiæ perſecutione. Civitas Chriſti primò violentiam pertulit a civitate mundi & Regibus infidelibus. Secundo pertulit Hæreticorum fraudulentiam. Tertio fictionem perfidam Hypocritarum; ultimo & violentam & fraudulentam & fictam ſub Antichriſto paſſura eſt perſecutionem. Sed non niſi venerit diſceſſio primum, id eſt, vel niſi omnes diſcedant a ſubjectione Imperatoris, vel niſi recedant ab obedientia Romani Pontificis. De ipſo adventu ac perſecutione quæ *ſub ipſo* fient, eæ ſunt authoritates: Ego veni in in nomine Patris mei &c. Et Beatus Paulus. Mittet illis Deus operationem erroris. Ipſe autem in hypocriſi veniens non faciet tormenta exteriora, ſed aliquis potens, fortè Romanus Imperator pro eo. Et hæc eſt beſtia in Apocalypſi. Vita & doctrina ejus Chriſto contraria, quia ille humilis, iſte ſuperbus. Quod præcedent eum Enoch & Elias, & quod tempus tyrannidis ejus in tribus annis abbreviabitur, & quod percuſſio eo iſta adventum Domini præcedent: Judæi ad fidem venient. Signa inuſitata in ſole & luna & ſtellis apparebunt. Cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt Regnum Dei. De exterminatione ſeculi per ignem concordant Prophetæ, Plato, Sybilla & Joſephus. Cœlum & terra tranſibunt. Id eſt de hoc ſtatu in alium pulchriorem. Bifaria prædicatur reſurrectio mortuorum, qua ætate, ſexu, forma, reſurgent mortui, non eſt vitium ſexus fœmineus, ſed natura; corporibus vitia detrahentur natura ſervabitur. Forma enim macula & labe carebit. De monſtruoſis

ſtruoſis & abortivis ſufficiat quod dicit Auguſtinus. De judicio & interitu reprobæ civitatis, de gloria & exaltatione civitatis Dei, de diverſis in cœleſti Curia manſionibus, ſatis diſputatum eſt in ſanctorum libris. ☙ Huc usque pertingit narratio *Epiſcopi Ottonis* qui fuit vir nobilis & *Monachus Morimundi*, & una die *electus in Abbatem* ejusdem loci, ſequenti die factus eſt in Bavaria *Epiſcopus Friſingenſis*, cum eſſet frater Imperatoris ex matre, filius videlicet Leopoldi Ducis Auſtriæ. ☙ Relatio Domini Elinandi de viſione pœnarum inferni ſequitur ſic incipiens. Puer in Anglia crucifigitur a Judæis in urbe Norwico in paraſceve, de quo talis viſio legitur. Puer quidam nomine Guillelmus annorum quindecim &c. quæ in annali habentur. Rhemis in Cœnobio Beati Remigii ſanctus Gibrianus Scotus multis claret virtutibus, & multo concurſu populi frequentatur. ☙ Adalbero Leodienſis Epiſcopus in via Romana vita deceſſit ſexto Calendas Aprilis. Henricus aſſumptus ex Clero ſancti Lamberti, ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus, ſecundus hujus nominis Præſul ei ſucceſſit. ☙ Apud Laudunum poſt Bartholomæum Galtherus per annos ferè triginta fit Epiſcopus. ☙ Guido. ❧ *Sanguinus autem filius Axungui* ſceleratiſſimus Halapiæ Princeps capta Edeſſa civitate. dum in obſidione cujusdam civitatis ſuper Euphratem ſitæ & dictæ Calogembar perſeveraret, ſuorum gladiis confoſſus interiit, vino tamen antè ſepultus & oppreſſus, nocturna crapula quaſi occiſus. Quo nuntiato quidam ſatis eleganter exclamat ex noſtris: Quod bonus eventus ſit vino ſanguinolentus Rex homicida reus, nomine Sanguineus.

Anno 1147. *Sanctus Bernardus* Abbas Clarevallenſis in Alemannia de mandato Papæ crucem prædicando virtutes multas & magnas fecit, inter quas & mortuum reſuſcitavit. Cum autem eſſet in veniendo apud Spiram urbem, tantus Beato viro venit obviam concurſus, ut Conrardus Imperator depo-

Digitized by Google

ſita chlamyde, cum populus eum comprimeret, in propriaſ ulnas eum ſuſcipiens, de baſilica ipſum aſportaret, qui de Spira per Coloniam venit Leodium, in qua via multi nobiles per manum illius ſe Domino mancipaverunt. Apud Leodium juxta Eccleſiam Beati Lamberti in prato quod dicitur Epiſcopi publicè prædicavit, & in ipſo palatio in præſentia Henrici Epiſcopi tria miracula fecit. Qua occaſione Epiſcopus Henricus compunctus, Abbatiam de Alna fundavit. ❧ Conrardus Rex apud Anternacum in vicinia Treverorum Pentecoſten celebrat, & quosdam ſibi rebelles oppugnat, & eos oppugnando ad deditionem ſubjungit ❧ In partibus transmarinis Nobilis quidam ex Damaſcenis de Boſtra quadam civitate tradenda cum Rege paciſcitur Balduino, Rex cum exercitu Boſtram properat. Einardus Damaſcenorum procurator cum multis Turcorum millibus obſtitit. Procedens exercitus Chriſtianus infinita ſuſtinuit pericula ſitis, ardoris & incurſionis hoſtilis, civitatem reperit ab hoſtibus occupatam rediens infecto negotio ſupramodum arreſtatur tam hoſtium periculis quam locorum. Mittitur ad hoſtes pro pace Legatus, qui ut ſe reddat minus ſuſpectum, ſi male cogitat ſuper hoc, imprecatur ſe non rediturum, quod ab his ad quos mittitur dum interficitur, adimpletur. Quodam hoſtium Nobili proſtrato hoſtes occurrunt, & plangendo moram faciunt, unde liberius proficiſcitur exercitus Chriſtianus. Hoſtes locis herboſis, per quæ tranſibant fideles, ignem immittunt. Involvuntur obviante vento tetra fuligine fideles, quum victorioſæ crucis vexillo elevato, torquetur ventus in adverſarios. Ignorantibus viam fidelibus fit ductor prævius albi quidam equi ſeſſor & rubei cujusdam vexilli bajulus. ❧ Ediſſam civitatē per quosdam cives Chriſtianos recipiunt Chriſtiani. *Nolandinus Sanguini filius* Alapiæ Princeps obſidet eos in illa & miſerabiliter truncat ejectos. ❧ Fideles excitantur occidentales ad ſubvenien-

veniendum orientalibus Eugenii Papæ & viri venerabilis Bernardi Clarevallenſis Abbatis hortatu. Occidentales ergo Chriſtiani dolentes de ſubverſione civitatis Edeſſæ quæ & Rohaiz dicitur, quam pagani ſuperiori anno vaſtantes, cultum Chriſtianitatis in ea omni ſpurcitiarum genere contaminaverunt, in tantum ut etiam quidam eorum in majori Baſilica ſuper ſanctum altare cubile ſuum extruxerit, & illic ad injuriam & contemptum ſummi Dei cum meretrice cubarit. Pro his, inquam, omnibus, juſto dolore commoti uno animo, pari conſenſu ad debellandos eos proficiſci deliberant. In tantum autem erant omnes prompti & alacres ad hanc profectionem, ut etiam Conrardus Rex Teutoniæ & Ludovicus Rex Franciæ Religioſorum virorum monitis animati, & ipſi prompto animo ad hanc expeditionem ſe accingerent. ☙ Obiit Guido Catalaunenſis Epiſcopus, ſuccedit Bartholomæus. ☙ Rainaldus *Comes magnus Burgundiæ* circa hoc tempus obiit.

Anno 1148. *Hæreſis Eonitarum* intra Britannias pullulat, imo (ut verius dicatur) maxima hæreſis *Popelitanorum* Henrici Apoſtatæ peſſimi quondam nigri Monachi in terra *Albigenſium* pullulavit, qui cum eſſet idiota, & apices literarum vix cognoſceret, tamen polluto ore de divinis libris tractabat & diſputabat. Hic nefario auſu absque ſacris ordinibus Archiepiſcopos & Epiſcopos ad errorem & ſubverſionem perditorum hominum his qui ſibi adhærebant, ordinabat, multa quoque alia faciebat ſcelerata & divinæ legi contraria. Ad extremum diabolico ſpiritu completus in tantam prorupit inſaniam, ut diceret & credi cogeret ſe eſſe filium Dei. Quanta turpia & execrabilia agant in abſcondito Hæretici illi, bonum eſt ſilentio tegere, ne horrorem incutiant, vel etiam horrorem generent infirmis auditoribus. Contra tam peſtiferam hæreſim miſſi ſunt a Domino Papa, Hoſtienſis Epiſcopus & Legatus

vir Religiosus, & Abbas Clarevallensis Bernardus. Post hæc prædictus hæreticus Henricus diu latuit, sed tandem a quodam Episcopo captus & Rhemis ad Papam Eugenium ductus. ☙ Fames gravissima jamdiu concepta in tantum longè lateque prævaluit, ut excrescentem pauperum multitudinem nullarenus sine magno gravamine sustentare possent hi, qui respectu Dei vel pietatis affectu manum misericordiæ porrigebant eis. Multos etiam qui victu & aliis necessariis abundabant, malum famis ad necessitatem deduxit. ☙ Malachias vir sanctus Hibernensis Archiepiscopus & Legatus secundum desiderium suum quod in mente habebat sub obtentu, quasi ad Papam iturus Dei nutu, cum jam Papa recessisset a Francia, Clarevallem venit, & ibi hoc anno in crastino omnium sanctorum vitam felicissimam consummavit. ☙ Apud civitatem Tornacum cum per quadringentos annos circiter fuit ista civitas sub Episcopis Novionensibus, tandem sancto mediante Bernardo positus est per Eugenium Papam novus Episcopus, & recepit Ecclesia privilegium antiquum. Primus Episcopus dictus est Anselmus, secundus Geraldus, tertius Galterus. ☙ Ludovicus Rex Franciæ & Imperator Conrardus ad prædicationem Beati Bernardi cruce signati, iter arripiunt, & facta est maxima in Turcos expeditio *quæ tertia dicitur, quia primam fecit Karolus, & secunda dicitur Antiochena.*

Anno 1149. Conrardus Rex recessurus *Henricum filium suum Aquisgrani in Regem sublimat*, ne post discessum suum Regnum absque Principe remaneret, & aliqua rerum perturbatio fieret. ☙ Multi Christianorum per mare Anglicum ad debellandos Saracenos, tandem emenso mari in Galliciam apud sanctum Jacobum applicuerunt, & inde moventes exercitum pervenerunt ad urbem Saracenorum potentissimam quæ ex nomine conditoris Ulixibona dicitur, ubi vario belli eventu

eventu cum Saracenis dimicantes, adjuvante Deo potii ſunt victoria, & occiſis vel exterminatis Saracenis, urbem ipſam, & omnem in circuitu viciniam quiete poſſederunt, & ex tunc usque hodie civitas Ulixibona a Chriſtianis poſſidetur. Quando autem fit aliqua mentio iſtius expeditionis Chriſtianorum & *Regis Norwegiæ* qui erat cum eis, expeditio de Sedelia vulgariter appellatur, propter civitatem Sadeliam ** ſub Soldano Iconii ad quam per mare delapſi ſunt, & ibi alios qui per Conſtantinopolim abierunt, expectabant. ❧ *Viſio Thugdali:* facta eſt in Hibernia hoc anno mirabilis viſio de pœnis inferni & gaudiis paradiſi quæ Thugdali viſio appellatur. Hanc ſi quis plane ſcire deſiderat, in multis Abbatiis poterit invenire. ❧ In natale Domini fulmen irrumpit templum Hieroſolymis, & de columna ex lapidibus facta quæ ſepulchro Domini proxima erat, duos lapides grandes excuſſit, inde ad locum baptiſterii percurrens, lapidem marmoris concavum qui aquam baptismatis continebat, minutatim confregit. Indeque ad montem Sion pervolans turrim baſilicæ pulcherrimam ex magna parte confregit. ❧ Eugenius Papa collecta generali ſynodo Rhemis multa ſuper ſtatu Eccleſiæ tractavit & confirmavit. Inter alia ſtatuit, ut decreta Innocentii Papæ prædeceſſoris ſui rata & inconcuſſa remanerent. Quidquid autem Petrus Leonis pſeudo Papa ſtatuerat & ordinaverat irritum haberetur, promulgans ſententiam ſic. Ordinationes factas a filio Petri Leonis, & ab aliis ſchismaticis & hæreticis, evacuamus, & irritas eſſe cenſemus. ❧ In hac ſynodo adductus eſt ſupradictus *Hæreticus Henricus* & præſentatus Papæ. Hic igitur in audientia omnium de ſua hæreſi diſcuſſus & convictus, vitam quidem & membra, Epiſcopo qui eum adduxerat expoſtulante, retinuit, ſed tamen præcepto Papæ in cuſtodia relegatus, & ibidem poſt non multum temporis mortuus eſt in illa. ❧ Magiſter *Petrus Cantor in verbo abbrē-*

viato mentionem de iſto Henrico fecit, & quod Rhemis in carcere Samſonis ſolus miſſus ſit usque ad mortem ne alios corrumperet. ☙ In hac ſynodo Rhemenſi Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates usque ad mille centum reſediſſe dicuntur. Epiſcopus Aurelianenſis ibi depoſitus eſt, & Hatto Trecenſis. In eodem concilio Beatus Bernardus contra Pictavienſem Epiſcopum Magiſtrum Gislebertum de fide ſanctæ Trinitatis duobus diebus diſputavit. Meminit ipſe hujus loci ſermone ſuper cantica canticorum octogeſimo idem dicens. Si quid propriè de Deo dici poſſit, rectius congruentiusque dicetnr, Deus eſt magnitudo, bonitas, juſtitia, ſapientia; quam Deus eſt magnus, juſtus bonus & ſapiens. Unde non immerito nuper in concilio quod Papa Eugenius nuper Romæ celebravit, tam ipſi, quam cæteris Epiſcopis perverſa viſa eſt & omnino ſuſpecta expoſitio illa *in libro Gisleberti Pictavienſis Epiſcopi quæ ſuper verbo Boëtii de Trinitate* ſanctiſſima atque Catholica commentabatur hoc modo. Pater eſt veritas, id eſt verus, filius eſt veritas, id eſt verus, Spiritus ſanctus eſt veritas, id eſt verus, Et hi tres ſimul non tres veritates ſed una veritas, id eſt unus verus; obſcuram perverſamque explanationem, quoniam verius ſaniusque per contrarium dixiſſet: Pater eſt verus, id eſt veritas, Filius eſt verus, id eſt veritas, Spiritus ſanctus eſt verus, id eſt veritas, & hi tres unus verus, id eſt una veritas. Quod quidem feciſſet ſi Beatum Fulgentium dignaretur imitari, qui ait: Una quippe veritas unus Deus non patitur ſervitium atque culturam Creaturæ Creatorisque conjungi. ☙ Horum duorum, id eſt Petri Abælardi, & Magiſtri Gisleberti quidam diſcipuli nimium zelantes pro ipſis, Beato Bernardo detrahere cœperunt, quorum unus *Magiſter Stephanus dixit ſe ipſum interfuiſſe illi Rhemenſi Concilio, & Bernardum noſtrum nihiladverſus Gislebertum ſuum prævaluiſſe.* In Magiſtro tamen Gisleberto illud commendat quod correctus eſt, &

quod

quod *fecit minorem gloſſaturam in pſalterium & epiſtolas Pauli*, ſecutus dicta Beati Augiſtini, & quædam alia quæ recipiuntur.

Anno 1150. Conrardus Imperator & Ludovicus Rex qui ſuperiori anno cum infinito exercitu profecti erant transmare, ut Saracenos debellarent, parum aut nihil proſpere fecerunt, ſed tantis exercitus eorum attritus eſt malis & infortuniis, tum fame tum mortalitate, tum ferro hoſtium, ut de tot millibus tam copioſæ multitudinis vix pauci repatriaverint. ☙ Guido. ❧ Detrimentum, inquit Guido, grave nimis incurrunt, tam proditione Græcorum, quam incurſione Turcorum. Obſeſſi Damaſceni ab Imperatore & Rege Francorum ſimul & Rege Jeruſalem dum deſperantes de fuga cogitant, animantur iterum fortius pecuniaria corruptione quorumdam noſtrorum. Regreſſis tamen tam Imperatore, quam Rege Francorum ad propria, ingens multitudo Turcorum ſub duobus fratribus & ducibus eorum, cum matre ſua Jeruſalem jure reclamantibus hæreditario obſident eam, quos per Dei clementiam Chriſtiani per magnam virtutem proſternunt. ☙ Apud Laudunum in Abbatia ſancti Vincentii ex ictu fulminis duos Monachos mortuos fuiſſe in choro, & multa alia accidiſſe hoc anno in illa ſupradicta Eccleſia referuntur. ☙ Apud Cameracum conflagravit incendio principalis Eccleſia, cum Abbatia ſancti Otberti, & palatio Epiſcopi, & Cœnobio ſancti Sepulchri in eadem urbe. ☙ *Daci & Weſtphali ac Saxonum Duces* conſenſerunt in hoc ut aliis euntibus in Hieroſolymam contra Saracenos, ipſi vicinam ſibi *Sclavorum* gentem usque ad hæc tempora paganam, aut omnino delerent, aut cogerent Chriſtianam fieri. Et cum ad arma jam ex utraque parte, quidam ex Teutonicis accepta pecunia vendiderunt Dacos, cœptoque prælio ſe ſubtrahentes, multa millia Dacorum, Sclavorum occiderunt gladiis. ☙ Frater Cæſarius. ❧

Hic

Hic admirandum eſt miraculum Beati Bernardi de Monacho Sacerdote qui apoſtatavit, & multos filios & filias ſeculo generavit, ex quibus primogenitus mutus fuit, qualiter huic reddidit loquelam & Patri jam defuncto in habitu ſeculari, habitus Monachalis inventus eſt. ❧ Nobilis Comitiſſa Mathildis Campanienſis & uxor Rainaldi Comitis Nivernenſis, & Comitiſſa montis veteris juxta Coloniam, & mater illorum Romanorum qui *Frangipani* dicuntur; Neptes fuerunt Archiepiſcopi Colonienſis Frederici. ❧ Occaſione *cerui* venientis quolibet anno ad Eccleſiam ſancti Cornelii Compendienſis quem interfecerant Compendienſes Canonici, amovit Rex Canonicos, & poſuit ibi Monachos de Abbatia ſancti Dionyſii, & ita cœpit Abbatia Compendienſis.

Anno 1151. In Hungaria regnat Gyzza per annos viginti, ab iſto Rege deſcendunt iſti moderni Reges Hungarorum. ❧ Moritur apud Virdunum Hoſtienſis Epiſcopus Cardinalis & Legatus Dominus Albricus, ad cujus tumulum Beatus Bernaudus Miſſam celebrans, cum veniſſet ad poſtcommunionem, collectam pro mortuo dimiſit, & collectam pro uno ſancto Confeſſore dixit. ❧ Epiſcopus Catalaunenſis Bartholomæus mortuus fuit in peregrinatione Hieroſolymitana, & electus eſt in Epiſcopum Haimo Archidiaconus vir nobilis & Religioſus de Basochiis, qui fecit *enchiridion in decretis* ſecundum Pannormiam Yuonis Carnotenſis. ❧ Tunc erant in Dacia per contentionem tres Reges quorum erat major natu Sueno de ancilla natus, Henrici Nothi filius, Kanuti magni filius, & Waldemarius filius ſecundi Kanuti, filii Henrici ſemper boni. Iſte Waldemarus cauſa faciendæ pacis uxorem accepit ſororem tertii Kanuti filiam Magni, tertio gradu ſibi conſanguineam, & genuit ex ea Waldemarum ſecundum qui duxit Sophiam de Ruſſia. ❧ Orta eſt conventio inter Henricum Epiſcopum Leodienſem, & Henricum Comitem

tem Namurcenſem. Comes quidem ut dominaretur intendebat; Epiſcopus ut ſui ab ejus dominatione & gravi oppreſſione liberarentur ſatagebat. Milites Comitis in quadam villa quæ vocatur Hoylon convenerant. Unus qui potior videbatur, manus in Epiſcopum ut eum caperet injecit, ſed ipſe ſe ab eo ſurripiens, iratus ſuos ad eorum ſubverſionem fortiter incitavit. Tandem neſcio quo infortunio Eccleſia incenſa eſt,& omnes qui in eam confugerant combuſti, miſerabiliterq; perierunt. Tandē congregato utrinq; exercitu congreſſi ſunt. Ipſe ſuperior factus eſt, Comitem fugavit, de ſuis potentiores cepit, ſed cum miſerabili cæde multorum victoria potitus eſt. ☙ Apud Treverim celebratur Concilium Papa Eugenio præſente.

Anno 1152. Mortuus eſt Conrardus in reditu ſuæ peregrinationis qui filium ſuum *Henricum* nomine Aquis, cum eſſet iturus Hieroſolymam, ſublimaverat. ☙ *Ludovicus de Nerembergis* qui erat Tutor audita morte Imperatoris, cruce ſignatus puerum commiſit avunculo ſuo Duci Frederico, e partibus transmarinis regreſſo. Quomodo ejusdem Frederici filius a majori parte Baronum electus Romam abiit, infantem ſecum duxit, violenter a Papa benedictionem extorſit, & quod Papa poſt benedictionem dedit ei maledictionem niſi Infanti regnum redderet cum ad ætatem perveniſſet, ſed eodem Infante qui dicebatur *Infans de Rodeburc* ſimiliter mortuo Regnum ſibi retinuit idem *magnus Fredericus* filius Ducis Frederici, fratris ejusdem Conrardi & imperavit annis triginta novem. ☙ Obiit Albero Treverenſium Archiepiſcopus, qui fuit primicerius Metenſis, cui ſuccedit Hillinus. ☙ Item moritur Comes Campaniæ Theobaldus ſexto Idus Januarii, & apud Latiniacum ſepelitur. Quatuor habuit filios hoc ordine annotandos. Henricum *Comitem Trecenſem Palatinum* largitate & liberalitate famoſum. Theobaldum Comitem Bleſenſem qui tenuit Carnutum. Stepha-

Digitized by Google

num Comitem de Sancerra, quæ ſacrum Cæſaris eſt dicta Guillelmum qui fuit Archiepiſcopus Senonenſis & poſtea Rhemenſis, ad quem Magiſter Petrus Comeſtor ſcripſit ſcholaſticam hiſtoriam Habuit etiam prædictus Campaniæ Comes Theobaldus filias ſex. Prima fuit Maria Burgundiæ Duciſſa. Secunda Agnes Barri Ducis Comitiſſa. Tertia *quædam Duciſſa in partibus remotis.* Hanc poſtea duxit Guillelmus Goez in dioceſi Carnotenſi, & genuit duas filias, matrem Gaufridi de Dunzei, & Agnetem Dominam de Monteforti in Cœnomania. Quarta Comitiſſa Mathildis Pertici. Quinta Monialis fontis Ebraldi. Sexta fuit Adela Francorum Regina. ☙ Elinandus. ☙ Relictam Ludovici Francorum Regis *vel potius, & ut verius dicatur*, *repudiatam* duxit Comes Andegavenſis, & Dux Normanniæ Henricus, Rex Angliæ mox futurus, unde guerra orta eſt inter eos. Hanc reliquit Rex Ludovicus *propter incontinentiam ipſius mulieris*, quæ non ut Regina ſe habebat, ſed fere ſe communem exhibebat. Fuit autem Alienor dicta, Guillelmi filia Pictavienſis Comitis & Aquitaniæ Ducis, quæ cum Regi Franciæ duas filias peperiſſet, Mariam Comitiſſam Trecenſem, & Eleidem Comitiſſam Bleſenſem, poſtea prædicto Regi Henrico quatuor peperit filios & filias tres. ☙ Fertur etiam Regina Alienor duas habuiſſe ſorores, quarum unam Radulphus habuit Comes Peronæ & Veromandiæ. Petrus Vir Religioſus factus eſt Tarentaſienſis Archiepiſcopus. Abbas Alanus de Ripatorio fit Autiſſiodorenſis Epiſcopus.

Anno 1153. *Fredericus Magnus*, Frederici Ducis filius fratris Imperatoris Conrardi Romanis imperat, qui aliquantulum de anno ſuperiori imperaverat. ☙ Papa Eugenius moritur qui fuit Clarevallis Monachus, a quo quædam facta miracula certiſſimum eſt. Hujus *epitaphium* tale reperitur.

Hic

Digitized by Google

Hic habet Eugenius defunctus carne ſepulchrum,
Cui pia cum Chriſto vivere vita fuit
Piſa virum genuit, carum Clarevallis alumnum
Exhibuit ſacræ Religionis opus
Hic ad Anaſtaſii translatus Martyris ædem
Ex Abbate Pater ſummus in urbe fuit.
Eripuit ſolemne jubar mundique decorem
Julius octavam ſole ferente diem.

Succedit ei Anaſtaſius hujus nominis quartus anno uno. ☙ Moritur *Beatiſſimus Abbas Bernardus* decimo tertio Calendas Septembris centum quadraginta* Monachorum pater. ☙ Eodem anno quædam virgo Chriſti *Hildegardis de Alemannia*, cum eſſet magni nominis, Spiritu ſancto inebriata per capitulum & ſeniores Ciſtercienſes, qui literas ſuas ei dederant, ſciſcitata & rogata ut ſecundum quod Deus ei manifeſtaret, reſcriberet eis, ſi quid eſſet in ordine quod Deo diſpliceret; reſcripſit literam iſtam in perſona Domini noſtri Jeſu Chriſti Ciſtercienſi capitulo generali in hæc verba. ☙ Ego fons vivus dico ad illos qui propter nomen meum tunica mea induti peregrini ſunt in venatione mundi. O quam plangendum & lugendum quod cœlum ruptum eſt, & quod dies obſcurus eſt. Nunc ergo denarius revocandus eſt in atrium vocis laudis. O filii Israel quare corrumpitis dulciſſimam Charitatem? &c. quæ in eadem epiſtola continentur. ☙ Hæc autem Hildegardis cum neq; literas neque latinũ didicerit, fecit librum epiſtolarum egregium, in quibus multa de temporibus noviſſimis continentur, & alium librum qui *Scivias, id eſt ſciens* intitulatur, & tertium qui inſcribitur: Divinorum operum expoſitio. ☙ Circa finem menſis Auguſti hujus anni, Rex Hieroſolymorum Balduinus cum diu obſediſſet Ascalonem, poſt varios & periculoſos obſidionis eventus, de illa trium-

* Monaſteriorum.

phavit, Ascalonitis ad deditionem inclinatis. ☙ His diebus Fulcherius erat Patriarcha Hierosolymitanus, post quem Heraclius qui fuit Archiepiscopus Cæsareæ Palestinæ, deinde Monachus Tuscus.

Anno 1154. Mortuus est Rex Siciliæ Rogerius, cui successit filius ejus in Regno Guillelmus. ☙ Obiit sanctus Volverius Eremita, cujus *vitam* scripsit Joannes Abbas de Forda. ☙ Obiit Rex Anglorum Stephanus, qui fuit frater Comitis Theobaldi, & erat Comes Bolonienſis. Tres filios habuit, Eustachium, Joannem & Guillelmum, qui eodem fere anno interierunt. De eodem Eustachio invenitur quod sanctus Edmundus eum percusserit, eo quod terram ejus depopulatus sit. ☙ Et factus est Rex Comes Andegavensis & Dux Normanniæ Henricus filius Mathildis Imperatricis, quæ fuit filia primi Henrici Anglorum Regis. ☙ Hoc tempore *Magister Guillelmus de Concis* Philosophus magni nominis habitus est. ☙ Romæ mortuo Papa Anastasio, fit Papa Nicolaus natione Anglicus, qui dictus est Adrianus hujus nominis quartus, qui primo fuit Abbas Canonicorum regularium sancti Rufi de Valentia, & exinde factus Cardinalis ad Papatum ascendit. ☙ Efinandus. ☙ Fuit huic Papæ Adriano familiaris *Joannes Saleberiensis*, & ipse Anglicus natione qui de eodem Adriano talia profert. Audivi Papam Adrianum dicentem quod Romano Pontifice nemo miserabilior est, conditione illius nulla miserabilior. Fatebatur enim se in eadem sede tantas miserias invenisse, ut facta collatione præcedentium præcedens amaritudo jucunditas & felicitas fuerit. Spinosam dicebat Cathedram summi Pontificis, mantum acutissimis undequaque confertum aculeis, tantæque molis ut robustissimos premat, terat, & comminuat humeros. Coronam & phrygium clara merito videri, quoniam ignea sunt; se numquam a naturali solo Angliæ malle exiisse, aut in claustro Beati Rufi perpetuò latuisse

tuisse, quam tantas intrasse angustias, nisi quia divinæ dispensationi reluctari non auderet. Hoc etiam mihi sæpissimè adjecit, quod cum de gradu in gradum a claustrali Clerico per omnia officia in summum Pontificem ascendisset, nil aut felicitatis aut tranquillæ vitæ quieris priori vitæ adjectum est ab ascensu. Et ut verbis ejus utar. *In incude, inquit, & malleo semper dilatavit me Dominus:* sed nunc oneri quod infirmitati meæ imposuit si placet supponat dexteram, quia mihi importabile est. Nonne miseria dignus est qui pro tanta pugnat miseria? sit ditissimus qui deligitur, sequenti die pauper est, & infinitis penè creditoribus tenebitur obligatus. Ambire ergo ad summum pontificium, & non sine fraterno sanguine ad illud ascendere, est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in ovibus pascendis. Bene ergo dicitur non tam nuncupative quam substantivè servus servorum Dei. Serviat enim servis avaritiæ, id est Romanis, necesse est; adeo ut nisi servierit, fiat aut Expontifex, aut Exromanus.

Anno 1155. Florebat hoc tempore Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus vir per omnia laudabilis ac magnificus, & tam in secularibus quam Ecclesiasticis negotiis experientissimus. ❧ Rex Angliæ Henricus apud sanctum Eadmundum fuit coronatus. ❧ In Colonia post Arnoldum primum quem nos Arnulphum dicimus, Arnoldus de Weda fuit Archiepiscopus. ❧ *Elizabeth ancilla Christi de Sconaugia* Trevirensis diœcesis, librum viarum Dei hoc anno inchoavit, qui erat quartus annus ex quo visitata fuit a Spiritu sancto, & visiones videre cœpit, & in sequenti anno librum ipsum consummavit. Sunt ibi decem sermones secundū decem fidelium distinctiones quasi per decem vias ad unum montem ascendentes, via contemplativorum, via activorum, via * via conjugatorum, via continentium, via Prælatorum, via viduarum, via Eremitarum & solitariorum, via adolescentium, via infantium.

Cœnobitæ ſunt in via Contemplativorum & in via Continentium. In anno priore cum eſſem in ſpiritu duxerat me Angelus ductor meus die quadam quaſi in pratum quoddam, in quo fixum erat tentorium & introivimus illuc, & oſtendit mihi magnam congeriem librorum illuc repoſitorum, & ait. Vides libros iſtos? omnes adhuc ante diem Judicii dictandi ſunt. Elevans autem unum ex eis dixit. Hic liber viarum Dei per te relevandus eſt *quando viſitaveris ſororem Hildegardim* & audieris eam, & ita quidem impleri cœpit, continuò cum ab ea rediiſſem. Hæc eſt Hildegardis illa ſancta Domina de qua ſuperius ſatis dictum eſt. Iſta vero Elizabeth de aſſumptione beatæ Mariæ Virginis glorioſæ ſatis brevem edidit ſermonem, unum dicens ſibi revelatum quod ab aſſumptione ejusdem Dominæ noſtræ die quadrageſima, hoc eſt nono Calendas Octobris veraciter corpus ejus reſurrexit & cum gloria qua decuit Angelis obſequentibus cœlos penetravit, & ex tunc certiſſimum eſſe, corpore & anima eam in cœlitibus regnare. Dixit eidem Elizabeth Domina noſtra ab ea* ſuſcitata, quod poſt aſcenſionem Domini uno anno tantum ſuper terram vixit, & quantum temporis eſt ab Aſcenſione Domini usque ad ejusdem Dominæ noſtræ aſſumptionem. Floruit ſanctus Milo Tervanenſis Epiſcopus in quo reſplenduit humilitas. Unde dicitur, *In Norberto fides, in Bernardo charitas, in Milone refloruit humilitas.* Imperator Fredericus præterito anno profectus hoc anno Romam venit, multis in itinere laboribus attritus & diverſis hoſtiliter obſiſtentibus, quos omnes, tam ſagacitate, quam virtute ſuperavit, & ad deditionem atque ad ſubjectionem compulit. Romanis Principibus mandavit, ut eum cum pace ſuſciperent, & debitam ſubjectionem non negarent, quod illi pecuniæ inhiantes contumaciter renuerunt, dicentes, quod niſi ad quas vellent conditiones adquieſceret, ipſos non ſubjectos ſed hoſtes ſentiret. Im-

* f. ſcitata id eſt interrogata.

pera-

perator ſemper eorum inexpletam avaritiam reſpuens Romam armata manu ingreditur. Papam Adrianum amicum & aptum ſibi inveniens, in Eccleſia ſancti Petri benedicitur, confirmatur & coronatur. Interim exercitus ejus hoſtium non ignorans inſidias, totum procinctum Eccleſiæ ſancti Petri armatus circumdederat, donec omnibus expletis cum Imperatore egrederetur. Romani tam pudore quam dolore animo concitato, quibusdam reſiduis quos incautos occupaverant interfectis cum Imperatore congrediuntur, ſed mox in fugam verſi, ad Tyberis alveum coguntur. Quanti in congreſſione ceciderunt, quanti in flumine ſubmerſi ſunt, ſcriptis committere non audeo. Imperator victor regreditur, floret Imperium, & Dominus rerum gloria ſublimis attollitur. ☙ Godefridus junior Dux Lotharingiæ filiam Henrici Comitis Lemburgenſis in conjugio ſortitus eſt, per quod tandem rebus omnibus pace compoſitis, contentio longo tempore protracta ea conditione finita eſt, ut Godefridus confirmatum ſibi Ducatum ſine ulla contradictione, Advocatiam ſancti Trudonis, caſtellum Rode obtineat, atque omnium quæ poſſidet idem Comes poſt deceſſum ejus medietatem accipiens, hæreditario jure ſucceſſor fiat. ☙ *Arnoldus* hæreticus & ſchismaticus *de Brixia*, diſcipulus Magiſtri Petri Abaillart, a quinque Apoſtolicis excommunicatur. Tandem ſub Adriano Papa laqueo ſuſpenſus, corpus ejus igne crematur, & combuſti cineres in Tyberim fluvium projiciuntur.

Anno 1156. De *undecim millibus Virginibus* & de ſocietate earum, & de paſſionis tempore earum, de quo errabant omnes chronographi facta eſt hoc anno ſupradictæ *Elizabeth* revelatio talis. Ad domum Monialium de Sconaugia miſit Abbas de Taicio corpus unius illarum Virginum cum corpore unius martyris inter illas inventi. Titulus erat virginis. Sancta Verena Virgo & Martyr, quæ ipſa die eidem apparuit,

&

Digitized by Google

& dixit quod idem Martyr dicebatur Cæsarius, & addidit quomodo & quibus temporibus iverunt Romam, & quod Papa & alii ecclesiastici Prælati, multique alii viri nobiles facti sunt usque ad eorum mortem socii & participes. Si quis planè hanc revelationem legere desiderat, inveniet eam in Sconaugiensi cœnobio, & in multis aliis tam Galliæ quam Germaniæ. ☙ Item in eodem anno, id est Frederici Imperatoris quinto quidam Magister egregius *Omnibonus* nomine librum de *concordia discordantium canonum* diligentissimè ordinavit in duas partes. Primam partem in viginti sex distinctiones, secundam in causas triginta septem per quæstiones diversas satis artificiose propositas, *hic liber a nomine autoris Omnebonum;* & hunc secutus est tempore Alexandri Papæ *Gratianus Cardinalis* qui multa addidit, ita quod de viginti sex distinctionibus centum distinctiones fecit, sed per ipsum ista doctrina facta est magis authentica. Circa hoc tempus Magister *Petrus Lombardus* fuit Parisiensis Episcopus ferè per triennium. Apud sanctum Marcellum est sepultus. Qui fecit tria opuscula egregia, videlicet, Librum sententiarum quod est opus excellentissimum, Glossaturam continuam super Beati Pauli epistolas, & opus satis grande super psalterium. Et hæc est in scholis illa quæ dicitur major glossatura. ☙ Magister quoque *Richardus de sancto Victore* natione Anglicus multa est laude persequendus * ubi agit subtile opus de contemplatione, & librum qui vocatur exceptionum, & de visionibus Ezechielis ad litteram, & de mystico somnio Nabuchodonosor, & cætera alia quæ suis locis inveniuntur. ☙ Et Magister Henricus degens in Bituria de nigro ordine Monachus, nobile opus super Isajam, & multa alia edidit. ☙ Elinandus. ☙ Signum sanctæ Crucis apparuit in luna. ☙ Fredericus Imperator judicio & consilio Archiepiscoporum & Episcoporum *relicta uxore sua* duxit filiam Comitis Burgundiorum

orum Rainaldi nomine, de Ultra Saonam, quam patruus ſuus Comes Guillelmus arcta turris cuſtodia diu clauſam tenuerat, ut eum perderet, & hæreditatem ejus fraudulenter præriperet ſed Deo miſerante de manibus ejus liberata Imperatori in conjugium copulata eſt. ☙ Henricus junior Anglorum exercitum copioſum & magnum belli apparatum, quem propoſuerat ducere in Hiberniam, ut eam ſuo Imperio ſubjugaret, fratremque ſuum conſilio Epiſcoporum & Religioſorum virorum illi Inſulæ conſtitueret Regem, convertit contra Regem Francorum, hac ſcilicet de cauſa quia uxorem ejus ab eo relictam in matrimonium duxerat, cujus patrimonium ſatis magnum & amplum, Ducatum ſcilicet Aquitaniæ, & omnia ſibi ſubiacentia Rege contradicente poſſidere contendebat. Inde gravis & longa contentio inter eos exorta eſt, ita ut in partibus utriusque Regni viderentur urbes deſtrui, villæ & oppida concremari, homicidia, deprædationes rerum omnium violenter fieri, & a Pyreneis montibus pene usque ad fines Flandriæ hoc malum quaſi peſtis graviſſima intolerabiliter graſſari.

Anno 1157. Florebant illo tempore quidam viri venerabiles, quorum unus *Zacharias Chryſopolitanus* de ordine Præmonſtratenſium apud ſanctum Martinum Laudunenſium, fecit volumen illud egregium ſuper quatuor Evangelia, quod *unum ex quatuor* appellatur, & *Radulphus ille niger Monachus Flaviacenſis* in territorio Belluacenſi fecit opus ſuper Leviticum per viginti libros diſpoſitum quod prædicatur & probatur magnificum. ☙ Elinandus ☙ Tres lunæ viſæ ſunt, in media erat ſignum Crucis. ☙ Thomas Archidiaconus Cantuarienſis per induſtriam Archiepiſcopi Theobaldi factus eſt Regis Henrici Cancellarius, ad quem *Joannes Saleſberienſis* ſcripſit librum famoſum *polycraticon* intitulatum, de nugis vel contra nugas curialium. ☙ Theodoricus Comes Flan-

diæ jam tertiò profectus eſt cum quibusdam principibus terræ ſuæ, ducta etiam uxore ſua zelo piæ devotionis accenſa, cum quadringentis militibus & copioſo belli apparatu Hieroſolymam. (Philippus filius ejus Comitatum ſuſcepit, quem juſtitia, fortitudo, liberalitas, omnibus bonis laudabilem & amabilem fecit.) Quam ea tempeſtate in tanta perturbatione & deſperatione invenit, ut jam timerent ſe de finibus ſuis expelli, loca ſancta gentibus profananda, totamque terram poſſidendam relinqui. *Noradin enim Sanguini filius* rupto pacis fœdere, primo improviſus ſuperveniens, eis congreſſus ſuperavit. Secundo in Vigilia Pentecoſtes congrediens fere ſexcentos in exercitu probatos quosdã templi, quosdã Regis milites occidit: Regem vix fuga elapſum cæterosq; in caſtrum Belinas impulit, terram usque maritimam nullo reſiſtente progrediens, multa cæde vaſtavit. In tanto timore poſitos Dominus adjutor in oportunitatibus, in tribulatione per Comitem ſupradictum hoc modo conſolatur. Ipſe namque confiſus Dei adjutorio, & ſanctæ crucis quæ in exercitu ferebatur munitus ſignaculo, adjuncto ſibi Rege audacter congreſſus, Noradin cum ſuis ſuperavit, ſuperatos humiliavit, humiliatos ad pacem poſcendam compulit. Caſtellum quod Cavea dicitur noſtris valde infeſtum, quippe qui per illud infra ſeptem annos fere quindecim millia de ſuis amiſerunt, magna inſtantia & fortitudine ſuperatum, poſitis in eo militibus obtinuit. Inde circa natale Domini Antiochiam veniens, duo caſtella Harene & Femie *acquiſivit, tertium deſtruxit, quæque Princeps ipſe Raimundus incuria & inſolenti temeritate amiſerat, Turcis irruentibus cum maxima parte exercitus ſui occiſis, ipſe viriliter agens recuperavit. Deinde progreſſus in ulteriora, Cæſaream Cappadociæ obſedit, obſeſſam quarto die cepit, & quia retinere non potuit, utpote a noſtris longe poſitam, deſtruxit, & ſic omnia proſperè agens ad ſuos Hieroſolymam cum magna glo-

* Magn. Chr. Belg. *Fenne.*

tia

ria & gaudio Christianorum reversus, ibidem biennio commoratus est. Uxor ejus Bethaniæ Religionis habitum suscepit. ☙ *Brandeburch* castellum in terra Slavorum trans Albim per quod pagani Christianos graviter affligebant, *Albertus Marchio Comes in Saxonia* obsedit & cepit, positisque in eo militibus, Sclavos humiliavit, ac per hoc Christianorum fines multum dilatavit. ☙ Fredericus Imperator secundo in Italiam plenius eam subjugaturus movit exercitum cum Duce Bohemiæ, & cæteris Regni Principibus.

Anno 1158. Rex Waldemarus Daciæ postquam devicit Suenonem voto facto Domino Cœli fundavit Abbatiam Witescolam in Dacia, qui Sueno tertium Canutum Magni filium occidit, & ipse a Waldemaro victus & absque liberis mortuus male periit. De prædicto vero Canuto natus est Waldemarus Slesvicensis Episcopus,& frater ejus Nicolaus. ☙ Guido. ☙ Inter Regem Francorum Ludovicum & Henricum Anglorum Regem gravis discordia ferebatur, indignante Rege Francorum quod pro diversis Regni ejus dignitatibus quas ab eo tenebat idem Henricus, hoc est Ducatum Normanniæ, Comitatum Pictaviæ cum Ducatu Aquitaniæ, Comitatum Andegavensium & quædam alia, cum ejus dominio astrictus esset, idem Henricus fidelitatis hominia non ei deferebat, sed inferebat injurias, & in multis adversum eum præsumebat. Hujus occasione discordiæ multa inter illos contracta dispendia, commissa prælia,vastatæ regiones, eversa castra, depopulatæ sunt urbes,& strages hominum facta,quantam se vidisse non meminit ætas a tempore longo ante transacta. Sed ut pax inter eos firmaretur filia Regis Francorum nomine Margareta, data est filio Regis Anglorum Henrico primogenito ejus, quod tamen parum profuit in hac parte. ☙ Coloniæ post Arnoldum secundum quidam Fredericus hujus nominis secundus

poſt Carolum juſtitia & pietate eſt habitus. Interim tamen otia piis reipublicæ perornans negotiis, Laudam civitatem quam Mediolanenſes deſtruxerant in tutiori loco translatam reſtruxit, Cumam quoque civitatem quam iidem Dei & ſui hoſtes pene deſtruxerant, renovavit & munivit.

Anno 1159. Romæ Papa Adriano mortuo eligitur a ſaniori parte Cardinalium Rollandus Cancellarius natione Senenſis, & vocatur Alexander tertius, qui cum ſe proteſtaretur indignum cauſa humilitatis, proſiliit in medium Octavianus vir ambitioſus, ut ajunt, quibusdam ſibi faventibus Cardinalibus*: Iſte non eſt cogendus. Et mox ab illa parte de qua præſumebat, ſe patiens eligi, Victorem ſe nominare (quamvis victoria careret) præſumpſit, & veniens ad Imperatorem Fredericum qui Mediolanum in Lombardia obſidebat, ipſum ad ſe traxit, & generale ſchisma in Eccleſia fabricavit, & per annos fere novemdecim innumera hominum milia ad inferos transmiſit. Papa Alexander immobilis in fide ſtetit, qui habuit in partem ſuam Regem Franciæ, & Regem Angliæ, & multos alios. ☙ Elinandus. ❧ Hujus tempore fiunt miracula Beatæ Mariæ de rupe amatoris. Abbas Corbejæ & ſancti Remacli Wibaldus qui decorem domus Dei dilexit hoc anno deceſſit, cui frater ejus Ellebaldus per annos circiter triginta & duos apud ſanctum Remaclum ſucceſſit. ☙ Bellum graviſſimum ortum erat ante annos circiter viginti inter Ducem Lovanii Godefridum juniorem, & Walterum cognomento Bertolt. Puer quidem Godefridus adhuc in cunis jacebat. Turba enim ſeditioſorum utriusque partis pacem turbabat. Unde malum magnum proceſſit & grande detrimentum terram invaſit utriusque. Agricolæ enim bonis ſuis ſpoliati miſeri & exules de finibus ſuis ſunt egreſſi, terra deſerta habitatoribus inculta remanſit. Erat cernere miſeriam, incendia, homicidia, rerum omnium deprædationes violenter fieri ferè per annos viginti,

* f. dicens.

quid poſtea inveneris, ſecurè comedere poteris, fecit ſecundum quod audivit. Inferebantur ergo diverſa fercula carnium & volatilium, & piſcium, & paſtillorum & hujusmodi, ſed cum ille feciſſet ſignaculum crucis, inventa ſunt omnia ſtercora fuiſſe diverſa hominum, porcorum, aſinorum & aliarum immunditiarum, & pretioſa vina verſa ſunt in fœtentes urinas, & ſic fuit detecta prædicta Dæmonum fraudulentia. Cum ergo Princeps ille Catholicus cum ſuis ferè omnes detruncaſſet, ita annihilati ſunt quod ex tunc latuerunt; ſed de eorum reliquiis creditur excreviſſe *iſta nova hæreſis quæ noſtris diebus Alamanniam graviter infecit.* Omiſi autem dicere quod faciebant quaſi miracula, & videbantur quidam ex eis ambulare ſuper aquam quaſi ſuper aridam, & multa alia, ſed inventa ſunt omnia fuiſſe mendacia, & a patre mendacii procedentia. Qui autem ſemel deceptus guſtaſſet de eorum convivio, vix poſtea, vel numquam reverti poterat ad mentis integritatem & fidem. ❧ Rex Anglorum Henricus filiam Stephani Neptem ſuam ſanctimonialem & Abbatiſſam in clauſtro conſecratam contra fas legum Matrhæo filio Comitis Flandriæ Theodorici dedit uxorem, ut per eam Comitatum retineret Bolonienſem. Et quia ſponſa Deo dicata non ſponſum ſed adulterum ſummo Regi ſuperduxit, bella & ſeditiones inter patrem & filium inter fratrem & fratrem miro modo concitavit. ❧ Fredericus Imperator cum videret propter paucitatẽ exercitus Mediolanenſes contra ſe inſolentius agere, miſit per omnes fines Regni ſui*, & juravit ſe non receſſurum civitate, donec caperet eam. *Ut autem hoc juramentum ratum maneret, deſignavit, ſi forte vita decederet, duos Imperatores, filium Conradi prædeceſſoris ſui, & poſt eum* Henricum *Ducem Saxoniæ.*

Anno 1161. Apud Lingones factus eſt Epiſcopus Galterus quondam Archidiaconus Lugdunenſis, & Epiſcopus Eduenſis. Fuit hic Galterus frater Odonis *Burgundiæ Ducis*, & ha-

* addit M. Chr. Belg. *ut venirent in auxilium.*

& habuit alium fratrem Episcopum Eduensem nomine Henricum. Horum etiam fratres fuerunt Raimundus pater Mathildis Comitissæ Nivernensis, & Hugo Rufus pater Dominæ de Monteregali, & de sororibus earum una mater Guillelmi Domini de Montepessulano, & una mater Comitis Gerardi filii Hugonis de *Vaudanimonte*. Et horum omnium pater Dux Hugo filius fuit illius Ducis Odonis, sub quo cepit ordo Cisterciensis. ❧ Item hoc anno decesserunt Dominus Bozo Catalaunensis Episcopus, & venerabilis Samson Rhemorum Archiepiscopus, qui obiit undecimo Calendas Octobris. ❧ Convenerat exercitus magnus ex omnibus partibus Regni præterito anno ab Imperatore convocatus, quorum adventu oppido lætatus, consilio Principum statim obsedit ex omni parte Mediolanum, & ita coarctavit eos, ut non haberent potestatem liberè egrediendi vel ingrediendi, emendi vel vendendi. Timuit enim propter reverentiam ecclesiarum armata manu congredi, ut parceret militibus qui in congressione (ut assolet fieri) occidi possent, & maluit fame cruciatos ad deditionem compelli. Ipse interim quotidie eleemosynis pauperum insistebat, decimam partem omnium redituum suorum pauperibus erogabat, æstimans se melius eleemosynis pauperum quam armis militum posse vincere.

Anno 1162. Henricus Episcopus Bellovacensis frater Regis Franciæ in Archiepiscopum Rhemensem promotus quatuordecim annis præfuit. ❧ Hic dicendum est quod Rex *Ludovicus cognomento Crassus* istos habuit filios: Philippum coronatum in Regem, qui a porco (ut dicunt) occisus vivente patre decessit. *Ludovicum pium* Regem qui post eum regnavit; prædictum Henricum hoc anno in Archiepiscopum Rhemensem assumptum; Et alios duos milites de quibus extat maxima progenies: Comitem Robertum de *Brano* qui duas habuit Comitissas, matrem scilicet Comitis Rotroldi de *Pertico* natam

Digitized by Google

natum de *Salisberia*, de qua filiam Alaidam genuit, unde nobiliras illorum de *Torota*, & modernorum *Comitum de ſancto Paulo* proceſſit. Hæc Alaidis de primo Marito Gallerano de Bertuilh tres genuit filias *Comitiſſam Claromontis* Belluacenſis & uxorem Simonis Clarimontis, & Emiciam. De ſecundo marito Guidone de Caſtellione genuit Guidonem & Comitem Galterum & Alaidem uxorem Guillelmi Noblet. De tertio Joanne Caſtellano Noviomenſi genuit Guidonem & Joannem de Torota patrem Joannis &c. De quarto Comite Sueſſionenſi genuit duas filias uxorem Comitis Joannis *Bellimontis*, de qua Matthæus de *Montemorenci* liberos habuit, & uxorem Stephani de Sancerra. Secunda uxor Roberti ſupradicti de Brana fuit Agnes nobilis de *Barro ſuper ſequanam*, mater Comitiſſæ Petronillæ, de qua genuit duos Epiſcopos & Comitem Robertum ſecundum de Brana & ſorores duas eorum. Ultimus fratrum prædictorum *Petrus de Corteneio*, vir probiſſimus de Domina de Montargis genuit Petrum Autiſſiodorenſem & fratres & ſorores illius. Et eorumdem fratrum fuit una ſoror quæ dicta fuit Conſtantia mater hæretici Comitis de *Tholoza* Raimundi, & illius cognationis. Uxor autem Ludovici Groſſi mater omnium prædictorum Regina Alaidis, fuit ſoror Amedæi Comitis *Sabaudiæ*, de cujus altera ſorore Marchiones *Montisferrati* procedunt, de tertia Reges *Portugalliæ*; & iſtarum mater Comitiſſa Sabaudiæ fuit filia ejus qui tunc *Dux Venetiæ*.. In Epiſcopatu Belluacenſi prædicto Henrico ſucceſſit Bartholomæus natus de Montcornet in Ardenna. Guido In partibus transmarinis ſub Rege Hieruſalem Balduino tumultus excitatur graviſſimus in Ægypto interfecto Califa a procuratore ſuo Soldano, qui dum fugeret a Chriſtianis ſibi ſupervenientibus interficitur, filius ejus *Noſceradinus* cum multis hominibus & thelauris captus, cum inter vi-

ctores fratribus militiæ templi veniſſet in ſortem, data eis magna ſumma pecuniæ, ſuis inimicis ad puniendum traditus eſt ab eisdem. Cum autem Hieroſolymorum Rex Balduinus prædictus hujus nominis tertius migraſſet a ſeculo, & irremediabiliter ab univerſo populo fidelium deplangeretur, Noradinus Turcorum Princeps egregius, perſuadentibus ſibi ut jam, quod fideles exequiis regalibus intenti eſſent, fines depopularetur eorum, reſpondiſſe fertur moderatiſſimi Principis verbum, & perpetua memoria dignum; Compatiendum eſt, inquit, & humanius indulgendum juſto eorum dolori, eoquod Principem amiſerunt qualem totus hodie non habet mundus. Succedit eidem frater ejus Almaricus in Regno. Rex Hieroſolymitanus Fulco, de Meliſende Balduini Regis filia genuit Balduinum & Almaricum Reges, Sybillam matrem nobiliſſimi Flandriæ Comitis Philippi. Mediolanenſes obſidione, fame, inopia & (quod gravius eſt) ſeditione coarctati, per internuntios petunt ab Imperatore miſericordiam, tantum ut vita donetur, omnem conditionem ab ipſo poſitam promittunt ſe ſuſtinere. Calendis itaque Martii omnes per turmas ſuas exeunt, prius Principes, poſt eos nobiles & milites manibus gladios ſuos tenentes, quaſi rei Majeſtatis & proditores, deinde promiſcuum vulgus funibus colla innexi, in ciliciis, cinere capitibus aſperſo ad pedes Imperatoris in modum crucis ſe proſternunt. Ille pius & miſericors lachrymis perfuſus, qui propoſuerat eos ad terrorem aliorum diverſis ſuppliciis interimere, vita donatos, rebusque neceſſariis, quantum ſecum ferre poterant, conceſſis, per regiones diſperſit, ita ut non haberent licentiam amplius in civitatem revertendi. Deinde juſſit ſuos civitatem ingredi, muros, turres, alta & ſuperba faſtigia & ædificia deſtrui. Tribus tamen pepercit Eccleſiis, ſanctæ Mariæ, ſancti Mauritii, & ſancti Ambroſii, cum officinis clericorum officialibus, ipſorum domibus & indemnitate rerum conceſſa,

ærarium

ærarium publicum ſibi reſervat. Placentini, Bononienſes, Brixiani, Mediolanenſibus contra Imperatorem confœderati, exemplo eorum territi, eandem humilitatis ſubjectionem quaſi rei Majeſtatis proſtrati Imperatoris pedibus exhibuerunt, ipſiusque indulgentiam obtinuerunt. ☙ Fames graviſſima in tantum prævaluit, ut modius tritici venderetur triginta & eo amplius ſolidis Lovanienſis monetæ, multaque millia hominum periiſſent fame, niſi Deus pauperis populi afflictionem reſpexiſſet. Ipſe enim qui percutit & medetur, dedit ſpiritum bonum in cordibus fidelium ſuorum, cujus inſtinctu largam manum ad pauperes extenderent, eorum inopiam ſua abundantia ſuppleverunt, & largius quam aliquando noſtris temporibus vidimus, ſua eos liberalitate ſuſtentaverunt. ☙ Imperator Fredericus a Rege Francorum invitatus, ut ſublato ſchismate Romanæ Eccleſiæ pax firma redderetur, *Concilium in territorio Beſuntionum Dolo* villa ſuper Sagonam fluvium in decollatione ſancti Joannis Baptiſtæ convocavit. Sed in tanto conventu Regum, Ducum, Comitum, Archiepiſcoporum, Abbatum, Clarevallenſium conſilio & inſtinctu Rege Franciæ ab Imperatore averſo, quique ſine effectu, eadem & adhuc graviore permanente diſcordia, in ſua redierunt. ☙ Deſponſata filia filio Regis Anglorum, contentio quievit.

Anno 1163. In Cameraco poſt Nicolaum Alardus fuit Epiſcopus. ☙ Per Archiepiſcopum Rainoldum Colonienſem, qui erat in Lombardia cum exercitu Imperatoris Frederici Mediolanum obſidentis, civitate tandem capta, translata ſunt Coloniam *trium*, qui in Evangelio leguntur, *Magorum corpora*: ſiquidem translata fuerunt antiquitus a Conſtantinopoli Mediolanum per quemdam ſanctum Epiſcopum nomine Euſtorgium, & poſtea extra foſſata civitatis in uno ſarcophago in quadam Eccleſiola propter hæreticos, quia dicti Magi non poſſent morari in civitate aliqua ubi eſſent hæretici.

De Perſidæ verò qualiter prædicta corpora fuiſſent translata huc usque non reperi. ☙ *Sancta Hildegardis*, cujus ſuperius memini ab hoc anno, cum eſſet annorum ſexaginta ſex, librum ſcripſit divinorum operum, per ſimplicem hominem a vivente luce prolatorum, in quo opere ſeptem annos expendit, & dividitur totum opus in tres partes. ☙ Apud Catalaunum electus fuit in Epiſcopum quidam Guido de Dampetra frater Anſerici, Guillelmi, Andrææ & Milonis virorum nobilium; ſed divino, ut creditur, judicio, cum eſſet indignus, obiit ipſo die quo erat in craſtino conſecrandus. Et electus & conſecratus alter Guido de Jovevilla, frater Gaufridi, filius Rogeri qui per annos viginti & octo præfuit. Apud Tullum poſt Epiſcopum Henricum Petrus per annos viginti ſeptem, vel circiter præfuit. ☙ Rex Henricus Anglorum ſubjugare cœpit Hiberniam circa hæc tempora per quosdam Principes ſuos & Barones: Wallia vero jam a tempore primi Regis Angliæ Henrici qui fuit avus iſtius Regis fuit ſubacta; & ex tunc Epiſcopi Menevejæ ubi quondam fuit Archiepiſcopus, conſecrationem ſuam accipiebant Cantuariæ, videlicet tempore primi Henrici, tempore Regis Stephani Epiſcopus David, tempore hujus Henrici Epiſcopus Petrus. ☙ Florebat in Francia *Palatinus Campaniæ Comes* Henricus, quin potius Francia per illum; vir de quo dubium genere nobilior eſſet an animo, cui Franciæ Regina ſoror, & filia Regis uxor, in quo conſtabat ſibi Regnum conſtituiſſe virtutes, & Reginam plusquam regalis munificentiæ largitatem. Novum & jocundum in eo ſpectaculi genus exhibebat invidiæ pia contentio, laudis certamen inter famam & meritum ejus, quod ſcilicet peragrando circum niteretur invicem prævenire; fama tamen & merito vincebatur. Nam quod præcedente merito premebatur a Comite, præciſis geſtorum titulis, & ſparſis longè lateque beneficiorum radiis enitebatur. Inter inſignia ſuorum operum illud

Digitized by Google

illud jubare ſplendidiore refulſit, quod Eccleſiam palatio ſuo contiguam in honore Beati protomartyris Stephani (prout inſtruxit eum quem erga Deum habebat amor) extruxit, ditavit prædiis, holoſéricis ornavit, theſauris honoravit, Clero laudes exultatione divinas ſpirituali decantare celebriter ordinavit. Fateor me non vidiſſe, legiſſe autem memini tantæ liberalitatis extitiſſe Principem. ☙ Albericus Monachus. ❧ Sed ô exclamatio præ dolore quid nos ad hæc dicemus, quod tantam in dicto Principe laudem per famam publicam denigravit quæ adhuc reſónat quædam lues importuna, lues peſtifera, & licet ipſe pœnituerit, ut poſtea dicemus, tamen multi ex iis non pœnituerunt, qui per ejus exemplum & opus a via deviaverunt. Et hoc teſtatur cauſa Trecenſis Epiſcopi Matthæi, quam apud Papam contra dictum Principem habuit. Sed non eſt a memoria excidendum quod cum ipſe Princeps in viſione vidiſſet ſe in puteum quemdam cecidiſſe, & per quamdam Virginem nomine Hildam ſe a periculo liberari, quæſivit diligenter quæ eſſet *ſancta Hilda*, nec deſtitit donec corpus ejusdem ſanctæ per quemdam armigerum nobilem inventum corio cervino diligenter inſutum ab antiquo Trecas tranſtulit, & decenter non in auro aut argento, ſed in vaſe eburneo collocavit in prædicta quam fundaverat ſancti Stephani Eccleſia. Fuit hæc ſancta Virgo Hilda ſanctæ Helenæ Conſtantini matris ancilla. Quære ſupra anno 333. ☙ Circa hunc annum obiit Comes Albertus de Chineſio.

Anno 1164. Apud Cantuariam poſt Epiſcopum Theobaldum electus fuit hoc anno & conſecratus Regis Angliæ Cancellarius *Thomas*, qui ſtatim indutus virtute ex alto murum pro domo Domini contra Regem fortiter ſe oppoſuit, & reliquerunt eum Epiſcopi Suffraganei ſui, & eodem anno exul ab Anglia aufugit in Franciam, & venit Senonas apud Alexandrum

tertium, tenens in manu ſua ſcripturam propter quam exulabat, & recitata ſunt in conſpectu Papæ ſexdecim capitula in quibus Rex libertatem Eccleſiaſticam in Anglia conabatur opprimere. Archiepiſcopo ad ſingula capitula ſtando differente, Cardinales quidam, ſed præcipuè Papienſis Guillelmus qui pecuniam acceperat a Rege, multas vexationes ſancto viro ingerebant. Admirans autem Papa ſapientiam Viri, magnificentiam atque præſtantiam, vocavit eum ad ſe & fecit ſedere juxta ſe. Bene, ait, veneris, frater cariſſime, qui tantum onus, tamque arduum negotium pro Eccleſia Dei ſuſcepiſti. Vir igitur Domini aliquanto tempore in Curia demoratus; tandem cum licentia & conſilio Papæ Pontiniacum ſe contulit. Interea Rex in Anglia in totam cognationem ejus inaudito crudelitatis genere cœpit deſævire. ❧ Obiit Hugo Epiſcopus Rotomagenſis, eique ſucceſſit Rothroldus Ebroicenſis Epiſcopus, cognatus Comitum Pertici. Theodoricus frater Comitis Barri per annos decem fuit Metenſis electus. ❧ Guido. ❧ Ea igitur tempeſtate ſchismaticæ procellæ vehementi Romanam impulſu vexabant Eccleſiam, cujus illa turbulentis fluctibus agitabatur, velut inter duos ſcopulos ad culmen aëriæ ſublimitatis evectos, id eſt inter electos ad ſummi pontificatus apicem Alexandrum & Victorem, vel etiam ejus ſucceſſorem Paſchalem. Alexander vitæ meritis & ſcientiæ præcellentis; alter titulo gloriæ ſecularis innitebatur, uterque tamen magnis conſiliis & auxiliis juvabatur. Diu ſuſtinuit iſtud periculum navis Eccleſiæ lacerata tantorum gravi concertatione ventorum; & ſicut legitur uno Rege Asa ſuper Judam regnante multos Reges in Israël mutuis cædibus interiiſſe, ſic uno, ſcilicet Alexandro ſe ſupervigente, pluresque ſupervivente pſeudopontifices, ut unitas commendaretur Eccleſiæ, poſtmodum licet ſero, Regnum & Sacerdotium, ut poſtea dicetur, in pacis oſculo conve-

convenerunt. ☙ His diebus Episcopus Leodiensis Henricus erat in Lombardia cum Imperatoris exercitu. Hunc igitur Episcopum Octaviano mortuo qui se Victorem nominabat, Imperator Papam facere voluit, sed *Episcopus recusavit.* Licet enim lateri ejus adesset ex necessitate, tamen recusabat esse Princeps in tam generali schismate. Cum itaque Papam * illius partis suscepisset quidam Joannes Strumensis qui dictus est Paschalis, ab eodem Leodiensi Episcopo de mandato Imperatoris benedicitur & consecratur. Ipse vero post consecrationem suam eidem Episcopo *pallii dignitatem* contulit, & *Regem Sardiniæ Barrasonam* ab Imperatore coronatum, idem Leodiensis Episcopus in Regem benedicit. ☙ Comes Flandriæ Philippus, Comitis Theoderici filius, cum per Constantinopolim reverteretur a transmarinis partibus, habuit cum eo colloquium Imperator Manuel nobilissimus, & pertractavit cum eo matrimonium tale, ut filio suo juveni nomine Alexio una filiarum Regis Ludovici Francorum transmitteretur per ipsius Comitis industriam & colloquiũ seu consilium. Jam habebat Rex de filia Comitis Theobaldi, quam noviſſimè duxerat, Regina scilicet Adela, filiam juvenculam nondum nubilem, & firmatæ sunt ad invicem pactiones, & factum est quod citius fieri potuit, ut dicta puella Constantinopolim transmitteretur. Imperator Manuel in proximum moriturus filium suum Alexium cuidam Principi commisit, qui erat cognatus suus nomine Andronicus, cum cura totius Imperii. Proditor autem ille nefandissimus mortuo Imperatore imperium ad se traxit, & multa alia commisit, de quibus in sequentibus suo loco dicetur.

Anno 1165. Elinandus. Beatus Petrus Tarentasiensis Archiepiscopus, venit apud Calvomontem quod est in confinio Franciæ & Normanniæ pro pace reformanda inter Henricum

* f. Papatum.

cum Regem & Regem Ludovicum pium, ubi multas virtutes per eum operatus est Dominus in præsentia duorum Regum prædictorum, & Henrici junioris Regis Angliæ, & Philippi Comitis Flandriæ. In capite jejunii imposuit cineres benedictos capiti Regis Angliæ apud Mortuum mare. ❧ Episcopus Leodiensis Henricus cum reditus suæ Ecclesiæ & Episcopii valde ampliasset, & palatium Episcopi ad Leodium fecisset, hoc anno decessit pridie nonas Octobris, & apud sanctum Lambertum tumulatur. Cui Alexander ejusdem Ecclesiæ Præpositus in regimine Episcopatus succedit, ❧ De nativitate filii Ludovici pii dicturi prius repetere debemus quod Rex iste Ludovicus de prima uxore sua Alienor quam dimisit duas habuit filias, Comitissam Mariam Campanien sem & Aleidem Blesensem. De secunda quoque uxore quæ fuit Hispana duas similiter habuit filias, Reginam Margaretam & Comitissam Alix de Pontivo. De tertia vero uxore Regina Adala Comitis Theobaldi filia duos etiam habuit liberos, Imperatricem Græcorum & illum de quo intendimus dicere Regem post futurum ❧ Ex Chronica sancti Dionysii. ❧ Rex prædictus Ludovicus pius cum prædictas omnes haberet filias; & nullum adhuc filium, genuit in senectute sua quasi per miraculum Philippum magnanimum *qui a Deo datus est dictus*, pro eo quod pater ejus vir sanctus semper postulabat a Deo masculinam prolem, & supplicabat omnibus viris Religiosis, ut super hoc pro eo orarent Deum. In super cum omnes Abbates Cistercienses juxta consuetudinem convenissent apud Cistercium sicut solent singulis annis facere, prostravit se Rex Ludovicus in oratione manibus expansis in capitulo in medio eorum, & cum clamaretur ei, ut surgeret, numquam voluit corpus de terra levare, quo usque illi oratione fusa ad Deum, ex parte Dei omnipotentis certificaverunt eum, quod

in

in brevi esset habiturus prolem masculinam, & sic tandem exauditæ sunt preces ejus, & datus est ei filius a Deo *Philippus Magnanimus*, natus mense Augusto in octavis assumptionis sanctæ Dei genitricis anni præsentis. ☙ Albricus Monachus. ☙ Ex hoc tempore *Joannes Presbyter Indorum Rex* literas suas multa admiratione plenas ad diversos Reges Christianitatis misit, specialiter autem Manueli Constantinopolitano, & Romanorũ Imperatori Friderico, ex quibus literis quædam hic annotabimus. ☙ Presbyter Joannes potentia & virtute Dei & Domini nostri Jesu Christi Rex Regum & Dominus Dominorũ terrenorum, Emanueli Ρωμαίων Gubernatori, salutem &c. Præcellentissimo potentia & virtute omnes Reges universæ terræ,* septuaginta duo Reges nobis tributarii existunt. Quia plures sunt Christiani &c. sequitur usque habemus, & Palatium aliud quod factum per revelationem patri meo qui vocabatur quasi Deus.

Anno 1166. Per *Ducem Saxoniæ Henricum* filium illius Ducis Bavariorum de quo supra dictum est, qui fuit gener Imperatoris Lotharii, *Sclavi ante Daciam consistentes, qui alio nomine dicebantur* ** *Luciani*, ad Christianitatem cœperunt converti, cum idem Rex terram illam suæ subjugasset ditioni. ☙ In libro miraculorum Clarevallensium, indicante Abbate Gerardo de Alna cognovimus, quia Comes Losensis Philippus qui ante annos paucos defunctus est, biennio postquam obierat, uni de militibus suis sedens in caballo, & amictus cappa apparuit & cœpit ambulare cum eo, & ita sermocinari quod miles vocem ejus recognovit. Cum de statu ejus miles requireret, dixit quod in locis pœnalibus deputatus multis afficiebatur cruciatibus, & mandavit uxori, ut pauperum hospitale quod ipse facere disposuerat, ipsa in instanti perficeret, & isto & aliis remediis ei subveniret, & mandavit ei quædam intersignia de summa quadam pecuniæ quam obtulerat olim in Hierosolyma. Dixit insuper militi quod die octavo ad locum eumdem

** f. Luticiani.

reverteretur. Cum hæc audiſſet uxor voluit octavo die cum milite ad locum venire, ſed diſſuadentibus amicis non venit, tamen capellanum ſuum Chriſtianum nomine cum milite transmittit in hujus rei teſtimonium & argumentum. Cumque die octavo ſecundum quod inter ſe condixerant in eodem loco militi & capellano idem Comes apparuit, inter cætera dicebat, Cavete ne propius accedatis, quia ignis iſte quo totus ardeo citius incenderet & vos; & cum eis diutius colloquendo equitavit, & de conſtruendo pauperum hoſpitali petitionem ſæpius inculcavit. Hoc anno in Ruthenenſi pago tempeſtas caſtigavit gravi flagello populum Dei. Nam lupi feroces ab uberibus matrum pueros capiebant, & diris morſibus devorabant. Hæc peſtilentia ſedata eſt,* multa alia miracula per beatam Mariam Virginem de rupe amatoris, id eſt Rochemador. Chronica Aquenſis. Hoc anno Rainaldus Archiepiſcopus Colonienſis,& Gebhardus præpoſitus Bonnenſis, ipſorum frequenti ammonitione patronorum, Beatiſſimorum Martyrum ipſius Bonnenſis Eccleſiæ, ipſos, videlicet Caſſium, Florentinum & Maluſium cum eorum ſociis ſexto Nonas Maij, cum inenarrabili cleri devotione ac multitudine populi tranſtulerunt, invento ſicco,ſed evidenti ſanguine, cum tamen antea nongenti ſeptuaginta tres anni fluxerant a paſſione eorumdem.

Anno 1167. Apud Coloniam poſt ſupradictum Rainoldum ſive Reginaldum factus eſt Archiepiſcopus Philippus vir inclytus filius *Goſuvini de Heinesberch* qui talem ſe exhibuit, quod quadraginta marcharum millibus, emit prædia, caſtella & reditus Eccleſiæ; ſedit annis ſeptemdecim. Herbertus Clarevallenſis. *Henricus Saxoniæ* de quo in præcedenti continetur, in Slavonia quoddam oppidum obſedit. Unus Comes de ſociis ejus cum omni gente ſua procul a caſtris tentoria fixit. Irruentes nocte pagani de oppido, eumdem Comitem

tem cum ſuis peremerunt. Quod audiens Dux adverſariis occurrit, & a parvo usque ad maximũ, omnes quos invenit interemit. Et in illo quidem campo ubi Chriſtiani occubuerunt, tale usque hodie cernitur miraculum, quod in ſingulis ferè capitibus ſignum crucis evidens & pulchrum in medio frontis atque calvariæ patet divinitus impreſſum, neſcio an innatũ an crebris foraminibus conterebratum intus & foras; cum in alio campo ubi facta eſt cædes paganorum nil tale prorſus appareat. In Ungaria poſt Regem Jheta, regnavit filius ejus Bela per annos, ut dicunt, triginta. In primis adverſabatur quidam frater ſuus nomine Guitardus, ſed tandem victus fuit & concluſus. In his quoque diebus quidam Nobilis de Francia Rainaldus de Caſtellione ſuper Wainum Fluviolum ortus, multis probitatibus famoſus, cum veniſſet Antiochiam & in bellis clarus exiſteret, duxit in uxorem Dominam civitatis relictam Principis Raimundi, & factus eſt *Princeps Antiochiæ*, de qua Domina tres genuit filias quarum primam habuit Imperator Conſtantinopolitanus Manuel, & ex ea genuit Alexium de quo præmiſimus; Secundam Agnetem nomine quam duxit Rex Bela prædictus Hungariæ, genuit Hamericum & Andræam fratres & Reges, & duas Reginas, Conſtantiam de Bohemia & Margaretam de Græcia. Tertiam Principis Rainaldi filiam nomine Alaidem duxit *Marchiſius Eiſtenſis* in Italia. Guido. Apud Conſtantinopolim vir iniquus Andronicus & palatii Comes, Alexium a patre decedente cum Imperio ſibi commiſſum, circumventũ dolis & arte pelasga quamvis conſanguineus eſſet illius, cogit a vita disjungi, ſibi conjungi conjugem ejus invitam de qua præmiſimus, occupatoque palatio, cum theſauris, proh ſcelus exitiale, ſolium imperiale conſcendit. Sed cum videretur ei quod propter hæc flagitia odioſus & abominabilis haberetur, & quod digito notaretur ab omnibus, ut per extraneos atrocius ulciſceretur in ſuos,

paganorum copiis in regiam urbem repente trajectis, efferatus in cives, alios jugulat, alios vinculat, alios exilio tradit, istos exitio trucidat & excidio. Albricus. ☙ Jacit sortes, in sortibus reperitur quod quidam Isaacus ipsum de Imperio amoveret & perditioni traderet, quæritur in circuitu civitatis, & per totam Græciam quis vocetur Isaacus. Inveniuntur tandem duo, Rex qui tunc erat in Cypro, & unus miles juvenis qui tunc erat scriba Cancellarii & Seneschaldis in Curia Imperatoris. De neutro tamen istorum habetur suspicio. Jecit iterum sortes, invenit sicut prius invenerat. Ad consilium Cancellarii mandat, ut adducatur Isaacus ille Notarius, ut ejus effodiantur oculi. Cum Isacus ille venire tardaret, & jam præmunitus sederet in hospitio matris suæ armatus sub veste & gladium juxta se haberet, indignatus Cancellarius ille cujus consilio cuncta agebat Andronicus, ad hospitium Isaaci accessit, ipsum per capillos arripuit, & cur ad ejus imperium non celeriter veniisset cum indignatione & impetu requisivit: Isaacus cum esset juvenis probissimus, gladiũ arripuit & caput ejusdẽ Cancellarii celeriter amputatum ense suspendit, per civitatem clamitando circuit Venite ad me, ego diabolũ interfeci. Crediderunt omnes hæc audientes quod Andronicum interfeciisset. Illico Isaacum rapuerunt, & ad sanctam Sophiam perduxerunt, in Imperatorem acclamatione solenni coronaverunt. ☙ Guldo. ☙ Ita perfidum solio deturbatum & præcipitem prosternit Isaacus ad solum, mox ad Imperium acclamationibus totius populi evectus cunctorum pro desiderio, pulsum imperio trahi per publicum jubet Andronicum. Qui dedecorose tractatus ictibus maceratus, & dilaceratus, ex plenis * odiis tot & tantis quamvis multipartitus insufficiens fuit, nec sitim sanguinis sui licet totus effunderetur, extinxit.

Anno 1168. Hierosolimorum Rex Almaricus Syracuimum Turcorum potentem, & in procuratione Regni Damas-

* expleudi.

sceni

ceni ſucceſſorem Ainardi, cum univerſis Turcorum copiis rruentem ſuper Ægyptum, vocatus in auxilium a Sauuare Sollano qui ſub Califa præerat, tunc ſuper Nilum vi ponte conſtructo perſequitur, & eum Saladino nepote ipſius infra Alexandriã obſidione concludit. Pace tandem facta, Regi Almarico ubditur Alexandria ſub tributo. Rex ad propria regreditur cum riumpho. ☙ Item Rex Almaricus civitatem quæ dicitur Barbais in Ægypto obſidet & expugnat. Savvarac Soldanus Regem promiſſione pecuniæ decipit infinita, & interea contra ipſum auxilium Syracuini Damaſcenorum Procuratoris inviat, qui veniens cum valida manu Turcorum Soldanum interficit prædictum proditione. Ipſe quoque Syracuinus non multo poſt a principatu morte præreptus, invaſæ Saladinum nepotem tam poteſtatis quam impietatis reliquit hæredem. Jno tantum anno ut dicitur Rex Almaricus tributum habuit Alexandriæ & Ægypti, ſecundo anno loco auri transmiſerunt i deauratum, tertio anno nihil. ☙ Apud Leodium electus ſt hoc anno in Epiſcopum Rodulfus frater Bertoldi *Zeringiæ Ducis*, & Conrardi & Alberti, mediante avunculo ſuo *Comite Namurcenſi* Henrico: Qui Rodulphus apud Maguntiam poſt Henricum & Arnulfum extiterat Archiepiſcopus. Sed quia *Bennonem deſtruxit*, id eſt quandam ſtatuam auream in Eccleſia Maguntina ſic appellatam confregit, & aurum expendit, & conſanguineis ſuis diviſit, ideirco ab Epiſcopatu ipſum celere oportuit. ☙ Et quoniam ventum eſt ad hunc locum ccaſione Avunculi ejus Comitis Namurcenſis, tangenda nois eſt breviter pro *proſapia Namurcenſis*. Albertus Comes enior Namurcenſis Godefridum genuit Comitem de Namuro & Comitem Albertum de rupe, & ſorores eorum. Una dicta eſt Aaliz quæ Comiti Ottoni de *Chisneio* Comitem Alberum peperit. Hujus fuerunt filii, Comes Ludovicus, Theolericus de Marlertis, Epiſcopus Arnulphus Virdunenſis, Do-

mina de Hirges, Ida Domina de Aſperomonte & Mater Rogeri de Valden. Item quoque Epiſcopus Albero Leodienſis qui Bullonium per Beatum Lampertum recuperavit, & ſoror ejus Comitiſſa Lovanienſis, quæ Comiti Lovanii peperit primum Godefridum Comitem, fuerunt de proſapia Namurcenſi. Alibi ſcriptum reperitur. Quædam autem nobilis Comitiſſa de *Longuy* Ermonſendis nomine peperit Comitem Guillelmum de *Lucemburc* patrem Conrardi, & Ermenſendem Comitiſſam Namurcenſem uxorem Comitis Godefridi, & Mathildam Comitiſſam de Longuy & de Homberc, & *de Caſtris*. Hæc autem Mathildis Comiti de Caſtris peperit Comitem Folmerum, & ſorores ejus Helvidem quam habuit Gerardus de Reneke dioceſis Herbipolenſis, & illam de qua *Reneke de Brunſuik* genuit filiam quæ in Slavia hæreditavit. De Comite Folmero nati ſunt Epiſcopus Virdunenſis, Hugo de Lignevilla, & Folmarus Comes de Caſtris. De iſto Folmaro nati ſunt, Comes Henricus qui de ſorore Comitis Senonenſis genuit filias, quarum una conjuncta Comiti Rainaldo fuit. Hugo Comes filius Folmari Comitis genuit Folmarum & Conrardum de Riſta & Hugonem fratrem ejus. De Comite autem Gerardo & Helvide de Reneke nati ſunt Conrardus Primicerius Metenſis, & Comitiſſa Ermenſendis, quæ Ludovico *Comiti de Loz* Comitis Philippi filio peperit Comitem Gerardum & ſorores ejus, una mater *Ducis Bavariæ* & matris *Lantgravii*, alia Loreta Theobaldo de Brie peperit Agnetem Ducissam *Lotharingiæ*, matrem videlicet Theobaldi & Matthæi Ducum, Rainaldi & Jacobi primicerii Metenſis, & eorumdem ſororum. Comes Gerardus de Loz de ſorore Comitis de *Gelra* quatuor habuit filios. Comitem Ludovicum, Gerardum de Reneke, Arnulphum & Henricum. De Gerardo de Reneke nati ſunt Ludovicus & iſte Comes Arnulphus de Loz & de Chisneio, & ſoror una Comitum de Loz Mathildis peperit *Imaginam*, cujus filiæ Elizabeth aliqua fuit proles. Nunc ad

ſupe-

Digitized by Google

ſuperiora redeamus. ☙ Comes Godefridus de Namurco & Comes Henricus de *Rupe* fratres, fuerunt filii ſenioris Alberti, qui Comes Godefridus duxit Sybillam filiam Comitis Rogerii *Percenſis* qui fuit frater Hescelini de Grandiprato. De Flandrina minus nobiliter nupta fuit Hugo de Spineto, Gerardus Abbas de Claromareſco, & fratres eorum & ſorores. ☙ Prædictus Comes Godefridus Namurcenſis duxit ſecundam uxorem genere nobiliorem & vita ſanctiorem, videlicet Ermenſendem ſororem Comitis Wilhelmi de *Lusceleburg*, & genuit ex ea jam prælibatum Comitem Henricum Namurcenſem, & tres ſorores germanas ejusdem. ☙ Prima fuit Duciſſa *Tyringiæ* * quæ peperit Radulphum Leodienſem Epiſcopum Ducem Bertholdum & fratres eorum. Dux iſte Bertholdus duxit filiam Comitis Hermanni de Frieburc, & genuit Ducem Bertholdum alterum & duas ſorores. Prima Comiti Huguenoni de *Eura* in Suavia peperit Conrardum Canonicum ſancti Lamberti, qui poſtea fuit Abbas Clarevallis & Ciſtercii, deinde Cardinalis, & poſt in Franciam & Alemanniam Legatus, & Abbatem Bertholdum de Salem, & fratres ejus & ſorores. Secunda Ducis Bertholdi filia fuit Comitiſſa *Kiburgenſis*, & plures liberos ipſa habuit. Secunda ſoror de tribus ſupradictis Comitis de Namurco Henrici, nomine Beatrix Comiti Gunthero *Roiteſtenſi* peperit Albertum ſancti Lamberti Leodienſis Præpoſitum. Comitem de Reteſt Manaſſerum, Caſtellanum Vitriaci, Henricum & Hugonem, & Balduinum, qui ſine liberis mortui ſunt, & tres ſorores. Una Regina Siciliæ, Beatrix nomine, peperit Rogerio Regi Siciliæ Conſtantiam Imperatricem, matrem *moderni Imperatoris Frederici*. Altera fuit mater Hugonis Vicedomini Catalaunenſis. Tertia nomine Clementia, alii dicunt Agatha viro Nobili Hugoni Wasnau peperit Robertum de *Petraponte* patrem Comitis Joannis de Rocheio, Galtherum de Wasnau, Epiſcopum

* Zeringiæ.

pum Hugonem Leodienſem, & Margaretam Dominam de Eppa, matrem alterius Epiſcopi Leodienſis nomine Joannis. Item Comes Guittherus pater Reginæ Beatricis quatuor ſorores habuit. Una Stephano Straboni de *Novocaſtello* ſuper Axonam familiam peperit. Altera peperit Hugonem, Balduinum & matrem illorum de *Hamelmont*. Hugo vero horum primogenitus genuit Rainaldum de *Juncherio*, patrem Luciæ quæ fuit mater Isabellæ *Caſtellani Barri*. Tertia Yvecta Miloni peperit Odonem Peſel, & poſt Villano de Arzilliis, peperit Adelinam matrem Odeardi Marſcalli, qui habet multam familiam, & habuit quatuor ſorores de quibus extat progenies. Quarta ſoror Comitis Guittheri de Matre non patre, filia videlicet Comitis Grandisprati peperit Comitiſſam matrem Radulphi de *Claromonte*, & vetulæ Dominæ de Stirpeto. Henricus Caſtellanus Vitriaci filius Comitis Guittheri Reiteſtenſis fuit pater Beatricis Dominæ ſancti Carauni. Tertia ſoror de tribus Comitis Namurcenſis ſupradicti, Ermenſendis nomine, Comiti Balduino de *Hainaco*, cujus mater fuit, ut dicitur de Pontivo, peperit Comitem Balduinum, Henricum de *Seburgo*, & quatuor ſorores eorum. Una mater fuit Comitis de Grandiprato. Altera Hyolens Comiti Roberto peperit Henricum Archiepiſcopum Rhemenſem & tres Comites, Robertum de Brana, Petrum de Britannia, Joannem Matisconenſem, & eorum ſorores numero ſeptem. Unam habuit filius Gervaſii ex ſorore Hervei *Nivernenſis Comitis*; Pater Gervaſii vocatus fuit Odo. Alteram habuit Comes Joannes de Rocio & dimiſit eam quia erant in quarto gradu conjuncti, & unam habuit Rainaldus de Cascolo. Una eſt Comitiſſa Philippa *Barrenſis* uxor Comitis Henrici. Una Agnes in Burgundia nupſit Comiti Stephano, Patri Joannis *Cabillonenſis*. Sextam duxit Comes Radulphus de Augo. Septima Monialis fuit in Fonte Ebraldi. Altera ſoror Comitis Balduini de Hainaco, & Henrici

Digitized by Google

rici de Seburgo primo, fuit Comitiſſa Sueſſionenſis Hyolens, quæ poſtea Comiti Hugoni de *ſancto Paulo* peperit Iſabellam uxorem Comitis Galteri, & Euſtachiam uxorem Joannis de Nigella. Tertia ſoror Comitis Balduini Loreta Burchardo de *Montemorency* Matthæum peperit in curia Franciæ nominatiſſimum, & Comitiſſam Montiſfortis matrem Comitis Almarici. Quarta nomine Bertha Egidio de ſancto Auberto Cameracenſis diœceſis peperit Gerardum & ſororem illius. De Comite Balduino de Hainaco, & tribus filiis ejus, & tribus filiabus multa dicenda erunt in ſequentibus. De fratre Comitis Godefridi Namurcenſis qui dictus eſt Comes Albertus de Rupe natus eſt Fredericus Archidiaconus ſancti Lamberti Leodienſis, qui factus Archiepiſcopus de Tyro, id eſt de Sur in partibus transmarinis; Et ſoror ejus Mathildis quæ Theodorico de Vaillancourt peperit Werricum de Rupeforti, & matrem Theodorici de Hufalaize, & poſt mortuo Theodorico de Valecurte, Nicolao de *Avenes* peperit nobilem virum Jacobum & Idam Caſtellanum ſancti Audomari. De Warrico quatuor fuerunt filii, & quædam filiæ. De Jacobo quinque filii, quorum unus Dominus Galtherus factus eſt Comes Bleſenſis, & habuit quatuor ſorores Comitiſſas. Depoſito igitur apud Maguntiã memorato Radulpho, factus eſt Archiepiſcopus Dominus Conrardus vir honeſtus & magnanimus, contra quem Imperator ſchismaticum Archiepiſcopum intruſit, non re ſed nomine Chriſtianum. Eidem quoque Conrardo Papa Alexander dedit Cardinalem* Sabinenſem, & Archiepiſcopatum de Salzeburc ejus prudentiæ commiſit. Treveri quoque fuerunt duo Archiepiſcopi, Folmarus ex parte ſummi Pontificis, & Radulphus de Weda major præpoſitus ex parte Imperatoris.

Anno 1169. Pariſius poſt Magiſtrum Petrum Manducatorem Magiſter *Petrus Pictavinus* cathedram tenuit Theologicam, qui Manducator cum eſſet Trecenſis Decanus, ſcholaſti-

* ſ. Eccleſiam.

cam hiſtoriam edidit ad Senonenſem Archiepiſcopum Guillelmum, qui poſtea Rhemis fuit Archiepiſcopus. Cujus etiam Manducatoris habetur liber qui dicitur *Paræneſis*, & liber ſermonum ejus de ſolemnitatibus per anni cīrculum. Prædictus vero Pictavinus fecit librum *de Theologicis ſententiis* ad eumdem Archiepiſcopum Guillelmum. ☙ Elinandus. ☙ Henricus Rex Angliæ majorem filium ſuum Henricum, generum Regis Ludovici Pii, fecit in odium & præjudicium ſancti Thomæ Cantuarienſis conſecrari in Regem à Rogero Eboracenſi Archiepiſcopo, quod ſolum ad Cantuarienſem pertinebat Archiepiſcopum.

Anno 1170. Poſt falſum Papam Paſchalem Octaviani ſucceſſorem in parte ſchismatica, fuit falſus Papa ex parte Imperatoris Guido quidam Cremonenſis, & vocabulo Aladamus igne concremandus, qui ſe Calixtum appellavit. ☙ Guido. ☙ In partibus transmarinis Saladinus Soldanus effectus, ingreſſus ad *Califam* Dominum ſuum & pro ſolita reverentia quæ ab antiquo a Soldanis ei exhiberi debebatur, clava proſtratum occidit, & per omnem progeniem ejus ſuum fecit tranſire gladium, *Califam ſe conſtituens & Soldanum.* Hic ergo Chriſtianos per annos viginti quinque quibus regnavit, vehementer afflixit. ☙ Elinandus. ☙ Henricus Rex Angliæ, ſicut Domino Papæ & Regi Francorum promiſerat facturus cum Epiſcopo Cantuarienſi, fecit Miſſam cantari pro fidelibus defunctis, *ſciens quod ad eam pax non daretur*, nolens pacem ſumere ab Archiepiſcopo. Unde & idem Archiepiſcopus eodem anno, ut dicturi ſumus, in Eccleſia & pro Eccleſia martyrium paſſus eſt. ☙ In lecto ægritudinis ſuæ diu jacens *ſancta Hildegardis*, vidit hanc vigilans corpore & animo pulcherrimam imaginem, ſanctam videlicet Eccleſiam mirabiliter adornatam, ſed facies ejus pulvere aſperſa erat, & veſtis ejus in dextro latere ſciſſa erat, & pallium ejus ſuam elegantem pulchritudinem amiſerat, & calceamenta ejus ſuperius denigra-

tae-

ta erant, & ipſa voce magna & lugubri de ſuis miſerabiliter ſacerdotibus conquerebatur, & cætera quæ ibi habentur. ☙ In feſto ſancti Laurentii mortuus eſt Comes junior Rainaldus. Quibus diebus erat Epiſcopus Virdunenſis Arnulphus de *Cisnejo* de Agnete ſorore ejusdem Comitis progenitus. De unaquaque ſorore ejusdem Comitis fuerunt Comites de *Claromonte Belnacenſi*. De tertia fuerunt Comites qui dicuntur *Sylveſtres* in Alemannia, & de iſta fuerunt filiæ, una Mathildis uxor Comitis Manaſſeri *Reteſtenſis*, altera Chunegundis de *Riſta*. De quarta fuit Simon de *Commarcejo*, & duæ ſorores illius. Uxor ejusdem Comitis Rainaldi Comitiſſa Agnes diu terram tenuit eo mortuo, donec ad incrementum venerunt filii ejus qui quatuor fuerunt, ſcilicet Comes Henricus, Comes Theobaldus, Hugo, & Epiſcopus Carnotenſis Rainaldus. ☙ Inveniuntur quædam Papæ Alexandri literæ quas miſit *Presbytero Joanni* ſuperius memorato, per quemdam Epiſcopum Philippum ab eodē Papa ordinatum, & de fide & moribus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diligenter inſtructū, qui Philippus ab eodem Presbytero Joanne miſſus fuerat ad Papam Romanum.

Anno 1171. Beatus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus martyriſatur in Eccleſia ſua quarto Calendas Januarii, tempore veſpertinali hora undecima a quatuor militibus quinque plagis occiſus pro tuenda Eccleſiæ ſuæ libertate. Militum nomina fuerunt hæc. Richardus Brito, Hugo de Morevilla, Renaldus Urſus, & Guillelmus de Traci. Qui poſtea ferro ligati, pœnitentiam, ut credimus, condignam provincias peragrando compleverunt. Meritis autem hujus Martyris cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, loquuntur muti, pauperes evangelizantur, paralytici convaleſcunt, detumeſcunt hydropici, ſenſui redonantur amentes, curantur epileptici, febricitantes evadunt. De quibus miraculis a multis multi facti ſunt libri. ☙ Ex Chronica ſancti Dionyſii. Cum Beatus Thomas Cantuarien-

sis Archiepiscopus pro jure & dignitate Ecclesiæ suæ a sede sua per violentiam Henrici Regis Angliæ ejectus, & a Ludovico Pio Rege Franciæ honorabiliter esset receptus, tandem ad propria reversus est, passus martyrium anno sexto ætatis Filii Ludovici Pii Philippi. Ad cujus sepulchrum idem Ludovicus Pius accessit orationis.* Cum esset inde recessurus orationem suam ante sepulchrum glorioſi Martyris sic complevit: Hospes sancte. Ego quidem te recepi, sed minus honoravi quam debui, tamen tu gratanter accipiebas quod mea tibi parvitas exhibebat, & dixisti quod si Deus tibi posse in posterum conferret, mihi retribueres quod tibi faciebam. Modo Dominus tibi contulit posse retribuere. Ergo sicut promisisti mihi tantum promove & protege filium meum Philippum. ❧ In Episcopatu Dunelmensi in Anglia loco qui dicitur Fineale *sanctus Gundricus* mirabilis Eremita hoc anno requievit, qui erat sexagesimus conversionis suæ annus. De cujus vita & miraculis liber habetur a nonnullis. ❧ Floruit hoc tempore in Hungaria *vir sanctus Archiepiscopus Lucas Strigonii*, & abhinc Rex Bela regnavit annis viginti quinque.

Anno 1172. *Gislebertus Monachus & Abbas quondam de Croilanda in Angliæ*, qui fecit in morem Beati Bernardi sermones super cantica canticorum, hoc anno obiit. ❧ Robertus præpositus de Arca in Flandria Episcopatus duos regebat, Atrebatensem & Cameracensem, filius fabri rustici Carnotensis, qui, ut ajunt, familiari dæmone utebatur, per quem ad tantos honores venerat.

Anno 1173. Apud Laudam civitatem in Lombardia per consilium Abbatis Clarevallensis Ambrosii de ordine Cisterciensium quædam mulier dæmoniaca mirabiliter est curata, per cujus os dæmon, qui erat in ea, mirabilem de passione Christi prædicationem audientibus inculcabat. Sed superveniente altera a Mediolano dæmoniaca, dæmon sævissimus qui erat in

* f. gratia.

ea cœ-

ea cœpit fortiter per os pueri increpare dæmonem de Lauda, eo quod ille de paſſione Chriſti & laude ejus aſtantibus prædicaret. Mirabilis prorſus narratio, quam qui plenius ſcire voluerit apud Clarevallem inveniet. ❧ De eadem civitate Lauda alibi ſcriptum invenitur quod Imperator Fredericus eam mutavit, & in loco ubi nunc eſt, poſuerit. ❧ Item fundabatur hoc tempore nova Alexandria in Lombardia ſub nomine Papæ Alexandri appellata, Imperatore Frederico reluctante diu, ut Cæſarea diceretur, ſed non potuit prævalere. Hæc eſt Alexandria in Aquenſi diœceſi, & cognominatur Palea. ❧ Hoc anno, decimo ſeptimo Calendas Julii corpus ſancti Domitiani Epiſcopi & Confeſſoris honorabiliter a Domino Rodulpho Leodienſi Epiſcopo, præſentibus quamplurimis perſonis, Religioſis, ſecularibus & Eccleſiaſticis, transfertur, atque in feretro argenteo deaurato decenter locatur. ❧ In diœceſi Sueſſionenſi ſuper Axonam fluvium villa quæ dicitur Bicerei, hoc anno contigit quod quædam puella porcam prægnantem ſecuta eſt in quamdam caveam hominibus ignotam, & reperit ibi quendam ſenem ignotum, & multos theſauros, & reverſa ad dominam ſuam quæ erat ejus noverca, cum cœpiſſet ei & aliis ad ſe venientibus multa ventura prædicere, cœperunt ad illam undique concurrere qui nova audire cupiebant. Quo cognito Epiſcopus ſub excommunicatione interdixit ne quis ulterius ad illam ſciscitandi gratia accederet, quia variæ ſunt & multiplices & phantaſticæ dæmonum illuſiones, quibus credere non debemus.

Anno 1174. Elinandus. Civitas Rotomagi obſeſſa a Ludovico Pio Rege Francorum, & Henrico novo Rege & Philippo Comite Flandrenſi, contra Regem Angliæ Henricum. ❧ Obiit ſanctus Petrus Tharentaſienſis Epiſcopus anno vigeſimo tertio ſui Pontificatus. Facta eſt hoc anno dedicatio Eccleſiæ Clarevallenſis, & *canonizatio Beati Bernardi* & elevatio

ejus, ubi adfuit Dominus Richardus Lugdunenſis Archiepiſcopus. Et ſequenti anno in capitulo cœperunt cantum de Beato Bernardo, & cantum de Trinitate. ☙ In terra Regis Portugallenſis in Hiſpania facta eſt per menſes duos anno iſto nimia procellarum ſævitia, & magna ſono terribili tonitrua, ita quod dæmon juxta ipſam urbem in aere diſcurrens viſibiliter apparuit domos evertens & villas deſtruens. Duas quoque non modicas naves in proximo litore Oceani partes adverſæ ſublimius a terra levaverunt, & ſuſpenſas in aëre diutius invicem pugnare fecerunt, ita ut in fruſta ambæ comminuerentur, & tabulæ huc illucque a vento diſpergerentur; deſierunt agricolæ præ timore arare, & ſecuta eſt maxima famis inopia. Itaque per itinera aves & feræ corpora comedebant inſepulta, quorum carnibus lupi aſſueti cœperunt multo tempore viventes homines invadere, pecora faſtidientes & paſtores invadentes.

Anno 1175. Poſt præpoſitum de Area de quo ſupra tetigimus, electus eſt apud Cameracum Petrus frater Comitis Flandriæ Philippi, & Comitis Matthæi *Bolonienſis*, ſed conſentire noluit & Clericatum dimiſit, & Comitiſſam *Nivernenſem* in uxorem duxit, & parvo poſt tempore in hac vita permanſit. ☙ Mortuo Archiepiſcopo Rhemenſi Henrico, decimo octavo Calendas Novembris, Senonenſis Archiepiſcopus Guillelmus factus eſt Rhemenſis Archiepiſcopus. ☙ In Anglia quidam *Prior ſanctæ Trinitatis Londonenſis* fecit de omnibus divinæ ſcripturæ libris quoddam opus mirabile & vocatur *Pantheologia*.

Anno 1176. Rhemenſis Archiepiſcopus Guillelmus ad introitum ſuum quinto Idus Auguſti conſecravit Nevelonem Sueſſionenſem, Rogerum Laudunenſem, & Rogerium (ut puto) Cameracenſem Epiſcopos. ☙ Guido. ☙ In partibus transmarinis poſt mortem Noradini ſtrenui Principis Damaſcenorum *Saladinus* primo de ſibi ſubjectis minus nobilis

unus,

Digitized by Google

nus, tunc autem Ægyptiorum Dominus, proditione Civium Damaſcum occupat, exhæredato filio Domini ſui Noradini. Balduinus Rex hujus nominis quartus, Regis Almarici filius, Damascenorum Regnum & vallem Bachar depopulatur, cum Saladino committit pugnam, & eum cum ſummo periculo & ignominia vertit in fugam.

Anno 1177. Apud Cabillonem Engelbertus ordinatur Epiſcopus, qui poſt annos tres Epiſcopatum dimiſit, ſed tamen ordines & benedictiones celebrat. ☙ Magiſter Lambertus Leodienſis de ſancto Chriſtophoro obiit, novæ religionis quæ feruet in Leodio & circa partes illas, ferventiſſimus Prædicator. Iſte *antigraphum ſcripſit, & tabulam quæ Lamberti intitulatur edidit, ſed & multos libros, & maximè vitas ſanctorum, & Actus Apoſtolorum de* latino *vertit in* Romanum.

Anno 1178. Abbas Clarevallenſis Henricus Regem Anglorum Henricum Cantuarienſi Eccleſiæ reconciliatum ad hoc induxit, ut tectum Eccleſiæ Clarevallenſis quod erat latericium faceret eſſe plumbeum. Henricum vero Campaniæ Comitem liberalitate nominatiſſimum ad hoc induxit idem Abbas, ut pro peccatis ſuis cruce ſignatus iter arriperet Hieroſolymitanum: & cum eodem Comite quidam Nobiles transfretaverunt. Ex quibus fuit unus Comes de *Grandiprato*, & Walardus de Balaham frater ejus. ☙ Eclipſis ſolis facta eſt menſe ſeptembri in vigilia ſanctæ crucis, quarta feria, hora ſexta.

Anno 1179. Mediantibus Epiſcopo Alvenienſi Pontio & ſancto Abbate Hugone Bonæ vallis, Venetiis facta eſt *reconciliatio inter Papam Alexandrum & Imperatorem* Fredericum, quæ reconciliatio facta fuit in Venetia, & idem Papa Concilium magnum tenuit Romæ eodem anno in palatio Lateranenſi, ubi de ſtatu ſanctæ Eccleſiæ multa tractata ſunt & contra *Coterellos*,

rellos ſive Ruptarios quædam capitula diffinita. ❧ In eodem Concilio *mitram paſtoralem* quidã nigri Abbates acquiſiverunt, ex quibus fuerunt duo Pariſienſes. Abbas Guillelmus de ſancto Dionyſio in Francia, & Abbas de ſancto Vincentio, id eſt de ſancto Germano de pratis. In eodem inſuper concilio Dominus Abbas Clarevallenſis factus eſt Cardinalis Epiſcopus Albanenſis. Item etiam in eodem concilio cruce ſignatus eſt Imperator Fredericus, & pro peccatis ſuis mare tranſivit. ❧ Mortuo Epiſcopo de Salzburch Papa commiſit Archiepiſcopatum Domino Conrado Moguntino, & fecit ipſum Sabinienſem Cardinalem. ❧ Alibi. ❧ Anno ab incarnatione Domini 1179. præſidente ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Reverendiſſimo Domino Alexandro Papa tertio, Pontificatus ejus vigeſimo anno convenit ſancta univerſalis Synodus in baſilica Lateranenſi quæ appellatur Conſtantiniana trecentorum nonaginta ſex Epiſcoporum exceptis Cardinalibus & Abbatibus, quorum præ nimia multitudine titulos vel numerum colligere non potuimus. ❧ Eodem anno in feſto ſanctorum omnium coronatus eſt Rhemis Philippus Rex Francorum & regnavit annis quadraginta quatuor. Erat autem quindecim annorum, & Archiepiſcopus Guillelmus qui eum coronavit avunculus erat illius. Pater vero illius Rex Ludovicus Pius vixit poſt illam coronationem ferè per biennium. Hujus itaque Regis Philippi actus magnifici ad laudem ſatis ſibi ſufficiunt ſi fuerint ſimplicíter & veraciter enarrati, & ſtylum tantum veridicum ſibi volunt, cum ad ſui extollentiam nullo indigeant adminiculo fallitatis. Sæpe enim fit ut ſcriptor dum placere quærit, geſtorũ ſeriem pane * mendacii decoloret, quod in enarrandis tàm præclari viri geſtis ** modis devitandũ cenſemus. Itaque quæ de eo habentur *in Chronica ſancti Dionyſii annotata ſecundum magiſtrum Rigordum, & ſecundum Guillelmum Britannicum* presbyterum, vitam ipſius Regis & omnia præclara

* f. parte. ** omnibus.

geſta

gesta sicut sunt veraciter digesta in hoc opusculo nostro annotare decrevimus. Nunc igitur ad ipsius Philippi gesta veniamus. ☙ Idem Philippus Magnanimus audierat a coæquævis & sodalibus suis dum sæpius in palatio cum eis luderet, quod *Judæi* singulis annis unum Christianum occultè occiderent ad sanguinem ejus habendum, imo & ejus corde communicabant. Et ideo concepto ex hac occasione rancore contra eos omnes, proposuit ejicere de Regno suo. ☙ In diebus illis sanctus Richardus *a Judæis crucifixus* fuit & martyrium passus, cujus corpus requiescit *in Ecclesia sancti Innocentii Parisius* in loco qui Campellus dicitur, & fiunt ibi per orationes ejus miracula usque in hodiernum diem. ☙ In Sicilia post Regem Guillelmum regnavit Guillelmus filius.

Anno 1180. Elinandus. Philippus filius Comitis Roberti de Brana, nepos Ludovici Regis per industriam Patrui sui *A*rchiepiscopi Henrici Rhemensis in Episcopum Beluacensem post Bartholomæum electus, rediens hoc anno a via Hierosolymitana post annos quatuor suæ electionis Rhemis consecratus est. Habuit iste Philippus Episcopus fratrem nomine Henricum, Aurelianensium Episcopum. ☙ Eodem vero anno quo *Philippus Magnanimus* fuit coronatus, Hebo de Charentone in pago Bituricensi, Imbertus in pago Lugdunensi, & Comes Guillelmus Cabilonensis Ecclesiam opprimere & Clerum persequi, & libertates & immunitates Ecclesiarum enervare conati sunt. Sed Rex Magnanimus primitias militiæ suæ Deo & Ecclesiis consecrare volens, congregato exercitu, eos in manu forti debellavit, & libertates Ecclesiis reformavit. ☙ Eodem anno multi Principes Regni sui contra ipsum conspirationem machinati sunt, sed ipsos omnes spe citius bello confectos & humiliatos in suam recepit gratiam, inter quos specialiter Stephanus Comes de *Sancerra*, id est de sacro Cæsaris, licet esset ipsius Regis avunculus, frater Adelæ scilicet Regi-

Digitized by Google

næ, ipſum Regem bello attemptare præſumſit, ſed regiæ magnitudini reſiſtere non valens, victus in brevi, faſtu depoſito, ipſius Regis imperio colla ſubmittit. Sancerra tempore Julii Cæſaris dicebatur Avaricon.

Anno 1181. Ex hiſtoria Regis Francorum. Anno Regni Philippi magnanimi ſecundo in aſcenſione Domini impoſuit ſibi iterum Philippus Magnanimus coronam in eccleſia Beati Dionyſii, & injuncta fuit ibidem Elizabeth venerabilis uxor ejus, filia Comitis Balduini de *Hainaco* de Margareta procreata, ſorore Comitis Philippi Flandrenſis. ☙ Guido. ❧ Philippus in Regni Francorum ſolio, novella quamvis adhuc plantatio, nec puſillus, nec puſillanimis, plus animis quam lacertis, non otium ſed negotium amplexus armorum, non thalamos ſed tela voluit, non calamos ſed caſtra coluit, pacem facere per bella ſtuduit, & ſubjugando rebelles, nomen & Regnum geſtis triumphalibus exaltare. Conſilio procerum Franciæ, Comitum Flandriæ pariter & Hainonii, filiam* undecimi Balduini Elizabeth nomine, cum magno patrimonio ſibi matrimonio copulavit. ☙ Elinandus. ❧ Summus Pontifex *Alexander* obiit. Hic cum aliquando a quodam appellaretur bonus Papa, reſpondit: Ego bonus Papa eſſem ſi ſcirem prædicare, judicare, & pœnitentiam dare. Et factus eſt ſummus Pontifex Hubaldus Hoſtienſis Epiſcopus, & dictus eſt Lucius tertius. ☙ Comes Henricus *Trecenſis* a transmarinis partibus reverſus, ſtatim ut terram ſuam attigiſſet, viribus corporis cœpit repente deſtitui, & veniens Trecas in confeſſione Chriſtiana deceſſit, cujus terrã uxor ejus Comitiſſa Maria regebat, donec filii ejus Henricus & Theobaldus ad virilẽ perveniſſent ætatem. ❧ Item eodem anno Rex Ludovicus Pius apud Abbatiam Ciſtercienſis ordinis de ſancto portu, quæ vulgariter dicitur Barbet ** obiit decimo quinto Calendas Octobris feria quinta, cum eſſet annorum circiter ſeptuaginta unius, & in ipſa Abbatia quam ipſe fun-

* Mſ. filiam decimi filiam undecimi. ** Mſ. Barbel.

fundaverat decimo tertio Calendas Octobris honorificè ſepelitur. ☙ Venerabilis Eschilus* Archiepiſcopus *Danorum* moritur, & ſubſtitutus eſt in Dacia Archiepiſcopus Abſalon nomine, qui fuit Epiſcopus Roskildenſis. In Dacia quoque circa hoc tempus Rex Waldemarus hujus nominis ſecundus, qui de Sophia Regina genuit Kanutum & Waldemarum & plures filias. Primò ergo regnavit Canutus per annos circiciter viginti quinque. ☙ Albanenſis Epiſcopus Henricus miſſus in Burgundiam Legatus, duos Archiepiſcopos Lugdunenſem & Narbonenſem depoſuit, *Caſtrum hæreticorum quod vallis* dicitur per miraculum cepit, & anno ſequenti ſub Papa Lucio ad Curiam revertitur. ☙ Epiſcopus Virdunenſis Arnulphus fuit hoc anno apud ſanctam Manehildem occiſus.

Anno 1182. Philippus Rex Magnanimus Deo & Chriſto in primitivis operibus ſuis placere quærens, prohibuit ne quis ludendo vel alio modo caput, ventrem, vel aliud membrum Dei jurare præſumeret *blasphemando.* Et quia *Judæos* odio habebat, & multas de eis in nomine Jeſu Chriſti blasphemias audiebat, omnes debitores eorum a debitis abſolvit, quinta parte ſummæ fisco retenta; & eodem anno omnes de Regno ejecit, datis prius induciis eisdem Judæis vendendi ſupellectiles ſuas, & parandi ea quæ neceſſaria erant egreſſui, antequam eos omnino ejiceret; domos autem & vineas & alias poſſeſſiones retinuit fiſco. ☙ Floruit Magiſter Joannes Beleth in Eccleſia Ambianenſi, qui ſcripſit *librum de divinis officiis* per annum.

Anno 1183. Hoc anno fecit Philippus Rex Magnanimus Eccleſias in nomine Jeſu Chriſti & ſanctorum ejus ædificare ubique per civitates & caſtella in terra ſua, in quibus erant ſynagogæ Judæorum. ☙ Idem Rex de ampliatione Regni & rerum fiſci ſollicitus, *nundinas quæ dicuntur ſancti Lazari de*

* Mſ. Eskilus.

Verſus de eisdem per ordinem.

Inſignis Præſul claris natalibus ortus
Robertus felix, devoto fine quievit.
Malgerus juvenis ſedem ſuſcepit honoris
Natali clarus ſed nullo nobilis actu,
Pervigil Antiſtes in eadem ſede Joannes,
Legis Apoſtolicæ ſtuduit documenta tenere.
Poſt hunc Guillelmus vir nobilis atque benignus
Catholicè plebem tractavit Rotomagenſem.
Catholico more Gaufridus functus honore
Eccleſiæ multa bona contulit intus & extra.
Huic ſucceſſit amor plebis, Hugo * potentum
Clarus avis, clarus ſtudiis, recreator egentum.
Præſul Rothroldus ſequitur ſanctos pietate,
Præfulgens generis & mentis nobilitate.
In ſpecula Cleri ſpeculum prudens ſpeculator
Surgit Galtherus, decus urbis præſule dignus.

Anno 1184. Fuit orta diſſenſio inter Philippum Magnanimum Regem, & Philippum Comitem Flandriæ patruum ſuum, qui nolebat ei reddere Viromanniam, quæ Comitiſſæ Alienordis de jure erat, mortua Elizabeth ſorore ejusdem Alienordis, uxore Comitis Viromanniæ Radulphi. Mortua vero fuit abſque liberis. Comes igitur Philippus in magna ſuperbia curſum ſuum cum immenſo exercitu per terram Regis; cremando & deprædando eam usque fere, civitatem Sylvanectis & Beſtiſiacum obſedit: ſed ſuperveniente Rege ſtatim receſſit & obſedit Corbejam oppidum florentiſſimum, & extremum ejus vallum fregit. Rex autem collecto exercitu apud Compendium feſtinavit ſuccurrere obſeſſis, quo audito inde receſſit Comes. Rex autem obſedit Caſtrum quod Bovas appellant:

* f. atque potentum.

Comes autem metatus eſt caſtra e regione contra Regis exercitum, ſed infra paucos dies mediantibus bonis viris pacificatus eſt Regi, Viromanniam Regi reſtituens, & ejus voluntati juramento præſtito per omnia ſe committens. Rex reddidit Viromanniam Alienordi Comitiſſæ, & illa quittavit ei Civitatem Ambianenſem. Tempus erat quo meſſis jam in culmos prodierat & in ſpicas, exercitus autem Regis occupabat agrorum quatuor millia in circuitu. Meſſis vero fuit partim conculcata, partim falſibus reſecata. Cum autem poſtea meſſionis tempus adeſſet, ſuperabundavit ibi meſſis in majori quantitate, quam prius, & uberiori fertilitate quam in aliis locis. In loco autem caſtrorum Flandrenſium nulla ſpica potuit inveniri. Factum eſt poſt aliquot dierum curriculum, ut Hugo Dux Burgundiæ obſederit Vergiacum, & admonitus a Rege numquam voluit obſidionem dimittere. Rex collecto exercitu ad ſupplicationem Guidonis Domini ejusdem Caſtri, miſit cum ipſo exercitu Hugonem de Brois, qui habuit ſuper iſto negotio conſilium ſenum & juvenum, ſed *conſilio juvenum quod melius in caſu fuit*, Ducem ab obſidione removit & fugavit. Nec multo poſt Caſtellionem caſtrum Ducis nobiliſſimum ſuper fluvium Sequanam ſitum obſedit Rex & per vim cepit, & coegit Ducem vellet nollet reſtituere Eccleſiis & Clero triginta millia librarum, quas ei abſtulerat violenter, ſecundum quod damna ab eo illata æſtimata fuerunt. ☙ Eodem anno mortuo Albrico Thailhefer *Comite ſancti Ægidii* Dux *dimiſit & remiſit uxorem ſuam* *Alix de qua genuit Odonem & Alexandrum, *& duxit relictam* illius Albrici quæ erat filia ſenioris *Delphini*, de qua genuit juniorem Delphinum. Cupiditate magnæ terræ quam iſte tenebat facta ſunt ea quæ facta ſunt. Poſtea idem Dux combuſſit terram de Brois. ☙ Erat hoc tempore Beata Aſcelina virgo conſanguinea Beati Bernardi; hujus matri

* Mſ. Aaliz.

ri ſancta Glodeſindis Metenſis apparuit & dixit: Filia tua mihi proculdubio comparata æquabitur in meritis.

Anno 1185. Guido. In Alemannia filius Imperatoris Frederici Henricus, dotibus inſignitus ſcientiæ literalis, & floribus eloquentiæ redimitus, & eruditus Apoſtolicis inſtitutis, & legibus Imperatoriæ Majeſtatis, adhuc in adoleſcentia duxit in uxorem patris induſtria filiam Rogerii Siciliæ Regis Conſtantiam, natam ex Beatrice filia Comitis Franciæ de *Regiteſte* Guitheri. Ex hiſtoria Regis Philippi. Nupſit hoc anno Margareta nobilis Angliæ *Regina*, relicta junioris Henrici, ſoror Philippi *Regis*, illuſtri *Hungarorum Regi* Bela nomine, eodem *Rege* pro ea habenda per ſolennes nuntios plurimum ſupplicante. ☙ Circa eadem tempora Philippus magnanimus pia & regali indignatione ſuper *intolerantia luti vicorum Pariſiacæ civitatis* motus, fecit omnes vicos ejus quadratis lapidibus pavimentari, & tunc recte primo civitas amiſit proprietatem antiqui vocabuli quo Lutetia vocabatur, *ad cujus exemplum aliæ civitates* & caſtella, vicos & plateas, pontes & introitus & exitus univerſos, & ſtratas publicas ſtraverunt lapidibus duriſſimis & quadratis. ☙ Hector filius Priami genuit Francionem, Troilus Frater ejus genuit Turcum. Iſte in Scythiam inferiorem verſus ſeptentrionem deſcendit, & ab eo Turci & Gothi, Oſtrogothi, Ypogothi, Vandali & Northmanni deſcenderunt. Francio autem Sycambriam venit. Poſt ducentos triginta annos diſceſſit ab eis, & cum eo viginti tria millia, qui venientes in Gallias fundaverunt & ædificaverunt Pariſius, anno ante incarnationem Chriſti octingenteſimo vigeſimo quinto, quam vocabant Lutetiam a lutoſitate loci, & ſe vocabant Pariſios a Paride filio Priami, & fuerunt ibi antequam *Franci* venerunt annis mille ducentis ſeptuaginta, ſine *Rege* ad morem *Romanorum* ſe habentes.

Fran-

Francio autem & ejus posteri fuerunt in Sicambria annis mille quingentis & septem, usque ad mortem *Regis* Austriæ Priami, cujus filius fuit *Dux Marchomirus pater Regis Pharamundi.* Cætera suis in locis invenientur. ☙ Hoc tempore filius Comitis Hugonis de *Marcha Pictaviæ*, cum militem quemdam Bertrannum nomine interfeciſſet injuſtè, ſpiritus ejusdem militis reverſus eſt ad prædictum Comitis filium usque tertio, de nocte conquerendo de ipſo, & citando eum ad audientiam majorem. Et ecce quadam die idem filius Comitis cum eſſet in magna turba militum ſubito raptus eſt a diabolo, & ex tunc non comparuit. Unde cum Comitatus de Marcha remaneret ſine hærede, Comes Richardus Pictavienſis qui poſtea fuit Rex Angliæ ipſum Comitatum ſibi vendicavit, & quandiu vixit obtinuit. Qualiter autem mortuo Richardo Brunus fuit Comes de Marcha, ſuo loco dicetur.

Anno 1186. Philippus Rex Magnanimus Deo ſemper ſanctis operibus placere deſiderans fecit Cœmeteriũ publicum & amœniſſimæ amplitudinis in loco qui Campellanus dicitur, muro lapideo circumcingi & ornari *ad monitionem cujusdam vetulæ viduæ*, quæ dicebat ſibi hoc in viſione revelatum fuiſſe. ☙ Eodem anno in civitate Pariſiorum mortuus eſt decimo quarto Calendas Septembris Gaufridus nobilis *Dux Britanniæ* Comes Richemontis, Henrici *Regis* Angliæ filius natu tertius, quem cum *Rex* Philippus Magnanimus amplecteretur dilectione, fecit condiri aromatibus, & in Choro Beatæ Mariæ Pariſius honorificè corpus tumulari, & in ſignum dilectionis quatuor præbendas ſacerdotales in Eccleſia pariſiaca de bonis propriis inſtituit, ad uſum quatuor ſacerdotum qui ibi perpetuò pro defunctis debent celebrare. Iſte Comes Gaufridus duxerat Conſtantiam Comitis Conani filiam unicam, & per eam fuit Comes Britanniæ, de qua genuit Arturum, & filiam

iliam unam Alienordem. Eamdem Conſtantiam duxit Guilo poſtmodum frater *Vicecomitum de Tuart*, & genuit unam iliam nomine Mabiliam, ad quam noviſſimè reverſa eſt hæreditas. Comes autem Conanus prædictus fuit de genere Briannorum, & de genere *antiqui Arturi.* ☙ Guido. ❧ In partibus transmarinis populus qui *Herſacinus* dicitur, ſexaginta millibus amplior eſſe perhibetur, habitat in Syria & provinciâ Tyrenſi, non habet hæreditarium Dominum, ſed *quem vocat ſenem propter prærogativam meriti præceptorem*, cui tanta virtute obedientiæ dicitur obligari, quòd nihil tam durum tam arduum, tamque periculoſum ſubditis ei placet injungere, quod incunctanter non aggrediantur implere. Hii cum annis fere trecentis Sarracenorum obſcœnas traditiones tanto zelo fuiſſent amplexi, quod eorum reſpectu prævaricatores poſſent alii judicari; contigit diebus noſtris quòd Magiſtrum ſibi præfecerunt, per quem inſtituta Mahumeti ſeductoris impia reliquerunt. Et cum votis ardentibus appeterent accipere legem Chriſti, petunt a Rege Balduino quarto Regis Almarici filio, ut remiſſis duobus millibus aureorum quos quaſi pro tributo quidam ſuorum ſolvebant fratribus templi, conferretur eis Eccleſiaſtici gratia ſacramenti. Cujus petitionis nuntium pro conſummando negotio tali a Rege digreſſum, & tam de Regio ducatu quam de noſtræ ſinceritate fidei præſumentem, interficiunt quidam de templi fratribus ſtrictis gladiis irruentes in eum. Hic autem impunitatem non inveniſſet exceſſus, ſed quod ille prædictus populos cum Rege piè inceperat perveniſſet ad debitum effectum, niſi perfectionem migratio prædicti Regis a ſeculo præveniſſet. ☙ Rex Siciliæ Guillelmus guerram habens contra Iſacum Imperatorem Græcorum, omnibus Chriſtianis peregrinis crucę ſignatis portus Apuliæ interdixit. Et iſta fuit una de ſpecialibus cauſis vel occaſionibus *quare poſtea perdita fuit Jeruſalem.*

Digitized by Google

Anno 1187. Henricus filius Imperatoris Frederici Primi fecit nuptias ſuas apud Mediolanum in natali Domini. [Primò] vernabat facies occidentis ſpecioſitate multiplici gaudiorum ; cum ecce tempeſtas ab oriente conſurgens Chriſtiani ſplendidum orbis, magnæ nimis adverſitatis & triſtitiæ tenebris involvit aſpectum. Ecce enim Saladinus terram Hieroſolymitanam, ut invaſor invadit. Regem Guidonem de novo conſtitutum capit & abducit, & cum Chriſtianorum cæde maxima *primarcham* quoque interfecit, Fechidinus autem nepos ejus crucem Domini aſportavit. Princeps Antiochiæ Rainaldus vir Chriſtianiſſimus de manu Soldani [Saladini] fuit occiſus & templarii decollati ſunt plusquam ducenti. Caulas tantæ calamitatis Guido breviter ita comprehendit. ☞ Quarto, inquit, Balduino Hieroſolymorum Rege defuncto, ſoror ejus Comitiſſa Joppinenſis, ad quam moderamina Regni redierant, cum haberet virum, militem ſatis ſtrenuum & nobilem *Guidonem de Liſignam*, & ei perſuaſum eſſet atque *conceſſum ei eum dimitteret quia regio culmine minor & nomine videretur*, & novum aliquem potentiæ majoris admitteret virum ; Illa reſpondit ſe nolle alium quam eum quem ei Dominus adjunxerat, quia non liceret ei quam illa ferre debebat, coronam conferre alteri quam illi cui ſemel promiſerat fidem & proprii corporis commiſerat poteſtatem. Igitur pro voluntate judicioque Reginæ cum eadem coronato in Regem Comite Joppenſi Guidone, Tripolitanus Comes, (qui quia conſiliis fultus erat auxiliisque multorum, & quia videbatur robore corporis & decore præcellere principibus aliis, quodque Regina nullum eſſet ei prælatura, ſperabat, aſpirabat ad Regnum) cum hoc vidiſſet, invidit, tantumque inde concepit dolorem & peperit iniquitatem, quod properans ad Saladinum potentiſſimum Ægypti Syriæque Soldanum & orientis fere totius Monarcham, pepigit cum eo traditionem Hieroſolymitani Regni

& Re-

& Regis, & ut ſuper hoc alter alteri facerent fidem, alter alterius bibendo ſanguinem fœdo fœdere ſunt conjuncti. Ita die condicta, qua Saladinus terram promiſſionis invaderet, & ad reſiſtendum ei Regem Hieroſolymitanum cum ſuis Comes Tripolitanus offerret, fidelium acies occurrerunt infinitis Turcorum millibus, (ſed impares longè viris & viribus) & utraque ſibi parte gravi prælio occurrerunt. ⁂ Albricus ⁂ De iſto comite Tripolis, multo aliter ſentire videntur primi qui excuſare eum volunt in multis, & dicunt quod iſto prælio *non fecit antegardiam, nec ante alios tulit vexillum, ſed fecit retrogardiam*, & quando vidit quod noſtri erant confecti & capti, tunc fugit in terram ſuam, & caſtra ſua munivit. Et ita Civitas Tripolis & fortia caſtra ejus evaſerunt. ⁂ Sequitur Guido. ⁂ Elevato autem vexillo miles ille cui illud geſtandum commiſerat populus Chriſtianus, prior impetu vehemente cum ſuis quaſi Turcos aggreſſurus erumpit, ſed cum appropinquaſſet ad illos, rejecto vexillo ſibi commiſſo, Turcis transfugium ejus comperientibus, & per hoc aperientibus eis viam, in eorum interiora pertendit, ſeque, ſalutantium inter amplexus detecta facie proditor abſcondit. ⁂ Quod factum Chriſtianos ita perterruit, tantaq; mox in eos irruit deſperatio, quod verſis in fugam pro majori parte chortibus eorum, Rex ipſe capitur, manu crux hoſtili rapitur, & (cæſis equitibus, aut in vincula conjectis) vix de reliquis evaſit aliquis. Quod armis vacuum ferè reperiunt Turcorum millia Regnum operiunt, hoſtibus partas aperiunt metu perculſi tam oppidani quam cives, tota Saladino terra ſubjicitur, incolarum aliis aut in exilium pulſis, aut ſub tributo remanentibus aut conditione ſervili; Civitatibus tribus exceptis videlicet Antiochia, Tripoli & Tyro. Aſcalona quoque Chriſtianis remanſerat, ſed Guido Rex dedit pro redemptione ſua, & ita dimiſſus eſt a Saracenis. ⁂ Guido. ⁂ O! quantus dolor & planctus

Chriſti cultoribus quod jugo gentilium ſubjiciuntur colla fidelium; Tyrannis Turcorum, virtus olim victorioſa Francorum. Dicuntur enim *Franci* quicumque gentium ibi degentium Chriſtiani. O! Hieroſolymitani Regni deſtructio digna lamentabili Hieremiæ ſimilia plangentis antiquitus *alphabeto*. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus. Pelluntur, extra cardines ſuos ordines Clericorum, equorum ſtabula fiunt Eccleſiæ, conculcantur ſacræ reliquiæ, deſæviunt tela puncturis in ſacris imaginibus & picturis. ☙ In medio tot dolorum unicum Chriſtianæ plebi remedium divinitus eſt conceſſum, quod illud honorandum omnimoda devotione ſepulchrum, de quo morte victa vita ſurrexit, dextera protexit omnipotens a ſpurcitiis & ſacrilegiis perfidorum; protegi & cuſtodiri faciens illud diligentia ingenti Principum gentis illius, edictoque facto, fidelibus Syris officium ibi divinum, more permiſſis agere Chriſtiano. ☙ Ex hiſtoria Regum. Fuerunt autem quidam ante iſtos ſeptem annos Aſtrologi, tam in Francia quam in Hiſpania qui audaciſſimè prophetizare præſumerent ventum vehementiſſimum futurum in Septembri hujus anni ab aquilone venturum, & omnia ædificia deleturum cum immenſa hominum & animalium clade; quod ad literam falſum fuit, myſticè autem potuit intelligi de rumoribus iſtis perſecutionis Saladini & de motu Chriſtianitatis. Eo enim tempore inſtante quo ventus ille dicebatur futurus eſſe, Saladinus, ut præmiſſum eſt, fere omnes Chriſtianos in Orientali Eccleſia delevit, crucem dominicam aſportavit, civitatem ſanctam Jeruſalem infra octavas Apoſtolorum Petri & Pauli cepit, & omnes civitates terræ promiſſionis, præter Tyrum, Tripolim & Antiochiam, & pauca caſtra munitiſſima quæ numquam habere potuerunt. ☙ Albericus. ☙ Interea Curia Romana venerat de Verona Ferrarias, quæ eſt civitas ad introi-

tum

tum Venetiæ ſuper Adriaticum mare, & ſuper littus maximi fluminis Padi. Ibi in feſto Luciæ mortuus eſt Papa Urbanus auditis ſupradictis rumoribus, & tactus dolore cordis intrinſecus. ☙ Ibidem ſanior pars Cardinalium voluit Dominum Henricum Albanenſem quondam Clarevallis Abbatem [in Papam] eligere, ſed timens & præcavens diſſenſionis periculum proſiliit in medium, dicens ſe Crucis Domini ſervum, ad prædicandam crucem per gentes & Regna præparatum. Electus eſt itaque in Papam Magiſter Albertus Cancellarius & vocatus eſt Gregorius octavus, a quo Dominus Henricus Albanenſis per Franciam & Alemanniam conſtitutus eſt Legatus. ☙ Ex hiſtoria Regis Philippi. Eodem anno, ſcilicet ſeptimo Philippi magnanimi, ætatis vero vigeſimo ſecundo orta eſt diſſenſio inter eumdem Philippum & Henricum Angliæ Regem, pro eo quod Richardus filius ejus multoties requiſitus noluit hominium facere eidem Regi Philippo pro Comitatu Pictaviæ, patre ſuo in hoc conſentiente. Idem etiam pater ejus in præjudicium Philippi Regis tenebat Giſortium & alia municipia Giſortio appendentia, quæ data fuerant a Ludovico Pio Rege Henrico juniori Regi Angliæ in dotem cum Margareta filia ſua; ſed eodem Henrico ſine liberis defuncto, & eadem Margareta Regi Hungariæ Belæ nupta, dos reverti debebat ad Hæredem. Quod cum poſt admonitionem negaretur, collecto exercitu in pago Bituricenſi intravit fines Campaniæ, & cepit per vim oppidum florentiſſimum nomine Urſæ Aldunum, quod vulgo dicitur Eſſoldunum. Cepit etiam Crazaium & depopulatus eſt totam terram usque ad Caſtellum Radulfi. Sed & Henricus Rex Angliæ & Richardus filius ejus collecto exercitu ſteterunt ex adverſo. Philipus autem magnanimus indignatus animo, ordinavit acies ad pugnandum cum eis. Sed illi audaciam Francorum & magnanimitatem

tem Regis non ferentes, missis Nuntiis viris Religiosis, judicio regalis Curiæ se in omnibus submiserunt. Eodem anno nonis Septembris feria secunda, hora diei undecima natus fuit Ludovicus filius Philippi magnanimi ex uxore sua castissima. ☙ Interea *Trevirensis Archiepiscopus Folmarus fugiens a facie Imperatoris* Frederici Turonum venit, ubi sub Rege Franciæ latuit, & ibi postmodum obiit. ☙ Henricus etiam *de Castris* hac occasione a Virdunensi Episcopatu se deposuit & Leodium venit, ubi post aliquot annos moriens, in Ecclesia Beati Lamberti sepultus fuit, & factus est Virdunensis Episcopus Albertus *de Hirgis* Nepos ex sorore Episcopi Arnulfi, & Comitis de *Cisnejo* Ludovici, & Theodorici de Mirleriis. Fratrem quoque habuit Albertus hic Episcopus Ludovicum qui longo tempore fuit Abbas S. Vitonii Virdunensis.

Anno 1188. Ex historia Regum. Mense Januario in octava Epiphaniæ celebratum est colloquium apud Gisortium inter Philippum magnanimum & Henricum Regem Angliæ, in quo colloquio uterque eorum Domino aspirante *crucem assumpsit*, & fere omnes proceres & prælati Ecclesiarum cruce signati sunt, & paulo post celebratum est Concilium generale Parisius a Philippo magnanimo, in quo infinita hominum multitudo cruce signata est. ☙ Gregorius vero Papa tertio mense suæ electionis portui Pisano applicuit & ibi obiit, & electus est in Papam Paulus Prænestinus Episcopus, qui dictus est Clemens tertius. Henricus autem Albanensis, de quo præmissimus, a Papa Gregorio constitutus Legatus, cum omni diligentia officium peragebat sibi injunctum; & primo quidem secundum mandatum sibi datum instituit, ut a præsenti anno *in quinquennium* per omnes sextas ferias esset fidelis populus *in cibo quadragesimali*, & ut *quarta feria & sabbatho* abstinerent a carnibus omnes qui essent incolumes. Dominus vero

Papa

Papa *sibi & fratribus suis Cardinalibus* & famulis *etiam secunda feria* per eosdem annos usum carnium interdixit. ☙ Venit autem idem Legatus cum Archiepiscopo de Tyro, id est de Sur apud Yuodium ad colloquium Regis & Imperatoris, qui Imperator *contra Colonienſem Archiepiſcopum* habuit disscordiam, quibus apud Maguntiam mediante Legato pacificatis, cruce signatus est Imperator idem *cum ſexaginta octo magnis Principibus.* Inde Leodium venit Legatus, ubi receptus est cum magna devotione & veneratione. Ubi cum plures Clericos Simoniacos invenisset, per Episcopum cruce signavit, & sexaginta sex Clericos, qui omnes in manu sua præbendas suas resignaverunt, ita de una Ecclesia in aliam commutavit per suam industriam, *ut & ſimoniam evaderent, & præbendas non amitterent;* id est, illos qui erant Simoniaci in Ecclesia sancti Pauli, fecit venire ad Ecclesiam sancti Martini, & sic de aliis Ecclesiis. ☙ De novo libello miraculorum fratris Cæsarii. Cardinalis iste Henricus cum equitaret cum quibusdam Monachis ordinis Cisterciensis, dixit in generali: Quis vestrum dicet nobis aliquid boni? Respondit unus, ille; demonstrato quodam de sociis Monacho laico. Et præceptum est ei a Cardinali statim, ut verbum exhortationis proponeret. Ille primùm se excusans, dicens Laicum literatis non debere loqui, tandem sic exorsus est. Quando mortui fuerimus, & deducti ad paradisum, occurret nobis Pater noster Beatus Benedictus, visis nobis monachis cucullatis cum gladio [gaudio] introducet nos. Viso vero Episcopo & Cardinali infulato mirabitur & dicet: Quis enim es tu? Et ille; Pater, ego sum Monachus Cisterciensis. Respondebit sanctus: Nequaquam, Monachus *carnulatus* non est. Tunc Henrico pro se satis allegante, tandem hujusmodi dabitur sententia. Dicet hostiariis sanctus Benedictus; Ponite eum supinum, & stomachum ejus scinden-

tes,

tem Regis non ferentes, missis Nuntiis viris Religiosis, judicio regalis Curiæ se in omnibus submiserunt. Eodem anno nonis Septembris feria secunda, hora diei undecima natus fuit Ludovicus filius Philippi magnanimi ex uxore sua castissima. ☙ Interea *Treverensis Archiepiscopus Folmarus fugiens a facie Imperatoris* Frederici Turonum venit, ubi sub Rege Franciæ latuit, & ibi postmodum obiit. ☙ Henricus etiam *de Castris* hac occasione a Virdunensi Episcopatu se deposuit & Leodium venit, ubi post aliquot annos moriens, in Ecclesia Beati Lamberti sepultus fuit, & factus est Virdunensis Episcopus Albertus *de Hirgis* Nepos ex sorore Episcopi Arnulfi, & Comitis de *Cisnejo* Ludovici, & Theodorici de Marleriis. Fratrem quoque habuit Albertus hic Episcopus Ludovicum qui longo tempore fuit Abbas S. Vitonii Virdunensis.

Anno 1188. Ex historia Regum. Mense Januario in octava Epiphaniæ celebratum est colloqúium apud Gisortium inter Philippum magnanimum & Henricum Regem Angliæ, in quo colloquio uterque eorum Domino aspirante *crucem assumpsit*, & fere omnes proceres & prælati Ecclesiarum cruce signati sunt, & paulo post celebratum est Concilium generale Parisius a Philippo magnanimo, in quo infinita hominum multitudo cruce signata est. ☙ Gregorius vero Papa tertio mense suæ electionis portui Pisano applicuit & ibi obiit, & electus est in Papam Paulus Prænestinus Episcopus, qui dictus est Clemens tertius. Henricus autem Albanensis, de quo præmissimus, a Papa Gregorio constitutus Legatus, cum omni diligentia officium peragebat sibi injunctum; & primo quidem secundum mandatum sibi datum instituit, ut a præsenti anno *in quinquennium* per omnes sextas ferias esset fidelis populus *in cibo quadragesimali*, & ut *quarta feria & sabbatho* abstinerent a carnibus omnes qui essent incolumes. Dominus verò

Papa

Papa *sibi & fratribus suis Cardinalibus* & famulis *etiam secunda feria* per eosdem annos usum carnium interdixit. ☙ Venit autem idem Legatus cum Archiepiscopo de Tyro, id est de Sur apud Yuodium ad colloquium Regis & Imperatoris, qui Imperator *contra Colonienſem Archiepiſcopum* habuit discordiam, quibus apud Maguntiam mediante Legato pacificatis, cruce signatus est Imperator idem *cum ſexaginta octo magnis Principibus.* Inde Leodium venit Legatus, ubi receptus est cum magna devotione & veneratione. Ubi cum plures Clericos Simoniacos invenisset, per Episcopum cruce signavit, & sexaginta sex Clericos, qui omnes in manu sua præbendas suas resignaverunt, ita de una Ecclesia in aliam commutavit per suam industriam, *ut & ſimoniam evaderent, & præbendas non amitterent;* id est, illos qui erant Simoniaci in Ecclesia sancti Pauli, fecit venire ad Ecclesiam sancti Martini, & sic de aliis Ecclesiis. ☙ De novo libello miraculorum fratris Cæsarii. Cardinalis iste Henricus cum equitaret cum quibusdam Monachis ordinis Cisterciensis, dixit in generali: Quis vestrum dicet nobis aliquid boni? Respondit unus, ille; demonstrato quodam de sociis Monacho laico. Et præceptum est ei a Cardinali statim, ut verbum exhortationis proponeret. Ille primùm se excusans, dicens Laicum literatis non debere loqui, tandem sic exorsus est. Quando mortui fuerimus, & deducti ad paradisum, occurret nobis Pater noster Beatus Benedictus, visis nobis monachis cucullatis cum gladio [gaudio] introducet nos. Viso vero Episcopo & Cardinali infulato mirabitur & dicet: Quis enim es tu? Et ille; Pater, ego sum Monachus Cisterciensis. Respondebit sanctus: Nequaquam, Monachus *cornulatus* non est. Tunc Henrico pro se satis allegante, tandem hujusmodi dabitur sententia. Dicet hostiariis sanctus Benedictus; Ponite eum supinum, & stomachum ejus scinden-

tes,

Mannia quæ habet *proprium Regulum* & Epiſcopum. Monia vero ſita eſt in ea parte quæ dicitur Norwallia, ita quod inter Moniam & montes ærei eſt parva civitas quæ vocatur * *montes autem erei* alio nomine Senodunc [Senaudunc] appellati ſunt. In eadem Norwallia eſt alia civitas parva Laneluenſis, id eſt de ſancto Aſaph, qui ibi fuit Epiſcopus, cui ſubjacet Proviſia, [Powiſia] ubi eſt oppidum Solenberia. De montanis autem Elennith in Sudvallia oriuntur Waia & Sabrina, & multa alia flumina; quæ Waia fluit per Herefordiam, & per Abbatiam & de Tinterna usque ad caſtrum Strigulenſe ubi fertur in mare. Oſca vero oritur de montanis de Canterbochan, fluit per Karlion, fertur in mare Sabrinum. Item in Sudwallia ſunt duæ civitates, Laudenenſis & Moneveienſis, id eſt ad ſanctum David, ubi Archiepiſcopatus eſt de Carlion translatus. Hæc omnia hîc inſerta ſunt occaſione Legationis Archiepiſcopi Balduini, de qua legatione proprius apud Clarevallem *libellus* invenitur, continens illius deſcriptionem, & in quibus gens illa laudanda ſit, ſeu vituperanda. ☙ Richardus autem Comes Pictaviæ contra pactiones inter ipſum & patrem ſuum Henricum Regem Angliæ ex una parte & Philippum Magnanimum Regem Franciæ ex altera apud Giſortium firmatas, collecto exercitu intravit terram Tholozæ, quam Comes ſancti Ægidii tenebat feodaliter a Rege Francorum, qua occaſione orta eſt diſſenſio iterum inter Reges. Philippus autem Rex Magnanimus cum ingenti exercitu intravit terram eorum, & cepit caſtrum nobile Rodulphi Buzanzaeum & Argentonem & Leroſium, quod in vita ſancti Martini vocatur Leproſium, vel Leproſus. Dum autem ibi eſſet Rex in obſidione, & exercitus aquarum penuria affligeretur, torrens quidam qui ibi erat, & tempore pluvioſo aquas aliquas habere conſueverat, tunc autem ardore æſtatis penitus erat deſiccatus, divino miraculo ſuperabundavit aquis.

cauſæ meliore fultus, & exercitu fortiore, Regem Anglorum de civitate in civitatem, de caſtro in caſtrum fugere compulit, quo usque reſiſtendi defectus injecit eum in pudorem, pudor in dolorem, dolor in languorem, de quo reſurgere non adjecit. ☙ Unde Elinandus. ❧ Obiit Rex Henricus apud caſtrum Kinonis verſus Cœnomanum pridie nonas Julii & ſepultus in Abbatia Fontis Ebraldi; uxor quoque ejus Regina Alienordis diu poſtea vixit, & tandem in eadem Abbatia nobili Monialium Fontis Ebraldi ſimiliter ſepulta eſt. Filius ejus Richardus Rex coronatus eſt tertio nonas Septembris. ☙ Hugo. [Guido.] ❧ Richardus filius Regis Angliæ Henrici *Pictavienſis Comes*, Angliæ Regnum & odium ſucepit hæreditarium adverſus Philippum Regem Francorum, ſed ſub ſignaculo Crucis quod aſſumpſerat, & fidelitatis quam Regi Philippo fecerat, & fœdere ſocietatis quod cum eo pepigerat, occultatum. ☙ Ex hiſtoria Regum. Mortuo itaque Rege Henrico, & facto Rege Richardo facta eſt pax & firmata inter ipſum & Philippum Magnanimum, & reſtituit ei Philippus Rex civitatem Turonum, & Cœnomanum & caſtrum Rudolphi cum toto ejus fœodo: & idem Richardus quittavit eidem Philippo & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum Eſſoldunum cum omnibus pertinentiis ſuis, & quidquid juris poterat in Alvernia reclamare, quæ tamen omnia poterat ſibi jure belli retinere Rex Philippus. ☙ Eodem anno obiit Elizabeth Regina uxor Philippi Magnanimi, & ſepulta eſt Pariſiis in Eccleſia ſanctæ Mariæ, pro cujus memoria conſtituti ſunt in eadem Eccleſia [duo] perpetui ſacerdotes, aſſignato unicuique eorum annuo reditu quinque [quindecim] libras pariſium. Ad pedes quoque prædictæ Reginæ jacet primogenita filia ſua titulo iſtiusmodi ſupra ſcripto.

Regis eram proles & gaudia prima parentum,
Cum mihi lux vitæ prima ſuprema fuit.

forum vexilla ferentium crucis, sed superatis locorum difficultatibus multis, insidiisque Turcorum, cum jam Antiochiæ propinquasset ad fines, prout Justus justè permisit, vitam amisit equo lapsus in flumine. O in flumine flumen extinctum! Certè quot inimicos Christiani nominis contrivisset, nisi mors eum præripiens tantum terræ promissionis amissæ solatium invidisset. Filius vero ejusdem Imperatoris Fredericus Dux Suaviæ cum paucis ante Acram venit, ubi Barones Campaniæ qui jam per mare venerant, invenit. ☙ Mortuo ergo Imperatore Frederico, Archiepiscopus Conradus Sabinensis Episcopus & Salzeburch *Minister* Maguntiam revertitur, & in sede sua post Marcualdum Christiani successorem cum honore restituitur, quod nunquam vivente Imperatore fieri potuisset, & in Salzeburg institutus est Archiepiscopus Albertus. ☙ Major autem Imperatoris filius Imperator Henricus bellis erat occupatus in Apulia, Calabria, Sicilia, contra Tancredum de novo in Regem elevatum, cum ipse Imperator Regnum illud ex parte uxoris suæ Constantiæ jure hæreditario sibi vellet vindicare. Erat autem ipsa Constantia Amita Regis Guillelmi nuper defuncti, filia Regis Rogerii, nata de Beatrice filia Comitis *Guitheri Reitestensis, qui fuit Castellanus Vitriaci.* ☙ Primus itaque Imperatoris Frederici filius fuit Imperator Henricus: alii duo Fredericus & Conradus Duces Suaviæ qui decesserunt sine hærede. Quartus dictus est Otto *Comes* Alemannus *de Burgundia*, qui de Comitissa Blesensi Margareta genuit filiam unicam Beatricem quam habuit Otto Dux [*Meraniæ*] & per eam factus est Comes Burgundiæ. Quintus Imperatoris filius nomine Philippus post alios fuit Dux Suaviæ, & Rex Alemanniæ. Habuerunt isti sororem unam quæ puella decesit. ☙ Horum omnium mater Regina Beatrix fuit filia unica Comitis Reinaldi de *Burgundia*, qui Comes Rainal-

Digitized by Google

dus fratrem habuit Comitem Guillelmum, quem dæmones vivum asportaverunt in equo nigro quadam die Pentecostes cum ad mensam sederet, nec postea visus est in terris; qui de Alaide Comitissa, quæ fuit unica hæres de *Treva*, relicta Theobaldi de *Rogemont* duos genuit *Comites Stephanum de Ultra Sagonam, & Gerardum Viennensem.* De Stephano Comite natus est alter Stephanus pater Joannis *Cabillonensis.* Comes autem Gerardus duxit filiam *Galteri de Salinis*, & quemdam Gerardum & Stephanum Bisuntinensem electum, & sorores eorum, de quarum una natus Comes Thomas de *Sabaudia.* ☙ Guido de quarta expeditione. Inter hæc igitur multi Francorum proceres morarum pertæsi, quia jam plusquam per annum bajuli crucis extiterant, [& propter hoc ab armorum usu diu destiterant] cum multis aliis Germanis, Anglis, Burgundionibus, Italis, scilicet Januensibus & Pisanis, sed & de cunctis Christianismi partibus orbis innumerabiles (pro ut necessarium fuit) instructi, properant succurrere paucis in Syria, videlicet Antiochia, Tripoli, Tyro degentibus & indigentibus auxilio Christianis: qui prospero flatu ventorum, imo prosperante cursum eorum sacro flamine transfretantes, cum obtinuissent littus optatum, primò Ptolemaidem quæ nunc Acon, & in ea Turcorum electissimos obsidione concludunt. Erant in exercitu isto Christianorum eminentiores: Bisuntinus Theodoricus & Pisanus Archiepiscopi, Philippus Episcopus Belluacensis, Robertus frater ejus Dorcasinus, id est de * Drouves. Erardus Comes Briennensis, & Andræas frater ejus titulis militiæ nulli secundus. Comes Cabillonensis Guillelmus, Jacobus de Avennis vir illustrissimus. Gaufridus de Jouvevilla cognomento Vaslettus. Guido de Donno Petra, vir in secularibus astutissimus. Ansericus de Monteregali, supranominati cognatus. [cognatus illius] Mannasse de Garlande qui fuit de ma-

de matre Domini de Chacenay, frater autem veteris Anshelmi de Poſſeſſa. Guido de Caſtellione, cum fratre ſuo Galchero, & plures alii quos enumerare [nimis] longum eſt. Erat etiam cum eis jam liber a captione Guido Rex Hieroſolymorum, & Gaufredus de Leſignam frater ejus, quem ferebant geſtis militiæ cæteris præferendum. Marchio quoque Conradus de Monteferrato qui nuper Tyrum liberavit ab obſidione Turcorum. ☙ Hos autem parvo poſt tempore *Palatinus de Campania* Comes Henricus junior, memorati ſuperius, celebrique laude memorandi ſemper Henrici filius, poſtquam caſtrum de Brois dejecit; Comites quoque Theobaldus Carnotenſis & Sancerrenſis Stephanus frater ipſius, & de Claromonte; Rodulphus frater Abbatis Cluniacenſis & multi Francorum ſubſequuntur; *cum quibus & puſillitas mea*, puſillaminitate procul abjecta peregrinationis hujus onus aſſumpſit; quod iter ſicut videre datum eſt, placuit & referre. ☙ Nos igitur florenti Franciæ vale dicto, Burgundiam ingreſſi, poſt Rhodani ſuperbiam præcipitis, impetum Isaræ litigioſi, Druentiæ minas, poſt aſpera denique Burgundiæ juga, poſt ſaxoſæ clauſtra Provinciæ, tandem attigimus urbem Maſſiliam, & in ea portum navigiis oportunum ſub amplexu rupium, violentiam excludente ventorum, dictam Maſſiliam tamquam ſuper mare ſitam, vel maris ſitulam, quam Græci Phocenſes, id eſt de civitate quæ Phocis dicitur advenientes quondam extruxſſe leguntur. Apud Maſſiliam igitur conſtitutos multis detinuit nos diebus armorum, eſcarum, & navium neceſſarius apparatus ſpectantes ab alto rupium faciem maris incertam, & lubricum ejus ſtatum, & auram velis accommodam expectantes. Tandem fervente mari navigiis, cum pepigiſſent fœdera venti cum pelago, vix ſumus egreſſi portus anguſtias ſcopuloſi, blanda tum ventorum flatibus (fluctibus ſtatim inflatis & lene tumentibus

Acra imo ad tres fere dietas remota fuit ab illa, & est una de quinque civitatibus Philistinorum. Sequitur Guido: O! quanta & quibus implorata precibus adquisita fletibus, empta suspiriis, expectata desideriis, laudibus exarata dies illa nobis illuxit, quæ præ gaudio flentibus nobis ostendit terram lacte & melle manantem, terram cælestem & cælicolis habitandam, terram sanctam & sanctis promissam, nostræ fontem regenerationis & locum redemptionis matrem sanctorum Patrum & patriam Salvatoris. Applicantibus igitur nobis apud famosam illam Syriæ civitatem Aconem antiquitus dictam, postea Ptolemaidem, iterum nunc Aconem possessam tunc ab hostibus sed à nostratis jam obsessam tam armis quam armatis manibus coronaris, liberatis ê suarum clausulis capsularum rutilabat fulgor in galeis, fulmen in ensibus, ardor in clypeis, reverberantium undas ludebat in gremio maris splendor armorum, & in sericis lasciviabat aura vexillis. Quam blanda nobis, quam terribilis hostibus apparet exercitus Christiani bellipotens acies, facies ordinatorum castrorum ad instar non unius de magnis, sed de majoribus urbium trium. Non tamen erat eis inventus ad votum bellandi cum Turcis primus & secundus eventus, sed forte bis eis ictus adversitatis inflictus eorum tam arduo proposito perseverantiæ titulum abstulisset, nisi principio flebili fortunæ persecutio melioris triumphale solatium attulisset. Nam cum obsidere Ptolemaidem incepissent Salahadinum cum exercitu gravi supervenientem, ut suis subveniret obsessis aggressi satis audacter, comperto quod de civitate feciſſent impetum, & jam sua dissiparent castra resque diriperent, solliciti quisque de proprio indecenti fuga de prælio multis suorum amissis, in tentoria sunt regressi, nec multo post assumti sed in cassum consumti laboris affecta, tædio nostrorum spes [f. plebs] à nobilitate dissensit, causlata negligentiam principum causam existere moræ longioris & ineffi-

cacis in obsidione. Post quod contra principale consilium edictum unanimiter impetu facto (temeritate cum insolentia ducentibus eos, non principibus nostris aut Ducibus) cum prorupissent in hostes, eorum castra referta quidem, & opibus infinitis plena defendendis sed defendentibus vacua offenderunt, super quo plurimum admirati, sed rati metu fugisse, qui dolo fugerant ut fugarent, diripiendis eorum castris insistunt, properant evacuare scyphos & patinas, ut ventres impleant, armis exonerare manus, ut tollendis sarcinis colla subjiciant, & male securas quia non procul à securi cervices, sed esse luctus occupat extrema gaudii. Nostri quippe dum se distendunt epulis, involvunt poculis, volvunt patinas, revolvunt sarcinas, revolant Turci miserosque sine consilio repertos & auxilio militari (nam universi pedites erant) invadunt, prosternunt, proterunt perimuntque, persequendo fugientes & gladiis (donec vetuerunt castra) cædentes. Quod audientes Principes exercitus nostri, quamvis essent adversus eos indignatione justa commoti, quia prohibitione sua contemta tantæ temeritatis opus attemptare præsumserant, super tanto tamen gentis suæ detrimento compassi, non sinunt ulterius eos fugere vel fugari, sed electæ virtutem militiæ producentes occurrunt, perimentibus pereuntibusque succurrunt: Erat autem civitas munita copioso nimis armorum & victualium apparatu, maris adjacentia, firmitate murorum, turrium celsitudine, viribus etiam numeroque virorum; de quibus ferebatur à nostris ab ipsis quoque paganis quod Salahadinus Princeps (eorum quidem nisi foret extra fidelium gregem) egregius, quamvis crebris revocaretur & urgentibus causis, tamen irrefragabiliter obsidentes qui erant interius exterius cum infinitis millibus obsidebat, non solum ut solatium afferret obsessis sed quia tantos ac tales viros in tanto ac tali periculo deserere non audebat. Hoc etiam asserebatur à multis, quod

Digitized by Google

quod cum essent animis & nobilitate præclari, si favente Christo nostris eos viribus contingeret expugnari, totam terram quæ á mediterraneo mari inter Euphratem porrigitur & Ægyptum de facili subjici nobis, nec posse de cætero paganos cæteros impetum nostræ virtutis sustinere. Sic erat dispositus noster exercitus ac exteriore parte vallo præcingente munitus, circa quem lata planicies & assiduis dedicata conflictibus, extrà quam secus radices montium, qui terram promissionis à partibus Tyri dividunt & Sydonis, in gyrum longe lateque castra diffuderant innumerabilia paganorum & erant sub montibus illis; quoties interiores hostes aggrediebantur, vallum nostrum exteriores invadebant, quoties ad istos foris egrediebantur oppugnandos, illi deintus nos impugnabant, nos pugnabamus lanceis & gladiis illos fugando, illi fugiendo pugnabant missilibus & sagittis; incepti negotii sic incertus erat eventus, Regis Franciæ diu desideratus expectabatur adventus. Defuncti filius Imperatoris Frederici respectu suorum qui laborum pertæsi domos redierant, seu perierant in bellis vel infirmitate imbelles vix cum paucis ad nos evaserat comitatus, paulo post timor hostium tam de foris nos obsidentium, quam de nobis intus obsessorum cum duabus ex se genitis filiabus, fame videlicet & pestilentia, graviter nimis exercitum quam si flagello triplici cæpit affligere Christianum: nam præ timore quia victualium ad nos, nobis ad victualia rarus aut nullus erat accessus, nec aliquis alicui patebat e castris absque periculo mortis egressus, hinc fames urgebat populum, hinc ex corruptione se comprimentium pestilentia consurgebat talis ac tanta, quod per eam duabus exercitus nostri partibus decumbentibus vel occumbentibus tertia vix remansit. ✠ Ex historia Regum: In festo sancti Johannis Baptistæ hujus anni arripuit Philippus Rex iter eundi in partes transmarinas in obsequium sanctæ Crucis, cura Regni

commissa Adelæ matri suæ & Guillelmo Rhemensi Archipræsuli avunculo suo, & venit Januam Civitatem Italiæ ubi intravit mare, *testamento ipsius condito prius*, & omnibus ritè peractis. ☙ Tempore eodem Richardus Rex Angliæ cum suis movit iturus in obsequium sanctæ Crucis, & venit Massiliam, ibi mare intravit. ☙ Eodem tempore de mandato Regis Philippi quod in recessu suo dederat erecti sunt *muri in circuitu civitatis Parisiacæ* à parte Boreali usque ad fluvium Sequanæ cum turrellis & portis decentissimè aptatis. ☙ Episcopus Catalaunensis Guido moritur, & electus est in Episcopum Rotrocus de *Pertico* Regis Francorum consobrinus.

Anno 1191. Henricus filius Imperatoris Frederici defuncti imperavit Romanis septem annis. ☙ Ex Historia Regum: Venerat uterque Rex Philippus videlicet & Richardus navigio cum exercitu suo Messanam Siciliæ civitatem, & Rege mediante reformata est pax inter Regem Tancredum & Richardum Angliæ super dotalitio sororis ipsius Regis Angliæ, quæ fuerat uxor Regis Siciliæ Guillelmi nuper defuncti. Ibidem distribuit Rex Philippus plurima donaria proceribus & militibus suis propter rerum suarum jacturam, quam in mari orta tempestate passi fuerant; Revolutis igitur paucis diebus, Rex Angliæ submonitus à Rege Philippo utrum sororem suam Alaidem sicut tenebatur juramento astrictus desponsaret, & ut in medio Martii ad transfretandum paratus esset, neutrum facere nolebat, sed iter suum differre proponebat usque ad sequentem Augustum. Philippus autem Rex submonuit proceres per juramentum, quod ad idem tenebantur. Quibus assentientibus Philippus Rex intravit mare & cum prosperitate venit Acram ubi applicuit in vigilia Paschæ, Rex autem Richardus postea navigans venit Cyprum. ☙ Guido super hunc locum: ☙ Duo Reges, Francorum Philippus, Anglorum Richardus, ut videbatur armis & animis properantes &

impe-

Imperantes ſylveſcere claſſibus æquor, à Gallico vel Ligustico littore copias armatorum transferunt in Siciliam, ibique circumſonantes inter imminentem hyemem & mare, litigii minas arridente ſibi tempore poli ſoli fœcunditate derident, ſed ubi veris regreſſum navibus ingreſſus attulit, & tranſitus ſe liber obtulit ab indignatione maris & contradictione ventorum, memorati Reges vela verſus orientis faciem erigunt, & iter dirigunt per pelagus iteratum, quorum Francorum Rex præterfretans Tyriam urbem & Syriam, exercitui Chriſtiano quaſi ſedentibus in tenebris emiſſus repente radius ſolari de ſidere, deſideratus advenit, & invenit eum adhuc in obſidione Prolemaidis inter adverſorum duriſſima perdurantem. Applicantibus itaque Rege cum ſuis ad littus (nam portum quia muro civitatis erat incluſus obtinere non erat licitum) factus eſt præ dolore metus ingens atque ſilentium Turcorum eos ex alto mœnium & feneſtris circumſpectantium, ſe exſpectantium excepti piis amplexibus valde lætati ſunt ad invicem & ſuos inter cognatos & notos quisque metati; Anglorum verò Rex invectus *Cypro* cum inſtructiſſima claſſe, Tyrannum Inſulæ Domini ſui Conſtantinopoleos Imperatoris invaſo jure perjurum, quia Saladino fœderatum audierat & inferentem nocumenta gravia Chriſtianis, acie ſuperatum perditioni tradit & ſuæ ſubdit Inſulam ditioni. ☙ Ex Hiſtoria Regum: Richardus igitur Cyprum cum Rege ſuo, *qui ſe Imperatorem vocabat*, & filiam ipſius Imperatoris & theſauros ejus aſportavit. ☙ Sequitur Guido. ☙ Interim Francorum Rex inſtructis ad dejicienda mœnia pluribus inſtrumentis & eorum crebra jaculatione concuſſis urbis obſeſſæ propugnaculis, eviſceratisque murorum arte foſſoria fundamentis, ut converteret aut ſubverterer eam ſummopere nitebatur. Jam deditionem tremefacta civitas offerebat ſed differebat eam recipere Rex Francorum, ne velle videretur

retur totum vendicare tantæ sibi victoriæ decus, & ejus titulo defraudare Regem Anglorum, cui vinculo societatis erat astrictus, unde cum per Legatos invitasset eum ut ad eventum hujus rei pro tantæ rei [laudis] materia maturaret adventum, ille cum multis & magnis copiis sulcaret æquora cursu velivolo * viam, obviam sibi navim Alexandrinam, obsessis in Ptolemaide Turcis opes, escas, bellatores & alia multa subsidia deferentem, comperto quod esset hostium, consertoque prælio cum eis, expugnatam capit, & capit inæstimabiles gazas omnibus cæsis hostibus aut submersis. Hinc ovans gemino terra marique triumpho, Syriæ littus glorianter adeptus est & exultanter exceptus à Rege Francorum & exercitu Christiano, ☙ unde in historia Regum: Tandem Richardus venit Acram, & invenit muros civitatis jam fractos, & viriliter à Philippo Rege & Francis expugnatos. Cum Rege Richardo fuit *unus Rex de Hibernia, unus de Wallia* & cum eis *Comes de Hollandia* Florentius, qui ibi obiit. ☙ Cum Archiepiscopo Thessalonicæ fuit unus Regulus de Græcia Laufagius. Per omnia fuerunt undecim Reges & quinquaginta quatuor Comites & Episcopi cum Archiepiscopis viginti octo. Item totus exercitus æstimatus est ad trecenta millia hominum, soli milites triginta millia, *vix reversi sex millia.* ☙ Est autem apud Acram Cymeterium quoddam, quod dicitur sancti Nicolai, in quo sepeliuntur absque numero homines & mulieres parvi & magni & *post novem dies* nihil nisi terra & pulvis invenitur. ☙ Iisdem diebus fuit *eclipsis solis universalis* in vigilia sancti Joannis Baptistæ dominicâ die, septimo grâdu cancri, lunâ existente in sexto gradu ejusdem signi & cauda draconis in duodecimo, circa meridiem, & duravit per quatuor horas antequam civitas Acra caperetur. ☙ Sequitur narratio Guidonis: ☙ Tunc quia Saladinus, quanto sui qui erant in civitate fortius arctabantur à nostris, tanto nostra circumitabat

castra

castra propinquius & vehementius, & ut nos provocaret ad bellum & ab assultu revocaret instabat, nostri Reges obsidionis onus partiti sunt inter se, & Anglorum Rex ab impetu gentis diræ vallum custodire, Francorum Rex urbem expugnare sortiti; videntes autem Turci quod deintus suos qui deforis erant, liberationi suæ non posse sufficere, proficere Christianos, seque deficere, certi quod cum civitate sua perirent, nisi portas victoribus aperirent, civitatem seque cum victualibus, armis & opibus Christianis submittunt Regibus, deditione supplici, sed duplici conditione. Pro sua scilicet redemtione reddendi *dominicæ crucis lignum* cum millium aureis ducentorum, aut hoc si non possent cædendos gladiis se esse nossent. ☙ in historia Regum: Interim virtus Francorum indefessa civitatem Acram cepit quarto Idus Julii, illis qui ibidem erant Saracenis vita sola tantum concessa eo pacto, ut omnes Christianos qui in captione Salahadini erant, & sanctum lignum vivificæ crucis restituerent Christianis, quod quia postea Salahadinus aut noluit, aut non potuit facere, prædicti Sarraceni, & omnes alii qui tenebantur capti exceptis paucis magnis viris interfecti sunt extra portas civitatis Aconensis septem millia & eo amplius ☙ Guido: ❧ Reddita itaque civitate *vexilla Regis* diriguntur in eam, & super principalis eminentiæ fastigium eriguntur in Christianæ fidei gaudium & honorem, Turcorum verò dedecus & dolorem, unde Saladinus hoc videre non sustinens sua versus illico fugam arripuit & ejus exercitus universus. ☙ Domine Deus! tam saluti quam honori Christianæ gentis quam utile fuisset & decens, si nostri, dum victoria recens & eorum gladii Turcorum cæde calentes, fugientes exanimes præ timore fuissent unanimes persecuti, profecto non tantum abegissent eos à finibus suis, sed eorum sibi provincias pro parte maxima subegissent, majora votis & plusquam speraverant assecuti, sed

invi-

invidus insopiti draconis oculus & in nocumenta populi Christiani perpetuo vigilantis attendens, quod dum Reges nostri vinculo pacis adstricti Christiani paganis insistere non cessarent nec possent pagani resistere Christianis, spiritum inter Reges dissensionis immisit & iræ, nec permisit ad finem debitum læta principia pervenire: Regum siquidem indignatus alter adversus alterum, quod unus imperaret alter non pareret, ille superiorem iste nollet habere parem, jura fœderatæ societatis abjurat. ☙ Ex historia Regum: Interea Richardus Rex Angliæ frequenter mittebat nuncios ad Saladinum, & mutua dona recipiebat ab eo, & ideo Philippus Rex eundem Regem Richardum suspectum habebat: Præterea idem Philippus Rex morbo gravissimo detinebatur: Nam ut quidam dicunt venenum incautè à proditoribus porrectum hauserat. unde & tanta infirmitate gravatus est quod & ungues manuum & pedum, capillos & ferè omnem pellis cutis superficiem amisit. Unde de consilio suorum fidelium commissa captivorum cura & totius rei summa Duci Burgundiæ Hugoni & aliis quos ad hoc sufficere præsumebat, quingentis militibus cum sufficienti sumtu trium annorum de fisco eis ministrato ad defensionem terræ sanctæ dimissis repatriare disponens Romam venit. ☙ Eodem anno mense Augusto ægrotavit Parisiis Ludovicus filius Regis parvulus sed tantæ processiones & orationes factæ sunt pro eo ad Dominum, quod in brevi & maximo Dei miraculo restitutus integerrimæ sit sanitati. ☙ Episcopus Radulphus à sancta terra revertitur & antequam fines sui Episcopatus attingeret, in terra sua infirmitate gravi diem clausit extremum, sepultus in quadam Ecclesia proprietatis suæ, sed & Petrus Episcopus Episcopus Tullensis & quidam alii in eodem itinere mortui fuerunt. ☙ In autumno tanta pluviarum nimietas fuit quod messis ferè tota in campis dum adhuc esset in folliculis germinavit, unde contigit

Digitized by Google

tigit quòd in totò illo anno vix inveniebatur panis qui comedentibus nauſeam non procuraret. ☙ Menſe Novembris vigeſima die fuit eclipſis lunæ particularis in ſexto gradu geminorum & duravit per duas horas. ☙ Mortuus fuit ante Acram Balduinus Epiſcopus Cantuarienſis & plures alii Epiſcopi & Archiepiſcopi. ☙ Mortuus ibidem fuit Philippus nobilis Comes Flandriæ cujus oſſa apud Clarevallem relata ſunt. ☙ Nobilis etiam Dux Burgundiæ Hugo ex parte Regis ibi dimiſſus, non multo poſt mortuus, & apud Templarios ſepultus. ☙ Item mortui ſunt ibidem alii quidam viri magni nominis, Comes de Barroducis & Francorum Dapifer Henricus, Comes Bleſenſis Theobaldus, Comes Clarimontis Radulfus, Comes Perticenſis Rotruldus, Comes Albæmarlæ Gaufridus, Gaufridus de Augo, Comes Loſſenſis Gerardus, Comes Ludovicus de Crepejo [Cenejo] Radulfus de Marla, Bartholomæus de Wangionis rivo cum Guidone filio ſuo, Erardus de Chacenejo & plures alii. ☙ Mortua etiam fuit Acræ Sybilla Regis Guidonis uxor cum duabus filiabus; habebat autem dicta Regina ſororem quæ erat non longè ab Acra, Iſabella nomine, uxor Winfridi *Turonenſis*, qui cum eſſet minus potens & minus habilis ad regnum regendum quod ad ejus devenerat *uxorem, ipſam tulerunt ab eo, quam dederunt Marchioni Montisferrati Conrado.* Hic antequam peregrini noſtri adveniſſent, civitatem Tyrum ingreſſus, eam ab impetu Salahadini nobiliter defendit. Habuit autem iſte Conrardus fratrem nomine Guillelmum, qui ante Regem Guidonem fuit Comes Joppenſis & aliquanto tempore tenuit regnum. ☙ Apud Leodium electus eſt in Epiſcopum Archiadiaconus Albertus frater Henrici *Ducis Lovanienſis*, contra quem Balduinus Comes cum ſuis nominavit Albertum præpoſitum con-

ſobrinum ſuum fratrem Comitis Manaſſeri *Reiteſtenſis*. ſed Albertus præpoſitus cum eſſet illiteratus, ceſſit Alberto Lovanienſi, veneruntque ambo ad Henricum Imperatorem: Imperator noluit Lovanienſi regalia dare, *dicens quod electio deveniſſet ad manum ipſius ex quo habuerant in electione diſcordiam.* Et cum eſſet ibi Comes de Horſtal [Herſtal in Mſ. f. Hoſtat] coram Imperatore, rogavit eum pro præpoſito Bonnenſi Lothario fratre ſuo, cui ſtatim Imperator annuit & donum conceſſit mediante pecunia trium millium marcharum. ☙ Interea Colonienſis Archiepiſcopus Philippus mortuus in Apulia, & electus eſt in Archiepiſcopum frater Frederici Secundi Archiepiſcopi & Comitis *Engelberti de Monte Veteri*, Bruno, qui erat conſanguineus Alberti Lovanienſis, à quo tanquam Metropolitano confirmationem ſuam idem Albertus contra votum Imperatoris obtinuit. Lotharius verò Leodium venit, & ſe inthronizari fecit, & ea quæ ſpectabant ad regalia continuo ſaiſivit: Albertus verò timore Imperatoris factâ appellatione cum ſuis repatriavit. ☙ Ex Hiſtoria Regum. Rex Philippus Romæ viſitatis Apoſtolorum liminibus à Clemente Papa *cognato ſuo* benedictione recepta paucis diebus ante nativitatem Domini in Franciam eſt reverſus, ſanitati aliquantulum reſtitutus: Quia verò Comes *Flandriæ* Philippus mortuus eſt ante Acram abſque hærede proprii corporis, ſoror verò ipſius Margaretha nomine Comiti de Hainaco Balduino nupſerat, idem Balduinus pedetentim ſaiſire cœpit Comitatum & obtinere, contra quem Dux Lovanii Henricus aliquamdiu decertavit, & ei prout potuit, reſtitit, eo quod haberet Mathildem filiam Comitis Matthæi *Bolonienſis* qui fuit frater Comitis Philippi, in uxorem; ſed Comes Balduinus cauſa meliore fultus Regi Franciæ regreſſo dedit quinque millia marcharum argenti, & quædam alia, & ita Flandriam obtinuit. Idem quoque Balduinus

ex

ex parte matris ſuæ *Namurcenſis* Caſtri Comitatum invaſit, avunculo ſuo Comite Henrico jam præ ſenectute cœco facto, Qui Balduinus de prædicta Domina tres habuit filios, Balduinum *Flandrenſem & Hainonenſem* Comitem Philippum Comitem Namurcenſem & Henricum qui dictus eſt de Andegavio, & filias tres, Elizabeth Franciæ Reginam matrem Domini Ludovici, Hyolens uxorem Petri Antiſſiodorenſis & Sybillam Domini Bellijoci uxorem Guichardi [Richardi] ☙ Apud ſanctum Remaclum poſt Ellebaldum Abbatem Gerardus frater Comitis Sifridi Viennenſis octodecim præfuit annis.

Anno 1192 Romæ poſt Clementem tertium Celeſtinus tertius fit Papa, dictus antea Hiacintus ſenex & emeritus venerabilis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin. In die paſchæ fuit conſecratus, & in die ſequenti Henricum Imperatorem coronavit & conſecravit. ☙ Apud Tullum inſtitutus fuit Odo Epiſcopus frater Comitis Gerardi de Vaudani monte. ☙ Lingonenſis Epiſcopus Manaſſes à partibus transmarinis cum Rege reverſus eodem anno moritur & ei Garnerus Abbas ſubſtituitur. *Rex Anglorum Richardus* in partibus transmarinis aliquamdiu demoratus multorum odia incurrit, civitatem Aſcalonam Saracenis funditus evertendam reliquit, Marchiſum Conrardum ab octo Haſſacinis interfici vel permiſit vel perſuaſit. Hujus Marchiſii relictam, tanquam regni Hieroſolymitani hæredem Iſabellam Comiti Campaniæ Henrico de mandato Regis Philippi ibi demoranti in uxorem dederunt, & cuſtodem Regni ſibi præfecerunt, Rex autem Richardus per mare fugiens mutato habitu venit Hungariam, & exinde occultè ingreſſus Auſtriam, à quibusdam cognitus, & Duci Auſtriæ proditus capitur apud Viennam circa natale Domini & Imperatori Henrico præſentatur. ☙ In Hiſtoria Regum ita

dicitur: Richardus Rex Angliæ cum in partibus transmarinis ſummam rei Henrico Campaniæ commiſiſſet, repatriavit, ſed quia multos offenderat, multos metuens diſſimulavit & habitu & ſplendore quantum potuit eminentiam regalem &c: ☙ Güido de eodem: Anglorum Rex Richardus poſtquam dominium ſolus obtinuit Chriſtianæ gentis in Syria remanentis, militiam quæ remanſerat Francorum, quorum virtute victor extiterat in bello quod nuper contra Turcos habuerat, contemtui dedit, contumelioſè tractavit & injurioſe, qui ſuperbiam ejus intolerabilem non ferentes & indignantes quod hoſtium eſſet ad munera flexus, amplexus eorum fœdera, relictâ Syriâ ſtatim ad propria redierunt: Ipſe quoque paulo poſt repetens mare terram illam deſeruit, & deſertoribus illam expoſuit, & in hoc Turcos animavit, noſtrorum animos exarmavit, cunctosque fugavit à cauſa meliore Deos. Tunc aſtutia quâ pollebat hinc Affricanum latus expectato reditu ſuo defraudans, hinc Siculum & Italicum littus, nimirum quia quos offenderat metuebat, per maris Adriatici linguam, Germaniæ ſuperioris & inferioris Scythiæ commercia pertingentem, illis in locis portum obtinuit quem non oportuit; nam qui pelagi minas evaſerat & paganos, in terra periclitatus eſt, & in hoſtes incidit Chriſtianos, ibi captus, & Imperatori Romanorum Henrico Frederici filio præſentatus, in cuſtodia quousque redimeretur fuit detentus. ☙ Hæ ſunt probitates quæ in Regis Richardi laudem memorantur; Primo quod per Siciliam transiens Pharum & Meſſanam [Farum de Meſſine] obtinuit; Item quod Cyprum Inſulam acquiſivit, quam adhuc Chriſtiani Latini detinent. Quod Dromontem [Dromonem] Alexandrinum navali prælio cepit, quod Caramanniam retinuit, quod Japhæ ſubvenit. ☙ Interea Rex Francorum Philippus Normanniam de die in diem ſibi pedetentim ſub-

ſubjugando occupabat, & primo quidem cepit Giſortium, & totum territorium Velicaſſinum & confinia Neuſtriæ parte proxima, & reſtituit Eccleſiæ Beati Dioniſii novum caſtellum quod Rex Angliæ ei abſtulerat, & injuſtè detinebat. ❧ Imperator Henricus Leodium venit & domos illorum qui repugnabant Lothario quem præfecerat, juſſit everti, in cujus etiam præſentia Dux Lovanii Henricus fratrem ſuum Albertum Leodienſem Clericum abjuravit. Interim Albertus Romam in habitu mimi peregrini latenter ingreſſus, & à Cœleſtino Romano Pontifice auditus, & in cauſâ ſuâ confirmatus, in reditu cum non poſſet adire Coloniam, Archiepiſcopo Remenſi Guilelmo transmittitur conſecrandus, qui eum conſecravit in vigilia ſancti Marthæi in dominico die. Quod cum divulgatum eſſet in curia Imperatoris, transmiſit proditores qui eum interficerent extra civitatem Rhemenſem in Vigilia ſanctæ Catharinæ feriâ tertiâ horâ veſperarum: attulerat à Roma mitram Abbati Bolienſi annulum ab antiquo habenti. ❧ in Hiſtoria Regum ita dicitur. Rhemis metropoli Francorum occiditur ſanctiſſimus Leodienſis Epiſcopus Albertus miſſis appariroribus ab Henrico Imperatore fingentibus ſe ejectos ab ipſo Imperatore qui eundem ſanctum Epiſcopum, cum ab ipſo fuiſſent amicabiliter recepti, & apud eum diu tanquam fideles amici converſati, nacta ſpatiandi occaſione extra muros civitatis eductum occiderunt octavo Calendas Decembris. ❧ Lotharius autem Bonnæ præpoſitus cujus occaſione hæc facta ſunt nunquam poſtea Leodium intravit, ſed paulo poſt divino judicio mortuus inter it. ❧ Dominica die Idibus ſeptembris Guilelmus Rhemenſis Archiepiſcopus Johannem conſecravit in Epiſcopum Cameracenſem, de hoc Johanne dicitur quod virgo diſceſſerit.

Anno 1193. In Martio *Judæi* quendam Chriſtianum permittente Comitiſſa Campaniæ, apud caſtrum quod Brajam ſuper Sequanam vocant, ſpinis coronatum & fuſtigatum per vicos crucifixerunt, quo audito Philippus magnanimus Chriſtianitati compatiens in propria perſona ad prænominatum caſtrum accedens octoginta Judæos & eo amplius fecit comburi, poſtmodum creſcente iniquitate & malitia hominum intimatum eſt Regi Philippo, quod ad ſuggeſtionem Richardi Regis Angliæ miſſi erant de populo *Haſſacinorum ſive Arſacidarum* quidam qui eum occiderent eo modo, quo Conrardum Marchionem Montisferrati apud Acram illis diebus occiderant, propter quod idem Philippus ſui corporis habuit fideliſſimos, & ipſe ſemper ferè clavam ferream vel æream in manu geſtavit, & ſui cuſtodes de cætero habuerunt eandem conſuetudinem geſtandi *claves* in manibus usque in hodiernum diem: apud Arſacidas opinio vulgaris & Deo odibilis obſervatur, quicquid enim à Domino ſuo eis, vel de homine occidendo, vel de re alia imperatur, ſi obedierint ſtatim credunt patrato ſcelere ſe ſalvari. ☙ Elinandus ❧ De liberatione Regis Angliæ Richardi: Richardus Rex Angliæ per miniſtros & fideles ſuos ſpoliatis Eccleſiis Angliæ & Normanniæ calicibus aureis & argenteis & cæteris ornamentis, redimit ſe à captivitate plusquam ducentis mille marcis Imperatori & cæteris Baronibus Alemanniæ partim datis, partim ſub obſidibus promiſſis. ☙ Albericus: Ducenta quidem millia promiſſa fuerunt, ſed tandem laxatus fuit per centum millia. ☙ Unde in hiſtoria Regni [Regum] dicitur: Rex Richardus datis demum pro redemtione ſuâ centum millibus marcharum argenti dimiſſus eſt, qui poſt labores multos & pericula infinita tandem in Angliam eſt trajectus ☙ Guido. ❧ Rex Angliæ Richardus argenteis centies mille talentis eſt ſibi redditus & inde reditus ſuos fecit in Angliam, de qua

de qua transiens in Normanniam cum Rege Francorum, qui jam terras ejus latè pervaserat, inimicitias graves exercuit longa concitatione bellorum. ☞ Erat Imperator Isacius sive Isachius Constantinopoli, de quo qualiter culmen ascenderit superius in anno 1167. declaravimus : Hic igitur fratrem habuit qui dictus est Kyralexius cognomento Andronicus, quem tertio captum redemerat à paganis, Senescaldum quoque suum eundem fecerat, munitionemque Buccam leonis vocatam cum tributo portus sibi reddendo ei dederat, unde ad Imperialem mensam quotidie quatuor milia libras argenti reddebat, qui ita exaltatus contra fratrem suum in corde suo cogitavit mala, promissisque & muneribus principes Græcorum ad hoc animavit, & fortiter illexit, ut ei favorent ad imperium obtinendum contra fratrem; fuerunt autem hi Livernas & Laufage, Nicolaus, Morculfus & Constantinus, Acharias, Petrus de Navares & Synagim Carthaginensis; Mandatum Isaacum per proditionem quasi de consilio magno tractaturi, ligaverunt, & oculis ejus excæcatis incarceraverunt, similiter in alio carcere cujusdam Marescalli posuerunt filium ejus Alexium, quem cum vellet Andronicus interficere, Seneschallus misit eum ad Philippum Ducem Sueviæ, qui ejusdem *Alexii sororem* habuit uxorem, & ita Andronicus iste per annos novem Imperium usurpavit. Livernas autem prænominatus *sororem Regis Francorum* Imperatricem illam, quam habere debuit Alexius Manuelis filius, dote sua utentem tenebat loco uxoris, non tamen sibi conjuncta erat solennibus nuptiis, quia secundum morem gentis dotem primum perdidisset, qualiter verò postea illam legitimè duxerit, & de filia quam ex ea genuit suo loco dicemus. ☞ Mortuus est *Dux Saxoniæ Henricus Pater Ottonis Comitis Pictavorum, postea Imperatoris;* mortuus est autem Brunswik. Iste Dux Henricus cum contra Imperatorem Fredericum

cogna-

cognatum ſuum arma tuliſſet, & ejus coronationi contrarius extitiſſet, Imperator tandem concione contra facta, *tres Ducatus* una die illi abſtulit, quia Dux erat *Bavariæ* ex parte patris, Dux *Saxoniæ* ex parte matris quæ fuit filia Lotharii Imperatoris, & Ducatum *Weſtphaliæ* debuit tenere de Archiepiſcopo Colonienſi: Factus eſt itaque Dux Bavariæ quidam Comes Otto Palatinus *cognatus illius*, Dux Saxoniæ factus eſt Bernardus, Ducatum Weſtphaliæ recepit Archiepiſcopus Colonienſis. Allodium ſuum de Brunſwic & de Rodemburch, [Luneburg] & *ea quæ in Sclavia acquiſierat* retinuit Dux Henricus, qui de Mathilde ſorore Regis Angliæ Richardi tres filios habuit, Henricum Rheni palatinum, Guilelmum & Ottonem, & de quadam concubina nobili filiam habuit quæ in Sclavia hæ reditavit. Henricus Rheni Palatinus duxit filiam Conrardi Palatini qui fuit frater Imperatoris Frederici. Guilelmus verò de ſorore Regis Daciæ genuit iſtum Ottonem, qui tenuit Ducatum de Brunswik, Pater Iſabellæ uxoris Guilelmi Romanorum Regis. ❧ Theobaldus Comes *Barrenſis* ante caſtrum de Namurco duxit exercitum ſatis copioſum, quia filiam Henrici Comitis cæci unicam in ejus ſenectute de Agnete ſorore Comitis de *Gelra* quodam accidenti natam, duxerat in uxorem nomine Ermenſondem, per quam hæreditare volebat, *quamvis filiæ non ſoleant in Imperio hæreditare.* Tria tamen caſtra cum appendiciis ab Imperatore data Comiti Alemanno Ottoni de Burgundia, Comes Barri ab ipſo Comite Ottone redemit, & ita cum uxore eâ habuit: ſcilicet *Luſceburg* Drebuium & Rupem in Ardenna. ❧ Pro reclamatione quoque *Namurci* facta pax eſt inter eum & filios Caldini per quandam ſummam argenti quæ dabatur Comiti Barri per annos ſingulos: Per ejusdem quoque induſtriam gener ipſius Fredericus, Frederici de Bites [Betes] filius ducatum obtinuit patris [Patrui] ſui Ducis Simonis

Dux

Digitized by Google

Dux iſte Simon & Fredericus de Bites & Comes Matthæus *Tullenſis* & Theodericus qui fuit electus Metenſis ante Epiſcopum Bertrannum, quatuor iſti fuerunt filii *Ducis Lotharingiæ Matthei, qui Dux Moſellanorum* dicebatur, nati ex Berta *ſorore Imperatoris Frederici.* Quatuor [quorum] fuerunt ſorores hujus Bertæ filiæ. Aalix mater Ducis Burgundiæ Odonis & Juetta, mater Comitis Stephani avia ſcilicet Johannis *Cabilonenſis.* Soror quoque una prædictæ Berthæ *Landgravio Thuringiæ* Ludovico peperit Hermannum Landgravium. Idem Dux Matthæus Moſellanorum & Robertus Pater Philippi de *Florehenges* filii fuerunt illius Ducis Simonis, qui fuit frater Comitis Theodorici Flandrienſis, ſoror quoque iſtius Comitis Theoderici & Ducis Simonis, & Epiſcopi Henrici Tullenſis, cuidam forti Caſtellano de Burgundia Bernardo peperit Joſceranum & ſororem ejus, qui de ſorore Comitis *Cabilonenſis* genuit Henricum Patrem Joſceranni Groſſi.

De corpore *Arturi magni* dicitur quod circa hunc annum fit inventum in Anglia in Inſula Avalonis ubi eſt Abbatia ſancti Dunſtani Glaſtonia vulgariter dicta ad ſanctum Petrum de Glaſtemberia Batonienſis dioceſis, & hoc factum eſt per induſtriam cujusdam Monachi ejusdem eccleſiæ novi Abbatis, qui totum cimiterium loci diligenter excavando fecit inveſtigari, animatus verbis quæ olim [adhuc] Monachus audierat ab ore Henrici Patris Richardi, & inventa eſt tumba lapidea in profundo terræ defoſſa ſuper quam lamina plumbea quibusdam verſibus erat inſignita:

Hic jacet Arturus flos Regum gloria Regni
Quem probitas morum commendat laude perenni
Hic jacet Arturus Britonum Rex ultor inultus &c.

Anno 1194. Philippus Magnanimus duxit in uxorem Indeburgim ſororem Canuthi, filiam Waldemari Regis de Dacia in civitate Ambiana, quæ eodem die quo benedicta & co-

ronata, per sociarias ut dicunt maleficiata, ab ipso Rege cæpit minus diligi & jure thori & carnis debito privari, & demum ab ipso separata est consanguinitate probata: tamen à Francis non recessit necessaria vitæ à fisco recipiens, qualiter autem post annos septendecim Rex eam receperit in perfectam gratiam suo loco dicetur. Mense Februario Philippus Magnanimus cepit civitatem Ebroicas, Novumburgum, vallem Rodolii, & multa alia municipia & Rotomagum obsedit, sed tunc non cepit. Deinde obsedit Vernolium, & viriliter per tres septimanas expugnavit, eo autem ibidem existente Johannes frater Richardi Regis Angliæ *qui cognominatus est sine terrâ* & in fraudem Regi Philippo confœderatus fuit, accedens ad eos qui ex parte Regis Philippi Ebroicas custodiebant, & eos dolo circumveniens decapitavit omnes & capita palis affixit in circuitu civitatis, arcem tamen non obtinuit, quo audito Rex Philippus obsidionem Vernolii dimisit, & Ebroicas veniens cum furore, civitatem totam incendio consumsit, & deinde transiens in terram Normanicam, totam devastans, Guilelmum *Comitem Leicestriæ* virum strenuissimum in quodam nemore cum multis militibus deprehensum bello confecit & cepit, & custodiæ mancipavit cum multis aliis. De sorore hujus Guilelmi nati sunt Comes *Simon Montis fortis* & Guido frater ejus: Interea Rex Angliæ nuper reversus congregato exercitu Bellum montem, castrum videlicet munitissimum super fluvium Rudalem situm diocesis Ebroicensis, recuperavit, & quasdam alias munitiones, & dum Rex Philippus per terram Comitis Blesensis transiret, idem Richardus positis insidiis sarcinariis eos cum denariis & varia suppellectili potenter abduxit & multum damnificavit Regem, amisso ibidem sigillo & libellis computorum fisci: Interea Johannes sine terra cum Comite David & cum Comite Harundellæ & civibus Rotomagi & infinita

ta multitudine Neuſtriorum obſedit vallem Rodolii, quo audito Rex Philippus magnanimus à Bituria ubi erat, maxima cum paucis armatis itinera tribus diebus peregit, & ex improviſo ſuperveniens caſtra eorum irrupit, & omnes in nemore propinquo fugavit, multis dum fugerent captis & interfectis. Eodem anno Henricus Imperator Calabriam Siciliam & Apuliam ſibi ſubjugavit. In fine Julii hujus anni Eccleſia Beatæ Mariæ Carnotenſis caſuali incendio conſumta eſt, ſed poſtea à fidelibus miro & miraculoſo tabulatu lapideo reparata eſt. Magiſter Michael Decanus Pariſienſis vir Theologus & religioſus in Patriarcham Hieroſolymam eſt electus, ſed antequam illuc iter arriperet, factus eſt Senonenſis Archiepiſcopus. Apud Leodium Simon Ducis Henrici de *Lemborg* filius fratris Galeranni, conſobrinus Epiſcopi Alberti nuper defuncti eligitur in Epiſcopum, contra quem ex alia parte favente Balduino Comite eligitur apud Namurcum quidam Archi-Diaconus Albertus de Cuc, qui per quosdam ſibi adhærentes caſtrum de Hojo obtinuit, ſed Leodium non intravit fere per biennium. Appellantibus partibus ad Papam & cauſam ventilantibus ambo Romam profecti ſunt, Simon autem à quibusdam perfidis veneno accepto Romæ moritur Calendis Auguſti, & in Eccleſia Lateranenſi ſepelitur. Mortui ſunt etiam cum eo multi Eccleſiæ ſuæ Canonici, quo audito pars Canonicorum in Eccleſia ſancti Lamberti reſidentium, alium ſubſtituerunt electum per commune Capitulum, & deliberato conſilio nominabant & eligebant Archidiaconum Ottonem virum religioſum fratrem Goſuini de Monte Falconis primò in Præpoſitum & poſt in Epiſcopum, cui præcipuè adverſabatur Archidiaconus Hugo nepos præpoſiti defuncti, frater Roberti de Petra Ponte Domini, qui Otto venerabilis non multo poſt mortuus eſt. Albertus autem diu Romæ perſeveravit, pecuniam multam à Romanis acce-

pit,& cum non esset qui ei resisteret, consecrationem suam antequam reverteretur obtinuit: Fuit enim in secularibus satis prævalens & astutus. ☙ Mirabile contigit quiddam in Hungaria hoc anno, quia in autumno die quadam fuit inter Dravum & Savum pluvia locustarum densissima. ☙ His diebus in *Livonia* quæ est inter Sueciam & Prussiam & Poloniam quidam Abbas venerabilis *Bertholdus nomine Cisstercienſis ordinis* Christum prædicabat cum omni instantia, qui etiam secundus factus Episcopus post Mainardum qui fuit ex regularibus,& primus prædicavit in illa provincia, diu perseveravit, & postmodum interfectus martyrium promeruit.

Anno 1195. In partibus transmarinis mortuus esse scribitur circa hæc tempora nominatissimus ille *Salahadinus* cui per annos viginti quinque populum Christianum affligere, & tandem terram sanctam invadere permissum fuerat divinitus. ☙ Elinandus;qui Salahadinus cum moriturus esset signiferum suum vocavit dicens : Tu qui soles deferre vexilla mea per bella, fer vexillum mortis quoddam meæ scilicet panniculum vilem croceum per totum Damascum super lanceam clamitando: Ecce Rex orientis moriens non fert secum de omni substantiâ suâ nisi hunc vilem pannum. ☙ Albricus : Et sic mortuus est facto prius testamento rerum mobilium suarum in tres partes distributo, videlicet pauperibus Saracenis pauperibus Judæis & pauperibus Christianis per terram suam captis, ea intentione, ut si duæ partes quæcunque essent illæ nihil valerent animæ suæ, tertia pars posset ei aliquid proficere : & in hoc ostendit, quod non ex toto fiduciam habuit in lege sua Saracenica ; contra filios ejus frater ipsius Saffradinus [Saffadinus] bellum habuit, & principatum obtinuit, & Soldanus est appellatus ; Sanguinus tamen Salahadini filius Halapiam sibi & hæredibus suis semper obtinuit & unus frater ejus factus est

Califas, id est *Apostolicus* in Baldach, qui per viginti tres annos mutato habitu Parisius studuit, tertius ut dicunt fuit *Milomammelinus* Rex potentissimus in Marioch. ☙ Ex historia Regum: Richardus Rex remisit Regi Philippo sororem suam quam in uxorem ducere debuerat Alaidem, quæ statim data est in uxorem Comiti Pontivorum Guilelmo Comitis Johannis filio & treugis redditis & gverra reincepta Philippus Rex vallem Rodolii quam munitam tenebat, solo adæquavit, ipso Rege Richardo vidente, & acerbiter indignante. ☙ Eodem anno fuit fames valida in terrâ propter nimiam commotionem aëris & tempestatis quæ frequenter acciderat anno præcedenti, sed Rex Philippus & ejus exemplo Clerus & populus & proceres universi eleemosinas fecerunt largiores, & pauperum sublevabant egestatem. ☙ Tempore illo Hildesfunsus Rex Castiliæ qui *Rex parvus de Hispania* dictus est, opprimebat nobiles viros regni sui, & ignobiles exaltabat, & militibus negle-ctis, rusticos armis induebat & militibus præferebat. Unde eodem tempore Hemmamelinus Rex Mauritaniæ Hispaniam intrans pugnavit cum eodem Rege Castellæ, & eum vicit quinquaginta millibus Christianis eodem bello miserrimè occisis. ☙ Eodem anno Richardus Rex obsedit castrum fortissimum quod Archas vocant, sed Rex Philippus magnanimus cum suis Francis eum inde fugavit, & paululum procedens portum famosissimum & villam opulentissimam quæ Diepa dicitur super mare Anglicum in fortitudine magna intravit & combussit, & prædam magnam & spolia pretiosa inde abduxit. In suo tamen inde reditu, dum per foresta iter faceret Rege Richardo in insidiis latitante, & insultum in eos ex improviso faciente perierunt multi extremi agminis viri. Marcaderus qui præerat *ruptariis sive Coterellis*, Essoldinum capit & munit ad opus Richardi Regis. ☙ In Austria oppidum de *Vienna* circa pentecosten

casu combustum fuit, & intrante hyeme mortuus est Dux Austriæ Leopoldus ejusdem oppidi Dominus, qui de sorore Regis Belæ Hungariæ Ducis duos habuit filios Duces sibi invicem succedentes Henricum & Leopoldum ❧ in Burgundia mortuo Bisuntinensi electo Stephano qui successerat Archiepiscopo Theoderico, Amedius in Archiepiscopum electus viginti quinque præfuit annis. ❧ Apud Bullemcuriam *virgo Christi Ascelina*, de qua superius mentionem fecimus, obitum suum circiter anno uno præscivit, feria sextâ post Penteçostem obiit; Hæc in vitâ suâ & post multa fecit, ut scribit Dominus Gosuinus, miracula. ❧ Apud Leodium fuit quidam Magister Johannes prædicator cognomento Dalich qui fecit *sermones per anni circulum*, Ad te levavi animam meam &c.

Anno 1196. Epiphaniæ die festo in Ecclesia Coloniensi ab Episcopo ejusdem civitatis in Episcopum Leodiensem Albertus de Cuk solenniter consecratur. ❧ Collecto iterum exercitu Philippus Rex ex una parte & Richardus Rex altera parte paratiad pugnandũ stabantin pago Bituricensi juxta Essoldunum, ibidem Richardus Rex in se revertens armis depositis præter spem omnium accessit ad Dominum suum Philippum Regem, flexisq; genibus fecit ei hominium, pax fuit inter eos reformata & jurata. ❧ Intolerabilis aeris intemperies ingruit, pluviæ & tempestates, messis in folliculis germinat, fames valida inde oritur, sed Rex Philippus eleemosynas facit largiores, & prælatos & divites & principes ad hoc ipsum & ad sustentationem pauperum excitat & inducit, ut in anno præcedenti fecerat; subito facta est aquarum & fluminum inundatio, & pontes in multis locis diruti & villæ quamplurimæ depressæ; sed clero & populo ad Deum clamantibus & frequentes processiones celebrantibus, ipso Rege Philippo inter primos nudis plantis humiliter incedente, cessavit illa illuvies. ❧ Eo-

dem anno Balduinus Comes Flandriæ apud Compendium Domino ſuo Regi Philippo fecit hominium. Idem verò Philippus paucis diebus interjectis duxit in uxorem *Agnetem* [Mariam] *filiam Ducis Meraniæ & Marchionis Hiſtriæ*, de qua genuit filium Philippum nomine & filiam unam Mariam, & hac occaſione tota terra Regis aliquandiu *interdicto* ſubjacuit authoritate Domini Papæ, donec ventilata cauſa facta eſt reconciliatio quæ continetur in ſequentibus. ☙ De Genealogia iſtius Reginæ Agnetis [Mariæ] iſta eſt brevis narratio: *Marchio Conradus Miſſenſis* in Saxonia verſus Poloniam quatuor genuit filios, ſcilicet Ottonem, Theodericum, Teconem [Tetonem] & Henricum: De Ottone ſufficit dicere quod ipſe fuit Pater Theoderici Marchionis Miſſenenſis: Teco autem tertius filius duxit *ſororem Archiepiſcopi Colonienſis Philippi* de qua genuit Marchionem de Lanzberg nomine Conradum, & ſororem ejus Aalix quæ Duci Bertholdo [Ottoni] *Meraniæ* quatuor peperit filios videlicet, Ducem Meraniæ Ottonem, Henricum Hiſtriæ Marchionem, Epiſcopum de Bavenberg Angelbertum, & unum Archiepiſcopum Colocenſem in Hungaria Bertholdum, qui fuit Patriarcha Aquileiæ poſt Volferum Patavienſem Leopoldi ſucceſſorem, ſimiliter peperit quatuor filias iſtorum videlicet germanas, quarum una fuit Abbatiſſa, reliquæ tres ita terram partitæ ſunt quod ſcilicet una fuit prædicta Agnes [Maria] Franciæ Regina, ſecunda fuit Gertrudis uxor Andreæ Regis Hungariæ, tertia *Ducisſa in Polonia* quam habuit Henricus *Dux Vrieſcelaviæ*. Mater autem Ducis Bertholdi [Ottonis] Meraniæ patris iſtorum prædictorum fuit de Regibus Daciæ. ☙ Ex hiſtoria Regum. Brevi exinde elapſo tempore Richardus ſpretâ Sacramenti religione dolo cepit caſtrum Biturigum quod Urſonem vocant, & concremavit, propter quod nata eſt ite-

iterum discordia inter ipsum & Regem Philippum: Idem Philippus obsedit *Albam Marmam* castrum munitissimum septem hebdomadibus dierum & amplius, & Richardus Nonnancourt obtinuit data custodibus pecunia, inde congressus cum exercitu Philippi plures de suis amisit, & captus fuit Guido frater Raimundi *Vicecomitis Toarcensis*. Iste Guido postea *Comes Britanniæ* factus est, accipiens in uxorem matrem Arturit junioris Constantiam, relictam videlicet Gaufridi de qua superius diximus. Capta est deinde à Philippo Rege Albamarla atque diruta, & ipse Nonancuriam recuperavit. Balduinus de Bethunia tenebat à Rege Angliæ Comitatum Albæmarlæ. Albericus: Apud Leodium Albertus de Cuk à Roma regressus consecratus Episcopus Leodium intravit, & licet prima illius electio non fuit canonica, vellent nollent qui ei contradicebant, modo receperunt, febribus quartanis & aliis languoribus conquassatum, & ita qualicunque modo præfuit ab hinc quadriennio. Rex Hungariæ Bela *moritur in cœna Domini*, de cujus potionatione contra quendam Episcopum Alanum orta fuit suspicio, post quem regnavit Emericus filius ejus pro eo octo annis. Hujus Emerici uxor fuit Constantia Regina quæ, eo defuncto, nupsit *Friderico Imperatori* & peperit ei filium Regem Alemanniæ. Hildephonsus quoque Rex Arragonum hoc anno decessit & sepelitur in Abbatia de Populeto. Episcopus Odo Tullensis moritur in itinere Hierosolymitano. In Historia Regum. Obiit Episcopus Parisiensis Magister Mauritius in septembri vir sanctæ recordationis, plenus operibus bonis & eleemosynis in senectute bona, & sepultus est in cœnobio sancti Victoris, qui inter cætera opera sancta & laude digna quatuor Abbatias fundavit dotavit & ditavit. Ex libro fratris Cæsarii de obitu Magistri Mauritii Parisiensis Episcopi refertur, quod ante mortem suam tam gra-

viter

viter infirmatus est, ut materia rapta in cerebrum sensum subtraxerit, & in tali defectu positus cum corpus Domini cum instantia postulasset & qui circa eum erant propter sensus inopiam illud ei dare non auderent procuraverunt cum sacerdote ut hostiam non sacratam apportaret, qui cum venisset cum multa reverentia, ut decebat Episcopum communicare, mox ut limen domus sacerdos attigit, Episcopus clara voce clamavit: Tolle tolle non est Deus [Dominus] meus, revelaverat Dominus auriculæ ejus, ut intelligeret quid circa se ageretur; stupente sacerdote, nec non & aliis qui aderant, reversus est verum corpus Domini deferens, quod cum verbis valdè catholicis & compunctivis adorans valde [devote] suscepit, cum quo & sensum ad Dei gloriam subtractum perfectè recepit. Isti duo versus & plures alii ex verbis ejus editi sunt:

Ecce salus mundi verbum patris hostia vera
Vera caro, Deitas integra, verus homo.

Sicque in bona conscientia [confessione] plenus fide & charitate migravit ad Dominum. ❧ In civitate Bituricas post Petrum Episcopum Garini successorem erat Archiepiscopus vir nobilis & religiosus Henricus, hujus itaque frater Odo cantor Bituricensis in Episcopum Parisiensem post Mauritium eligitur. Erant isti duo fratres Ægidii de Soilleio [Solleiro] nepotes magni Theobaldi Comitis, quorum soror Radulpho filio Ebonis de oppido de Dolis peperit matrem Guillelmi de Chavignis, qui per eam factus est Dominus de castro Radulphi. Ægidius de Soilleio de sorore Ebonis de Charenton genuit Archiepiscopum unum Simonem & Erkenbaldũ patrem Henrici de Soilleio.

Anno 1197. Rex Richardus contra Regem Franciæ varios habens conflictus, terram Normanniæ de die in diem recuperabat ex parte, & tam muneribus quam promissis omnes fere proceres Galliæ sibi obligans omne robur militiæ Regi Philippo subtraxit. ❧ Unde in historia Regum dicitur: Comes

Balduinus Flandriæ ſpreto hominio ſuo & fidelitate qua tenebatur Philippo Regi, confœderatus eſt Regi Richardo, & cum eo Rainaldus de Domino Martino, cui tanquam dilecto & fideli ſuo Rex Philippus Comitiſſam Boloniæ dedit in uxorem & totum comitatum cum ea: eodem anno copioſum exercitum duxit Balduinus, & recuperavit contra Regem Philippum ſanctum Audomarum & Ariam, qui Rex Philippus ea tenebat ex quo in Acra Comes Philippus Flandriæ deceſſerat. ❧ Corpus Beati Agili Resbacenſis ad ſuum reportatum fuit cœnobium poſt annos ducentos & ſexaginta ex quo inde amotum fuerat. ❧ Ex hiſtoria Regni [Regum] His etiam diebus miles quidam in territorio Veromannico mortuus revixit, & per multos dies vita fruens nec manducans nec bibens, multa futura dicebat incredibilia tamen. ❧ Apud Roſetum Briæ vicum, dum Sacerdos conficeret, vinum viſibiliter in ſanguinem & panis in carnem viſibilem in ipſo calice verſa ſunt. ❧ In territorio Carnotenſi hoſtia in manibus ſacerdotis verſa eſt in carnem in villa quæ Bailloilum dicitur. ❧ In terra Pariſienſi in caſtro quod dicitur Marliacum ſpiritus quidam loquebatur hominibus in domo cujusdam pauperis, dicens ſe eſſe animam cujusdam hominis de Sicilia nomine Roberti. ❧ In multis locis roſmellibus pluit è cœlo, fames tamen adhuc durabat. Unde quidam Monachus in ſuis annalibus ita ſcribit: Anni iſtius periculum vix audeo ſcribere, cum multitudo pauperum & ferè univerſorum propter imminentem neceſitatem fame moriebatur, & cadavera mortuorum animalium indifferenter ab ea comedebantur, modius ſiliginis octodecim ſolidis modius ſpeltæ decem usque ad feſtum ſancti Barnabæ Apoſtoli vendebatur. In ſequenti die modius ſiliginis triginta tribus ſolidis, modius ſpeltæ ſeptendecim, procedente autem tempore cum meſis ſperaretur nec ſic evênit, unde circa feſtum ſancti Jacobi modius

dius siliginis quadraginta septem solidis, modius speltæ viginti quatuor venditus est. Pauperes verò penuria famis per vicos & plateas moriebantur, illud etiam erat malum omnibus quod vix aliquis poterat comedendo saturari. ☙ In Cameraco fuit electus in Episcopum Nicolaus de Ruez patruus viri nobilis Eustachii, & post eum Hugo præpositus de Duaco. ☙ Abbas Caroli loci Guilelmus factus est Archiepiscopus Bituricensis. Erat autem sanctis & piis moribus adornatus, & in vita sua, licet occultè, multa fecit miracula, non enim fuit mundo palam cognitus usque post mortem ipsius: Erat enim nobilis genere, ita quod Domina *de monte Argiso* fuit soror vel neptis illius, quæ Domina Petro de *Cortenajo* Regis Philippi patruo peperit Comitem Petrum *Autissiodorensem* & sorores ejus [Autissiodorensem & Robertum de Cortenajo & quendam Guilelmum & sorores eorum] Una Alaidis Comiti Guilelmo *Joviniaci* peperit Comitem Petrum, & post Engolismi Comiti peperit Isabellam modernam *Angliæ Reginam* de qua in sequentibus habetur, altera fuit mater Odonis de *Marchia* in Hungaria, tertia Clementia fuit mater Guidonis de *Thyerno* [Tyero] in Alvernia, quarta fuit domina de Charrosio in Bituria, quinta Constantia cujus filia Domina de *Marli* peperit Abbatem Sebaldum de Sarnajo. ☙ *Cantor Parisiensis Magister Petrus* Doctor Theologus, religione & honestis moribus famosus & clarus apud Abbatiam Longipontis obiit, hujus habentur libri multi, magna summa de Conciliis & rebus Ecclesiasticis; Unum ex quatuor innovatum, Verbum abbreviatum, summa de contrarietatibus Theologicis, quædam glossatura super Psalterium & multa alia, summa quæ dicitur Abel ipsius nomine intitulata. ☙ Apud Acram in partibus transmarinis Comes Campanienſis Henricus cum esset terræ sanctæ Princeps, corruit inopinato casu de fenestra

cænaculi ubi incautè fuit appodiatus, & mortuus est; post quem frater prædecessoris sui Regis Guidonis *Heimarus* [Heimericus] *Rex Cypri custodiam fortius regni Hierosolymitani:* Comitatum verò *Campaniæ* Theobaldus frater ejusdem Heimerici cum matre sua Comitissa tenuit. Hic accepit Blancham sororem Regis Navarreorum in conjugium, quæ Blancha sororem habuit nomine Berengariam quam Rex Richardus Anglorum nominatissimus in uxorem duxerat: Reliquit autem prædictus Comes & Princeps Heimericus in Acra de Isabella uxore sua duas filias, quarum una fuit *Regina Cypri* uxor videlicet Hugonis [Guidonis] filii Heimérici; Aliam nomine Philippam adduxit Erardus de *Ramerut* de partibus transmarinis, per quam voluit esse Comes Campaniæ. ☙ Guido de morte Imperatoris Henrici: Imperator Henricus Romanorum cum Apuliam, Calabriam, Siciliam provincias ad uxorem suam, filiam Rogeri Regis Siciliæ, Guilelmi sororem, jure pertinentes hæreditario subjugasset, subjugatur & ipse mortis imperio, relinquens filium Fredericum nomine, & filio regnum Siciliæ, sed non Imperium, quia post mortem illius statim dissensione varia fuit & bifaria discissione divisum inter Philippum, qui Henrici frater Imperatoris & Suevorum Dux, & Ottonem qui Pictavorum Comes ex sorore Richardi Regis Anglorum. ☙ Ex historia Regum: quoniam quosdam Archiepiscopos & Episcopos Henricus Imperator trucidaverat, & Ecclesiam Romanam sicut antecessores sui oppressserat, summus Pontifex electioni Philippi fratris ejus obviavit, & Comiti Pictaviæ Ottoni filio Ducis Saxoniæ favit. ☙ Albericus: Itaque hoc anno quarto videlicet calendas Octobris moritur in Sicilia Imperator Henricus ab uxore sua Constantia ut dicitur *toxicatus*: tamen duos perpetuos sacerdotes in Ecclesia Beati Lamberti apud Leodium & duo nova altaria instituit pro remedio

medio illius peccati, quo procuraverat *mortem Episcopi* Alberti Lovanienſis; Philippus autem Dux Suaviæ frater ejus coronatus eſt in Regem Alemanniæ, & ipſe Philippus Maguntiæ Odoacrum in *Regem Bohemiæ*. ☙ Iſte Odoacrus fuit tertius Rex Bohemiæ primus namque dictus eſt Primitius, ſecundus Wratislaus, tertius frater ejus Odoacrus, & habuit fratrem virum potentiſſimum Epiſcopum de Praga Henricum ☙ Hic dicendum quod quidam Princeps vir bonus fecit antiquitus teſtamentum & cartam circumligavit cum jaculo, traxit arcum, voluntati Dei factum ſuum committens, & ecce ductu angelico carta illa cum jaculo per tres vel quatuor dietas usque ad altare ſancti Salvatoris apud Prumiam pervenit, & ibi remanſit.

Anno 1198. in feſto Cathedræ ſancti Petri Innocentius tertius fit Papa qui dicebatur Lotharius Diaconus Cardinalis ad titulum Sergii & Bachi. Iſte fuit valdè literatus, & in omnibus quæ facere voluit potens & rigidus. ☙ Hujus anno primo ſurrexit novus *ordo fratrum domus ſanctæ Trinitatis* per quendam Magiſtrum Johannem de Francia cooperante ſibi Papa, & iſte Magiſter apud Cherfroy juxta Wandeluz in poſſeſſione cujusdam militis Rogerii miraculoſe de Halopia liberati primam domum ſuam inſtituit. Iſti itaque ſub obedientia prælati domus ſuæ qui Miniſter vocatur, in caſtitate & ſine proprio debent vivere, omnes eccleſiæ hujus ordinis intitulantur nomine ſanctæ Trinitatis, in unaquaque tres erant primo clerici & tres laici, præter ſuum diſpenſatorem, qui ut præmiſimus Miniſter eſt appellatus. Hujusmodi parvas congregationes habent in Francia, Lombardia & Hiſpania & etiam ultra mare usque ad ſexcentas & ſunt aliquæ perſonis multis jam abundantes. Generale Capitulum apud Cerfroy habent dioceſis Meldenſis in octavis Pentecoſtes, omnes res ſuas undecunque licite veniant, debent in tres partes æquales dividere, de qua-

rum duabus habent vivere, & supervenientibus pauperibus dividere, tertiam verò partem *ad redemtionem captivorum* qui sunt incarcerati, pro fide Christi reservare: redimunt autem non solum Christianos à Saracenis, sed & Saracenos à Christianis, ut ipsum pro Christiano captivo possint commutare Saracenum. Ordo quidem commendabilis est, sed multam habet materiam evagandi, quod asinos & mulos equitant primo fuit institutum causa humilitatis & causa etiam paupertatis. ◂ Ex historia Regni: Philippus Dux Sveviæ & Rex Alemanniæ, auxilio Regis Francorum innixus maximam Imperii partem obtinuit, & Comes Otto non minorem eo partem evicit, fretus auxilio Regis Angliæ avunculi sui, horum uterque coronatur in Regem Germaniæ contentiose, & multa inter se prælia commiserunt. ◂ Albericus: Hic itaque Otto Comes Pictavorum Leodium venit in quadragesima hujus anni manentibus adhuc reliquiis sterilitatis & famis: In die verò pentecostes sublimatur & coronatur in Regem Aquisgrani faventibus ei Episcopo Leodiensi [Archiepiscopo Colonienſi] Adolpho, Duce Lovanii Henrico, & avunculo ejus Duce de Limborch sene, Henrico & ejus filio Wallerano & quibusdam aliis Principibus. ◂ Prædictus Colonienſis Archiepiscopus filius Everardi *Adolphus de Haltenowe* erat Archiepiscopi Brunonis nepos ex parte [fratre] sive consobrinus prædecessoris sui, quia fuerunt de duobus fratribus: Et iste quidem Adolphus fratres habuit Comitem Fridericum de Haltenowe, & Arnoldum patrem Frederici de *Isemburg* de quo in sequentibus continetur in anno Domini 1225. ◂ Ex historia Regis: Mense Junio Philippus magnanimus cum ducentis militibus & paucis armatis de Medonta Gisortium vadens obvium habuit Richardum Regem cum mille quingentis militibus & infinita *Coterellorum* & aliorum multitudine, sed Rex magnanimus indignans retrocedere, magnanimi temeritate per medi-

um

um eorum transivit, & viriliter pugnans per Dei misericordiam incolumis evasit: De suis autem fuerunt in conflictu illo milites octoginta occisi: Hoc autem infortunium credimus ei accidisse quia *Judæos* in terram suam contra omnium opinionem reduxerat, & quasdam Ecclesias contra suam consuetudinem fuerat aliquantulum persecutus, unde & hoc infortunium quod sequitur ei Dominus immisit; nam cum quasi se vindicaturus cum infinita multitudine militum & armatorum Neustriam, quæ Normannia dicitur intrasset & vastaret, infra paucos dies cum non haberet voluntatem & judicium suorum Procerum solvit exercitum & unumquemque ad propria remisit, & Rex Richardus cum Machadero qui præerat Coterellis, cepit Philippum Belluacensem Episcopum cognatum Regis, & Guilelmum de Melloto, & quosdam viros nobiles & bellatores & elevatum est cor ejus, & locutus est in magna superbia quod etiam viros [vicos] parisiacos suis militibus partiretur: & quidem vires ejus creverant non solum ex defectione Comitis Flandriæ Balduini, Comitis Boloniæ Rainaldi, imò & Ludovicus Comes Blesensis, & omnes fere proceres regni detecerant, quidam clam, quidam palam se infideliter a Regis obsequio subtrahentes: Propter hoc Innocentius Papa misit Petrum Capuanum virum prudentem Theologum in Francia pro pace reformandâ inter eos, qui vix obtinuit quinquennias treugas inter eos fidei pignore interposito confirmari. Obiit Comitissa Maria *Campanienſis*, duos habuit filios, Henricum & Theobaldum de quibus præmisimus, duas quoque filias Scholasticam [Colariam] uxorem Comitis Guillelmi *Matiſconenſis* & Mariam Comitis Balduini *Flandrenſis* uxorem. Florebat hoc tempore vir nominatissimus *Magister Petrus de Corbuith.* [Corbuilh]

Anno

Anno 1199. Rex Anglorum Richardus in expugnatione cujusdam turris in pago Lemovicenſi Dei judicio jaculo lethaliter vulneratus occubuit. ☞ Ex Hiſtoria Regum : Turrim illam ſive caſtrum obſederat in paſſione Domini ſeptimana prima, occaſione cujusdam theſauri ibidem, ut dicebatur, inventi; quidam autem armiger de turri emiſſo quarello ipſum in ſcapulis vulneravit, & ita infra paucos dies obiit. De quo *quarello ſive jaculo* teſte Domino Hugone de Nigella qui fuit Abbas de Urſicampo & poſtmodum de Ripatorio aliquid vulgatum eſt, quod hic depingere dignum duxi : Faber ille qui jaculum hoc & multa alia fabricavit, in iſto ſpecialiter & non in aliis ſignum Crucis ad recognoſcendum idcirco inſeruit, quod multus populus in ipſa horâ ſparſim & per intervalla ante fornaculam ejusdem tranſiens ad quasdam nundinas, ſeu ad dedicationem cujusdam Eccleſiæ tendens, ſalutabat eum fabrum creberrimè dicens: Deus te adjuvet, Deus te adjuvet : unde faber ille ſalutationes tam crebras illius horæ animadvertit eſſe quoddam prognoſticum, & idcirco formavit in dicto jaculo quo Rex occubuit ſignum crucis; tamen ipſe [dictus] Rex Richardus licet multa egerit vituperabilia, egit tamen aliqua commendabilia & laude digna, quia generali Capitulo Ciſtercienſi largos reditus aſſignavit per annos ſingulos apud Scadeburg in Anglia percipiendos, & Abbatiam de bono portu juxta Rotomagum ipſe fundavit, & ſicut ipſe erat ſtrenuus in armis ita etiam dicitur fuiſſe largus in donis, cor ſuum miſit Rotomagum ubi nobilis ejus ſepultura conſtructa eſt : corpus verò ipſius ſepultum eſt in Abbatia fontis Ebraldi ubi jacent & pater & mater illius, quæ mater adhuc vivebat in iſto anno, *Regina videlicet Alienordis*, quæ vitam ſuam ita correxit, quod in bono ſtatu tandem finivit. Hugo vero prudens inſidiis eam cepit, & ad hoc eam compulit, quod ipſa quittavit ei Comitatum

Digitized by Google

tum de Marcha Pictaviæ: ❧ Iſte Hugo fratrem habuit natu majorem Radulphum de *Eſſolduno* qui fuit Comes Augi, horum Pater fuit Hugo de *Leſignen*, fratres habuit Gaufridum, Henricum *Regem Cypri*, & Guidonem *Regem Hieroſolymorum*. Pater iſtorum Hugo Brunus ſenior ſororem habuit quæ *vicecomites de Thours* peperit, & horum Pater [Henricus, cujus Pater] Hugo Lizinianenſis frater Comitis Raimundi ex matre ❧ Ex hiſtoria Regis: Rege Richardo mortuo ſtatim Philippus magnanimus cepit Ebroicas, & munivit municipia circumjacentia. ❧ Comes Namurci Philippus frater Comitis Flandriæ apud Lentium capitur cum duodecim militibus electis, & Regi Philippo traditur' ❧ Arturus puer Dux Britaniæ minoris Andegavum & Cænomanum capit & inde fugat Johannem ſine terrâ patruum ſuum, qui Johannes in Angliam navigans loco Richardi fratris ſui coronatur in Regem: Arturus facit hominium Regi Philippo de Comitatu Cœnomanico Andegavico & Turonico & adducitur' ipſe Pariſios, poſtea treugæ firmantur inter Regem Philippum & Johannem. ❧ In his diebus Magiſter Falco à civitate Pariſiorum conſurgens presbyter cujusdam villæ, videlicet de Novillæo, non longe ab ipſa civitate, prædicator famoſiſſimus jam per biennium habebatur, qui [cui] contra presbyteros uxoratos & fæneratores publicos ſemper erat [Spiritus inerat] vehemens & in ipſos ſpecialiter ejus prædicatio invehebatur, impetu valido & acerrimo. Dicunt quidam aliqua per eum facta miracula, maxime ad fontes quos benedixit: ſed in hoc ſcandalizabantur nonnulli, quod nimiam pecuniam aggregavit quaſi ad ſuccurſum terræ Hieroſolymitanæ, & quod erat ultra menſuram iracundus, ſed literæ & mandatum ſummi pontificis eum tuebantur, & multi ſine dubio ab uſuris exercendis ceſſaverunt & multæ uſuræ reſtitu-

ſtitutæ fuerunt. Habebat etiam diſcipulos prædicatores, & ut ad compendioſum finem veniam, tam per eum, quam per diſcipulos ejus *cruce ſignati ſunt Principes, qui dudum Rege Richardo vivente à Rege Philippo defecerant:* Balduinus ſcilicet Comes Flandrenſis, Ludovicus Comes Bleſenſis, Gaufridus de Pertico & Hugo de ſancto Paulo Comites & quidam alii, & ab iſtis Hiſtoria Conſtantinopolitana cœpit. Fundavit etiam Magiſter Fulco de publicis mulieribus quas à peccato retraxerat, domum Monialium ſancti Antonii Pariſiis. ☙ Petrus Capuanus Apoſtolicæ ſedis legatus Concilium tenuit apud Divionem in feſto ſancti Nicolai & totum regnum Franciæ interdixit, pro eo quod Rex uxorem ſuam non habebat & ſuperinductam tenebat: ſententia tamen dilata fuit usq; poſt feſtum nativitatis Domini, & non multo poſt Rex Philippus miſit ſolennes nuntios ad Papam. ☙ Apud Claromontem in Alvernia poſt Epiſcopum Pontium præfuit Epiſcopus Gislebertus, & poſt eum electus eſt Epiſcopus Robertus frater Guillelmi & Guidonis *Comitum Alverniæ*, filius Comitis Roberti [de ſorore Ducis Burgundiæ] *& de gente Comitum Campaniæ.* Mater autem ejusdem Comitis Roberti dicta eſt Comitiſſa Anna, & fuit ſoror Comitis Rainaldi *Nivernenſis.* ☙ Hugo Dominus de Broisqui terram ſuam per octoginta annos tenuerat moritur & ſepelitur in Clarevalle.

Anno 1200. Pax firmatur inter duos Reges, & Ludovicus filius Regis Franciæ duxit *Blancham* filiam Alphonſi Regis Caſtellæ, *neptem ex ſorore Regum Angliæ* Richardi & Johannis. ☙ Comes Rainaldus Bolonienſis contra meritum ſuum recipitur in gratiam Regis. ☙ Eodem anno Octavianus Hoſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legatus mittitur in Franciam, ad cujus ſuggeſtionem Rex à ſe ſuperinductam abjecit ſuperficie tenus & uxorem ſuam recepit

pit in ſuam gratiam ſemiplenam, carnis tamen debitum non reddens. Albericus. Idem Octavianus poſuit Magiſtrum Petrum de Corbuilh Epiſcopum in Cameraco, ſed non potuit ibi permanere & abiit ad Papam qui fecit eum Archiepiſcopum Senonenſem. In Cameraco verò Johannes de Bethunia poſitus eſt Epiſcopus. Guido Abbas Ciſtercienſis quibusdam cum coabbatibus ſuis Romam proficiſcitur & non multo poſt Papa fecit eum Epiſcopum Cardinalem Prænestinum, & miſit eum in partes Alemanniæ legatum maxime *pro parte Ottonis* in Imperatorem electi confirmanda contra partem Philippi Suevorum Ducis. Frater Cæſarius: Qui Cardinalis veniens apud Coloniam præcepiſſe fertur inter alia ut in Miſſa *ad elevationem* hoſtiæ ſalutaris omnis populus ad ſonitum nolæ veniam peteret, ſicque usque poſt calicis benedictionem proſtratus jaceret: præcepit etiam, ut ſcholaris ſive campanarius ad communicandum infirmum ſacerdotem procedens, *nolam* pulſando deferret, & audientes adorent & veniam petant: retulit etiam in Francia accidiſſe quod quidam miles in platea nimis lutoſa de equo deſcendens fide fervidus veniam peteret, & totius luti nec una quidem guttula veſtimentis ejus adhæreret. Albericus: Invenit idem Cardinalis in partibus illis quendam clericum nomine Thare dæmoniacum, qui tamen clericus erat religioſus, & in ſingulis dominicis diebus communicabat, & benè poterat diſcerni quando idem clericus ex proprio motu loqueretur & quando dæmon per os ejus loquebatur: dicebat autem dæmon Clerico Thare fuiſti ad confeſſionem? Etiam, & quare non dixiſti illud peccatum & illud? Revertere, ut melius confitearis, & adhuc dicebat, ego parco tibi Thare, quia mihi bene eſt propter te. Cum ergò veniſſet clericus ad Cardinalem die Dominica volens de manu ejus communicari, erat Cardinalis in dubio

utrum deberet eum communicare. Et reſpondens dæmon per os illius : Securè potes eum communicare Domine Cardinalis, quia tua commmunio cibus eſt animæ, non cibus corporis, & ego animam iſtius non habeo in mea poteſtate, ſed tantum corpus. Et cum adjuraſſet eum Cardinalis ut recederet, dixit : Propter te non recedam quia poteſtas hæc non eſt tibi conceſſa : tandem clericum communicavit. Faciebat dæmon per os clerici ejusdem ſermonem optimum ad populum & teutonice & latinè, & cum Epiſcopus in præſentia ejus ſermonem feciſſet, permittebat ei totum dicere ; & tunc dicebat Dæmon ipſi Epiſcopo, non benè profecutus es, ipſe [ego] melius proſequar, & ita faciebat ſuum ſermonem multo meliorem quam faciebat Epiſcopus, & cum ei diceretur : Ad quid in iſtum clericum intraſti ? dicebat : Cauſa prædicandi vobis intravi ad confuſionem veſtram, ne poſſitis habere aliquam excuſationem in die judicii. Quod nomen eſt tibi ? Belial nuncupor, & ſemper usque in finem ſeculi unum corpus poſſidere debeo : Et quid tibi videtur de Monachis qui habent proprietatem ? Monachus qui habet obolum non valet obolum ; Hæc omnia retulit Dominus Petrus Abbas de Charono [charerio] qui fuit ſocius ejusdem Cardinalis, prout propriis oculis aſpexit & audivit. ⁂ Apud Civitatem Trecas *Popelicani* hoc anno inventi traditi ſunt igni & concremati usque ad octo videlicet quinque viri & tres fæminæ, inter quas erant duæ turpiſſimæ vetulæ, quarum unam proh dolor vocabant ſanctam Eccleſiam, & alteram ſanctam Mariam, & ita decipiebant quos decipere poterant, ſophiſticè dicentes : Ego credo quicquid credit ſancta Eccleſia. [& S. Maria] Ab iſtis Popelicanis captis multi alii nominati fuerunt, ſed quidam eorum per confeſſionem judicium evaſerunt. ⁂ Item in urbe Metenſi pullulante ſecta quæ dicitur *Valdenſium* directi

ſunt

sunt quidam Abbates ad prædicandum, qui quosdam *libros de Latino in Romanum versos combusserunt*, & prædictam sectam extirpaverunt. ☙ *Garnerius* Episcopatum Lingonensem dimisit, ita quod autoritatem ordinandi & Ecclesias consecrandi obtinuit à summo Pontifice, qui aliquos *novos libros compilavit* & novos tractatus & sermones subtiles satis ipse composuit. ☙ Apud Mediolanum *Humbertus Theologus & Cardinalis* fuit Archiepiscopus per annos septem, qui rexit Parisiis decem annis & scripsit librum *de concordia veteris & novi Testamenti.* ☙ Mortuus est apud Leodium Albertus Episcopus qui dicebatur de Cuk & Magister Fulco prædicator Leodium venit, & inde regressus hoc anno decessit. Diu protractata fuit electio Leodiensis, & cum quidã consentirent in Dominum Conrardum Monachum adhuc novitium de Villariis, qui post fuit Abbas Clarevallis, & Cardinalis, quidam in Henricum Archidiaconum qui dicebatur de Jacia, quidam verò in Hugonem ejusdem Ecclesiæ præpositum, qui Hugo fuit filius Hugonis de Wasnadio, cujus mater dicta est Clementia filia Comitis Witherii Reitestensis de prosapia Namurcensi: Hic igitur Hugo factus Episcopus sedit viginti novem annis, & licet iste in primis fuerit solutus, vitam suam correxit, & postea multa bona facta sunt per eum in Episcopatu laude digna, & ipse tandem consummatus est fine laudabili.

Anno 1201. Mortuus est in Campania circa Pentecostem Theobaldus Comes, anno ætatis suæ vigesimo quinto cruce signatus, qui Comitem Rainaldum de Dampetra misit pro se in partes transmarinas cum sufficientibus expensis. Trecis in Ecclesia sancti Stephani juxta patrem suum magnum Henricum sepultus est; Uxor ejus Blanca relicta gravida terram tenuit, quæ viriliter & strenuè de adversariis triumphavit, & quædam castra potenter firmavit & munivit. ☙ Ex historia

Regum. Rex Angliæ Joannes Parisiis à Philippo Rege recipitur honorifice, & multis donariis & donis honoratur: Philippus puer & Maria soror ejus, quos Rex de superinducta genuerat, à Papa Innocentio legitimantur, eodem anno mater eorum eadem superducta moritur, & juxta Meduntum in Ecclesia sancti Corentinii sepelitur, ubi Rex fecit Abbatiam centum & viginti monialium. In territorio Rhemensi Comes Hugo Reteste, & Rogerus Renaldi filius de Roseto in ecclesias & in clerum tyrannidem exercebant, & ipsos vellent nollent Rex compulit ad satisfactionem Mortuus est in Ecclesia [in Anglia] vir venerabilis Episcopus *Hugo Lincolniensis* qui sanctus & canonizatus est à summo Pontifice. Eodem anno contigit in dioceſi Treverensi super Rhenum apud *sancti Goaris* oppidum, cum Garnerus de *Bostlande*, qui erat in parte [Philippi] Regis de Svevia obsideret Ecclesiam in ipso castro sitam & munitam, Clericis deintus locantibus [crucifixum] in fenestra, unus de forensibus diabolico Spiritu repletus *quarellum* repente traxit contra crucifixum, & ecce de Crucifixo infixo sanguis fluxit largissimé, cunctis & foris & intus qui aderant cernentibus & ipse Garnerus territus obsidionem dimisit & ab eo loco aufugit. Galterus Comes Briennensis filius Erardi Comitis duxit in uxorem Tancredi filiam, & cum ea perrexit in *Apuliam*, ubi cum terram sibi competentem ex parte uxoris per annos aliquot acquireret, tandem interficitur à quodam Teutonico Theobaldo, relicto tamen parvulo filio nomine Gvaltero, cujus timore idem Theobaldus in hospitali Alemannorum se rediddit & postea diu vixit; interim verò Johannes frater ejusdem Comitis Comes erat Briennensis qui postea Regnum Hierosolymorum & Imperium Constantinopolitanum assecutus est, quod loco competenti asignabimus: De sororibus istorum fratrum & de sororibus patris eorum nobilis exstat progenies, sed nos his omissis ad alia majora propera-

peramus: ☙ Erant apud *Jovevillam* hoc tempore quinque fratres, ſcilicet, Gaufridus, Robertus, Simon [&] Guido milites & Guillelmus Clericus, Andreas autem iſtorum germanus factus eſt miles templarius, Robertus itaque ſecutus eſt Comitem Galterum & in Apuliam abiit, ubi & obiit. Gaufridus verò major natu cognomento Tralardus [Trullardus] titulo [titulis] militiæ famoſiſſimus cruce ſignatus eſt, mare tranſivit & poſt multas probitates ibi deceſſit, Simon autem Jovevillam obtinuit, Guido factus eſt Dominus de Jullejo & Guillelmus fuit Catalaunenſis Archidiaconus. ☙ Mortui ſunt hoc anno Catalaunenſis Rothroldus & Laudunenſis Rogerius Epiſcopi qui fuit patruus Rogerii de Roſeto, cui ſuccedit quidam Renaldus. ☙ Ex hiſtoria Regum: Ad Philippum autem Regem Francorum querimonia defertur de Johanne Rege Angliæ, quod filiam Comitis Engoliſmi Eliſabeth Hugoni Bruno qui eam deſponſaverat ſubduxit, ipſi Hugoni, & fratri ejus Rudolpho Comiti Augi & Gaufrido de Lizania quædam municipia auferendo. De ducatu quoque Aquitaniæ Turoniæ & Andegaviæ Comitatu ſubmonebatur à Rege mandato Curiæ Domini ſui ſtare, & ſibi hominium debitum facere; Johannes quidem diem ſibi præfixam retinuit & Regi duo caſtra Tilerias & Botauant aſſignavit confiſcanda, ſi die præfixa non faceret quod deberet. Immemor ſui pacti ad præfixam diem nec venit nec reſponſalem miſit. Rex Philippus quod eſſet illuſus, munitionem de Botavant obſedit & cepit & funditus evertit, & & exinde Arguellum & mortuum mare cepit, & Gernacum obſedit. Gernacum verò captum mirabiliter reformavit [refirmavit] & ibi juvenem Arturum cingulo militiæ accinxit & filiam ſuam Mariam ei deſponſavit, qui accepta licentia à Rege Aquitaniam ingreſſus & Mirabellum obſidens, inſidias ſibi præparatas non præcavit. Superveniente namque patruo ſuo

Rege

Rege Johanne captus est & alii qui erant cum eo, quod audiens Rex qui obsidebat castrum de Arthis acies versus Aquitaniam dirigit, Turonum capit & concremavit. Rege Philippo recedente Rex Joannes iterum Turonum cepit & ex magna parte cum toto castro destruxit. ☙ Albericus: Obiit In Italia versus Romam *Joachim* Scriptor novus Abbas quondam de Miracio [curacio] Cisterciensis Ordinis qui super apocalypsim Joannis, & super dicta Prophetarum quasdam concordantias edidit de temporibus præteritis & conjiciendo futura tempora, qui multo aliter sentire videtur de adventu Antichristi quam quidam nostri temporis, qui de die in diem simplicium corda sollicitare temere satis præsumserunt, quod nos loco competenti declarare proponimus, scripsit idem Joseph [potius Joachim] libellum quendam de Trinitate, in quo Magistrum Lombardum in sententiis redarguere præsumsit, pro qua præsumtione Papa Innocentius in magno Concilio postmodum Romæ celebrato eundem libellum damnavit, & sententiam Magistri Petri, quæ obscura videbatur explanavit. Tandem [Tamen] cætera Joachim opuscula & vitam ejus religiosam & morum institutionem & eruditionem quam in Florentino Monasterio reliquerat idem Joachim, Papa Innocentius tertius non improbavit, sed approbando commendavit. ☙ *In Livonia* martyrizato Archiepiscopo [Episcopo] *Bertholdo* succedit ei quidam venerabilis Clericus nomine Albertus, qui civitatem novam ædificare cæpit quæ dicta est Riga & unam Abbatiam ordinis Cistercienſis instituit.

Anno 1202. Expeditio transmarina Principum cruce signatorum qui à Rege Philippo occasione Regis Richardi quondam defecerant, & aliorum Baronum quorum ista sunt nomina: Nevello Svessionensis, & Garnerus Trecensis Episcopi, Comes Flan-

Flandriæ & Hainonii Balduinus & frater ejus de Andegavio cognominatus, Comes Hugo de sancto Paulo, Comes Ludovicus Blesensis & Comes Galfridus de Pertico, Jacobus vir nobilis filius superioris Jacobi Galteri de Avenis. Duo Campanienses qui dicuntur de Chanlita Odo & Guillelmus filii [filius] Odonis. Gaufridus Campaniæ Marescallus & Gaufridus nepos ejus de Villa Harduini appellatus, Otto de Rupe natione Burgundus & plures alii de Francia, Flandria & Burgundia, & iste qui dictus est Renaldus de Dampetra; eisdem associatus nobilis Marchio de Monteferrato Bonifacius, cujus fratres fuerunt Guillelmus & Conradus, quorum Guillelmus Japhæ & Conrardus Tyri Principatum tenuerant in partibus transmarinis: Omnes itaque illi venerunt Venetias, disponentes qualiter per mare Constantinopolim irent circumeundo Græciam. Interea dum naves pararentur, Venetiani callidè cogitantes, ipsos peregrinos in [quandam] parvam Insulam quæ dicta est ad sanctum Nicolaum venire fecerunt & ibi concluserunt, nec exire permiserunt, donec idem peregrini, civitatem Jaceram venientes [Venetianis] à longo tempore inimicam jurarent secum hostiliter expugnandam. Juraverunt, & cum ipsis navigantes Jazeram obsederunt, ceperunt & Venetianis subegerunt. Apud Constantinopolim in istis diebus Kyralexius cognomento Andronicus invasor Imperii fratrem suum Isacum ab Imperio depulerat, excæcatum incarceraverat & ejus filium Alexium interfici jusserat, sed per quendam Senescaldum manus ejus evadens Alexius ad Svevorum Ducem Philippum Regem Alamanniæ confugit, & apud eum latuit, eo quod uxor ejusdem Philippi fuit soror ipsius Alexii: Cum ergo ad capiendam urbem Jaceram Franci peregrini venissent ductu Venetorum, ut dictum est, Alexius per consilium Regis Philippi prædicti eis literas suas misit, qualiter à Patruo suo Andronico esset expulsus exposuit, & multis precibus & promissis ad hoc animavit, ut per eos

in paternum restitueretur Imperium & ipse sufficienter pararet victualia, naves, & alia quæ necessaria erant ad terræ sanctæ subsidium. Unde Principes nostri missis Romam legatis de omnibus istis Papam Innocentium consuluerunt, qui hoc benigne concessit & benè voluit, & transgressionem illam qua pro Venetis urbem Jaceram contra Regem Hungariæ ceperant, indulsit: quo rescripto recepto Alexium ad se venire fecerunt, naves paraverunt, & Dux Venetiæ Henricus vir prudentissimus prædictis Principibus associatus est cum sua gente. Adjuncti sunt [insuper eidem] Episcopus Bethlehem & Magister Johannes Aconensis electus, unus Episcopus de Saxonia, dominus Conrardus de Saxonia, Dominus Conrardus Halverstatensis [& unus Episcopus de Saxonia dominus Conrardus Halverstadensis :] Itaque simul omnes adunati fuerunt numero circiter quadraginta millia. Comes autem Renaldus de Dampetra relictis eis in Jazera Romam abiit, mare transivit, sicut in fide promiserat Comiti Campaniæ morienti, ac veniens in terram Syriæ bellum habuit contra Sanguinum Alapiæ Principem qui eum cepit, & in illa captivitate fuit per tringinta annos. Comes Simon de Monte forti & quidam alii nobiles & Abbas de Trapa cum eodem Renaldo [mare] transierunt, sed cum eo non sunt captivati. Omnes autem supra dicti ultra Jazeram prospero cursu transierunt *Spaletam* in Dalmatia quæ Salona civitas antiquissima dicitur, deinde Durrachium & Epyrum contra Brundusium, & venerunt ad castrum nomine Corphol, cujus incolæ promiserunt se reddituros illis capta ab illis civitate Constantinopoli : & hoc promiserunt plures alii; inde per marini littoris longitudinem apud Andreæ villam [Andrevillam] & post apud Micheras [Michenas] venerunt. Ubi notandum quod à Durachio usque ad portum de Andrevilla à Constantinopoli elongabant se secundum situm terræ, licet

licet per viam maris appropinquarent : Ergo secundum ipsam marini recurvationem littoris Moncionis Insulam, id est Sicioniam & Achajam perlustrando primo civitatem Argos, deinde Corinthum & Athenas & quandam Insulam Monovasiam dimiserunt, & apud civitatem Negrepont contra Thebas applicuerunt. A dextris etiam reliquerunt Cretam famosissimam Insulam & civitatem Rhodum cum reliquis Insulis Cycladarum, deinde ad sinistram dimiserunt Thessalonicam, Philippim, Messinopolim & Margrerium [Margveriam] exinde contra Trojam sive Troadam quam à dextris habuerunt ad portum sub Bodecave venerunt, ubi ad edendum victualia sibi providerunt, & exinde brachium sancti Georgii percurrerunt, quod mare Propontis secundum antiquos, eo quod pontum præveniat, vocabatur. Pontum autem specialiter dicitur illud mare magnum, quod est inter Constantinopolim & Russiam. Quasdam etiam ad sinistram civitates dimiserunt Maditon, Callipolim, [Galippam] Rossam, Rodesco, Heracleam, quæ metropolis est, & Salenbriam & applicuerunt naves ad locum qui vocatur Speculum. Unde in parte altera, id est, contra nos, Constantinopolim speculantes, primo turrim Galathas ceperunt ubi cathena portus tendebat [pendebat] & ipsam cathenam ruperunt quæ postea apud Acram fuit missa : Habebat autem civitas Constantinopolis quatuor milliaria in longum, & tria circiter in latum, & erant infra muros urbis quingentæ scilicet [circiter] Abbatiæ vel Ecclesiæ conventuales : Andronicus, de quo diximus, disposuit octo acies infra civitatem quaternorum millium pugnatorum singulas, & easdem rexerunt Livernas qui uxorem Regis Philippi Francorum sororem tenebat, Mortulfus Boterans, Petrus de Navarris, Constantinus, Acharias Synagon & Samson Patriarcha : Andronicus item post quam suos contra nostros

misit in bellum, dubitans quia non posset virtutem sustinere nostrorum, & quia fortè sui traderent eum in manus Francorum fecit auro & lapidibus pretiosis decem equos onerari, ut ita fugeret ad Miraldum Jconii; sed ut postea comperimus in via fuit captus, & à Genuensibus redemtus genero suo Lascaro tandem fuit redditus. Græci igitur pugnare parati cognoscentes fugisse Andronicum in urbem fugerunt, & pontem levaverunt, nostri in littore castra posuerunt. *Minatores* quoque murum suffoderunt de quo pars magna cecidit, & nostri aditu patefacto urbem intraverunt, Veneti quoque urbem dimidia leuca intraverunt & multos equos lucrati sunt, de quibus Dux Venetiæ misit Comiti Flandriæ ducentos, Græci postea aggregati consenserunt ut cum Francis pacem facerent, Isaacum de carcere ejicerent, Alexium coronarent; ponte igitur summisso & Alexio introducto & coronato cum suo patre, nostri hospitia passim acceperunt in urbe, reliqua hujus historiæ in anno 1204. & in cæteris locis competentibus inserta sunt. ☙ Apud civitatem *Maguntiam* mortuo Archiepiscopo Conrardo venerabili viro, Siffridus frater Godofredi de Hespetin [Helpestein fortè] factus est Archiepiscopus per annos uno minus de triginta. ☙ Moritur Rhemensis Archiepiscopus Guillelmus Regis avunculus & Comitum Campaniæ patruus, qui per annos viginti sex & ultra præsulatus insulas cum favore & gloria seculari obtinuit, licet non ita cum favore Dei: septimo Idus Octobris decessit. ☙ Ex historia Regum; Rex Francorum Philippus congregato exercitu Aquitaniam intravit, & multa municipia cepit, & dum inde rediret Robertus Comes *Alenzonis* se & terram suam ei submisit, & inde transiens Rex Conchas vallem Rodolii cepit, & Rex Joannes Alenzonis castrum obsedit; Rex verò Philippus venit ad castrum Moretonii ubi erat militum tyrocinium & exinde eo appropinquante Rex Johannes dimissis papilio-

papilionibus & machinis & utensilibus variis fuga se salvavit. Inde Brueriolas obsedit, sed Francis supervenientibus non sine rerum suarum dispendio recessit. Inde Johannes Rex Arturum nepotem suum habebat in carcere, & contra jus naturæ hoc anno dicitur interfeciſſe, cepit itaque oppidum Dolum & vastavit Philigorias [Philicherias] & totam terram illam, Rex Philippus obsedit Ratispontem, & in tribus septimanis cepit, [cum viginti militibus castrum defensantibus] Indeclavem totius Normanniæ Gailardum à Rege Richardo ante paucos annos mirabiliter firmatum obsedit, & insulam quæ est juxta Andeliacum : & primo quidem ex una parte Sequanæ à plaga meridiana obsedit munitionem sitam in Insula sed cum parum proficeret, proposuit etiam obsidere ex alia parte & fecit de universis portubus adducere naves innumeras, non quidem concavas, sed planas quibus homines & jumenta & carri solent transvehi ab una ripa Sequanæ in aliam ripam, & fecit fieri pontem miro ligneo tabulatu, sed & naves quæ sustentabant pontem fecit stabiles palis [fortissimis] hinc inde fixis, & turres per loca, sub ponte super quatuor naves latissimas erexit duas turres ligneas cratibus hinc constructis & indissutili clavatura munitas & valde arduas : Ponte igitur facto transduxit quam maximam exercitus sui partem ultra Sequanam & ipsemet transiit cum eis, & fixit tentoria ex alia parte Sequanæ, sicque in tribus septimanis post multos assultus cepit Rex totum Gaillardum, & ipsum mirabiliter refirmavit & sibi retinuit positis municipibus & victualibus copiosis. ✠ Apud Cistertium mortuus est hoc anno Magister *Alanus de Insulis*, doctor famosus & scriptor ille *Anticlaudiani* qui in Theologia fecit quandam artem prædicandi, & contra Albigenses, Valdenses, Judæos, & Sarracenos libellum edidit succinctum ad Guillelmum Montispessulani Dominum, & alia quædam illius habentur opu-

ſcula. ☙ Hic etiam poteſt annotari obitus Dominæ *Humelinæ Ambianenſis*, cujus vita & viſiones haberi dicuntur a nonnullis Religioſis : hæc habuit filium nomine Theobaldum qui ut ſuo loco annotabimus fuit Archiepiſcopus Rotomagenſis.

Anno 1203. Philippus magnanimus Normanniam intravit usque ad oppidum de Faleſia , cujus oppidani poſt ſeptem dies ſe reddiderunt Regi, idem fecerunt Cadomenſes & Bajocaſitæ, & ita ſpe citius obtinuit Rex Philippus omnia municipia circumjacentia. Guido inſuper de *Thoarchio* , Dux Britanniæ, Normanniam ingreſſus montem Sancti Michaelis obſedit, marinis fluctibus recedentibus Britones in villam ignem miſerunt , qui ſtatim omnia corripiens & juxta ſui naturam usque in ſuperius faſtigium aſcendens omnem forteritiam cum domibus civium & officinis Monachorum & tota Eccleſia (quod dictu dolendum eſt & horrendū) conſumſit & in cinerem redegit. Hoc anno Abrincas in eodem furore ceperunt, & pagos quamplurimos incenderunt, & ita usque Cadomum devenerunt ubi Rex Philippus communicato cum eis verbo remiſit eos ad pontem Meronis & Moretonium cum Comite Moretoniæ [Boloniæ] & Guilelmo de Berris & pluribus aliis. Ipſe verò Rotomagum reverſus cepit forteritiam quæ Barbacana dicitur , quæ firmata fuit in capite pontis, tandem cives tradere civitatem ſunt compulſi. Et ita Rex caput Normanniæ obtinuit Rotomagum. ☙ Rex Johannes in Angliam transfretaverat , ſummam belli ruptariis derelinquens ; Unde minore ſumtu & labore Rex Philippus totam Normanniam in brevi obtinuit, quæ à tempore Ducis Rollonis per trecentos circiter annos à dominio Francorum, non à feodo receſſerat, reddendo Regibus Francorum ſervitio annuo ſecundum conſuetudinem feodalem. Nunc ab ipſo Rege tanquam à vero domino poſſidetur

& re-

Digitized by Google

& regitur firmâ pace, & ſicut Reges Angliæ ſunt vel fuerunt hæredes Ducis Rollonis, ita & Reges Franciæ probantur eſſe veri hæredes Ducis Rollonis ſic: de Guillelmo Notho qui fuit Dux Normanniæ ſextus à Rollone, & fuit etiam Rex Angliæ [nati ſunt magnus Henricus Rex Angliæ] & ſoror ejus Adela Comitiſſa Campaniæ; de magno Henrico nata fuit Mathildis Imperatrix, mater Henrici illius qui fuit pater Richardi Regis; De Adela *Comitiſſa Campaniæ* natus fuit Rex Angliæ Stephanus, & magnus Theobaldus Comes Campaniæ pater illius Adelæ quæ fuit mater Philippi magnanimi. Item alio modo probatur: De ſorore Regis Richardi quæ dicta eſt Alienor nata eſt Domina Blancha Regina Franciæ mater iſtius Ludovici qui regnavit [regnat] in præſenti. Unde cum Rex iſte jam ex duabus lineis ſit de genere Rollonis, ulterius rationabiliter non poterunt dicere Normanni quod herum hæreditarium ſuum perdiderunt. ☙ Ex hiſtoria Regum ❧ Interea Cadocus & qui cum eo à Rege miſſi ſunt, civitatem Andegavorum ceperunt, & ipſe Rex ſequenti autumno cepit florentiſſimam Pictavorum civitatem, & duo caſtra munitiſſima Kinonem & Lochas obſedit. ☙ Magiſter Gerardus de Duaco fuit Catalaunenſis Epiſcopus. Quidam *Sanctus Drogo* apud Seburgum in Hainaco tumulatus cœpit hoc anno miraculis innoteſci. ☙ *Guido* Cantor S. Stephani Catalaunenſis, frater Nicolai viri Nobilis de *Bazochiis* & Abbatis Milonis ſancti Medardi Sueſſionenſis, ſcripſit librum unum apologeticum, & usque ad mortem Regis Richardi *librum hiſtoriarum* à mundi principio breviter transcurrendo usque ad tempus ſuum, *cujus dicta ſuis in locis in hoc opere annotavimus*, & ſcripſit de mundi regionibus libellum unum in eodem volumine contractum, & præter hæc volumen aliud ſatis Rhetoricum epiſtolarum diverſarum Under &] quia ita [iſta] ſcripſit, & in eo [hoc] anno deceſſit, hæc de eo dixi[illegible]

ut sciatur quis fuerit. ❧ Per Abbatem Arnoldum Cisterciensium & Petrum de Castro novo ex regulari Canonico factum Monachum, cœpit contra hæreticos *Albigenses* fervens prædicatio & hoc de summi pontificis mandato. Qui de historia ista Albigensium plenius cognoscere voluerit, habetur libellus Monachi Domini Guidonis Abbatis de Saunajo Sarnajo] & Episcopi Carcassensis [Carcassenensis] ubi totum illud negotium diligenter explicatur. ❧ Domnum *Gosuinum* primo Clarevallis & postea Cheneinon [Chiminon] Monachum usque ad hunc annum vixisse percepimus, qui scripsit miracula & visiones, de quibus quasdam in superioribus annotavimus: ❧ Obiit Petrus Episcopus Attrebatensis.

Anno 1204. In Hungaria obiit Rex Hemericus, [Henricus] filius ejus Ladislaus mortuus puer, regnavit [regnat] in cœlis. Post Emericum regnavit super Hungaros Andreas frater ejus. ❧ Civitas magna Constantinopolis acquisita est à Francis & Comes Flandriæ Balduinus factus est Imperator unde versus;

Quatuor exemtis sex annis mille ducentis
Idibus Aprilis Roma secunda ruit.

De hac itaque historia hæc sunt quæ referuntur in ejusdem *Balduini Imperatoris epistola*. Sicut, inquit, opera hominum non fuere, sed Dei quæ Græcis intulimus, ita non hominum opera fuere sed dæmonum quæ cum Imperatore novo Græcoque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Nos siquidem ne discordiæ inter & Græcos fomitem ministraret & moribus nostris adversa barbaries, de civitate exeuntes ex adverso civitatis interjacente portu ad preces Alexii castra posuimus. Et ex insperato seu innata malitia seu Græcorum seductus perfidia, animo recedit à nobis Imperator, cui tanta contulimus beneficia, & in omnibus cum patre Patriarcha & mole nobilium * nobis promissis tot incurrit perjuria quot nobis præstitit juramenta,

menta. Unde noſtro tandem deſtitutus auxilio prælia contra nos meditatur incaſſum, & navigium quod eum adduxerat & ſublimaverat ad coronam, procurat incendi, ſed voto tam crudeli Deo nos protegente fraudatur, fit pars ſua per cuncta deterior, & hominum ſuorum cædes, incendia, rapinæ proveniunt, imminente foris pugna intus timoribus coarctatur Imperator, ei æmulum parantibus Græcis, ea occaſione captata quod nullum ad auxilium noſtrum deberet habere confugium, & ecce cum ei evadendi ſpes unica reſtaret in nobis juratum ſibi quendam Morculſum nomine ſanguine ſibi propinquum, de quo pro immenſis beneficiis ſuper omnes alios confidebat, mittit ad exercitum noſtrum qui Blakernæ palatium ſub Imperatoris juramento & ſuo promittit in *obſidium*, donec nobis cuncta promiſſa reddantur: Accedit ad Palatium recipiendum nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni, & quos jam nobis dederat ſpretis obſidibus, conſueta perjuria non veretur, nocte inſecuta Morculſus Domino ſuo perjurus Græcis reddendi nobis palatii arcana revelat, atque ex hoc eis in perpetuum eripi libertatem declarat, & ad hoc modis omnibus veniendum niſi dejiciatur Alexius, item ſupra de alia relatione. Interea factum eſt noſtris extra civitatem valde *carum tempus* ita quod panis duorum denariorum Pariſienſium die tertiâ viginti ſex valeret, & ecce navis de Brunduſio venit onerata victualibus, cujus magiſter vocabatur Lucarius, deniq; omnes eſcas emerunt, & juſtè diſtribuerunt: Morculſus igitur Alexii cognatus Græcorum meliores convocavit, & concionatus eſt ad eos de redditione palatii Blakernæ addens quod Alexius nihil valeret, & ſi civitas aſſiliretur, fortè redderet eam Francis, quod ſi ipſum vellent facere Imperatorem, juraret ſe eis terras amplaſet pecunias multas donaturum; talibus illos blanditiis traxit & illexit ut ſibi conſentirent & hominium facerent, nec mora circiter quindecim millia hominum congregavit & expu-

rari. Morculfus itaque duxit ſecum de melioribus Græcis, ne fortè rediens urbem ingredi non permitteretur à reliquis, decem igitur millia bellatorum fuerunt cum eo, & quiete exeuntes in broslio quodam frondoſo ſe abſconderunt, poſtea noſtri per centenos ſunt diſtributi, & audierunt eos venientes cum ſtrepitu; A Marculfo Petro de Navarres tradita fuerat *antecuſtodia* qui per ſuperbiam incedebat inermis redimitus circulo aureo capite nudato, hunc anticipans Henricus percutere gladio, circulum aureum ſcidit illi, & in profundum duos digitos cranii. Igitur quoque noſtrum dejiciente & occidente hoſtem obvium, diſſipata eſt acies prima Græcorum, Liuernas ita percuſſus fuit cujusdam machera, quod in ejus capite impreſſa eſt ipſius galea. ❧ Petrus de Brachnel Samſonem Patriarcham ſuper galeæ naſale ſic percuſſit quod ille cadens ad terram Iconiam dimiſit, quam Petrus deſcendens de equo audacter arripuit, ad quem noſtri feſtinanter convenerunt, Græcosque impetu maximo repulerunt: Morculfus ita percuſſus eſt ibi quod cecidit ſuper collum equi ſui; fugerunt ergo de prælio quam citius potuerunt Græci. In bello illo nullus mortuus eſt de noſtris & cum tripudio gaudii cœperunt ad exercitum reverti. Item de hac victoria ſic habetur in ſupra dicta Imperatoris epiſtola; ad prædam victualium præter ordinationem noſtram procul euntibus noſtris usque ad mille animas pugnatorum, Imperator Morculfus occurrit in multitudine gravi, primoque congreſſu diſſipatur omnino cæſis captisque non paucis ſine damno noſtrorum, qui fuga ignominioſa conſulens ſibi, clypeum abjecit, arma deponit, & noſtris imperiale vexillum dimittit: nobilem quam ſibi præferri faciebat Iconam, ordini Ciſtercienſi noſtri dedicavere victores. ❧ Sequitur narrationis perſecutio: Græci verò in urbe dixerunt alter ad alterum, quod per Morculfum

venundati [verecundati] sunt, consilioque accepto fecerunt Nicolaum Imperatorem apud sanctam Sophiam congregati. Morculfus hæc audiens cum armis occurrit [illis] factumque est prælium & cædes multa, clamorque quem audierunt nostri. Facta verò nocte Morculfus illexit Nicolai fautores promissis & muneribus, ita quod manè de hesternis medietatem non habuit Nicolaus; tandem captus est à Marcolfo & incarceratur, & deinde occisus. ⁂ Sequitur Epistola: Acclamante igitur clero Græcorumque populo ut de terra tolleremur in brevi, tandem sanguinem nostrum sitientibus Græcis prælia contra nos proditor jam dictus Morculfus instaurat, urbem machinis & propugnaculis munit, quorum similia nemo vidit unquam, cumque murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cementoque tenacitatis & firmitatis antiquæ &c. prout habentur in Epistola Imperatoris Balduini quæ sic incipit: Reverendo Patri: usque, dat terga devictus. ⁂ Albricus: fugiendo venit ad Andronicum de quo superius est tractatum, qui ut audivit quæ super [per] ipsum facta sunt, ipsum excæcari fecit, qui eodem anno Constantinopolim reductus saltum fecit de supremo gradu cujusdam Capitolii, & ita confractus & collisus finivit. ⁂ Sequitur Epistola: De fuga igitur ejus comperto Græcorum plebs attonita: usque, in oculis nostris. ⁂ Albericus: quod hic adjungitur sumtum est ex alia relatione. Itaque Græcorum reliquiæ consilio accepto venerunt ad nostros inermes, primoque clerici misericordiam petentes, qui eos securos benigné fecerunt, illique ipsis gladios suos humiliter reddiderunt, quarta verò nocte postquam civitas capta est, videlicet decimo sexto Calendas Maji cœlo sereno luna duodecima facta est Ecclipsis generalis & manifesta. ⁂ Duodecim electores de communi assensu sunt constituti, scilicet duo Episcopi nostri, Nevel-

lo

lo Sveſſiónenſis, Garnerius Trecenſis, tertius quoque de Saxonia Epiſcopus Dominus *Conrardus Halverſtatenſis*, Epicopus de Betleem autoritate Apoſtolica delegatus, Magiſter Johannes Aconenſis electus, & Abbas Petrus de Ludio in Lombardia qui poſtmodum fuit primarcha Antiochenus, ſex iſti cum ſex Venetorum Baronibus dominica miſericordias Domini oratione præmiſſa nominaverunt de concilio Ducis Venetiæ Comitem Balduinum Flandriæ, & elegerunt in Imperatorem, qui poſt dies octo eſt intronizatus, & veſtibus auratis lapidibusque pretioſis intextis, nec non caligis rubeis ſecundum morem inductus, civitas ornatur cortinis palliisque & veſtibus pretioſis. Comes ſancti Pauli portavit ante illum gladium imperialem & Marchio veſtem deauratam usque ad ſanctam Sophiam: conſecrato data eſt veſtis Imperialis & caligæ quæ erant de corio rubro cum lapidibus pretioſis. Cum Imperator Balduinus Comitiſſam Flandriæ mandaſſet & illa ad eum veniſſet, facta de eo gravida ad partes transmarinas abiit, ubi cum eſſet in Acra Princeps Antiochiæ ad eam venit, & ibi vice mariti ſui tanquam Imperatrici Conſtantinopolitanæ homagium fecit, quo recepto [illa] in Acra obiit. ☙ Anno iſto poſt longam concertationem Theobaldi contra Philippum Bellevacenſem Epiſcopum, qui ab una parte fuit poſtulatus in Remenſem Archiepiſcopum, ſed perdictum Philippum caſſatus Theobaldus [f. caſſato Theobaldo] devenit electio Rhemenſis ad manus ſummi Pontificis. Jam exierant à Roma literæ continentes mandatum Papæ ut *Abbas Guido trium fontium* fieret Archiepiſcopus Remenſis, cum idem Abbas interim vocante ſe Domino viam univerſæ carnis ingreditur, & alter Guido Cardinalis Epiſcopus Prænestinus Alemanniæ Legatus factus eſt Archiepiſcopus Rhemenſis. ☙ Ex hiſtoria Regis [Regum] Rex Francorum Philippus

lippus magnanimus cepit Lochas, & tradidit eas Domino viro nobili Drogoni de Mel'oto : Inde Kinonem cepit & sibi retinuit. ❧ Comitissa Campaniæ Blancha castrum nobile atque fortissimum quod dicitur sanctæ Manehildis firmabat super Axonam fluvium ad tutelam gentis, facta tamen pro loco eodem commutatione quadam apud Castellanum Vitriaci [& de consensu] & voluntate Regis Franciæ. ❧ Similiter Comes Barri castrum obtinuit Claremontis Virdunensis diocesis, hæredibus tam vi quam muneribus alienatis; per ista duo refugia spoliabantur prætereuntes, unde gaudium fuit vicinis quod prædones alienati sunt ab eis. ❧ Hic obiit Galterus senior Regis Franciæ Camerarius, qui fuit nobilior gestis quam genere. ❧ Dictum est superius de Renaldo Principe Antiochiæ XI. C. LXVII. & de filiabus ejus, qui Renaldus sororem habuit quæ peperit Renaldum de Monte falconis in Bria, & duas sorores illius, quarum una Avelina de Traci viro nobili Ursoni peperit Hevetum [Hervejum] & Hemelinam [Avelinam] Nemausii Dominam, quæ Galtero prædicto Camerario Regis peperit tres Episcopos, Noviomensem, Parisiensem & Meldensem de quibus suo loco dicemus, & quatuor milites, Philippum de Nemosio, Ursonem, Galterum juniorem & Johannem, quorum adhuc in Curia vigent hæredes, sed hæc ad præsens breviter retigisse sufficiat.

Anno 1205. Hemericus [Henricus] Vice Comes *Thoarcii* vir inter Aquitanos genere & potestate maximus mediante fratre suo Guidone Duce Britanniæ Regi Philippo fœderatur, & Rex dedit ei quoddam oppidum in Pictavia Laudunum nomine cum Senescallia totius Pictaviæ, sed orta postmodum inter eos discordia neutrum potuit in medio tempore possidere. ❧ Rex Russiæ Romanus nomine finibus

suis

ſuis egreſſus & per Poloniam transire volens in Saxoniam, & Eccleſias deſtruere volens ſicut falſus Chriſtianus, à duobus fratribus Poloniæ Ducibus Liſtet & Conrardo, ſuper Wiſelam fluvium juſto Dei judicio percutitur & occiditur, & omnes quos ſecum aggregaverat aut diſperguntur aut interficiuntur. ☙ Apud Conſtantinopolim uno tantum anno Imperator Balduinus imperavit. ☙ Ultra brachium ſancti Georgii apud Nicæam, unde dicta eſt Synodus Nicena, uno ſimiliter anno regnum obtinuit Comes Ludovicus. Et *Marchio Montisferrati* apud Theſſalonicam *Rex* eſt conſtitutus. ☙ Otto *de Rupe* cujusdam Nobilis Pontii de Rupe in Burgundia filius quodam miraculo fit *Dux Athenienſium* atq; Thebanorum. ☙ Gaufridus de Villa Harduini Johannis filius, nepos Gaufridi Campaniæ Mareſcalli Montionis Inſulam id eſt Sicyonis & Achajam & civitatem Mycenas obtinuit. ☙ Lacedemonia & Corinthus, Andrenopolis [Meſſinopolis] & Philippis civitates Græciæ licet à nobis fuerint acquiſitæ poſtea tamen fuerunt perditæ, ſimiliter quædam Inſula non longè à Conſtantinopoli ultra brachium vocatur Azycum [Cizicum] ſive Kyſicum id eſt Eſkiſia [Eskiſin] Metropolis erat, cujus ſuffraganea fuit Troja, ſive Troada, & ad duas dietas continuatur Mitilenenſis Inſula, quæ Epiſcopum [Archiepiſcopum] habet. ☙ Liuranas [Livernas] autem Princeps ad hoc inductus eſt ut ſororem Regis Francorum [Imperatricem] quam huc usque tenuerat abs legalibus nuptiis, legitimo ſibi conjungeret matrimonio, & filiam ejus dederunt Viro Nobili Nargaldo de Toccejo [Torcejo] Guidonis de Dampetra conſobrino. ☙ In Bulgaria quæ eſt inter Bulgariam apud civitatem Tornoam [Ternoam] regnabat quidem Johannicus Bulgariæ & Blackariæ Dominus, qui ſibi nomen aſſumens Imperatoris, Impera-

peratori Balduino & Latinis bellum indixit vel ad bellum provocavit contra quem Balduinus duxit exercitum, sed heu! dum insidias non præcavit captus est ab eo per dolum in paludibus aquosis, à quibus non possent exire nisi terræ indigenæ. Hic ergò ita captus cum sociis apud Tornoam [Ternoam] fuit incarceratus, unde de morte hujus Balduini non affirmando, sed simpliciter quod à quodam presbytero Flandrensi dicitur, qui per civitatem Tornoam de Constantinopoli repatriando iter habuit, hæc retulit, quod uxor Johanici [Johanicii] dum ille aliis intendit, misit Imperatori ad carcerem verba suasoria dicens quod si eam in uxorem ducere, & in Constantinopolim vellet eam adducere secum, ipsum in instanti liberaret à carcere & captivitate, quæ promissa dum fuissent ab Imperatore repudiata & pro nihilo computata, illa apud maritum suum usa est nova querimonia [dicens] quod Imperator ei promiserit, quod eam Constantinopolim secum deduceret & Imperatricem coronaret, si eum de illa captivitate liberaret. Ac sic dum Johanicus esset quodam sero ebrius, Imperatorem coram se adduci fecit, & inibi interfici, & ita de mandato Imperator securi occiditur, & canibus relinquitur, & per edictum publicum mors ejus celari jubetur. Ad hoc etiam quod in Tornoa fuerit occisus consentit Dominus Archiepiscopus Johannes Mitilinensis, & unus Monachus Magister Albertus qui eodem anno ibi per Tornoam transitum habuit, addidit supra dictus Episcopus Flandriæ quod quædam mulier de Burgundia manens in Tornoa vidit de nocte quadam micare luminaria ad corpus occisi, & illud in quantum voluit honestæ tradidit sepulturæ, ubi quædam miracula facta fuisse prædictus presbyter qui in ejusdem mulieris hospitio pernoctavit, sicut ab illa audierat, retulit, & maritum ipsius mulieris ibi sanatum fuisse à dolore

dentis

dentium & febrium. ☙ Dixerat Imperatori [Balduino] quidam Græcus ſubdolus nomine Laſcaris quod ſi eum cum exercitu mitteret ultra brachium ſancti Georgii, totam patriam illam Græcorum illi ſubjiceret, qui cum miſſus fuiſſet, græce colloquium habuit cum Græcis, & ſe apud Nicæam Imperatorem conſtituit: ſimiliter quidam Michaelis dum miſſus fuiſſet verſus Durachium in partibus illis ſe Ducem fecit de conſenſu Græcorum. Iſti ſunt quos reliquit Dominus in terrâ, ut in eis experiretur Iſrael populum ſcilicet latinum. Factus eſt pro Balduino Imperator Conſtantinopolitanus Henricus frater ejus, qui per annos duodecim multa bella commiſit & frequentes triumphos de adverſariis habuit. ☙ Nevelo Sveſſionenſis Epiſcopus à Conſtantinopoli reverſus in Gallias plurimas ſanctorum ſecum ferens reliquias, qui cum eſſet in itinere poſitus obiit in Apulia ſepultusque fuit in Barrenſi ſancti Nicolai Eccleſia, reliquias verò quas habebat ſub teſtamento deſignavit ad diverſas Eccleſias, Eccleſiæ Catalaunenſi dedit cubitum ſancti Stephani, & Epiſcopus Garnerus miſit Trecas caput Philippi Apoſtoli. ☙ In partibus Aſiæ majoris verſus Meſopotamiam & Armeniam quidam Jonas vir venerabilis Patriarcha erat in civitate Suſis. In hujus Jonæ manibus dum miſſam celebraret more ſuæ ſuæ gentis, hoc eſt ſecundum conſuetudinem Surianorum, tale fertur audiſſe miraculum, quod panis ille magnus fermentatus unde fiebat ſacrificium, in parvam & pulchram convertitur hoſtiam ad morem ſacrificii Latinorum, & calix ligneus ad nihilatur *cum cochlearibus*, reperto vero ſanguine in argenteo calice, & hoc accidit in feſto ſancti Johannis Baptiſtæ hujus anni, unde plures Surianorum Eccleſiæ, Armenii, Georgiani, Lubiani, Nubiani, & Jacobitæ ad conſuetudinem ſanctæ Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ de die in diem per hoc miraculum cæperunt

perunt converti. Et iſte Jonas Patriarcha magno Concilio Romano de quo ſuo loco tractabitur, interfuit, & poſtmodum in Patriarcham Alexandrinum promotus eſt. ❧ Obiit Magiſter Petrus *Pictavinus* Cancellarius Pariſiorum, qui per annos duodequadraginta Theologiam legerat Pariſius, cujus habentur ſententiæ, diſtinctiones & Poſtillæ, & qui pauperibus conſulens clericis excogitavit arbores hiſtoriarum veteris Teſtamenti in pellibus depingere, & de vitiis & virtutibus ſimiliter compendioſe diſponere.

Anno 1206. Bellum fuit ſuper Rhenum inter Ottonem & Philippum juxta Coloniam, & captus eſt Archiepiſcopus Bruno de Sena, & Otto devictus. De Johanicio Rege Bulgariæ audivimus quod cum iret contra Theſſalonicam à Beato Demetrio fuit interfectus, cui ſucceſſit apud Tòrnoam cognatus ejus nomine Burillus, & Imperator eſt appellatus, & quidam Cardinalis à Domino Papa ad eum eſt transmiſſus, filiam quoque ſuam dedit Conſtantinopolitano Henrico, & ita pacem ad invicem habuerunt: Tres ergo fuerunt, qui ſe Imperatores nominabant, duo iſti de quibus agitur, & tertius qui regnabat apud Niceam Laſcharius nomine. ❧ In Hungaria regnabat Andreas, & in Dacia Waldemarus tertius poſt fratrem ſuum Kanutum regnavit. ❧ Dominus Guido Cardinalis Prænestinus, Rhemorum Archiepiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus moritur. ❧ In Anglia poſt mortem Archiepiſcopi Cantuarienſis qui dicebatur Hubertus Gualteri, electus eſt de voluntate ejusdem quidam Clericus ejus nomine Graje [Johannes Graic] ſed per Monachos Cantuarienſes coram Papa caſſata fuit ejus electio, & factus eſt Archiepiſcopus *Magiſter Stephanus de Languetone* nominatiſſimus Doctor Theologicus cujus habentur libri ſuper Prophetas, ſuper Pſalterium, & Po-

& Postillæ super Beati Pauli Epistolas, & multa alia dicitur scripsisse; hic ergo expulsus à Rege Joanne venit in Franciam, & apud Pontiniacum secum habitavit, ubi multa scripsit. Monachi quoque de Cantuaria expulsi, nec in Angliam remeare [Anglia remanere] permissi, habitarunt in diversis Franciæ monasteriis donec post longum exilium fuerunt revocati, prædictus autem Johannes fuit postea Norwicensis Episcopus. ☙ Pridie Nonas Junii obiit Adela Regina Francorum mater Regis Philippi. Orta simultate inter Philippum Francorum Regem, & Hemericum Vicecomitem *Thoarcensem*, & fratrem ejus Guidonem *Britanniæ Ducem*, Rex cum exercitu accessit Nannetim civitatem Armoricorum florentissimam, quæ statim ei reddita fuit, & idem Guido se voluntati Regis submisit. Inde Rex per Pictaviam & Normanniam in Francia est reversus, Rex verò Johannes Rupellæ applicuit, & cum Vicecomite Thoarcensi Andegavum venit, & eam obtinuit, & totum territorium Andegavense & Nannetense, & pagum Credonensem, & totam terram quæ dicitur Meduana devastavit. ☙ Rege Philippo Aquitaniam intrante Johannes clam recessit, & per Rupellam in Angliam repedavit, sequenti mense Decembri nimia aquarum inundatio ex insperato erupit, quæ molendinorum pontium & domorum vicinarum stragem fecit, plurimos etiam præoccupatos necavit & segetes circa ripas fluminum perdidit. Parisius pons qui dicitur parvus corruit, per vicos aqua elevabatur usque ad secunda domorum tabulata, nec poterat ibi aliquis domum suam intrare vel exire nisi navigio, sed facta oratione & processione à clero & populo paulatim recesserunt aquæ. ☙ Obiit Bartholomæus Turonensium Archiepiscopus ad quem scribitur *Tobias Versificatus*, cui succedit Gaufridus vir sanctissimus Parisiensis Archidiaconus per annum & dimidium, post quem Joannes Archiepiscopus ordinatur.

Bertrannus qui erat Cancellarius Parisiensis post Pictavinum, factus est Archiepiscopus Ebredunensis, & magister præpositivus factus est Cancellarius Parisiensis.

Anno 1207. Pridie Calendas Martii fit Ecclipsis solis particularis in decimo sexto gradu piscium hora diei quinta. Obiit Galterus Rotomagensis Archiepiscopus, & vacavit sedes ferè per annum. Tandem successit Magister Robertus Palanus [Pulanus] qui fuit Theologus. ☙ Philippus Rex Francorum iterum collecto exercitu Aquitaniam intravit [& vastavit] terram Comitis [Vicecomitis] Toarcensis & Parthenacum cepit, & quamplures munitiones circumpositas evertit, quasdam verò muniras sub custodibus sibi retinuit. ☙ Comes Barri Theobaldus exercitum à Francia Burgundia & Aquitania collegit, vicum in dioceſi Metensi obsedit, cepit, & ex magna parte destruxit, cujus incolas usque ad centum per castra sub arcta custodia captivatos dimisit. Deinde generum suum Ducem Fredericum aggressus partem terræ vastavit illius, & castrum de Pinneo [Pinnejo] subverrit. ☙ Hic annus præ nimia siccitate veris & ætatis satis extitit calamitosus. ☙ Rhemis interea post longam concertationem Theobaldi de Perrico, contra supradictum Belluacensem Episcopum & suos autoritate Papæ datus est Rhemensis Archiepiscopus Magister Albericus Parisiensis Arcidiaconus, mediante Parisiensi Episcopo venerabili Odone. Per eundem quoque Episcopum Odonem factus est Magister Herveus Episcopus Trecensis & Haimo Cantor Rhemensis ordinatur Episcopus Suessionensis. ☙ De principio Christianitatis in *Prutia*. *Abbas Godefridus de Lukina* in Polonia cum Monacho suo Philippo *Wiselam* fluvium Paganos dividentem & Christianos transivit, & Prutensibus [prutenis] paulatim prædicare incipiens Ducem Phalet ad fidem con-

convertit, & poſtmodum fratrem ejus Regem Sodrech: monachus Philippus ibi martyrizatus eſt, & poſt eum fuit quidam Epiſcopus nomine Chriſtianus. In *Livonia* Bertoldus ſecundus Epiſcopus martyrio coronatur cui ſuccedit in Epiſcopatu clericus quidam *Bremenſis* vir bonus & timens Deum nomine Albertus, qui civitatem firmavit, eidem aſſociatus eſt in prædicatione vir mirabilis & nobilis *Comes Bernhardus de Lippa* in Weſtphalia, qui factus eſt Abbas de Dunomonde, id eſt de portu Beati Nicolai, ſecundus; poſtmodum ordinatur primus Selonenſis Epiſcopus. Iſte tres filios habuit Epiſcopos, videlicet Archiepiſcopum Gerardum Bremenſem, Epiſcopum Ottonem Ultrajectenſem & Epiſcopum Bernardum Padebürnenſem, occaſione autem prædicationis quam fecerunt Abbates *Ciſtercienſes* ad Albigenſes vel contra ſectam Albigenſium, cæpit hoc anno novus *ordo Prædicatorum fratrum* per duos honeſtiſſimos [honeſtos] viros, fratrem Dominicum Hiſpanum & fratrem Renaldum Aurelianenſem ſancti Aniani Cantorem, qui primò apud Tholozam domum habuerunt, ſed de illa pulſi apud civitatem Bononiam in Italia coadunari cœperunt, & in quadam nova Eccleſia ſancti Nicolai, quæ data eſt eis, congregationem fecerunt; Similiter Pariſius eſt datum eis, quoddam *hoſpitium ſancti Jacobi* à quo denominantur *Jacobitæ*, in quo [ubi] fecerunt Eccleſiam & clauſtrum. Exinde autem Romam abierunt & ita per Regnum & Imperium diſperſi ſunt. Iſti ſegunt regulam Beati Auguſtini, habent ſuperiorem qui vocatur prior generalis, vixit abhinc frater Dominicus annis quatuordecim. Cœpit inſuper hoc eodem anno [tempore] alius ordo novus in Tuſcia apud Aſſiſium, & iſti *fratres Mi-*

nores ob humilitatem & abjectionem corporis appellantur. Habent propriam regulam & approbatam à Papa Innocentio tertio, quam Beatus Franciscus cooperantibus viris religiosis & peritis edidit, sed & morem legendi & psallendi secundum ritum Ecclesiæ Romanæ eis instituit: Superiorem habent, quem Ministrum generalem appellant.

Anno 1208. Rex Alemanniæ Philippus qui contra Ottonem invaluerat, Legatis Apostolicæ sedis honorificè susceptis natale Domini Metis celebravit. ☙ Dux de Nancejo Fredericus terram Monachorum Gorziensium incendiis aggressus est & rapinis contra comitem Barri ejusdem terræ defensorem, memor injuriæ anno præterito à dicto Comite sibi illatæ, qui [cui] Comes idem tertio nonas Februarii ex improviso superveniens cepit ipsum Ducem cum duobus fratribus suis, quorum unus Theodericus de Inferno dictus est, quos per menses septem in diligenti custodia in annulis detinuit, quousque pacem fecerunt ad invicem ad Comitis voluntatem. ☙ In provincia Albigensium cum prædicatio facta fuisset per septem annos per Abbatem [Abbates] ordinis Cistercienſis, interfectus est Apostolicæ sedis legatus frater Petrus de Castro novo, à quodam Tholozani Comitis satellite pessimo, qui Legatus cum moreretur dixit: Deus tibi dimittat, & ego tibi dimitto. ☙ Literæ Apostolicæ sedis pro cruce signandis contra Albigenses profecturis per Franciam & Burgundiam & vicina loca diriguntur, Principes & Episcopi multi cruce signantur. ☙ Eodem anno Henricus Franciæ Marescallus, Guillelmus de Rupibus & Vicecomes Meloduni cum trecentis militibus francis conflixerant in Pictavia contra Savericum de Mallione, & Vicecomitem Thoarcensem, ibi præda excus-

excuſſa capti fuerunt quadraginta milites Pictavi inter quos Hugo frater Vicecomitis, Henricus Portaclea filius ejus. ❧ In illa parte Alemanniæ quæ *Franconia* dicitur quæ eſt inter Rhenum & Danubium civitas habetur Bavemburgenſis, in qua Rex Philippus Imperator (ut creditur) [credebatur] futurus, in aula ſua reſidens interficitur à Comite Ottone de Withelebac *Palatino Ducis Bavariæ* primò die ſuæ unctionis [minutionis] in vigilia ſancti Johannis Baptiſtæ, ante cujus mortem ſtella cometa à quibusdam viſus eſſe memoratur. Hoc autem in eodem Philippo reprehenditur, quoniam Epiſcopum Herbipolenſem venerabilem Conrardum vel juſſerat vel diſſimulando permiſerat interfici. Epiſcopus autem Bavembergenſis Engelbertus hujus Regis mortem pertractaſſe dicebatur, unde & Romam abiit, & à Papa Innocentio tertio fuit depoſitus, eo quod omnes accuſarent eum, & tamen non multo poſt per eundem Papam fuit reſtitutus: poſt mortem Regis Regina uxor ejus dolore nimio afflicta defungitur menſe decembri. ❧ Pariſius mortuus eſt Odo Epiſcopus vir nobilis & religioſus: Hujus ſuper tumulum tale Epitaphium reperitur:

Quem cathedræ decoravit honor, quem ſanguis avitus,
Quem morum gravitas, hic jacet Odo ſitus.
Præſulis hujus erat quod habent hæc tempora raro,
Mens ſincera, manus munda, pudica caro.
Lenibus hic lenis, toga nudis, virtus egenis.
Vita fuit juvenis clara probata ſenis.
Bis ſexcenteno Chriſti quartoque bis anno
Tredecimo julii tranſiit Odo die.

Cui

Cui ſuccedit Petrus theſaurarius Turonenſis, filius ſupra dicti Galreri Camerarii Regis Philippi. ☙ Propter ſenectutem & debilitatem corporis Renerus prior novi Monaſterii Hoienſis, hortatu quorundam virorum religioſorum prioratum ſuum reſignavit, quod cum perveniſſet ad aures venerabilis viri Leodienſis Epiſcopi Hugonis, ſtatim inſtinctu virorum religioſorum & Magiſtrorum, videlicet Joannis de Nivella, Petri Scholaſtici ſancti Lamberti, Joannis de Lyra [Liro] & aliorum multorum, tum propter ampliationem villæ Hoiennenſis [Hoienſis] tum propter amœnitatem & ſitum loci, & Eccleſiæ exaltationem, prioratum illum mutavit in Abbatiam, ibique Alexandrum præfatæ Eccleſiæ Canonicum licet non multum literatum, tamen corpore caſtum & decorum, de voluntate quorundam capituli ſui & conſilio ſupra dictorum virorum conſtituit in vigilia diviſionis Apoſtolorum, & in ſequenti aſſumtione Beatæ Mariæ Virginis, idem pius Epiſcopus prædictum Alexandrum benedixit in Abbatem in ſua Eccleſia, præſentibus quamplurimis perſonis Eccleſiaſticis & ſecularibus, evolutis à die fundationis præfatæ Eccleſiæ centum ſaptem, [centum octo] annis, in quibus iſti ſubſequentes poſt *Petrum Eremitam* fuerunt Priores ſive Præpoſiti ſecundum morem ſancti ſepulchri in Hieroſolymis, in cujus honore & & memoria ſæpè dicta Eccleſia fuit fundata. Joannes ergo primus præfuit triginta annis, qui obiit anno Domini 1146. cui ſuccedit Liethardus ſeptendecim annis, poſt quem Arnulfus annis novem, deinde Veſcelinus per annos viginti quatuor tenuit prioratum, & eum poſtmodum reſignavit & in caſtris ſe tranſtulit, ubi & ſepultus jacet; poſt aliquod intervallum Renerus ſimoniacus de Cenofia prioratum ab Epiſcopo Alberto, mediante pecunia extorſit & menſes aliquot tenuit, quibus expletis linguam ſuam, ut dicitur, comedit; ☙ Eodem

anno

anno circa Paſcha factus eſt Prior Franco vir nobilis, Canonicus ſancti Ægidii de publico monte, quondam Canonicus ſancti Lamberti menſibus ſeptem, deinde electus Magiſter Renerus *Phiſicus* natione Hoienſis, qui duodecim ferè annis tenuit, cui ſuccedit Dominus Alexander primus Abbas, de quo in loco opportuno dicemus. Omnes prædicti Priores ſive Præpoſiti eandem ſedem habebant in generali Synodo quam modo habent Abbates, excepto quod baculum paſtoralem non tenebant. Epiſcopus Robertus Lingonenſis qui poſt Hilduinum præfuit, moritur, eique ſuccedit Guillelmus de *Jovevilla*. ☙ Apud Virdunum inter Clericos & Laicos grave vertitur diſcordiæ ſcandalum, pro quo & Epiſcopus eorum Albertus de *Herges* lethaliter vulneratus occubuit, cui Robertus primicerius patruus Comitis de *Grandi prato*, poſt multas altercationes ſive juſtè ſive injuſtè, ſuccedit, ☙ In feſto ſancti Nicolai obiit Epiſcopus Hugo Autiſſiodorenſis. ☙ Dicit Epiſcopus Carmimienſis [Cuvinienſis] de Armenia, quod Tartari hoc anno primum bellum fecerunt in majori Armenia, & ceciderunt de Chriſtianis viginti ſeptem millia, de Tartaris vero quadraginta tria [LXIII] millia, qui venerant ſine uxoribus, unde recedentes non fuerunt poſtea viſi usque ad annos viginti. Dicitur quod annus iſte *quinquageſimus ſive Jubilæus & remiſſionis* in Curia Romana ſit celebratus.

Anno 1209. Sicut in anno Domini 1197. modius ſiliginis venditus eſt quadraginta ſolidis, ita hoc anno quadraginta modii ſiliginis dati ſunt quadraginta ſolidis, modius ſpeltæ melioris quindecim denariis vendebantur. ☙ Sanctus Guillelmus Bituricenſis Archiepiſcopus hic obiit, cujus ſanctitas & meritum miraculis evidentibus declaratur. In civitate

Metensi pro dissensione civium & clericorum per anni dimidium & ultra cessatum est à divinis, sed mediantibus viris religiosis pax rediit. ☙ Remis moritur quidam sanctus Canonicus regularis sancti Dionisii, *Magister Petrus Riga* cognominatus, Bibliothecæ [f. Biblior.] versificator apud scholares & studiosos ce eberrimus. ☙ In die Pentecostes Ludovicus Regis filius cingulo militiæ accingitur de manu patris sui apud Compendium cum maxima solennitate & conventu nobilium regni & largiflua victualium & donorum abundantia. ☙ Ex historia Regis: Cruce signati contra Albigenses proficiscuntur per turmas suas ad visitandum *terram provincialem* & Albigensium, ad exstirpandum hæreses varias quæ in partibus illis pullulaverant, & fidem Catholicam pro posse suo confundebant & enervabant. ☙ Fuerunt autem hi qui erant in pectore signati cruce: Albericus Rhemensis, Petrus Senonensis, Robertus Rotomagensis Archiepiscopi, Galterus Eduensis, Renaldus Carnotensis, Robertus Bajocensis, Jordanus Lexoviensis Episcopi, Episcopus Lemovicensis & plures alii Episcopi & personæ ecclesiasticæ, Odo Burgundiæ Dux, Hervejus Comes Nivernensis & multi alii Barones & milites & populi infiniti: Venerunt omnes ad Montempessulanum ubi matrona quædam prædixit, civitatem de Bedieres [Bediers] ab eis evertendam, & quædam alia prædixit. Porrò illi de Bedieres Dominum suum nomine Trenkevel Vicecomitem civitatis ante decem annos vel circa super altare sanctæ Mariæ Magdalenæ trucidaverunt. Primo itaque cruce signati civitatem opulentissimam de Bedieres ceperunt, & muros funditus everterunt, sexaginta millibus hominum & amplius in ea trucidatis, & inde ad Carcassonam accedentes in brevi eam debellaverunt, indigenis ab ea remissis, & vicinis qui illuc

pre-

propter loci munitionem de multis locis confugerant, [ex condicto] vita sola comite pudendis tantum velatis per quandam porticum [quendam posticum] exeuntibus: Rogerus autem Vicecomes de Bedieres filius Trenkevel, cum esset hæreticus, captus fuit in Carcassona, & in sua captivitate in custodia mortuus est & multa millia Albigensium secundum quod præmisimus tam gladio quam igne perierunt, sed hæc hæresis videbatur esse hydra multorum capitum, quam Hercules aggessus est extinguere. Comite Tholozano Raimundo ex parte summi pontificis excommunicato; & à principatu suo per judicium Ecclesiæ abjudicato, Barones repatriare volentes cum clero & universitate Catholicorum assentiente, invocatâ Spiritus sancti gratiâ elegerunt virum nobilem Simonem Montis fortis Comitem, qui nuper à partibus transmarinis repatriaverat, injungentes in fide ut præesset exercitui Christianorum & terræ illi universæ; qui privatum commodum utilitati publicæ postponens, & bella Dei gratanter gerenda suspiciens debellavit civitates & castella, & omnes hæreticos quos apprehendit, sæva morte interire coegit, & multa bella gessit, & multas victorias non sine miraculo consecutus est divino, vocatus est autem Comes Tolozanus, & *Dux* Narbonensis provinciæ, licet nunquam ad plenum Tholozæ dominio potitus sit, per tres tamen annos Tholozam [Tolozani] magna ex parte debellaverunt hæretici [hæreticos] cum nostris. Dominus Fulco Abbas Floregiæ in Episcopum Tholozanum assumtus jam tertium habebat annum & à civitate Toloza fuerat expulsus. [exclusus] ☞ In civitate Carcassona positus fuit Dominus Guido Episcopus, Abbas de Sarnaco [Sarnajo] cujus Monachus libellum, sicut superius memini *de historia Albigensium* conscripsit. ☞ In partibus transmarinis Hemerico Rege Cypri mortuo, qui

occiſos & alia damna. Et ſic Imperator occupavit caſtra & munitiones quæ erant juris Beati Petri, Aquampendentem, Radicofanium, ſanctum Quiricium [Quiricum] Montem falconis [flaſconis] & circa partes illas. ☙ In diebus illis ſtudium literarum vigebat Pariſius. Nec legimus tantam fuiſſe ſcholarum frequentiam Athenis vel in Ægypto, & in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum ſtudendi gratia incolebat, quod non ſolum fiebat propter loci illius amænitatem admirabilem, & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam, ſed etiam propter libertatem & ſpecialem prærogativam defenſionis, quam Philippus Rex & pater ejus ante ipſum ipſis ſcholaribus impendebant. Cum itaque in ea nobiliſſima civitate non modo *de trivio & quadrivio*, verum etiam de quæſtionibus juris canonici & civilis, & de ea facultate quæ de ſanandis corporibus & ſanitatibus conſervandis ſcripta eſt, plena & perfecta inveniretur doctrina; frequentiori tamen deſiderio ſcholaſtici ſacram paginam & quæſtiones theologicas docebantur: Fuit autem in eadem ſacra facultate ſtudens quidam Clericus *Almaricus* nomine de territorio Carnotenſi villa quæ Bella [Bela] dicitur oriundus, qui cum in arte Logica peritus eſſet & ſcholas de arte illa & de aliis artibus liberalibus diu rexiſſet, transtulit ſe ad ſacram paginam excolendam, unde & in ipſa Theologia auſus eſt conſtanter aſſerere, quod quilibet Chriſtianus *teneatur credere ſe eſſe membrum Chriſti, nec aliquem poſſe ſalvari, qui hoc non crederet*, non minus quam ſi non crederet Chriſtum eſſe natum, paſſum, & alios fidei articulos. Cum igitur in hoc ei ab omnibus Catholicis univerſaliter contradiceretur; nemo enim, ſicut ait Salomon, ſcit an ſit dignus charitate, & nemo ſcit an ſit membrum Chriſti, quia ſi hoc aſſereres jactantiam incurreres & præſumtionem, & ſine iſta jactantia fuit ſalus in antiquis patribus & in totali

Digitized by Google

Ecclesia : de necessitate ad summum Pontificem accessit, qui audita ejus propositione, & universitatis scholarium contradictione, sententiavit contra ipsum : rediit ergo Parisius, & compellitur ab universitate confiteri ore, quod in contrarium suæ prædictæ opinioni sentiret. Ore dico, quia nunquam corde dissensit, & decumbens decessit in brevi. Post mortem ejus surrexerunt quidam venenosa ejus doctrina infecti, qui eo subtilius plus quam oportet sapere sapientes ad supplandum Christum, & ad evacuandum novi Testamenti sacramenta novos & inauditos errores & adinventiones diabolicas confinxerunt. Et quia malum non potest vitari nisi cognitum, & ut sciatur quod juste damnati fuerunt, ipsas eorum adinventiones cum execratione in medium proferimus : Inter alios igitur eorum errores impudenter astruere nitebantur, quòd potestas Patris duravit quamdiu viguit lex Mosaica ; & quia scriptum est, novis supervenientibus abjicientur vetera, postquam Christus venit, abolevit omnia Testamenti veteris sacramenta, & viguit nova lex usque ad istud tempus. In hoc ergo tempore dicebant Testamenti novi sacramenta finem habere, & tempus Spiritus Sancti incepisse, quod [quo] dicebant confessionem, baptismum, Eucharistiam, & alia sine quibus salus haberi non potest, locum de cætero non habere, sed unumquemque per gratiam tantùm Spiritus sancti interius sine actu aliquo exteriori inspiratam salvari posse. Charitatis virtutem sic ampliabant, ut id quod alias peccatum esset, si in virtute fieret charitatis jam non esset peccatum, unde stupra, adulteria, & alias corporis voluptates sub charitatis nomine committebant. Mulieribus cum quibus peccabant & simplicioribus quos decipere poterant, impunitatem peccati promittentes, Deum tantummodo bonum & non justum prædicabant. Fama hujusmodi pervenit

venit occultè ad viros venerabiles Petrum Parisiensem Episcopum & fratrem Garinum Regis Philippi consiliarium, qui missso clam Magistro Radulfo de Namurco, qui postea fuit Cantor Cameracensis, diligenter exquiri fecerunt hujusmodi sectæ viros. Idem Radulfus quia subtilis & astutus erat, mirabiliter decepit eos, fingendo se esse de secta eorum,, & & eorum articulos approbando. Et ita hujus sectæ plures sacerdotes, clerici ac mulieres diutius latentes, prout Domino placuit, tandem detecti, capti & Parisius adducti, & in Concilio ibidem congregato convicti & condemnati, coram Magistro Petro Archiepiscopo Senonensi & Petro Episcopo Parisiensi ab ordinibus in quibus erant degradati, *igni traduntur*. Mulieribus autem & aliis simplicibus quos deceperant, pepercerunt: Prædictus autem hæresiarcha Almaricus qui planè in illa secta mortuus fuit, ab ipso [ab universo] Concilio, etiam post mortem excommunicatus fuit & condemnatus, & à cimeterio sacro post quatuor annos suæ tumulationis ejectus, ac ossa & carnes ejus per sterquilinia sunt dispersa. In diebus illis legebantur Parisius libelli quidam, ab *Aristotele*, ut dicebatur, compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de novo à Constantinopoli, & de Græco in Latinum translati, qui quoniam non solum prædictæ hæreli sententiis subtilibus occasionem præbebant, imò & aliis nondum inventis præbere poterant, jussi sunt omnes comburi; & sub pœna excommunicationis cautum est in eodē concilio, ne quis eos de cætero scribere vel legere præsumeret. ☙ Post Cancellarium Parisiensem Magistrum præpositivum virum mirabilem natione Lombardum qui fecit optimos sermones & quasdam postillas sententiarum, fuit Cancellarius quidam Magister Joannes de Candelis, & post eum Magister Stephanus Decanus Rhemensis. ☙ Comitissa Veromanniæ Alienordis obiit absque liberis.

Anno

Anno 1210. Bertrannus Metenſis Epiſcopus anno vigeſimo tertio ſui Pontificatus moritur, cujus ſucceſſor factus Conradus Spirenſis Epiſcopus Imperatoris Cancellarius, qui quamdiu vixit, utrumque Epiſcopatum tenuit, uterque tamen illi vix ſuffecit ad indiſcretas expenſas. ☙ Apud Tullum depoſitus eſt Mathildus [Matthæus] nec nominandus Epiſcopus rerum Eccleſiæ dilapidator comprobatus, & ſubſtitutus eſt Rainaldus Comitis Barri conſanguineus, frater Guidonis *buticularii* Sylvanectenſis. ☙ Hoc tempore Comitiſſa Campaniæ contra guerras imminentes ſuper montem qui dicitur Widomari caſtrum ædificabat. ☙ Ex hiſtoria Regis. ☙ Ad Regem Philippum Francorum venit Judellus de Meduana [Maduana] conquerens de quibusdam qui ad recipiendos Anglicos firmaverant ſuper mare munitionem Warplic, id eſt mollem plicam. Rex vero miſit exercitum cum Comite ſancti Pauli Galtero, & prædicto Judello, & per eos expugnavit viriliter caſtrum, & vi cepit, & munivit ſuis fidelibus & tradidit dicto Judello cuſtodiendum: Aurelianenſis Manaſſes & Autiſſiodorenſis Guillelmus frater ejus dixerunt ſe non debere exercitum ducere in expeditionem Regis, *niſi quando perſonaliter ipſe proficiſcitur.* Non habentibus ſuper hoc privilegium & conſuetudine contra eos faciente, Rex petiit ſibi emendari; nolentibus emendare Rex regalia eorum confiſcavit, decimas & alia bona ſpiritualia in pace eis dimittens: illi terram & homines Regis interdicunt, & ad curiam Romanam mittunt, & in propriis perſonis accedunt, ſed Dominus Papa conſuetudines regni noluit infringere, unde illi *foris facto* ſuo recognito literas ſuas dederunt Regi de jure ſuo ſicut petebatur fideliter reddendo. [exhibendo] Et Rex poſt duos annos reddidit eis regalia ſua, ſed proventus quos inde levaverat in illis duobus annis ei remanſerunt,

ferunt, de gratia tamen tercentas libras utrique reddidit. ☙ Exemplum de Rege Philippo: Quidam niger monachus juvenis & nobilis ad Regem Francorum Philippum ab Abbate suo & Conventu missus contra quendam militem querimoniam delaturus, cum inter cætera dixisset: Vere Domine omnia quæ habemus rapit, & jam pene nobis nihil dimisit. Ad hoc respondit ei Rex, Vere Domine hoc benè apparet in calceis vestris, si aliquid vobis dimisisset corii, non essent ista stricti, quanto estis cæteris nobilior, tanto esse debetis humilior. Adjecitque: Non vos gravare debet correptio mea, quia ad bonum vestrum facta est, revertimini ad claustrum vestrum, & de cætero non molestabit vobis iste nobilis. Philippus Rex Francorum obsedit castrum Rionense, quod erat Comitis Guidonis Alverniæ propter quasdam injurias quas faciebat Ecclesiis, quod cum captum fuisset, tradidit illud Guidoni de Dampetra custodiendum [& muniendum] ☙ De uxore hujus Guidonis Comitis [quæ fuit soror Abbatis Radulfi] hæc est brevis narratio: Filiam cujuspiam de Alvernia Dalmatiam nomine, duxit Ancelius [Amelius] de Cambonio, de qua genuit filiam unicam Camboniam, quæ dicto Guidoni Comiti Comitem Guillelmum peperit. Eandem verò Dalmatiam post mortem Amelii duxit Eustorgius de Rupe, & ex ea genuit Dominum Abbatem Radulfum & fratres ejus, & hoc modo junior Comes Alverniæ Guillelmus filius ex sorore Domini Radulfi supra dicti Abbatis Clarevallensis*. ☙ Ex historia Regis: In Italia Imperator Otto transiens in Apuliam oppugnavit terram Frederici Regis Apuliæ, & cepit civitates & castella in regno Apuliæ, quod totum est de patrimonio & de feodo Beati Petri. Papa communicato cum fratribus consilio excommunicavit eum, & postea omnes subditos ejus ab ipsius fidelitate sub excommunicatione inhibuit; & ita recesserunt

ab eo Landgravius Thoringiæ, Moguntinus & Treverensis Archiepiscopi, Dux Ciringiæ, Dux Bavariæ, & Rex Bohemiæ & multi alii, tam seculares quam ecclesiasticæ personæ. ❧ A partibus Hispanorum venit hoc tempore quidam senio valde confectus miles grandævus qui se dicebat esse *Ogerum de Dacia* de quo legitur in historia Caroli Magni, & quod mater ejus fuit filia Theodorici de Ardenna. Hic itaque obiit hoc anno in dioceſi Nivernensi, villa quæ ad sanctum Patritium dicitur, prout illic tam clerici quam laici qui viderunt postea retulerunt. ❧ In territorio Senonensi villa [loco] Quidotensi quædam puella quæ Aplaidis [Alpaidis] nomine hoc anno obiit, de qua in libro fratris Cæsarei multa digna relatione reperiuntur, quam etiam Magister Petrus de Corbuth Senonsis Archiepiscopus commendavit ditando Ecclesiam, quæ ejus habet sepulturam. ❧ In terra Albigensium hoc anno captum fuit à Catholicis in quadragesima castrum quod *Malaherba* vocatur, & inde Sessio ad Termas, quod captum fuit nocte sancti Clementis, & ita circumcirca acquisiverunt castra & villas.

Anno 1211. Valida vero iterum facta est prædicatio hoc anno de cruce signandis contra Albigenses profecturis, ita quod ex parte summi Pontificis Dominus Abbas Cistercienſis publicam prædicationem commisit, quorum unus Virduni & Metis prædicavit, quasdam gverras mortales pacificavit, Comitem *Barri* Theobaldum cum filio Henrico & alios innumerabiles cruce signavit; in itinere horum cruce signatorum mortuus est Comes Henricus de *Grandiprato* cruce signatus: ❧ Porrò in præcedenti natali Domini Comes Simon Montifortis apud *Albigam* curiam tenuit, & ibi colloquium habuit cum Raimundo quondam Comite Tolozano, & in illa quadragesima fuit obsessio [*sessio*] de vallibus dioceſis Albigæ & ejusdem castri

stri captio. Vir magnus inter Albigenses Hemericus Ligalz fuit occisus, & soror ejus Geralda Domina vallium pessima necata fuit in puteo & lapidibus obruta: Et ecce Nicolaus de Bazochiis & mille quingenti peregrini veniebant, & jam erant apud Montem gaudii venturi ad valles, cum Comes Fuxensis cum hæreticis eis obvians bene mille interfecit. De istis testatur *Magister Jacobus* quod Domina Maria de Ognies vidit sanctos Angelos gloriantes, & interfectorum animas absque ullo purgatorio ad superna gaudia deferentes. Christiani ergò dejecto castellulo quod dicebatur Mons gaudii venerunt ad Cassam, & inde ad Montem Ferrandi ubi Balduinus fuit, frater Tholozani: Iterum autem Comes Simon & Tholozanus colloquium habuerunt, & iterum malè partiti sunt: Benè nostri jam acquisierant castra centum & quadraginta quando Comes Barri advenit. [Savaricus cum hæreticis qui erant decem millia bellum castri novi * mille & quingenti hæretici occisi & fugerunt cæteri. ☙ Abbas Cisterciensis Arnaldus in Archiepiscopum eligitur Narbonensem. Abbas Petrus Lucedii factus est Episcopus Juoriensis, & exinde per summum Pontificem promotus est in Patriarcham apud Antiochiam. ☙ Abbatem Geraldum fecit summus Pontifex Archiepiscopum Regensem in Apulia, & quendam de Ponte fecit Placentinum Episcopum. ☙ In Sardinia Admalbertus Monachus in Episcopum Gisardensem electus antequam consecraretur assumtus est in Archiepiscopum Turretanum: ante eum fuit ibi Episcopus [Archiepiscopus] Petrus. ☙ De miraculis Beati Guillelmi Bituricensis fama ferebatur per Franciam commendabilis. ☙ Ecclesia Beatæ Mariæ Rhemensis major & cæterarum hujus provinciæ cum majori parte civitatis hoc anno in vigilia sancti Domitiani combusta est per negligentiam, sed cum industria maxima per annos viginti mirabili opere restauratur.

Hoc tempore cauſa Eccleſiæ & Johannis Epiſcopi Turonenſis ventilabatur coram Papa de Epiſcopis Britanniæ, qui habebant Archiepiſcopatum Dolenſem, quem Archiepiſcopus Turonenſis dicebat ad ſe pertinere de jure, & cum proceſſum eſſet ad ſententiam diffinitivam, Procurator Turonenſis Gaufridus Archidiaconus obtulit Archiepiſcopo Dolenſi coram Papa cauſa pacis, ut ſi vellet antequam daretur ſententia mediante pace ſemper eſſet Archiepiſcopus, & ſemper unum haberet Epiſcopatum, quo recuſante ventum eſt ad judicium, & poſt multas altercationes Papa dedit judicium pro Turonenſi, & Dolenſi ſublatus eſt Archiepiſcopatus, dicente Papa: De dolo es & in perpetuum dolebis; qui ſe etiam ab Epiſcopatu depoſuit, ſed Papa dedit ei poſtmodum Epiſcopatum in Tuſcia. Proſecutor dictæ cauſæ Archidiaconus Gaufridus electus eſt poſt aliquot annos in Epiſcopum Tripolitanum ultra mare, qui Gaufridus ſororem habuit Flandriam nomine, ſanctam Matronam, quæ etiam narratur quædam feciſſe miracula. Et adhuc hoc anno inter ſummum Pontificem & Imperatorem Ottonem fuit [duravit] diſcordia, unde & Papa miſit literas Regi Francorum Philippo in quibus ſignificabat ſe valde dolere quod talem virum coronaſſet. Ex hiſtoria Regis: Mediante igitur conſilio Regis Barones Alemanniæ elegerunt ſupra dictum Fredericum de Apulia filium Henrici Imperatoris, rogantes Papam ut ejus confirmaret electionem, qui licet hoc benè vellet, tamen diſſimulavit, quia Romana Eccleſia ſemper gravitatem obſervare & nova non ſine difficultate concedere conſuevit, & quia progeniem illam non amabat; denunciatio excommunicationis Ottonis facta eſt à plurimis Eccleſiæ filiis de mandato Papæ Innocentii tertii. Obiit Albertus Comes Dausburgenſis [Dansburgenſis] & Dominus de Moſa [Muiſal] relinquens parvulam filiam & elegantem Gertrudem nomine,

de

de quo suo loco dicemus. Hic Albertus & Hugo frater suus qui jacet apud Waugias [wangias] filii fuerunt *Ducis Lovanii* Godefridi secundi ex secunda uxore Luitgarda [Ermengarda] nomine, qui propter eorum nobilitatem & famam ab omnibus nominabantur Falcones de Daburc. [potius Dasburg]

Anno 1212. Contra Leodiensem Episcopum imò præcipue contra beatum Lambertum *Dux Lovanii* Henricus obstinatus, efferatus, auxiliis insuper ipsi ab Otrone missis animatus, Leodium effregit in die ascensionis Domini, qui in inventione sanctæ crucis hoc anno evenit. Brabantinis suis civitatem in prædam exposuit, non solum domos, sed etiam Ecclesias tanquam sacrilegas invasor spoliavit, quicquid in re mobili optimum reperiit, asportavit, & multa mala commisit. *Expeditio infantium* satis periculose undique convenientium facta est hoc anno, primo venerunt à partibus castri Windocini Parisiensis, qui cum essent circiter triginta millia Massiliam quasi mare contra Sarracenos transituri venerunt. Ribaldi verò ipsis associati & mali homines ita totum exercitum infecerunt, quod quibusdam pereuntibus in mari, quibusdam venundatis, pauci de tanta multitudine sunt reversi, de illis tamen quicunque inde evaserunt dedit Papa præceptum, ut cum ad ætatem pervenirent, tanquam cruce signati mare transirent. Itaque traditores horum infantium dicuntur fuisse Hugo Ferreus & Guillelmus Porcus mercatores Massilienses, qui cum essent navium rectores, debebant sicut eis promiserant causa Dei absque pretio eos conducere extra [ultra] mare, & impleverunt ex eis septem naves magnas, cumque venissent ad duas dietas in mari ad insulam sancti Petri ad rupem quæ dicitur Recluſi, orta tempestate duæ naves perierunt, & omnes infantes de illis navibus submersi sunt, & (ut dicitur) post aliquot Papa Gregorius nonus *Ecclesiam novorum Innocentium* in eadem Insula fe-

cit & duodecim præbendarios instituit, & sunt in illa Ecclesia corpora infantium quæ mare ibi projecit, & adhuc integra ostenduntur peregrinis. Traditores autem reliquas quinque naves usque Bugiam & Alexandriam perduxerunt, & ibi omnes infantes illos Principibus Sarracenorum & mercatoribus vendiderunt, de quibus Califas in parte sua quadringentos emit, omnes clericos, quia ita eos ab aliis segregare voluit, inter quos erant octoginta omnes presbyteri, & honestius omnes suo more tractavit. Iste est Califas de quo superius dixi qui in habitu clerici Parisius studuit, & ea quæ nostra sunt ad plenum didicit, & iste jam de novo carnem Camelinam sacrificare omisit. Principibus Saracenorum congregatis apud Baldach eodem anno quo infantes venundati sunt, octodecim ex iisdem infantibus in sua præsentia diverso genere martyrii interfecerunt, eo quod fidem Christianitatis nullo modo relinquere voluerunt, sed in servitute diligenter nutrierunt: qui vidit, & fuit unus de prædictis clericis quos Califas in parte sua emit, fideliter retulit, quod nullum omnino de prædictis infantibus audivit à fide Christiana apostatare. Duo quoque supra dicti traditores Hugo Ferreus & Guillelmus Porcus postea venerunt ad *Principem Saracenorum Siciliæ* Mirabellum, & cum eo traditionem *Imperatoris Friderici* facere voluerunt, sed Imperator de iis dante Deo triumphavit, & Mirabellum cum duobus filiis & istos duos traditores in uno patibulo suspendit, & post annos octodecim addidit qui hoc retulit, quod Maschemuch de Alexandria adhuc benè custodiebat septingentos, non jam infantes sed fortioris ætatis homines. Anno eodem expeditionis infantium Saracenorum Rex in Hispania qui dicebatur Mammelinus, quod lingua eorum sonat Regum Rex, collecto exercitu infinito paganorum ingressus est fines Hispanensium Christianorum, & locutus est in magna superbia contra Christicolas, & obtulit illis bellum, qui

pugna-

pugnaverunt contra eum fide & in nomine Jesu Christi, & vicerunt eum & ferè omnes qui cum eo erant occiderunt: ipse autem victus & confusus ferè solus ad propria rediit. Huic bello interfuerunt multi boni & fortes viri de regno Francorum ad petitionem Regis Alfonsi qui dictus est Rex parvus, Pater Reginæ Blanchæ, & Rex Aragonum, miles probatissimus, qui in signum victoriæ lanceam & vexillum ipsius Mammelini Romam misit, quæ adhuc in Ecclesia Beati Petri in loco eminentiori posita, favorem & misericordiam Christi, qua suos, licet paucos respectu hostium in prædicto bello victores fecit, in perpetuum repræsentat: qualiter per ordinem factum fuerit sequitur. Bellum illud Hispanicum indixerat Saracenis, & super se receperat Henricus filius Regis parvi novus eo tempore miles, sed mortuus fuit Deo vocante se ante diem illum belli, unde pater ejus laudabiliter devotionem filii prosecutus est & efficaciter. Hoc bellum triumphale præcessit decimo tertio Calendas Maji [dominica die] tale signum. Luna decima quinta, eo die cum fierent Litaniæ & preces in Francia pro Christianis qui pugnaturi erant in Hispania, visus est sol circa horam nonam in antea salire & reverti, & nunc esse rubeus nunc hiacinthinus, non fuit ecclipsis solis, utpote Luna plena, sed lunæ potius ecclypsis poterat dici si de nocte occurrisset. Et ea quidem die pugnare noluerunt, sed die in diem inducias dando & accipiendo protelabant adventum suum usque ad repatriationem Francorum; moventes igitur Toleto primo ceperunt terram de Malagori [Malagon] deinde venerunt Kalatrave, & istud castrum fortissimum similiter ceperunt, quod fratribus Militibus *ordinis de Kalatrave* reddiderunt, Franci quidem illud castrum ceperunt, & ita miraculosè ceperunt, quod presbyter quidam primus omnium cum Corpore Domini intravit, & plusquam sexaginta sagittas excepit in alba qua indutus erat, nec tamen fuit læsus: nocte bellum dirimente venerunt primi

primi de consilio Saracenorum ad Regem parvum occultè rogantes, ut vita eis concessa in camisiis ea nocte nescientibus Francis sineret [eos] abire, & ipsi tradebant ei castrum cum omni sua supellectile & victualibus & armis & thesauris, quod Rex concessit, & in castro suo collocavit. Hoc cum die sequenti percepissent Franci, Archiepiscopus Burdegalensis & Episcopus Nannetensis indignati repatriaverunt, & quidam ex eis per sanctum Jacobum diverterunt. Archiepiscopus Narbonensis remansit ad tempus cum Theobaldo de Belzon & ejus sociis, tres verò Reges, de Castella, de Arragone & de Navarreis & *Domicellus Portugalliæ* venerunt & ceperunt castrum Alarchos & alia tria, Catachoma, [catacoma] Beneventum & Petram bonam, inde venerunt ad Salvam terram, quam non expugnaverunt. Inde castrum Ferat [Ferrat] ad pedem montis vir quidam sylvestris ibi ex parte Dei missus (ut dicebat) venit ad eos corio cervino non *tannato* vestitus & calceatus, occurrens eis cum jam desperarent de transitu montis, & ipsos per viam inviam mirabiliter conduxit die Sabbathi decimo tertio Calendas Augusti, cum haberet mons ille leugas duas in ascensu, leugam autem & dimidiam in descensu, & fuit vir ille inter eos per dies duos & dimidium, cum essent ergo ultra montem locati, & aquam non haberent, accepit vir ille fossorium, & cœpit fodere & dixit, ut ante omnia tentoria sua sic facerent, quod cum ita fieret aquam habuerunt miraculosè satis & abundanter. Sarraceni quidem qui propter metum Francorum hue usque pugnare nolebant, post recessum illorum statim Regibus bellum indixerunt, Reges tamen die dominica pugnare noluerunt. Unde feria secunda fuit ibi bellum maximum, & prima *scara* nostrorum fuit contrita: in secunda cum deficerent Templarii & Milites ordinis de Kalatrave, tandem necessitate & periculo imminente vexillum

Beatæ

Beatæ Mariæ de Rochemador miraculosè sibi transmissum, & huc usque plicatum, tunc primum elevatum est & extensum, & omnibus ostensum flectentibus genua per circuitum, & statim salus à Deo & gloriosa virgine Maria de Rochemador facta est. Hoc vexillum Regi parvo Beata Virgo transmisit hoc modo: Erat in Rochemador sacrista religiosus, cui per tria sabbatha apparuit Beata Virgo tenens in manu sua vexillum plicatum, præcipiens & dicens, ut illud ex parte sua deferret Regi parvo in Hispania contra Sarracenos pugnaturo. Sacrista personæ suæ exiguitatem excusante, & dicente quod nemo sibi crederet, accepit signum suæ mortis in diem tertium, ita quod prior suus adimpleret mandatum: & eidem mandato fuit annexum ne quis omnino vexillum illud deplicaret usque ad diem belli, & in ipsa die ad necessitatem magis urgentem, & ita monacho illo mortuo postquam ista patefecit in capitulo prior suus de Rochemador, executus est mandatum & bello interfuit. Erat in dicto vexillo imago Beatæ Mariæ tenens infantulum, & habebat ad pedes illud signum quod Rex Castellæ qui dicitur Rex parvus solet in *vexillo proprio* habere; postquam igitur Rex *Carthaginis novæ qui dicitur Maroch* cæpit fugere, fugerunt & alii. Advenerant ibi milites Sarracenorum centum octoginta quinque millia, equites verò nongenta viginti quinque millia, peditum non fuit numerus, ceciderunt de illis centum millia, de Christianis quidem jam plures ceciderant, sed post demonstrationem vexilli vix triginta homines ceciderunt; per biduum non combusserunt nostri ad omnia quæ erexerunt [coxerunt] & quibus usi sunt, nisi lanceas & sagittas, & vix medietas potuit comburi: Inde venerunt ad duas civitates Biaciam & Ubedam quærant [erat] de majoribus post Cordubam & Sibiliam.

Has capras destruxerunt, quia non habebant quibus possent illas replere, & similiter quadraginta [LX] millia Saracenorum ibi perierunt; per omnia benedictus qui tradidit impios. Sed dum hæc aguntur Rex Legionensis, qui dicitur Rex Galliciæ, vastabat terram Regis Castellæ: Rex Castellæ & Toleti Alphonsus ipse dicebatur Rex parvus de Hispania, cum tamen major esset aliis ætate & dignitate, & socer aliorum. De quo cum à quodam monacho quæreretur cur parvus Rex diceretur? Respondit *quod â Patre Sancti Rege decedente relictus parvulus ab ipsa infantia Rex parvus est appellatus, quod cognomen in omni vita retinuit*, sed nostri dicunt quod à tempore Caroli magni qui Hispanias recuperavit, antecessores ipsius dicebantur parvi ad differentiam magni Regis Caroli. Hic itaque Rex parvus de sorore Regis Angliæ Richardi, quæ dicta est Alienor, & fuit etiam soror ex alia parte Comitissæ Mariæ *Campaniæ*, genuit Henricum qui juvenis obiit & quinque sorores illius; prima dicta est Berengaria, quæ Regi *Legionensi, id est, Regi Galliciæ* peperit Fernandum successorem Regis parvi in Castella & Toleto, & fratrem illius, & illam quam Rex Jerusalem Joannes, ut postea dicetur, in uxorem noviſſimè accepit: secunda fuit Urraca Regina *Portugalliæ*: tertia fuit Blancha Regina Franciæ, Alienor dicta est quarta Arragonum, quinta Constantia monialis, & sciendum est, quod dicta Berengaria & maritus ejus Rex Alphonsus in secundo & tertio gradu fuerunt, *quod matrimonium licet Innocentius tertius Papa de necessitate primò concessit, tamen postquam liberos fecerant, illud prohibuit*, & ipsius Reginæ incontinentia, de qua multa dicebantur, potuit esse in causa; quæ tamen à viro suo dimissa fecit Abbatiam Monialium Cistercienſium in civitate Burgensi. Obiit Archiepiscopus Joannes Treverensis vigesimo tertio sui pontificatus

catus anno. *Novus ordo vallis ſcholarium* cæpit in dioceſi Lingonenſi per quendam Guillelmum Anglicum, & per fratrem Richardum de Narcejo, cooperante illis & totum diſponente Domino Guillelmo Lingonenſi Epiſcopo, pontificatus ſui anno tertio, qui infra annos viginti priorias fecerunt ſexdecim: iſti legunt regulam Beati Auguſtini. Alius ordo ejusdem regulæ cæpit in dioceſi Spirenſi [& vocatur mons Dei] in Alſatia, [in Alſoiz] habet priorias viginti ſex. Cæpit autem in anno Domini 1205. per quendam *ſanctum Alexandrum quondam Archiepiſcopum de Maideburg* poſtea Eremitam, & ordo quidem confirmatus à Papa Innocentio tertio, ſanctus verò canonizatus à Papa Honorio. Alius ordo novus in eadem dioceſi *fratrum de Valle caulium* circa hæc tempora innoteſci ceperat, jam ante quindecim annos fundatus: ſed eſt vitæ diſtrictioris, unde & habet perſonas pauciores. Rex Siciliæ Fredericus contra Ottonem in Alemannia regnaturus Tullum venit, cui Dominus Ludovicus Regis Francorum filius apud *caſtrum vallis colorit* occurrit, & colloquium ſocietatis ad invicem habuerunt. Ex hiſtoria Regis: Iſte Fridericus de conſilio Regis Franciæ [vocatus à Baronibus] venerat Romam navigio, & honorificè receptus eſt à ſummo Pontifice & à Romanis, inde deſcendens per mare venit Januam, & ibidem cum maximo honore & gaudio receptus eſt adjuvantibus Bonifacio Marchione Montis Ferrati, & civibus Papienſibus & Cremonenſibus, & præcipuè *Eſtenſi*, [Eiſtenſi] Marchione, per ſummas [Cumas] transiit Alpes, & intrans Alemanniam venit Conſtantiam: digna res memoria, quod omnis qui intendit Eccleſiam deprimere dejicitur; ea die venturus erat Otto in eandem civitatem & etiam præmiſerat famulos ſuos & locos qui jam cibum paraverant, nec diſtabat à civitate per tres

leugas, quando Fredericus cum ſexaginta militibus intravit, quem Otto cum ducentis militibus ejus adventum ſciens, ſequebatur, ſed Frederico recepto clauſa eſt Ottoni janua, & ipſe cum ſuis viriliter eſt repulſus, & dicunt quod ſi Fredericus moram feciſſet per tres horas nunquam Alemanniam intraſſet. Otto itaque à Conſtantiis cum vituperio ſic expulſus acceſſit Briſac, à quo etiam, quia Teutonici cives illius oppidi contumeliis & injurias afficiebant, & eorum filias & uxores conſtrupabant, non minori dedecore quam à Conſtantiis eſt propulſus. Fredericus autem tam & ipſis quam ab aliis Imperii Baronibus cum gaudio & honorificentia eſt receptus. ☙ Eodem anno inter eundem Fridericum & Philippum magnanimum celebratum eſt *colloquium apud Vallem coloris* mediante Conrardo Metenſi Epiſcopo, cui tamen non interfuit ipſe Rex, ſed Ludovicus filius primogenitus cum magnatibus regni, & percuſſerunt fœdus inter ſe & renovaverunt amicitias perpetuas, ſicut fuerant inter eorum prædeceſſores. Philippus Rex Francorum maximam [majorem] partem civitatis [Pariſienſis] circum ſepivit muro. ☙ Orta eſt diſcordia inter Raynaldum de Domno Martino Comitem Boloniæ & [Philippum] Epiſcopum Belluacenſem, & nepotes ipſius, & idem Comes ſuſpectus erat Regi, quia Moretonium munierat victualibus & hominibus armatis, & quia nuncios ſuos in Regni & Regis præjudicium ad Ottonem Imperatorem & ad Johannem Regem Angliæ mittere dicebatur, Rex igitur petiit ab eo ut traderet munitiones ſuas, quod cum ei contra jus & conſuetudinem patriæ denegaſſet, Rex congregato exercitu direxit acies in partes Bononienſium: [comes totum Comitatum Bolonienſium] & omnia caſtella appendentia dimiſit Ludovico à quo id totum feodaliter tenebat. Rex autem occupavit Moretonium, Domnum Martinum, Albam Marnam [Moretonii & domini Martini & Albæ

Albæ Marnæ Comitatum] insulam bonam Domfrontem, & omnia eis appendentia; & sic Comes à toto Regno decedens accessit ad Comitem Barri cognatum suum, & mansit apud eum. Confœderatus est Ottoni & Johanni Regi, quorum uterque ab ore summi Pontificis erat excommunicatus, Otto eo quod patrimonium sancti Petri occupabat, Johannes eo quod Stephanum Cantuariensem Archipræsulem ad suam cathedram accedere non sinebat, imò plures Episcopos abjecerat, res Ecclesiarum & clericorum & monachorum beneficia in usus proprios jam per septennium converterat. Dictus tamen Comes, missis frequenter nuntiis, restitutionem petebat à Rege terræ suæ & castrorum, Rex offerebat cum tali conditione, si vellet stare judicio regalis aulæ & Baronum, sed ille judicium repellebat. ❧ In terra Albigensium anno ista facta sunt hæc: Tota terra ultra Tarnum reversa est ad vomitum & apostatavit. Venerunt de Francia milites ad Comitem Simonem [in satellitium] & captum castrum est de Tueilles, & venit Comes Guido frater Comitis Simonis: ventum est ad Causac, & inde inter Causac & Gaillart fuit bellum, inde fugit Comes Tholozanus usque Rabastonium [versus Rabestenium] unde iterum fugatus est, & ita nox insecutionem dirimit. *Sessio ante sanctum* Marcellum [Martellum]: Martinus de Olit Hispanus remanserat in Causac, qui cepit prædam de Gaillart, egressi sunt contra eum octoginta equites & quingenti pedites, cum Martino solummodo erant octodecim: disconfecit illos in nomine Domini & plures occidit, & cepit centum & quadraginta. ❧ Facta est inventio corporis *Beatæ Mariæ Salomæ*, quæ fuit Mater Beati Jacobi de Hispania, & Beati Johannis Evangelistæ, & fuit soror Dominæ nostræ, in civitate Campaniæ Verulana prope Abbatiam de Casamarii

ultra Romam; quære novam hiſtoriam inde factam, miraculis eximiam, & in ipſa novitate præclaram.

Anno 1213. Comitatum *Flandriæ* ſortitur Ferdinandus de Hiſpania Regis *Portugalliæ* filius, cui data eſt prima filiarum Comitis & Imperatoris Balduini, Joanna nomine, in uxorem, ad petitionem & inſtantiam veteris Comitiſſæ Flandrenſis amitæ iſtius Fernandi, quæ fuit uxor magni Comitis Philippi ante Acram defuncti, & apud Clarevallem quieſcentis. Hic ergo Fernandus data Regi Franciæ maxima ſumma pecuniæ, Flandriam obtinuit poſt natale Domini, & ecce paulo poſt Comes Namurcenſis [Philippus] vir Deo devotus obiit, frater Comitis Balduini & Henrici Conſtantinopolitanorum Imperatorum, ſub cujus Philippi tutela fuit prædicta puella de Flandria Johanna, & ſoror ejus Margaretha, antequam Ferdinandus adveniret. ☙ Dictum eſt ſuperius in anno 1119. [MCXCIX] quod iſte Comes Namurcenſis fuit captus & Regi Franciæ præſentatus, itaque mediante pace hoc modo fuit relaxatus, quod filias fratri ſui [jam dictas] Joannam & Margaretam tradidit in gardiam Regis Franciæ, & ipſe filiam ejus Regis Mariam, Juvenis Arturi relictam, duxit in uxorem, & quia quidam dicebant quod neptes ſuas Regi vendiderat, ſuper iſto facto plurimum dolebat. Frater Cæſarius: Huic Comiti antequam moreretur tantam in infirmitate ſua contritionem Dominus contulit, ut talis contritio non eſſet viſa in aliquo noſtris temporibus. Quatuor Abbatibus ordinis noſtri ſimul & ſæpè confeſſionem ſuam facere conſuevit in tantum ſe accuſans, in tantum plangens, ut omnes ad lacrymas provocaret, nec iſta ſufficiebant, quin laqueum collo injiceret, rogaretque confeſſores ſuos ut ſe traherent in platea, dicens, ſicut canis vixi, dignum eſt ut ſicut canis moriar. ☙ Albricus: infirmatus eſt autem in partibus Hainonii apud caſtrum

de

de Blaton quod abstulerat Castellano de Caudri, unde se fecit per funem collo suo injectum [innexum] ab eodem castro extrahi, & in domum præpositi sui exportari. Ibi recordatus quod idem præpositus multa per rapinam abstulisset, eadem hora deportari se fecit in pauperrimam domum capellani sui, in qua pauper spiritu omnia vasa sua argentea & aurea ecclesiis & pauperibus distribuit, ita ut quod nec unum cochlear de argento infirmitati suæ sibi necessarium retinuit; sequitur frater Cæsarius: Postquam ergò migravit ad Dominum, volens pius Dominus tantam remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum confessorem, sepultus est in ecclesia Sancti Albani Martyris, in qua ipse instituerat Conventum Canonicorum de suis justis reditibus eis stipendia adhuc sanus ordinans. Tantis usque hodie signis coruscat, ut de remotis regionibus advenientes infirmi, ad ejus tumbam sanitatem recipiant, ipsam terram circa sepulchrum ejus effodientes, secum pro benedictione deportant. ☙ Sequitur in eadem Chronica: Prædictus itaque Comes Fernandus postquam Flandriam obtinuit, statim vicinos Principes aut muneribus aut promissis ad quidquid agere vellet sibi fortiter devinxit, & supra dictus Comes Bolonienſis Renaldus Regis adversarius eum ad suum consilium inclinavit, & eodem anno Regi Francorum cui fecerat hominium, cæpit idem Fernandus adversari, & habuerunt in sua parte isti duo, Ottonem qui dictus est Imperator, Ducem Lovanii Henricum, Hugonem de Bovis & Comitem Hollandiæ Guillelmum. ☙ Ex historia Regis: Concilium autem Regis celebratum est in civitate Sueſſionis in crastino Dominicæ palmarum. Ibi Dux Brabantiæ desponsavit Mariam filiam Regis dicti Philippi, relictam Comitis Namurcensis, & statim post octavas Paschæ solenniter duxit in uxorem. Tractatum fuit in eo Con-

Concilio de transfretando in Angliam, assenserunt omnes præter Fernandum qui suum Regi negavit auxilium, nisi redderet sibi duo castella, videlicet sanctum Audomarum & Ariam, quæ tenebat Ludovicus. Rex obtulit excambium, sed ille jam confœderatus adversariis non recepit: Navigio ad transfretandum præparato Rex recepit Indeburgim Reginam in legitimi thori consortium, à qua per septemdecim annos dissenserat, & facta est lætitia magna in clero & populo, qui hoc solum in Rege antea culpabant. Venit igitur Rex Boloniam, & inde Gravelingas, in vigilia Ascensionis. Ibi debuit Fernandus Regi satisfacere, sed nec venit nec misit. Unde Rex dimisso proposito eundi in Angliam divertit in Flandriam, & cepit castellum Ipram, & totam terram usque Brugias. Classis ejus secuta est usque ad Dam, & ipse venit Gandavum, & ecce venerunt de Anglia Comes Boloniæ Renaldus, Comes Salesberiensis Guillelmus Longa Spata, & Hugo de Bouis, multi alii, quibus occurrit Fernandus cum Isengrinis & Bloetinis & simul condixerunt, quod occuparent naves Regis mille sexcentas numero, quo audito Rex misit contra eos Petrum Ducem Britanniæ cum octingentis militibus & ipse secutus est cum universo exercitu: & ita multis de iis occisis & submersis, usque ferè duo millia, multos probos & strenuos captos adduxit in victoria, & iterum profectus Gandavum, recepit obsides de Gandavo, Ipra, Brugis, Insula, & Duaco, & ita in Franciam est reversus. ☞ Eodem anno factum est bellum maximum de [in] Liguria in territorio Cremonensi: cum enim anno præcedenti secundo Papienses cives producerent Fredericum electum Romanorum usque Cremonam, Mediolanitæ positis insidiis pugnaverunt cum eis juxta Laudam civitatem novam & fundatam, ubi modo est, quinquaginta [tribus] annis elapsis à Frederico Imperatore magno, avo istius Frederici, sed non ausi aggredi eos dum

dum esset præsens ipse Fridericus, unde & ipso apud Cremonam relicto cum redirent Papiam, prosilierunt de latibulis. Mediolanitæ & aggressi sunt eos ex improviso, & multum damnificaverunt eos: Unde tam ipsi Papiani quam Cremonenses conceperunt rancorem & odium mortale contra Mediolanitas, sed vindictam distulerunt quousque oportunitas se offerret. Mediolanitæ verò, qui immortali odio semper prosecuti sunt totum genus Frederici magni, qui eos bello bis conficiens olim Papianis auxiliantibus omnes eorum turres explanaverat, non exspectaverunt inferri sibi ultionem, imò exercitu maximo congregato aggressi sunt fines Cremonensium, sed & Cremonenses eductis copiis minoribus jurejurando interposito statuerunt, ut si congressus fieret nullus eorum vacaret prædæ sive homini capiendo, sed agmine conferto & indissoluto hostium cuneos penetrarent. Cum autem esset sanctus dies pentecostes, supplicaverunt Cremonenses, ut propter diem sanctum differretur saltem usque in crastinum pugna, quod cum negaretur eis à Mediolanitis qui semper dies sanctos odio habere consueverunt & hæreticos confovere, & maxime quia timebant, ne vires eorum illo intervallo licet brevissimo augerentur, congressi sunt Cremonitæ sicut proposuerunt & in brevi triumphaverunt de illis: Item Mediolanitæ post viribus recollectis intraverunt fines Papianorum & obsederunt quoddam castrum in territorio Pappianorum. Pappiani autem eductis copiis suis aggressi sunt eos, & licet iidem Mediolanitæ ad retardandum impetum eorum, ignem domibus & castris imposuissent, ipsi tamen per medios ignes transeuntes, cum furore pugnaverunt cum eis, & eos ab obsidione fugaverunt, multos ex eis interficientes, & multos capientes papiliones, & omnia quæ erant in castris domum post victoriam ferentes, & sic bis eodem anno victi sunt Mediolanitæ Domino vindicante & [in] iis variarum hæresium crimen & favorem illicitum, quem ipsi contra Dei voluntatem Ottoni deposito impendebant, etiam postea maximum sustinuerunt dedecus, quia captum fuit Carrochium eorum à Cremonensibus. Item contigit

apud Papiam in Abbatia Sancti Auguſtini, quod pro nigris Monachis, qui Abbatem ſuum interfecerunt, poſiti ſunt per legatum Apoſtolicæ ſedis regulares Canonici. Itaque Abbas illius Eccleſiæ debet eſſe præpoſitus Canonicorum de Moncaria. Apud Ognies ſuper Sambriam Leodienſis dioceſis mortua eſt quædam ſancta mulier nomine Maria vigilia Sancti Joannis Baptiſtæ dominico die, hujus vitam *Magiſter Jacobus Vitriacenſis* luculento admodum ſermone deſcribit. ❧ In terra Albigenſium hoc anno facta ſunt hæc quæ ſequuntur, in quadrageſima præcedenti caſtrum de Cabara fuit captum, & redditus eſt vir nobilis Buchardus de Marli qui ibidem tenebatur captivus. ❧ Eradicatio Sancti Marcelli. ❧ Captum caſtrum Sancti Antonini. ❧ Seſſio ante pennas Agennenſes. ❧ De Rege Aragonum qui vicerat quincim bella Sarracenorum. ❧ Martinus Algai fuit ſuſpenſus, capta ſunt caſtra de Muſſa, de Rabaſtin & de Montagut juxta. ❧ Ex hiſtoria Regis: Eodem anno menſe Septembri commiſſum fuit mirabile bellum, quando Rex Arragoniæ, Comes Tholozanus, qui dicebatur Comes ſancti Ægidii, comes Fuxenſis & alii infiniti obſederunt Comitem Montisfortis in caſtro quod Murellum vocatur; ille autem cum non haberet niſi ducentos viginti minus *milites* & circiter quingentos *Satellites* equites & peregrinos pedites fere DCC inermes, Miſſa auditâ gratia Sancti Spiritus invocatâ data à ſeptem Epiſcopis qui aderant & ab univerſo clero excommunicationis ſententia in hoſtes, (ipſe enim Comes ſupplicavit Epiſcopis & Clero, ut eos prius perverterent gladio Domini) exierunt de caſtro & pugnaverunt cum eis, & ipſum Regem Arragonum non ſine dolore utriusque exercitus occiderunt & de exercitu illo octodecim millia percuſſerunt, & divinâ eos protegente gratiâ, de omni numero ſuo non perdiderunt die illo niſi octo tantum peregrinos, nec fuit à longè retro temporibus auditum bellum quod majori miraculo debeat aſcribi. Iſte Comes Simon propter virtutem admirabilem in partibus illis Comes fortis vocabatur, qui cum eſſet in bello ſtrenuiſſimus, omni tamen die Miſſam & omnes horas Canonicas audiebat ſemper ſub armis,

armis, semper in periculo spreta pro Dei servitio patria, sic se agebat militem in hâc peregrinationis viâ, ut demum se videat civem in patria Ecclesiæ triumphantis. ❧ De Petro Rege Arragonum dicitur quod non sine dolore utriusque exercitus occubuit, quia multa prælia egerat in fide Catholica, & quia Tholozanus duxerat [unam] ejus sororem, & filius ejus alteram, idcirco in illorum parte inventus est, quia qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, tamen factus fuerat Vasallus Domini Papæ, & habebat *privilegium* quod sine speciali mandato Domini Papæ à nullo poterat excommunicari, & idcirco Christianam sepulturam obtinuit, tertia verò soror illius dicta est Constantia *Regina Hungariæ & Imperatrix Alemanniæ*, & unus frater dictus est Sanctius, & alius dictus est Fernandus: De isto Sanctio qui neptem duxit Comitis de Fontecalcariæ natus est Raimundus Berengarius [natus est Johannes] Comes provinciæ, cujus filiam nomine Margaretham duxit Ludovicus Rex Francorum uxorem, uxor quoque ejusdem Regis dicta est Maria Guillelmi de Montepessulano filia, de quâ natus est Rex Iacobus Arragonensis qui est Montispessulani Dominus; Comes autem Montisfortis pro terra de Bediers jam fecerat hominium eidem Regi Arragonensis; In prædicto quoque certamine frater Tholozani Balduinus pro Catholicis optimè se probavit, post mortem Regis bene quindecim millia de Tholozanis fuerunt occisi, Comes Simon dedit Balduino quicquid acquisitum erat in diocesi Cadurcensi. ❧ Regina Hungariæ Gertrudis uxor Regis Andreæ per conspirationem principum & Baronum de Hungaria interficitur, tribus filiis & filiabus duabus superstitibus relictis. De morte autem hujus Reginæ quædam Archiepiscopi [Johannis] Strigonensis publicatæ sunt *litera ampbibologicæ duplicem habentes constructionem*, itaquod per unam illarum videbatur idem Archiepiscopus consentire neci Reginæ, & per alium contradicere, unde per istam summi Pontificis judicium dictus est evasisse, quis tenor literarum talis esse perhibetur, Reginam interficere nolite timere, bonum est, & si omnes consenserint, ego solus non contradico. ❧ Ex historia Regum: Rex vero Joannes Episcopos per

ſeptennium in Anglia ejecerat. Arturum nepotem ſuum occiderat, & parvulos plurimos centum octoginta quatuor ſuſpenderat, & flagitia innumera perpetraverat; Unde ſuper hiis omnibus ſibi metuens compoſuit cum Clero, miſſis nunciis ad ſummum pontificem qui Pandulfum Sub-Diaconum ſuum in Angliam miſit, ut pacem inter Clerum & Regem reformaret. ☙ Literæ ſummi Pontificis diriguntur ubique de concilio congregando Romæ ab inſtanti omnium ſanctorum feſtivitate in biennium : item aliæ literæ de Cruce ſignandis pro via Hieroſolymitana & ſubventione terræ ſanctæ; In hiis literis meminit Dominus Papa, quod omnes penè Sarracenorum provincias populi Chriſtiani antiquitus usque ad hæc tempora Beati Gregorii poſſederunt, ſed ex tunc quidam perditionis filius Mahumetus pſeudopropheta ſurrexit, qui per ſeculares illecebras ac voluptates carnales multos à veritate ſeduxit, cujus perfidia ſi usque ad hæc tempora invaluerit, confidimus in Domino, quia jam fecit nobis ſignum in bonum, quod finis hujus beſtiæ appropinquat, cujus numerus ſecundum apocalypſin Joannis infra ſexcentos & quadraginta [LX] annos clauditur, in [ex] quibus jam penè ſexcenti ſunt anni completi. Nota, Lector, quod iſte eſt annus *Alhigeræ* ſexcenteſimus ſeptimus quæ Alhigera computari incipit ab anno vigeſimo tertio ante mortem Mahumeti, quia per annos viginti & tres ſceleſtus iſte prædicavit, & ſibi adhærentes ſeduxit. Quid ſit Alhigira, quære in anno milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio; Certe priores injurias graves ac grandes Redemtori noſtro pro noſtris offenſis à perfidis Sarracenis illatas nuper in monte Thabor, ubi diſcipulis ſuæ glorificationis futuræ ſpeciem demonſtravit iidem perfidi Sarraceni quandam munitionis arcem in Chriſtiani nominis confuſionem erexerunt, per quam Civitatem Acon ſibi valdè vicinam de facili cogitant occupare. ☙ Miſſus eſt in Franciam Legatus Magiſter Robertus de Corſeto natione Anglus Presbyter Cardinalis tituli ſancti Stephani in Cælio monte. ☙ Moritur Dux Lotharingiæ Fredericus poſt feſtum ſancti Remigii, poſt quem factus eſt Dux Moſellanorum & Lotharingiæ

giæ Theobaldus natus de filia Comitis Barri, qui per uxorem ſuam Gertrudem filiam Comitis Alberti Daburgenſis fuit etiam Comes de Daborg. Iſte Dux Theobaldus formiſſimus fuit omnium hominum exiſtentium in illa provincia vel etiam in multis aliis. ❧ Hugo Leodienſis Epiſcopus de Duce Lovanii & de Brabantinis per Beatum Lambertum mirabiliter triumphavit loco, qui vocatur cuſtodia, ſive garda de Stopes [ſtepes] quæ eſt inter Hautam [Hutam] & Montigny Caſtellum. Ceciderunt in parte Ducis duo millia & ducenti, qui omnes mortui ſunt excommunicati, & bene quinque millia captivi. De Leodienſibus vero & de adjutoribus eorum decem circiter cecidiſſe dicuntur, factum eſt hoc bellum in vigilia Calixti Papæ, dominico die & fuit introitus ad Miſſam : Juſtus es Domine &c. De hoc bello quidam hunc verſum compoſuit:

Ac Brabantini cæduntur nocte Calixti.

❧ Occaſione hujus belli quidam Archidiaconus Leodienſis Magiſter Hernaldus [Hirnardus] quendam libellum *Chronicæ* de hiis tantum quæ ſuo tempore contigerant dicitur edidiſſe, ubi ea quæ facta ſunt ibidem diligentius exequitur.

Anno MCCXIV Comes Petrus Antiſſiodorenſis per uxorem ſuam quæ dicitur Hyolenus factus eſt Comes *Namurcenſis*; fuit enim ſoror Comitis Philippi Namurcenſis nuper defuncti & Imperatorum Conſtantinopolitanorum, matertera videlicet Domini Ludovici Francorum Regis. ❧ Patriarcha Hieroſolymitanus poſt Simonem & Albertum dicebatur Galterus, qui hoc anno à quodam peſſimo Chriſtiano cultello occiſus eſt. Cui ſucceſſor factus eſt Magiſter Radulphus qui erat in Sarepta Sidoniorum Epiſcopus: Comes Barri Theobaldus moritur, & juxta Patrem ſuum Comitem Rainaldum in Abbatia ſancti Michaelis ſepelitur: Hujus autem mater fuit Agnes nobilis Comitiſſa, quæ in *Abbatia trium fontium* eſt ſepulta; dictus autem Comes Theobaldus primam habuit uxorem Lorettam filiam comitis Ludovici, ſororem Comitis Gerardi *Locenſis* dioceſis Leodienſis, de qua genuit Agnetem *Lotharingiæ Duciſſam*; ſecundam vero duxit poſt mortem primæ

Isabellam nomine, relictam Domini Anselmi de *Triangulo* sororem Comitis de *Barro super Sequanam* & Episcopi Manassæ Lingonensis, de qua natus est Comes iste *Barrensis* Henricus, multis probitatibus famosus. De tertia ejus uxore Ermensende filia Henrici Comitis Namurcensis filiam Isabellam nomine genuit, quam junior Walranus longus habuit, & ei peperit postmodum Walleranum de *Poilevache*. Ista Ermensendis nupsit postea Seniori Wallerano filio Henrici, cui plures peperit filios, una ejus filia Catharina est *Lotharingiæ Ducissa*. In quadragesima Joannes sine terra transfretavit in Aquitaniam & reconciliatus est Comiti Augi & Comiti Marchiæ, & Gaufrido de Lizinia qui prius favebant Regi, & venit in Andegaviam, & occupavit bellum forte, Ulconem, Ancenisium [Andenisium] & ipsam civitatem Andegavorum, & ceperunt sui juxta Nannetem Robertum fratrem Petri Ducis Britanniæ primogenitum, & alios quatuordecim milites Francigenas, Ludovicus filius Regis morabatur Kinone ad tuendas partes illas, & erat in ejus auxilium prædictus Dux Petrus de Britannia, cui Rex dederat filiam Guidonis de Thoarejo sororem juvenis Arturi ex matre, & per illam acceperat totum *Ducatum Britanniæ*. Elienordis verò soror Arturi, primogenita Gaufridi Ducis filia, jam per annos octodecim tenebatur à patruo suo Rege Joanne incarcerata in Anglia & ejus jussu tandem dicitur esse interfecta. ☞ Eodem anno Gaufridus Sylvanectensis Episcopus propter debilitatem corporis & ætatem renunciavit Episcopatui, & factus est Monachus, cui succesit *frater Garinus*, qui cum esset frater professus hospitalis Hierosolymitani *Regis Philippi* [specialis] *Consiliarius* effectus in aula regia propter prudentiam & incomparabilem consilii virtutem, & alias dotes animi multiformes, quia [quasi] secundus à Rege negotia regni tractabat: Eo tempore Gaufridus vir sanctissimus, Meldensis Episcopus, Episcopatui similiter renunciavit, & se Deo mancipavit. Cui succedit Guillelmus Cantor Parisiensis. Et sic fuerunt tres fratres tres fratres uterini simul Episcopi & sibi contemporanei, Petrus Parisiensis, Guillelmus Meldensis, & Stephanus Nouconensis, filii Galtheri Francorum quon-

dam

dam Camerarii, fratres Galtheri junioris & aliorum trium militum, viri satis virtute laudabiles, & in palatio Regis præclari. ➽ Rex Joannes sine terra civitatem Andegavensem usque ad Meduanam fluvium cœpit circumvallare, & obsedit castrum quod rupes Monachi vocatur à Guillelmo de Rupibus [nuper] ædificatum. Paganus de Rupeforti qui erat in parte ejus ab illis de castro lethaliter vulneratus occubuit, Ludovicus verò movit à Castro Kinonis quod à Kaio dapifero magni Arturi nomen accepit, & ivit succursum ferre obsessis. Rex Angliæ adventum ejus non sustinens dimissis omnibus petrariis, Mangonellis, papilionibus, & aliis belli utensilibus & prædæ expositis per vada Ligeris, navigio, & quibus modis potuit, fugiens, parte suorum non modica submersa, & dum fugeret interfecta, equitavit die illo viginti quatuor milliaria, nec postea ausus est accedere ad locum quo audiret dictum Ludovicum esse vel venturum esse, Ludovicus itaque castrum de bello forti evertit & castrum de Moncontor in terra Vice-Comitis Thoarcii solo adæquavit, civitatem Andegavorum recuperavit & muros ejus destruxit. ➽ Hic obiit Marescallus Henricus Francorum, laudabilis in militia etiam timens Deum, qui erat in parte Ludovici, filius fuit Roberti Clementis [filius fuit Clementis] fratris Gilonis de Tornella, soror autem hujus Henrici peperit magnum Galterum Cornutum, qui fuit Archiepiscopus postmodum Senonensis; prædictam Ludovici victoriam in spatio unius mensis secutus est celeberrimus Regis triumphus in Flandria, de quo prosequendum est diffusius. Otto itaque qui dictus est Imperator illectus pecunia erat in terra Fernandi apud Castrum de Valentinis. [Valencinis] Comes Boloniæ Renaldus, Comes Salesberiæ longa spata Guillelmus, [& ipse] Ferdinandus, Dux de Lemburch Henricus [&] Dux Henricus Brabantiæ, cujus filiam duxerat in uxorem Otto prædictus. Erant cum eis multi alii Comites de Alemannia & Proceres: In crastino Beatæ Mariæ Magdalenæ Rex de Perona movit, Flandriam intravit, & venit Torna cum, ubi præmiserat fratrem Garinum Sylvanectensem electum, & Comitem Sancti Pauli Galterum. Otto autem venit ad castrum de Moretona, quod

quod tres leucas à Tornaco distat, quo auditu Rex magnanimus Sabbatho post festum sancti Jacobi proposuit illos invadere, sed Barones ejus propositum mutaverunt, ita quòd die crastina sexto Calendas Augusti movit Rex & venit ad castrum de Insula & Otto movit ipso die de Moretonia, & Rex nesciebat quod venirent post ipsum, sed Vice-Comes Melduni & frater Garinus electus divertens versus partes illas venerunt in locum eminentem & prospexerunt acies hostium properantes ad pugnam. Conversus est itaque frater Garinus & venit ad Regem, & dixit pugnandum esse de necessitate, hostes tamen fingebant quod vellent proficisci Tornacum. Venit itaque exercitus regius ad pontem Bovinum nomine, inter locum qui sanguineus dicitur & Cisonium, jam major pars exercitus pontem transierat, sed Rex sub umbra fraxini juxta Ecclesiam Beati Petri modicè quieti vacabat, & ecce nuncii qui dicebant hostes advenire, Rex intravit Ecclesiam & breviter oravit ad Dominum, & exiens armis induitur, & equum insiliit lætus & hilaris ac si ad nuptias vocaretur. Clamatum est ad arma, ad arma, revertuntur qui pontem transierant & vexillum Beati Dionysii revocatur, Rex cursu rapido in prima fronte belli se posuit, quem videntes hostes nimio horrore sunt perculsi, & diverterunt ad dextram ex improviso ad partem Septentrionis, non præcaventes quod solem ferventem ante oculos haberent, & exercitus Regius per providentiam ut dicitur [& consilium] quorundam seniorum militum fuit à parte australi, solem habens in humeris, Rex itaque erat in medio exercitus extensi in prima fronte, cujus lateri adhærebant Guillelmus de Barris flos militum, Bartholomæus de Roia vir provectæ ætatis & sapiens, Galtherus juvenis vir prudens & maturi ingenii & consilii, Petrus Malusvicinus Roberti filius, Gerardus Stropha, Stephanus de longo Campo, Guillelmus de Mortuo mari, Johannes de Roboreto, Guillelmus de Garlande & Henricus Comes Barri, vir juvenis ætate, animo senex, virtute & forma venustus patri suo Regis consobrino nuper defuncto successerat in honore & onere Comitatus, & cum istis plures alii viri virtute spectabiles & in armis exercitati,

citati,in parte oppoſita eratOttoImperator in medio agminis confertiſſimi,qui ſibi pro vexillo erexerat aquilam deauratam ſuper Draconem pendentem in pertica longa erecta in quadriga. ☞ Brevis ſermo ad milites: In Deo,inquit,tota ſpes & fiducia poſita eſt;Rex Otto & exercitus ſuus excommunicatus eſt à Domino Papa,quia ſunt inimici & deſtructores rerum ſanctæ Eccleſiæ, & pecunia qua eis ſtipendia miniſtrantur de rapinis & lachrymis pauperum &Eccleſiarum &Clericorū acquiſita eſt: Nos autemChriſtiani ſumus & communione & paceSanctæ Eccleſiæ fruimur,& quamvis peccatores ſimus,tamen EccleſiæDei conſentimus & Cleri pro poſſe noſtro defendimus libertates, unde præſumere debemus fiducialiter de Dei miſericordia,qui nobis licet peccatoribus dabit de noſtris & ſuis hoſtibus triumphare.His dictis petierunt milites àRege benedictionem,ipſe autem manu elevata oravit eis benedictionem à Deo & ſtatim tubæ inſonuerunt, & inſultum viriliter fecerunt Capellani retro Regem cantabant; Benedictus Dominus Deus qui docet manuas meas &c. Exurgat Deus & diſſipentur &c. Domine in virtute tua lætabitur Rex &c. primus tamen impetus pugnæ non fuit ibi ſed contra Fernandum,ubi erat frater Garinus Sylvanectenſis electus, qui quidem non pugnabat, ſed alios animabat, & cum eo nobiliſſimus Odo Dux Burgundiæ & Comes Sancti Pauli Galterus, qui dixit fratri Garino: Frater Garine, quidam dixerunt me proditorem Regis eſſe, ſed hodie bonus ero proditor, & cum iſtis erat Matthæus de Montmorency miles probiſſimus, Comes Bellimontis Johannes, & milites Campaniæ centum octog[illegible] numero; probioribus ergò & ferventioribus in prima acie poſitis dixit eis frater Garinus, campus amplus eſt, extendite vos per campum directè ne hoſtes vos intercludant,non decet,ut unus miles ſcutum ſibi de alio milite faciat, ſed ſic ſtetis ut omnes quaſi una fronte pugnare poſſitis; His dictis præmiſit de conſilio Comitis Sancti Pauli ante milites ſatellites probiſſimos de valle Sueſſionis, ſuper quo valdè indigniti ſunt Flandrenſes, & declinaverunt ab eis contra milites Campanienſes, ſed ſuperveniente quodam probo armigero Petro de Remy & ejus ſociis, capti fuerunt de parte adverſa, Galterus de

Guiſtella & quidam alii, qui erant cum Balduino Buridando viro admirandæ fortitudinis, & Euſtachius de Maquelinis, qui eis adhærebat & clamabat: ad mortem Francorum, ad mortem Francorum primus fuit occiſus, crevit itaque virtus & audacia Francorum & Comes ſancti Pauli mira velocitate adverſarios perforavit à dextris & à ſiniſtris feriens equos & homines & proſternens nullum capiens, quem ſequitur Comes Bellimontis & Matthæus cum ſuis & ipſe Dux Burgundiæ cum Campanienſibus, Dux qui erat valde carnoſus & flegmaticæ complexionis proſternitur in terram equo ſuo ab hoſtibus occiſo, denſantur circa eum Cunei Burgundionum & alius equus adducitur. Dux ſuorum manibus elevatus equo ſiſtitur, gladium vibrat, dicit ſe velle ulciſci lapſum ſuum, & invadens hoſtes cum iracundia non diſcernit cui obviet, ſed in omnibus ſibi obviantibus caſum ſuum punctim cæſim ulciſcitur, non aliter quam ſi equum ipſius eorum quilibet occidiſſet, ibi erat Vice-comes Melduni qui mirabiliter præliabatur, & eodem modo quo Comes Sancti Pauli perforabat hoſtes. Comes Sancti Pauli unum militem de maximo liberans periculo, duodecim lanceis uno momento impellebatur ab hoſtibus, & tamen non potuit de equo ſuo divelli; cum itaque ſpatio trium horarum duraſſet ibi pugna, captus eſt Fernandus multis confoſſus vulneribus, qui Hugoni de Maroil & Joanni fratri ejus ſpecialiter ſe reddidit, & ita completa fuit iſta prima victoria. Interea regiones Communiarum Corbejæ Ambianenſis Belluaci, Compendii Attrebati cum *vexillo Beati Dionyſii* ad *regale ſignum* accurrunt, videlicet vexillum floribus lilii diſtinctum, quod ferebat die illo Galo de Montigniaco miles fortiſſimus, ſed non dives. Communiæ ergo penetraverunt Cuneos militum & ſe poſuerunt ante Regem, ſed milites Ottonis audaciſſimi eos repulerunt, milites Regis ſe oppoſuerunt militibus Ottonis, ſolum Regem furore Teutonico quærentibus, quibus, ſcilicet militibus Regis præcedentibus & procedentibus pedites Teutonici ferreis uncinis & gracilibus lanceis Regem de equo in terram detraxerunt, & eum penitus occidiſſent, niſi dextero & incomparabili protegeretur armatura. Galo prædictus

vexil-

vexillo ſuperius inclinato auxilium revocabat, quidam armiger Petrus Triſtandus de Sueſſione ſponte ab equo deſcendens ſe pro Rege ictibus opponebat, Rex citius à terra ſurgens inopinata levitate equum aſcendit, ante oculos ipſius Regis occiditur Stephanus de Longo campo miles probus *cultello in capite percuſſus longo, gracili, tria lemello quem falſarium nominant*, ſed per Dei adjutorium prævaluerunt gladii Francorum, qui repellentes aciem Ottonis pervenerunt usque ad ipſum. Petrus Malus vicinus plus armis quam prudentia probus ipſum Ottonem per frænum apprehendit, & Gerardus Stropha cultellum dedit in pectus ejus, ſed lædere non valuit, in ſecundo ictu deſcendit cultellus mira fortitudine in cerebro equi Ottonis, qui vulneratus in partem qua venerat ſe gyravit, & ita Imperator oſtendit militibus noſtris dorſum, & à campo receſſit aquila cum carro dimiſſa & prædæ expoſita. Quo viſo Rex ait ſuis, hodie amplius non videbitis faciem ipſius. Cum igitur paululum proceſſiſſet, labitur equus & ſtatim adducitur alius equus recens, in quem cum aſcendiſſet, fugæ velociter ſe mandavit; Non enim poterat noſtrorum militum ſuſtinere virtutem: Nam & Guillelmus de Barris qui plus quam alii proceſſerat bis ipſum per collum tenuerat, Galterus enim junior, Gillelmus de Garlanda & Bartholomæus de Roia non judicabant bonum eſſe Regem ſolum dimittere; Dictus verò Guillelmus de Barris amiſſo equo [factus pedes] captus aut interfectus fuiſſet, niſi Thomas de Sancto Wallerico ſuperveniſſet qui habebat quinquaginta equites & duo millia peditum. Capti fuerunt de ſociis Ottonis, Bernardus de Tenquenbute [Tinquenebute] qui dicebatur *Comes birſutus*. Hujus Comitis frater fuit Adolphus Epiſcopus Oſenburgenſis, Comes Conrardus de Tremognia & Gerardus de Randerode, carrus diſcerpitur, Draco frangitur aquila alis avulſis & confractis ad Regem Philippum defertur, Comes Boloniæ ab ipſo pugnæ initio nunquam pugnare ceſſavit, nec poterat à quoqvam ſuperari. Iſte Comes Boloniæ arte qvadam mirabili uſus erat; fecerat enim ſibi vallum quoddam de ſatellitibus armatis & confertiſſimis duplici ſerie ad modum rotæ ad inſtar caſtri obſeſſi, ubi pate-

bat aditus quidam,quaſi porta quo recipiebatur quoties vel ſpiritũ volebat reſumere,vel ab hoſtibus urgebatur acrius, & ſic faciebat ſæpiſſime qui omnibus aliis omiſſis ad Regem in ipſo pugnæ initio pervenit, ſed cum timore quodam reveritus ab ipſo declinavit, & congreſſus eſt RobertoComitiBrocarum[ſedet]PetrusComes Autiſſiodori cognatus Regis viriliter pugnabat proRege,licet proch dolor!Philippus filius ejus ſtaret ab oppoſito;Dux intereaBrabantiæ &Dux deLemburg &Dux de Bovis per centenarios & quinquagenarios fugiebant, Comes Boloniæ cum ſex quibusdam militibus ſuis aſſiduè pugnans campum nolebat dimittere,Petrus deTurnella gladium infixit in ventrem eqvi illius elevatâ equi tectura, quod videns unus de militibus illius Bolonienſis, invitum à conflictu conabatur retrahere,Cono & Johannes frater ejus de Condejo eundem militem proſternunt, & continuo labitur equus Comitis ita quod habuit collum ſuum ſuper femur dextrum Comitis ipſius, Hugo & Galterus de fontibus, & Johannes de Roboreto inter ſe contendebant,cui aſcriberetur captioComitis.Johannes de Nigella ſupervenit cum ſuis militibus, miles procerus quidem corpore & formæ venuſtiſſimæ, ſed virtus animi venuſtati corporis non reſpondebat,& volebat laudis aliquid mendicare, ſi detinuiſſet Comitem, ſed ſupervenit frater Garinus cui Comes ſe reddidit,rogans ut ſolum vitæ ipſius faceret miſereri. Captus fuit cum eo Arnulphus Daudenarde qui in ejus auxilium properabat, cum adhuc ſtarent in campi medio pedites Brabantiones ſeptingenti, miſit Rex Thomam de ſancto Valerico cum ſuis qui multos ex eis interfecit, & reliquos fugere compulit; captis itaque quinque militibus,Fernando,Renaldo, & Guillelmo Longa ſpata, & duobus Teutonicis, & viginti quinque nobilibus, quorum quilibet vexillum ferre ſolebat, ipſe Rex in ſero, tanquam mitis & miſericors,vitam omnibus condonavit, quamvis illi de regno rei eſſent læſæ Majeſtatis, eis itaque in catenatis & quadrigis inter verſus Pariſios direxit, & ecce cum adhuc eſſet apud Bapalmas, nunciatum eſt Regi, quod Comes Renaldus Bolonienſis miſerat poſt Ottonem ſuggerens ut Gandavum accederet & vires recolligeret, & auxilio Gandavorum & aliorum

rum Flandrenſium bellum renovaret, Unde Rex iratus ad eundem Renaldum acceſſit, & ei improperavit, quod cum eſſet dudum homo ſuus legius fecerat eum novum militem, cum eſſet pauper, fecerat eum divitem; ipſe verò pro bonis mala retribuens unà cum Comite Albrico patre ſuo ad Henricum quondam Regem Angliæ in Regis & Regni perniciem ſe tranſtulerat, poſtquam reſipiſcens in magnam ipſius amicitiam eſt receptus, & præter Comitatum Domni Martini, qui Alberico patre ejus in partibus Neuſtriæ in ſervitio Regis Angliæ defuncto, ad eum fuerat jure hæreditario devolutus, addiderat ei cum uxore totum Comitatum Bolonienſem. Ipſe verò poſtmodum culpam culpæ adjiciens ad Regem Angliæ Richardum tranſivit, & quamdiu idem Richardus vixit ei contra ipſum adhæſit. Defuncto verò Richardo Rege ipſum in ſuam iterum recipiens amicitiam, cum duobus Comitatibus prædictis addiderat ei tres Comitatus, Moretonii, Albemarlæ, & Varennarum. His omnibus beneficiis oblivioni traditis ſine cauſa commovit contra ipſum univerſam Angliam, Teutoniam, Flandriam, Hainoniam, Brabantiam, Hollandiam, naves etiam apud Damportum anno præterito cum aliis diripuerat poſt pugnam poſt vitam ei miſericorditer condonatam, miſſis nuntiis Ottonem & alios qui bello evaſerant ad bellum iterum incitare volebat. Hæc omnia, inquit, mihi feciſti, vitam tamen tibi non adimam, quia ori meo oſculum pacis & homagii feciſti, ſed dum hæc omnia luas, ergaſtulum non evades, & cum hæc dixiſſet Rex, fecit eum Peronam adduci & ibi eum in turrim munitiſſimam includi, & cautiſſimè cuſtodiri, ligatum compedibus mira ſubtilitate perplexis & ferè indiſſolubilibus conjunctis invicem catena tantæ brevitatis, quod vix paſſum efficeret ſemiplenum, ejusdem catenæ medio inſerta erat & alia catena longitudinis decem pedum infixa caput alterum cuidam trunco mobili, quod duo homines vix movere poterant, quoties Comes iturus erat ad ſecreta naturæ. Fernandum vero Pariſios devectum, in turri nova extra mures incluſum arctiſſimæ cuſtodiæ mancipavit. Comes Salesberienſis ipſo die pugnæ tradi-

tus àRegeComiti RobertoDrocarum,ut per illum rehabere poſſetRobertum filium à Rege Angliæ captivatum, ſed rex Angliæ naturæ contrarius carnem ſuam ſemper odio habuit,& extraneum pro fratre ſuo commutare noluit,cui benè congruit quod Merlinus ait. Procedet, inquit,ex eo videlicet ex patre ejus,qvemLeoni comparavit,linx penetrans omnia,quæ ruinæ propriæ gentis imminebit. Per illam namque utramque Inſulam amittet, Neuſtriam & propria [priſtina] dignitate ſpoliabitur, ſed o! quam juſta & quam recta, quam incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, qui quod mali ad exterminium bonorum diſponunt temerè,ſemper vertit in contrarium ad vindictam malorum,laudem verò bonorum, revera niſi victoriam illam Dei clementia providiſſet, maxima in Sancta Eccleſia plaga facta fuiſſet. Ecce non ſolum iſti in hoc bello confecti conſpiraverant contra Regem, ſed & Comes Henricus Nivernenſis & omnes proceres trans Ligerim, & Cænomaniæ & Andegaviæ excepto ſoloGuillelmo de Rupibus & paucis aliis jam Regi Angliæ ſuum ſpoponderant favorem, occultè tamen propter metum Regis ſua vota tegentes, quousque certi eſſent, quis eſſet pugnæ exitus futurus,omnes iſti cum ſupradictis jam quaſi de victoria præſumentes regnum inter ſe diviſerant univerſum. ☞ Albricus: Dux autem Brabantiæ Henricus cum vidiſſet partem,cui favebat, deteriorem,in ſe reverſus fertur miſiſſeRegiFrancorum literas excuſatorias & ſuper victoria iſta congratulatorias, maximè quia gener erat Regis, & filiam ejus nuper duxerat in uxorem: Cum tympanis autem & choris & gaudio maximo civitatem Pariſienſem campanis per Eccleſias pulſantibus Comes Fernandus intravit ſecundum prophetiam cujusdam amitæ ſuæ,quæ dum ſortes jeciſſet,certificata fuerat ab Angelis Sathanæ in hæc verba,ut vulgatum eſt: pugnabitur,& in pugna Rex proſternetur in terram,& equorum pedibus conculcabitur, & carebit ſepultura,Fernandus poſt victoriam cum maxima pompa àPariſianis recipietur. Hæc omnia evenerunt adFernandi confuſionem & ad Regis honorem. Amphibologicè namque loqui Dæmones ſolent juxta illud:

Cræſus perdet Alim transgreſſus maxima regna.

Unde Juvenalis:

Am-

Ambiguo deceptus Apolline Cræſus.

Accidit etiam caſu mirabili, quod equi lecticam Fernandi trahentes eſſent coloris ferrandini & Fernandus ab omni populo vocatur ferrandus, unde dicebatur à ſingulis, non bene ferratus eſt fernandus, & bene umculatus. Scholares verò Pariſienſes choros, cantus & tripudia atque convivia per dies ſeptem agere non ceſſabant; poſtea Rex ivit contra Joannem ſine terra Regem Angliæ qui adhuc erat in Pictavia & venit Laudunum Pictaviæ oppidum, ubi venerunt ad eum nuntii Vice-Comitis Thoarcenſis, & ita mediante Duce Britanniæ ipſum Vicecomitem Rex in amicitia recepit, & ipſe Rex Johannes miſſo Renulpho Comite Ceſtriæ, & Legato Magiſtro Roberto de Corceto quinquennes inducias obtinuit, licet Rex Philippus duo millia militum ſecum haberet, & ipſum in brevi opprimere poſſet, Comiti Hervejo Nivernenſi mandavit Rex & aliis de quibus tetigimus, ut de cætero magis fideles exiſterent quam huc usque fuiſſent, poſtea filia dicti Comitis Nivernenſis deſponſata eſt Philippo primogenito Domini Ludovici, & ita fuerunt amici. Eodem vero Philippo mortuo dictam puellam habuit Guido primogenitus Galteri de Sancto Paulo. ➽ Eodem tempore *Magiſter Oliverus Colonienſis Scholaſticus* Crucem prædicavit in partibus Brabantiæ, ubi dæmon qui vocabatur Cahoth [cohoth] puellam quandam virginem & religioſam vexabat, ad quam multi vicini & Patriotæ venientes ſciscitabantur ab ipſo de rebus ſuis certis & incertis, qvibus diabolus facta occulta palam omnibus denuntiabat, illis exceptis de quibus facta eſt confeſſio. ➽ In terra Albigenſium hoc anno contigit, quod Archiepiſcopus Arnaldus Narbonenſis & Comes Montis fortis Simon pro quodam principatu diſſenſerunt, itaque Archiepiſcopus dictum Comitem quem huc usque manutenuerat de toto deſeruit, & cum ſuis Narbonenſibus Raimundum Tholozanum revocavit, qui Tholozanus reverſus de Anglia Balduinum *fratrem ſuum* captū martirizavit & ipſum apud Montem Albani in patibulo ſuſpendit; venit de Francia Guillelmus ſenior de Barris cum ducentis peregrinis; pugnatum eſt contra Narbonenſes, vicerunt Catholici.

Anno MCCXV Obiit in Scotia Rex Guillelmus vir ſanctus, & re-

Digitized by Google

regnavit Alexander filius ejus. ❧ In partibus *Livoniæ* martyrizatus eſt Dominus Theodoricus primus [Epiſcopus Eſtoniæ, cui ſucceſſerunt duo Magiſtri Hermannus primus Epiſcopus] Ogoniæ & Godefridus prior de Porta Epiſcopus circa maritima, & Oſiliæ Inſulæ, poſtea additi ſunt alii duo Weſcelo Epiſcopus Rivaliæ, & Epiſcopus de Dacia [& unus de Dacia] Oſtradus Epiſcopus Weroniæ [Wironiæ]. ❧ In terra Albigenſium quidam Cardinalis Magiſter Petrus de Benevento cepit treugas inter diſſidentes, & habuit colloquium ſuum apud montem piſtorium; & cum mandaſſet Dominum Ludovicum de Francia, reddidit ei totam terram illam. ❧ Ex hiſtoria Regis: Philippi Regis filius Cruce ſignatus arripuit iter eundi contra Albigenſes, cui venit obviam Simon ille nobilis Comes Montis fortis apud Montem Peſſulanum, & recepta à Peſſulanitis purgatione canonica & cautione de fide Catholica de cætero firmiter obſervanda duxerunt exercitum usque Tholozam, & eam obſederunt. Tholozanis autem pro pace ſupplicantibus turrellis & propugnaculis ad voluntatem Ludovici & Simonis Comitis ex condicto dirutis, obſidio eſt ſoluta ſub hoc pacto, quod omnibus hæreticis converti nolentibus de civitate ejectis Catholicæ Eccleſiæ de cætero & mandatis Apoſtolicis obedirent. ❧ Eodem anno in paſcha Cives Colonienſes pacti ſunt pecuniam Ottoni jam reprobato ut recederet ab eis, & abſolverunt [eum] ab omni debito quod eis debebat, & dederunt ei inſuper ſexcentas marchas argenti, & ipſe poſt Paſcha clam receſſit, & poſt ejus receſſum uxor ejus filia Ducis Brabantiæ ſub ſpecie viri peregrini ſimiliter recesſit à Colonia & ſecuta eſt virum ſuum. Interea Fredericus Rex obſedit caſtrum munitiſſimum nomine Waldam [Werdam] in quo propter loci munitionem Otto poſuerat Priſones ſuos, videlicet duodecim obſides quos habebat à Civibus Aquisgran', & Epiſcopum Monaſterienſem quem ante annos duos ceperat in quadam Eccleſia, & duos Comites & multos alios, quos omnes Rex Fredericus oppugnato per ſeptem hebdomadas oppido & demum capto liberavit, & liberatos ad propria remiſit. Inde obſedit Eſtrivellam & cepit, & Aquisgrani accedens honorifice receptus eſt, & diademate totius Teutoniæ in feſto Mariæ Magdalenæ coronatus.

Con-

Digitized by Google

Consumtis ibi aliquot diebus cum gaudio tantæ solemnitati debito equitavit * & imposuit sibi ibidem iterum coronam propter loci & civium amorem & reverentiam. ❧ A tempore quo Franci vel Teutonici obtinuerunt dynastiam Imperii, hæc semper apud eos consuetudo quasi lex inviolabiliter observatur, quod Imperator electus nunquam coronatur vel consecratur à Papa Romanorum, prius Rex fuerit coronatus Aquisgrani, & postquam semel ibi tulerit coronam, nihil restat, nisi ut in Imperatorem Romanum à summo Pontifice coronetur & consecretur, & hoc fit propter reverentiam & majestatem Caroli magni, cujus corpus requiescit ibidem. Eodem vero die sive sequenti, quo Rex Fridericus coronatus fuit ibidem, statim cum multis nobilibus Crucem assumsit terræ Hierosolymitanæ succursurus. ❧ Interea Magister Robertus de Corcejo Apostolicæ sedis legatus & multi cum eo & sub eo adhuc prædicabant publicè per universum Regnum Galliæ, & multos cruce signabant indifferenter parvulos senes, mulieres, claudos, cœcos, surdos, leprosos, propter quod multi divites & potentes crucem tollere exhorrebant, quia hujusmodi confusio præsumebatur potius impedire negotium crucis, quam [posse] succurrere terræ sanctæ. ❧ Castrum quod dicebatur Rista in dioceſi Metensi, ipsi civitati injuriosum satis & damnosum Comes Barri Henricus in Ascensione Domini potenter cepit & subvertit. In terra verò Campaniæ guerra incipit, siquidem vir nobilis Erardus de *Brena* cum una filia Comitis *Campaniæ* Henrici apud Acram defuncti, quum de partibus transmarinis adduxit & in uxorem duxit, volens per illum effici Comes Campanienſis guerram movit, & in hoc plures habuit de parentela sua complices & maximos adjutores. ❧ Pater Regis Johannis Hierosolymitani Comes Erardus fratrem habuit Andream de *Venesio* titulis militiæ famosissimum, de quo natus fuit Erardus iste qui talia præsumsit, Simon vero de *Jovevilla* cum esset de illa parentela, castrum suum ad manendum & muniendum eidem Erardo exposuit. ❧ Mense Novembri hujus anni celebrata est sancta & universalis Synodus Romæ in Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, præsidente Domino Innocentio hujus nominis tertio Papa,

Pontificatus ejus anno decimo octavo, in qua Synodo fuerunt Epiſcopi duodecim ſupra quadringentos, inter quos extiterunt de prædictis Patriarchis duo, videlicet Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus. Antiochenus autem gravi dolore [languore] detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe vicarium Ancheradenſem Epiſcopum. Alexandrinus verò ſub Sarracenorum dominio conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum Germanum, primates & Metropolitani fuerunt ſeptuaginta & unus. Cæterum Abbates & Priores cujuslibet ordinis affuerunt ultra nongentos, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Abbatum, Priorum, Capitulorum adſtantium [abſentium] non fuit certus numerus comprehenſus, Legatorum verò Regis Siciliæ Frederici in Romanorũ Imperatorem electi, Imperatoris Henrici Conſtantinopolitani, Regis Francorum Philippi, Regis Angliæ Johannis, Regis Cypri Hugonis, Regis Arragonenſis Jacobi, nec non & aliorum Principum & Magnatum, Civitatum & locorum aliorum ingens fuit multitudo. ☞ Hæc ſunt Capitula hujus Concilii numero ſeptuaginta, breviter annotata: *Primum* de fide Catholica & de eſſentia ſanctæ & individuæ Trinitatis. *Secundum* de Hæreticis, ubi damnatur quidam libellus de Trinitate *Abbatis Joachim* & perverſiſſimum dogma impii *Almarici*, cujus mentem ſic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit quam inſana. Tertium de expoſitione terræ hæreticorum Catholicis, & ne qvis prædicet niſi miſſus, condemnatus univerſos hæreticos conſentientes vero, Receptores, defenſores & fautores eorundem ita excommunicationi ſubjaceant, quod qui ſatisfacere contemſerit infra annum, ex tunc ipſo jure ſit factus infamis, & non poſſit promoveri, nec ad teſtimonium admitti, nec teſtamentum facere, nec hæreditare: nullus reſpondere ei teneatur in cauſis, ſed ipſe aliis. ſi judex extiterit, ſi advocatus, ſi *Tabellio* qvicqvid fecerit firmitate carebit, ſi Clericus, ab omni officio & beneficio deponatur. Similiter quilibet regularis; qui autem prohibiti vel non miſſi publice vel privatim prædicationis officiũ uſurpare præſumſerit, excommunicationis vinculo innodetur. Quartum de ſuperbia Græcorum contra Latinos, quos in tantum cœperant abominari, quod inter alia quæ in de-

roga-

rogatione eorum impiè committebant, ſi quando Sacerdotes Romani[Latini] ſuper eorum celebraſſent altaria,ea poſt tanquam inquinata lavabant, & baptizatos à Latinis rebaptizabant, hujusmodi ab omni officio & beneficio Eccleſiaſtico deponitur. Quintum de dignitate patriarcharum Eccleſiarum, poſt Romanam Eccleſiam Conſtantinopolitana primum locum obtinent,Alexandria ſecundum,Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum. Sextum de provinciali Concilio Metropolitani ſingulis annis cum ſuis ſuffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare. Septimum de correctione exceſſuum. Octavum de inquiſitoribus. Nonum de diverſis ritibus in eadem fide & dioceſi. Decimum de inſtitutione prædicatorum ab Epiſcopis.Undecimum de Magiſtris Scholarium non ſolum in qualibet Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in aliis quarum ſufficere poterunt facultates. Metropolitana verò Eccleſia Theologum nihilominus habeat. Duodecimum de Capitulis Monachorum & Regularium Canonicorum de triennio in triennium celebrandis in ſingulis regnis ſive provinciis ſalvo jure dioceſanorum Pontificum.Decimum tertium, de novis Religionibus prohibitis, ne nimia religionum diverſitas gravem in eccleſia Dei confuſionem inducat,firmiter prohibemus,ne quis de cætero novam religionem adinveniat, ſed quicunque voluerit, ad religionem converti unam de probatis aſſumat. Similiter qui voluerit religioſam domum de novo fundare, regulam & inſtitutionem de religionibus approbatis accipiat. Decimum quartum de punienda incontinentia Clericorum. Decimum quintum de arcenda ebrietate. Decimum ſextum de indumentis Clericorum. Decimum ſeptimum de commeſſationibus Epiſcoporum & negligentia ipſorum ſuper divinis officiis. Sequuntur & alia Capitula usque ad duo & quinquaginta [usque ad ſeptuaginta]

➤ Ex hiſtoria Regis. In eodem Concilio Papa Comitem Sancti Ægidii qui vocabatur Tholozanus & ejus filium de hæreſi damnatos videbatur velle reſtituere ad terras ſuas, quas eis Catholici una cum nobili Simone Comite Montisfortis abſtulerant per Dei adjutorium ac de mandato Romanæ Eccleſiæ, & de ejus licen-

tia poſſidebant, quod ne fieret, univerſum ferè Concilium reclamabat; excommunicavit autem Papa in eodem Concilio *multis contradicentibus* Barones Angliæ & complices eorum, unde repetere oportet à principio ea quæ facta fuerant in Anglia hoc anno. Joannes Rex Angliæ cruce ſignatus eſt, & ſtatim bellum inteſtinum oritur in Anglia, & omnes Proceres, & ferè univerſi populi inſurgunt in Regem propter quasdam conſuetudines ſerviles, & exactiones & angarias intolerabiles quibus affligebantur Anglici, ſed Rege tantam ſeditionem non valente ſufferre, *ſatisfactum eſt proceribus & populis ut volebant*. Seditione illa ſedata Joannes Rex miſit Archiepiſcopum Dublinenſem & alios ſolennes nuntios in Franciam ad Philippum Regem humiliter petens, ut aliquam partem terræ ſuæ, quam bello acquiſierat, ei pro certa pecuniæ quantitate reddere dignaretur, quibus idem Rex magnanimus breviter & regiè [regaliter] reſpondit, mirabile & inauditum eſſe, ut cruce ſignatus vellet terram emere, qui potius diſtrahere deberet, ſi ſuæ peregrinationi inſiſteret ſicut deberet, ſibi autem pecuniam abundare, & in deſiderio ſe habere terram potius emere quam vendere, ſi fortè alicubi offenderet venalem, jura patrum ſuorum bello tandem acquiſita velle modis omnibus retinere, nec participem admittere in eisdem. Joannes verò Rex Angliæ licet ſenatui & populo regni ſui corporaliter juraſſet ſtare pacis inter eos firmatæ conditionibus & viginti quatuor Barones de primoribus Regni de mandato ejus in ipſius animam id ipſum juraſſent, hoc addito in ipſius juramenti formâ, quod ſi ipſe Joannes contra pacis formam venire præſumeret ullo modo, ipſe de voluntate ejusdem Regis licitè contra eum arma moverent, ipſe tamen juramenti religione contemtâ pacem ſic juratam & firmatam noluit obſervare, & ita guerra eſt inter eos damnabiliter reincepta. Ipſe verò Joannes, qui (cum Rex eſſet) jam ſe fecerat Vaſallum Papæ & Eccleſiæ Romanæ ſub mille marcharum argenti annua penſione, impetravit à Papa pacem prædictam pro nulla haberi, & ſuper juramento [præſtito] diſpenſari cum ipſo. Cum igitur Barones ac cives Londoniæ ſpecialiter & alii Caſtellorum & Civitatum populi cum mul-

multo rerum & corporum diſpendio guerram aliquamdiu ſuſtinuiſſent, demum inito conſilio vocaverunt Ludovicum primogenitum Regis Philippi filium, & datis obſidibus & juramentis præſtitis, ipſum ſibi Dominum præfecerunt, qui ſtatim patre ſuo penitus diſſentiente, ſexcentos milites probatiſſimos cum multitudine ſatellitum in eorum miſit auxilium firmiter eis ſpondens, quod eos, quamprimum commodè fieri poſſet, ſequeretur. Ipſi itaque ſic miſſi tam civitatem Londonias, quam alia municipia & civitates per totam hyemem unà cum Baronibus ab inſultibus & violentia Regis Joannis per multa prælia defenſabant, & hoc eſt quod ſupra dicitur, quod Papa in Concilio excommunicavit Barones Angliæ, & complices eorum. ❧ In diebus illis Joannes Rex Gloceſtriam Civitatem obſedit, & tandem cives ad deditionem coegit. ❧ Ad ſubſidium terræ ſanctæ triginta millia librarum conceſſit Dominus Papa, aſſignaturus etiam tria millia marcharum argenti de depoſitis quorundam fidelium. ❧ Epiſcopus Gherardus Catalaunenſis Epiſcopatum dimiſit. In electione nominatus eſt Magiſter Fredericus Archidiaconus, qui per unam noctem ſolummodo onus illud portavit, & in craſtino renunciavit. Unde electus eſt Guillelmus de Pertico Conſobrinus Regis, frater Rotroti quondã Epiſcopi.

Anno MCCXVI. Eclypſis lunæ generalis fuit in Martio die Martis ante feſtum Beati Gregorii, & duravit à galli cantu usque ad Solis ortum. ❧ Colonienſis Archiepiſcopus Theodericus qui poſt Brunonem de Sena fuerat inſtitutus *ſe depoſuit*. ❧ Adhuc vivebat alius quondam Archiepiſcopus Adolfus qui ante ipſum Brunonem fuit depoſitus, tus duobus itaque prædictis Archiepiſcopis ita cedentibus electus eſt majoris Eccleſiæ præpoſitus, Dominus Angelbertus filius Comitis [Engelberti de monte veteri frater Comitis] Adolfi. Mater hujus Archiepiſcopi fuit ſoror Comitis de *Gellera*. ❧ De alia ſorore fuerunt *Comites de Los* & de tertia Agnete dicta fuit Comitiſſa de *Luſcebore* Ermeſindis, videlicet Comitis *Barri*, uxor verò Woleranni. ❧ Ex hiſtoria Regis. Dominus Papa anxius de ſuccurrendo Regi Angliæ vaſallo ſuo, miſit Guallum [guallem] presbyterum Cardinalem in Franciam, qui cum modis omnibus procuraſſet, ne Ludovicus in Angliam transfretaret,

& id efficere non poſſet, ſignificavit Domino Papæ navigium jam paratum eſſe, & milites cum armis poſitos in procinctu, & impetrato à Chriſtianiſſimo Rege Philippo ſalvo tranſitu per terram ſuam in Angliam transvectus eſt, Papa verò certificatus de rumoribus excommunicavit ipſum Ludovicum & quosdam Conſiliarios ejus, & generaliter omnes qui vaſallo ſuo Regi Angliæ faciebant guerram. Philippus autem Rex nolens aliquatenus notari de perjurio ſuper treugis dudum percuſſis cum Rege, licet easdem jam ſæpius Rex Angliæ violaſſet, totam terram filii ſui & aliorum Baronum qui cum eo erant confiſcavit, & obtulit ſe manum contra eos aggravare, ſi Eccleſia eum ſuper hiis debere amplius facere judicaret. Papa tamẽ eum nihilominus de favore filii ſui ſuſpectum habens, Archiepiſcopo Senonenſi & ejus ſuffraganeis literas deſtinavit, in quibus notabat ipſum Regem excommunicatum, propter quod Synodo apud Meldunum congregata univerſi primates Regni proclamaverunt, *quod ipſum Regem propter hoc excommunicatum non haberent, niſi de voluntate Papæ fierent certiores;* cum hæc agerentur in Francia, ipſe Papa de tranſitu Ludovici in Angliam certioratus, inconſolabiliter dicitur doluiſſe, & volens ſe ad vindictam armare, fecit ſermonem ad Clerum & populum ſumto hoc themate à propheta; Mucro, mucro evagina te & lima te ut interficias & ſplendeas, & in ipſo ſermone ſolennizavit excommunicationem in Ludovicum & ſuos, & vocatis Notariis cæpit dictare ſententias duras & intolerabiles contra Philippum Regem, & contra Regnum ſuum, talia eo cogitante Dominus qui in omni articulo Philippo Regi conſuevit [adeſſe] mucronem, quem in alios evaginari & limari fecerat, exhortatus in ipſum convertit; Nam primò tertianam paſſus & in brevi curatus, medicis ignorantibus, Deo ſic, ut credimus, diſponente, decidit in acutam, quam cum multis diebus foviſſet, nec à citris quibus *in magna quantitate* & ex conſuetudine veſcebatur, utpote illius ægritudinis ignarus, minime abſtineret, demum paralyſi percuſſus ad ultimum in lethargiam prolapſus vitam finivit. Cujus finis, quia in multis negotiis rigorem nimium quam maximè accendere videbatur, lætitiam potius quam triſtitiam generavit ſubjectis, animæ tamen ejus propitietur ille,

Digitized by Google

ille, cujus vice inter homines fungebatur, ſedit autem octodecim annis, & menſibus ſex, obiit verò Idibus Julii; Eodem igitur anno in Pentecoſte præcedente applicuit Ludovicus Inſulæ quæ dicitur Taneth cum paucis militibus: nam major pars exercitus ipſius orta tempeſtate nubiloſa & ventorum diſcordia, retroverſi ad easdem partes [eosdem portus] à quibus navigare cœperant ſunt repulſi, poſt triduum mari pacifico ſecuti ſunt Ludovicum & venerunt ad Inſulam illam in qua ipſe erat, eorum adventum exſpectans die illa & horâ qua Ludovicus applicuit, Joannes erat cum immenſa multitudine armatorum prope mare, exſpectans ipſum Ludovicum, ſciens ipſum venturum & nolebat, ut dicebat, ei congredi, antequam poſt navigandi tædia & marinos fœtores Francigenis in conſuetos ſpiritum reſumeret, aut quocunque ſe edulio recrearet, quo comperto ſtatim ipſe Ludovicus arma arripuit, & marini fœtoris oblitus armatorum non conſiderans paucitatem, licet, ut dictum eſt, major pars exercitus ſui abſens eſſet, ad locum quo ſtabat cum ſuo exercitu properavit. Joannes verò licet duplo majorem haberet exercitum roſtra [raſtra f. caſtra] relinquens, promiſſionis ſuæ & regalis ſuperbiæ non recordans, tutius elegit fugere quam pugnare, & Ludovicus Londonias venit, & Londinianis cum gaudio eſt receptus, & dederunt ei manus Rex Scotiæ & multi proceres alii, ſed *Longa ſpata Guillelmus* pro eo quod ei certo innotuit relatore Joannem fratrem ejus cum ipſius uxore, rupto fœdere naturali, commiſiſſe inceſtum, dum ipſe eſſet in Francia. Ludovicus Doveram obſedit, ſed nihil ibi profecit; Joannes interea trans Humbram fugerat, ubi vitam finivit, malitiam ejus domino finiente, quo mortuo Gualo [Guala] Cardinalis Henricum filium ejus nec dum duodennem coronavit, & ſtatim Longa ſpata & principes alii reconciliati ſunt novo Regi, & à Ludovico defecerunt. Ludovicus treugis datis & receptis in patriam repedavit auxilium amicorum collecturus. Pater tamen ejus tanquam Chriſtianiſſimus, nec etiam ei verbo communicare voluit. ☞ In terra Albigenſium ſeſſio Catholicorum apud caſtrum Beaucaire die Lunæ poſt Trinitatem usque ad Sanctum Bartholomæum per tredecim hebdomadas. In burgo erant hoſtes, qui noſtros in caſtro

caſtro obſederant; Ad noſtros de foris obſidentes venit nuntius de apoſtaſia Tholozæ & accelerantes noſtri Tholozam ex una parte ſuccenderunt. De Epiſcopo Civitatis, de quingentis hoſtagiis, de armaturis & cathenis, de octoginta millibus marcis, & ſic fuit Comes Simon in Tholoza per hyemem usq; ad quadrageſimam. ❧ Succeſſerat autem Papæ Innocentio Cenſius [ceucius] major, natione Romanus, presbyter Cardinalis Sanctorum Joannis & Pauli, qui in conſecratione ſua vocatus eſt Honorius. ❧ Obiit Epiſcopus Laudunenſis Robertus, frater Comitis de Sancto Paulo, ei ſuccedit Anſelmus. ❧ Vir etiam nobilis Guido de Dampetra [hoc anno] mortuus eſt tres filios relinquens de Mathilde filia Erchenbaldi de Bourbon, & filias tres, primogenitus Erchenbaldus ditiſſimus eſt in Alvernia non ſolum per hæreditatem matris & per patrimonium uxoris, quæ fuit filia alterius Erchenbaldi de Montelucionis, ſed per induſtriam & calliditatem patris exaltatus nimis. Secundus Guillelmus de Noyele [Moyele] & de Dampetra Dominus, duxit Margaretam Flandriæ Comitiſſæ ſororem, quam Buchardus Clericus de Avennis rapuerat cum eſſet vir nobilis, & ex ea duos filios genuit Joannem & Balduinum. Tertius Guidonis filius Guido adhuc erat infantulus. ❧ Nunciatur interea mors Henrici Imperatoris Conſtantinopolitani & eligitur Comes Petrus Autiſſiodorenſis in Imperatorem ſororius ejusdem. Magiſter *Jacobus de Vitriaco* religioſus prædicator factus eſt in partibus transmarinis. Aconenſis Epiſcopus ſive Ptolemaidis dicatur, ſive Acon, ipſa eſt quæ Acra nunc vocatur.

Anno MCCXVII. In terra Albigenſium Comes Fuexenſis de parte adverſa format montem grenier [gremer] obſederunt noſtri, & reddiderunt [redditum eſt] in paſcha. Elegerunt centum milites ad cuſtodiam Nemauſi usque ad portas Sancti Ægidii. ❧ Venit in Franciam Comes Simon circa feſtum Sancti Joannis pro auxilio. Captio de Berniz: Venit interea Cardinalis Bertrannus, & miſit Romam Archiepiſcopum Narbonenſem, apud civitatem Vivarienſem facta ſunt promiſſa de caſtro, quod dicitur criſta Arnaldi, Tholoza iterum perdita & iterum obſeſſa in feſto Sancti Michaelis anni ſubſequentis, apud civitatem Bituricas poſt Sanctum Guillelmum factus eſt Archiepiſcopus

Geral-

Digitized by Google

Geraldus Decanus Clarimontenſis qui poſt menſes novem in via Romana deceſſit, huic ſucceſſit vir honeſtus & nobilis Simon Cantor Bituricenſis, frater Erchenbaldi de Soilliaco ſuper Ligerim, cujus pater Ægidius fratres habuit Archiepiſcopum Henricum Bituricenſem & Epiſcopū Odonem Pariſienſem, & horum ſoror Radulpho de Caſtro Radulphi peperit matrem Guillelmi de Chavignejo. Horum omnium pater nomine Guillelmus [nomine Odo] dicitur frater extitiſſe magni Comitis Campaniæ Theobaldi, ſed quia nullius valoris fuit & balbus, & quandam nobilem puellam quæ erat in ſervitio matris ſuæ filiam Domini de Soilliaco accepit, idcirco à Comitatu alienatus fuit. ❧ Ex hiſtoria Regum. Ludovicus itaq; viribus prout potuit recollectis in Angliam eſt reverſus & iterum Doveram caſtrum obſedit ferè per annum. Interea Gualo Cardinalis congregato Anglorum exercitu civitatem Lincolinum contra Ludovicum obſedit, Ludovicus miſit illuc Robertum filium Galteri, & *Thomam Comitem Pertici filium Comitis Gaufridi natum de ſorore Imperatoris Ottonis* & Simonem Piſſianicā cum ſuorum multitudine Anglorum. Pars adverſa fugiens ex improviſo in eos irruit, & interfectus eſt Thomas Comes ille nobilis anno ætatis vigeſimo ſecundo, & captus Robertus filius Galteri, & Simon Piſſianites triſtis ad Ludovicum rediit: hoc audito in Francia Robertus de *Cortenejo* cognatus Regis & multi alii mare ingreſſi ſunt, ut ſuccurrerent Ludovico, & capta eſt navis eorum, & Euſtachius cognomento Monachus Miles tam mari quam terra probatiſſimus, & Drogo à Roma rediens Clericus & multi alii capti fuerunt & decollati, Ludovicus igitur ita deſtitutus [illegible] prout potuit inter ipſum & novum Regem reformatâ recep[illegible]ico pecunia quindecim millium marcharum argenti pro reditu obtenta à Rege Angliæ & à ſummo Pontifice ſibi & ſuis omnibus abſolutione in patriam repedavit, Vice Comes Meliduni Adam ibi mortuus eſt, Duo viri de Burgundia nobiles ibi mortui ſunt, Guichardus de *Bellojoco* & Guillelmus *de monte Sancti Johannis*. ❧ *Expeditio crucis ſignatorum* qui per Papam Innocentium tertium fuerant incitati, quæ inter generales expeditiones contra Saracenos ſexta dici poterit, ita cæpit, quod quidam principes moverunt hoc anno, quidam in anno ſequenti, qui-

Digitized by Google

dam etiam in ſubſequenti anno. ❧ Rex igitur Andreas Hungariæ, Leopoldus Dux Auſtriæ, Otto Dux Meraniæ, & multi Comites de Hungaria, & Epiſcopi nonnulli per mare Adriaticum iter ſuum aggrediuntur. ❧ Archiepiſcopus Albricus Rhemenſis & qvidam alii moverunt de Francia. ❧ Guillelmus autem Comes de *Hollandia* & Georgius Comes de *Weda* cum ſibi adjunctis per mare Anglicum Hiſpanias penetraverunt, qvibus apud *Ulixibonam* Sarracenis qui advenerant in diſtrictis locis obſidentibus occurrerunt ex improviſo ordinante Deo fratres militiæ de Calatrave, & fratres militiæ de Spata, & tanta cæde in Sarracenos debachati ſunt, quod (Deo dante victoriam) quadraginta ſex millia cæſa fuerunt, Magiſter verò *Jacobus Aconenſis Epiſcopus* de Duce Auſtriæ & aliis qui tranſierant mare ſcribit ita: poſtquam à Cæſarea receſſimus in via quæ ducit Jeruſalem munitionem ereximus &c. usque, Soldanus quoque præ dolore turris mortuus eſt. Huc usq; Magiſter Jacobus. Sequitur ex alia relatione: Soldanus iſte mortuus hic erat ipſe Faffadinus [Safiadinus] frater Salahadini, qui filios fratris ſui Salahadini vel interfecit vel exhæredavit præter Sanguinum qui Halapiam tenuit, & qui regnum Damaſci reclamabat, Soldanus autem de Ichonio, qui tenuit totam Turkiam inter Armenios & Georgianos *non* fuit de iſtorum genealogia, ❧ De quindecim verò filiis dicti Saffadini talis habetur narratio: Primus Meffadinus nomine tenet Kairum, Babyloniam & Damietam & totam terram Ægypti à meridie, & debet eſſe Dominus omnium fratrum ſuorum. Secundus Conradinus [Conradinus f. Noradinus] tenet Da[illegible]um & Jeruſalem, & totam terram promiſſionis. Tertius Melchi[illegible]enet Camalam quæ eſt inter Tripolim & Laodiceam & Antiochiam. Quartus Meliamoden tenet Haman & terram verſus Meſopotamiam. Quintus Melchiſenafaſt tenet Saco *ubi Cain occidit Abel*, & civitatem quæ dicitur Malhers. [Malbers] Sextus Melchinoor tenet quasdam provincias in Regno de Baldach ubi eſt Apoſtolicus eorum. Septimus Falafas *ſine terra* ferebat vexillum patris & quilibet fratrum ſuorum mittebat ei per annum equum unum optimum & mille Biſantios; de aliis octo dicitur quod duo cuſtodiunt cum quinq; Chriſtianis Syriæ ſepulchrum Domini & valet eis per annum decem [x] millia Biſantios, qua-

zed by Google

quatuor tenent tributum *aquæ de Lizalis quæ rorat ſemel Ægyptum in Aprili* & valet decem millia biſantios, alii duo tenent offerendam ad ſepulchrum Mahumeti apud Meccam, & valet eis per annum triginta milliaBizantios. ❧ In Tullenſi dioceſi contigit hoc anno grande malum, quod EpiſcopusTullenſisRenaldus à prædeceſſore ſuo quondam, nec dicendo Epiſcopo Matthæo interficitur quarto Idus Aprilis, & antequam finiretur menſis, idemMatthęus occiſus eſt a nepote ſuoDuce Theobaldo, ne de manu ejus requireretur ſanguis Epiſcopi Renaldi. Qui Matthæus poſitus eſt in ſcrinio & elevatus in nemore in trunco cujusdam arboris excelſæ: Hoc anno mortui ſunt Epiſcopi Robertus Virdunenſis, Philippus Beluacenſis, RenaldusCarnotenſis; *Namurcenſis Comes* Petrus qui dicebatur AutiſſiodorenſisRomam profectus cum ſua conjuge Hyolenz nomine benedictus eſt & *conſecratus à ſummo Pontifice Honorio in Imperatorem Conſtantinopolitanum*, ſed mox ut Græciã attigit captus eſt àDuceDurachii Theodoro nomine, Michaelis ſucceſſore, qvi de armis ejus & divitiis & omni ſupellectile ejus permittente juſtojudiceDeo factus eſt fortior & potentior ad perſequendum Catholicos: evaſit tamen cum filiabus uxor ejusdem Petri, quæ quamdiu vixit terram illam & Imperium gubernavit: Unam filiarum ejus Hyolenz nomine duxit Andreas Rex *Hungariæ*. Secundam nomine Sybillam [Miræo alias Margaretam vid. Don. Belg. p. 178, ubi totum hunc locum recenſet] habuit Radulfus de *Eſſolduno* in Bituria, qvam poſtea duxit Comes Henricus de Vienna *in Ardenna* [Vienna & Ardenna te Miræus Vianda in Ardenna] Tertiam [Miræus addit nomine Mariam] habuit Laſcarus Græcus qui dicebatur Imperator Nicææ, ſed de iſta filios non habuit. Quartam Gaufridus junior de *Villa Harduini* filius Gaufridi principis de *Inſula Montionis*. Quintam [Miræus addit Eliſabethã] Galcherus de *Barro ſuper Sequanam* Comitis Milonis filius, quam poſtea duxit Odo filius Alexandri fratris *Ducis Burgundiæ* Odonis: filii verò ejusdem Comitis Petri fuerunt numero quatuor, Philippus ad labra Comes Namurcenſis titulis militiæ famoſiſſimus, Robertus Imperator Conſtantinopolitanus, Henricus Comes Namurcenſis [Miræus d. l. Albericum etſi contemporaneum errare dicit d. l. & hunc non filium ſed generum fuiſſe]

& juvenis Balduinus qui modo eſt Imperator. Omnes iſti filii & filiæ fuerunt de prædicta Hyolenz Imperatrice, ſecunda ſcilicet Comitis Petri uxore; Nam de prima uxore, quæ dicta eſt Agnes,& fuit unica filia Comitis Guidonis *Nivernenſis*, genuerat idem Comes Petrus filiam unam Mathildem nomine,quæ Comiti Hervejo Gaufridi filio *de Giem & de Dunzejo* filiam unicam peperit,quam habuit *Comes de Sancto Paulo*,primogenitus Comitis Galteri,& prædicta Mathildis Nivernenſis nupſit poſtea Comiti Guidoni [Guigoni] forenſi.

Anno MCCXVIII Guerra Campaniæ apud *Jovevillam* per Erardum fervente, fiunt prædæ & incendia & rapinæ,& concremata eſt Saronaſia. Inde *cum circa aſcenſionem Domini nunciata fuiſſet mors Ottonis qui dictus eſt Imperator*, diſſipati ſunt omnes ejusdem Erardi adjutores. ❧ Ex hiſtoria Regis. Prædictus Otto quondam Imperator mortuus eſt in caſtro ſuo Brunsvik prius reſtitutis omnibus quæ occupaverat de Eccleſiæ &Imperii rebus,abſolutione nihilominus excommunicationis poſtulata cum contritione,qua per multos annos fuerat innodatus; Comes verò *Campanienſis* conſilio & induſtria ſuæ matris firmavit caſtrum fortiſſimum quod dicitur Montesclaire in finibus Tullenſis dioceſis,& *Comes Barri caſtrum*, quod dicitur,Fauante Tullum firmavit. ❧ Gerardus Metenſis primicerius fraterComitis Hugonis de *Vaudoni monte* in Epiſcopum Tullenſem electus moritur: Et Cantor Odo in ejus loco in Epiſcopum promovetur: Quidam adveniens prædicator de partibus transmarinis Romæ à patriarcha miſſus maximam populorum multitudinem cruce ſignavit, & aliis interim ſe præparantibus alii [jam] revertebantur. ❧ Archiepiſcopus Rhemenſis Albericus in revertendo de transmarinis partibus apud Papiam moritur, & in Eccleſia Sancti Auguſtini ſepelitur. ❧ Apud Acram moritur Epiſcopus Lemovicenſis Johannes qui præfuerat annis quinquaginta & amplius: *De Friſonibus* autem,de quibus in ſuperiori pagina continetur, in captione turris ante Damietam cum multi repatriaſſent eodem menſe vel eâdem hebdomada, quâ domum reverſi ſunt, impetu maris inundantis, ſicut Dominus præviderat, mortui ſunt, ſiquidem hoc anno *in partibus Friſiæ terminos ſuos*

mare

Digitized by Google

mare egrediens, multarum provinciarum terras occupavit, villas delevit, Ecclesias lapideas dejecit, tantam hominum extinguens multitudinem, ut summa centum millium transcenderet. Ita exaltati sunt fluctus ejus, ut turrium altitudines operire viderentur, & procella procellam impellens, generale diluvium terris minaretur, & sicut dictum ❧ Abbati de Valle Sancti Petri, cum eodem anno visitationis gratia Frisiam intrasset, quod fluctus furentes usque Coloniam pervenissent, si non is qui eos suscitaverat, genitricis suæ precibus compescuit. ❧ Dissensio quædam fuit inter *Comitem Barri* Henricum, & ejus Nepotem Theobaldum Ducem, unde & castrum de Satonagio ab eodem Comite subvertitur, & postea pacem fecerunt. ❧ Vetus Comitissa de *Flandria* relicta Comitis Philippi apud Clarevallem juxta virum suum tumulatur. ❧ Moritur *Dux Zeringiæ* Bertholdus, de cujus interitu & damnatione multa referebantur auditu horribilia. ❧ Et mortui sunt hoc eodem anno Principes nominatissimi, Simon Comes Montis fortis, & Dux Odo *Burgundiæ*, & ille quidem *Comes Montisfortis Simon dicebatur* Dux Narbonensis provinciæ & Comes Tholozæ, quam ipse cum aliis Catholicis pro fide Catholica obsederat: fuit autem percussus petra in capite de petraria in crastino sancti Johannis. Odo quoque Dux inclytus Burgundiæ apud Cistercium fuit sepultus, qui decessit Cruce signatus, & condicto testamento pecuniam sufficientem, & milites & viros armatos misit pro se in obsequium sanctæ Crucis ad succurrendum terræ sanctæ, & præter istos mortui sunt *Lantgravius Toringiæ* & Hermannus pater Ludovici Lantgravii, *Comes de Loss*, Ludovicus cum fratre suo Henrico, ubi factus est Comes tertius nomine Arnulphus. ❧ In vigilia assumtionis quidam latro cum aliquot diebus in superioribus testudinibus Parisiensis Ecclesiæ latuisset, nactus demum occasionem uncino deorsum immisso accipere [arripere] conabantur pelves argenteas cum candelabris argenteis, quibus cerei perpetuo lumine ante magnum altare lucebant, cerei autem elevati corripuerunt igne pannos, quibus Ecclesia in tantis solemniis ornabatur, & ex eis consumsit ignis antequam incendio possent aliqui subvenire ad valorem novem (IX. c) marcharum pretio

cuit: Majores tamen Admiraldi in muris & turribus & munitionibus capti reſervati ſunt ad vitam, pro quibus captvos omnes non ſolum retrahere [rehabere] ſperabant, ſed etiam pecuniam infinitam. Inventa eſt; Civitas ipſa plena auro & argento, & pannis ſericis & lapidibus pretioſis, frumento & hordeo, & aliis pluribus divitiis quibus ditatus eſt exercitus Chriſtianus ſpoliatis Ægyptiis, quæ [ſicut captivi in ea reperti dicebant] munita extitit quando obſeſſa fuit in gyrum quadraginta quinque millibus paganorum [pugnatorum] præter decrepitos, mulieres, & parvulos, qui fuerunt quindecim millia æſtimati. Præter dictos vero ante captionem civitatis ducenti & quadraginta de nocte civitatem intrarunt a Soldano miſſi, & ducenti qui eadem nocte reperti fuerunt, a noſtris interfecti ſunt, quos omnes communiter, ſed diverſimode in manibus fidelium ſuorum Dominus miraculoſe concluſit: Eadem vero hebdomada qua capta fuit Damieta, nondum ipſa hebdomada finita captum eſt caſtrum fortiſſimum ſuper mare quod fuit antiquitus civitas Thanis, & in Thanis ſecundum Iſidorum Pharao regnavit, & ibi Moyſes ſigna fecit; In civitate quoque Sancta Jeruſalem Sarraceni muros deſtruxerunt ex toto recedentes, ita quod a ſolis Surianis & aliis Chriſticolis inhabitatur tempore aliquanto, nec tamen erat tutū noſtris eam vendicare cum non haberent manum ita validam, nec tantum populum, nec rebus neceſſariis munitum, ut ad ſingulos Saracenorum impetus & quotidianos aſſultus poſſent ſine muris reſiſtere, habebat Damieta per circuitum duos muros, turres majores triginta duas & pauciores absque numero, de Damieta uſque ad montem Sinay triginta tres dietæ computari dicuntur, & de monte Sinay uſque Jeruſalem dietæ viginti tres ſunt, item de Jeruſalem uſque Baldach duodecim dietæ ſunt, & inde quatuor uſque ad Meccam, ultra Baldach ad quinque dietas nova Iconum quæ eſt ad tres dietas de Mecca. Terra hæc in hyeme eſt nimis frigida, & in æſtate nimis calida: ſuper montem Sinay Eccleſia eſt ſanctæ Catharinæ quam honorant Sarraceni. § Apud Kayrum ibi ſedes eſt regni Ægypti ubi ſunt palmæ, ibi eſt palma quæ ſe inclinavit ad pedes

des Beatæ Virginis, frequenter fuit inciſa, & ſemper recreſcit, & modo Sarraceni eam valde honorant. [ibi prope ſunt *vineæ balſami*, & nuſquam niſi ibi modo creſcere dicitur, quia ibi eſt fons ubi B. Maria lavabat pannos Jeſu, & hunc fontem ſimiliter Sarraceni honorant] de Kayro uſque Alexandriam tres dietæ per terram & ſex per aquam, flumen non eſt juxta muros Alexandriæ, ſed aliquantulum longe, & eſt ibi pharus unde vident in mari nautæ ignem lucere de nocte, ut poſſint portum tenere. In Alexandria eſt Eccleſia ſancti Marci & ſunt ibi multæ Eccleſiæ Saracenorum [Surianorum] & Jacobitarum. ❧ Ex hiſtoria Regis: Hervejus *de Leon* vir inter *Britones* armis & divitiis potens, cum eſſet in obſequio ſanctæ Crucis apud Damietam, mortuo ibidem Moruano *Vice Comite* Fugi [fagi] ſororio ſuo, cupiditate terræ ejusdem occupandæ ductus, contra ſalutem ſuam & prohibitionem patriarchæ Hieroſolymitani & Chriſtianorum qui ibidem erant, iter arripuit in patriam redeundi, & ejus occaſione multi alii ſecum ad ſex millia & perierunt naves eorum juxta Brunduſium & omnes ſubmerſi ſunt præter octoginta qui in tabulis evaſerant, & ita qui cupiditate terræ occupandæ Dei ſervitium intermiſit, juſto Dei judicio terra caruit & honore ſepulchri. *Comes Barri* Henricus nuptias ſuas fecit ducens in uxorem filiam Comitis Roberti nomine Philippam. Hic tangendum eſt breviter, quod patruus Regis Philippi Comes Robertus de prima uxore matre Rotroldi Comitis de *Pertico* [quæ nata fuit de Anglia filia Comitis *Salesberienſis*] genuit filiam Alaidem, de qua Gvido de *Caſtellione* genuit Galterum *Sancti Pauli Comitem*, & Epiſcopum Laudunenſem Robertum, & illam quam habuit Gvillelmus qui Noblet appellatus eſt, eandem Alaidem duxit Joannes Caſtellanus [Noviomenſis] frater Caſtellanorum de Coci, & genuit Joannem de Torota [corota] qui ſororem habuit Domini de Dampetra: Prædictus Comes Robertus duxit ſecundam uxorem Agnetem, *Comitiſſam de Barro*, ſuper Sequanam, & genuit *Comitem de Brana* Robertum patrem Comitiſſæ Philippæ Barrenſis, & duos Epiſcopos Henricum Aurelianenſem & Philippum Belluacenſem, & duas ſorores eorum Matrem Engelranni de Coci, & matrem

Digitized by Google

trem Simonis *de Caſtrovillani*, de matre vero prædictæ Comitiſſæ Barrenſis quæ dicta eſt Hyolens; quære ſupra 1168. ❧ Eadem vero hebdomada mortuus eſt Comes qui filiam ſuam Comiti Barri dederat in uxorem. ❧ Epiſcopo Roberto de Podio occiſo ſuccedit Bernardus de Monte acuto, nepos ex fratre Euſtorgii de *Alvernia* Niehoſienſis Archiepiſcopi & Epiſcopi Livonienſis [Lucovienſis] Fulconis, & fratris Fulconis & fratris Petri Magiſtri Templariorum, & fratris Garini Magiſtri hoſpitaliorum. ❧ Gvillelmus Epiſcopus Lingonenſis frater Simonis de *Jovevilla* fit Archiepiſcopus Rhemenſis quinto Idus Junii. Hugo vero filius Anſerici de monte regali factus Epiſcopus Lingonenſis, & Haimo Cantor ejusdem Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus Matisconenſis, item fuit hoc anno in aſcenſione Domini expeditio Cruce ſignatorum in partes *Albigenſium* per Ludovicum Regis filium, & per Epiſcopos Noviomenſem, Sylvanectenſem, Tornacenſem, & Petrum Comitem Britanniæ, cum multis aliis Epiſcopis, Comitibus & Baronibus, & cum infinita multitudine militum peditumq; inveneruntq; Comitem Almaricum [Aumaricum] Comitis Simonis filium in obſidione Miromandæ, quam cum [quam cum eodem f. quam cùm cum eodem] cepiſſent, interfecerunt omnes municipes tam mulieres & parvulos, & omnes indigenas usque ad quinque millia, inde profecti obſederunt Tholozam, & tepide oppugnaverunt eam, quibusdam de noſtris pernicioſe impedientibus negotium crucifixi. Orta vero inter eos diſcordia propter quandam proditionis notam, quam quidam contra Ludovicum moliri videbantur, infecto negotio redierunt in patriam minus laudis quam vituperii reportantes, reliquit tamen Dominus Ludovicus ducentos milites ad annum ab Auguſto. ❧ Erat ibi Legatus Apoſtolicæ ſedis vir eximius Bertrannus ſanctorum Johannis & Pauli Cardinalis presbyter, qui multum laboravit pro hæreticis deſtruendis. ❧ Ex hiſtoria Regum: Hoc anno fuit aquarum abundantia, In craſtino Nativitatis Beatæ Mariæ fulmen veniens in turrim Beati Dionyſii dejecit gallum auratum cum lebete deaurato in terram & duravit ignis putens & conſumens lapides per triduum:

vindemia paſſa eſt multa inconvenientia, & racemi fuerunt tanquam acimum in torculari & ſecuta eſt aquarum abundantia. ❧ *Sanctus Drogo* qui primum apud Seburgum in Hainaco tumulatus, nunc apud caſtrum Bincium requieſcit, multa facit miracula.

Anno MCCXX Poſt captionem Damietæ [quædam] inventa eſt prophetia in templo Sarracenorum literis Chaldæis ſcripta, quam Dominus Pelagius Albanenſis Epiſcopus Cardinalis & Legatus in partibus illis in Latinum fecit transferri, & miſit Romam Domino Papæ, quam quidam Magiſter Jacobus conſtitutus a Domino Papa Legatus Hiberniæ a Roma detulit Clarevallem tendens in Hiberniam: in hac prophetia aſtronomica multa continebantur de iis quæ præterita ſunt in terra promiſſionis de Noradino, de Salahadino, de captione Jeruſalem, de duobus Regibus Philippo Franciæ & Richardo Angliæ, qui Acram recuperaverunt, de ſubverſione Aſcalonis, de multis aliis, tam factis in terra promiſſionis, & quod anno vigeſimo nono ab Acra recuperata capienda eſſet a Chriſtianis Damieta, & de Pelagio Cardinali multa ibi notabantur quæ forte aliter ſe habuerunt. Hujusmodi enim prophetia etſi in quibusdam verum dicat, in multis tamen decipit. Notabatur etiam in illa prophetia, quod a parte Orientali debet venire quidam Rex qui vocabitur nomine David, & a parte Occidentali debet venire alius Rex qui terram Sarracenorum usque Jeruſalem deſtruat, & quod menſe Julio deberet fieri bellum apud Kairum in Ægypto inter Sarracenos & [illegible]tianos. ❧ In terra *Albigenſium* cæperunt amittere noſtri caſtrum de Cerviam [Cervian] quod apoſtataverunt poſt paſcha cum trecentis adverſariis. Mittitur interea in terram Albigenſium & Burgundiam Legatus Dominus [Conrardus] Portuenſis & ſanctæ Rufinæ Epiſcopus Abbas quondam Ciſtercienſis, deinde frater Comitis Aumarici Gvido Comes *Bigorrenſis* [occiditur] apud caſtrum novum interficitur in craſtino octavorum ſancti Johannis, & noſtri caſtrum novum obſederunt. ❧ Amedæus Archiepiſcopus Biſuntinenſis cum eſſet vir ſenex & emeritus ceſſit, duæ ſunt in illa civitate Eccleſiæ contendentes de majoritate, ſancti Stephani ſcilicet & ſancti Johannis,

Digitized by Google

nis, una die in ambarum capitulis cum fieret electio, & altera ignoraret quem altera eligeret, nominatus est & electus Dominus Conrardus Legatus, & de communi tandem consensu ipsum a Domino Papa postulaverunt, nec tamen obtinuerunt, qui eum super gentes & regna constitutum ad lucra majora sibi Dominus Papa reservabat. Electus est igitur in Archiepiscopum vir nobilis Gerardus sancti Johannis Decanus, filius Theobaldi de Rougemont [Rogemont] filii Humberti, Comitis Stephani Consobrinus, & habuit fratres Humbertum & Theobaldum : Humberti filius Hugo de filia Haimonis de *falcogneis* genuit Hainonem modernū. ❧ Rhemis Dominica ante cineres tres Episcopi consecrati sunt, Jacobus Svessionensis, Godefridus Cameracensis, & Galterus Tornacensis ❧ Abbas Cluniacensis Magister Giroldus fit Episcopus Valentiæ, Gvillelmus Episcopus Autissiodorensis frater Episcopi Manassæ Aurelianensis fit de licentia & concessione Domini Papæ Episcopus Parisiensis. ❧ Comes Namurcensis Philippus Comitis Petri Autissiodorensis filius contra Walerannum varios habuit conflictus, sed tandem per Episcopum Leodiensem & Archiepiscopum Colonienſem bonis viris mediantibus firma pax interponitur. ❧ Frater ejusdem Philippi Robertus nomine in Imperatorem Constantinopolitanum tanquam hæres assumitur, in cujus diebus de iis quæ in Græcia fuerunt acquisita Latini perdiderunt multa, cum ille esset quasi rudis & idiota. ❧ Moritur Theobaldus juvenis *Dux Lotharingiæ*, cujus relictam Gertrudem nomine Comitissam de Dalburg juvenis Comes Theobaldus *Campanienſis* duxit in uxorem, quam tamen ventilata postmodum affinitate de præcepto Ecclesiæ post biennium dimisit. ❧ Apud Cantuariam in Anglia celebrata est in Anglia elevatio sancti Thomæ martyris, ubi adfuerunt personæ sublimes Ecclesiasticæ & seculares tam de Francia quam de Anglia. ❧ Apud Bononiam civitatem Angliæ *Azo* legum interpres optimus & renovator cum esset apud Legistas opinione celeberrimus hoc anno decessit, Non Magister appellatur, sed dominus legum. ❧ Fridericus Rex tendens in Siciliam Papam per manum validam Romam introduxit, jam ab ea per septem menses excluſum, a quo in Imperatorem consecratus, in octava

ſancti Martini Romanos eidem reconciliavit. ❧ Obiit quædam religioſa & ſancta puella Mathildis de Lapion, *Regis Scotiæ* filia, quæ fugiens nuptias, venit occulte in Franciam, & admirabilem ibi egit vitam. In dioceſi Laudunenſi ſepulta eſt apud ſanctum Vincentium Laudunenſem.

Anno MCCXXI. Hic ſcribit ſummus Pontifex Honorius omnibus Archiepiſcopis Galliarum Cardinalem Pelagium ſcripſiſſe a partibus transmarinis, quod Rex David, qui *presbyter Johannes appellatur*, vir timens Deum in manu potenti Perſidem ingreſſus, & Soldano Perſidis bello campeſtri devicti, terram ejus per viginti quatuor dietas invadens & occupans in ea tenet quam plurimas Civitates munitas & caſtra, tantumque ab illa parte proceſſit, ut nonniſi [per] decem dietas diſtet exercitus ejus a Baldach maxima & famoſa civitate quæ *Califa* ejus videlicet quem Sarraceni ſuum ſummum Sacerdotem appellant ſedes eſſe dicitur ſpecialis, cujus timore Soldanus Alapiæ cognatus Soldanorum fratrum Damaſci & Babyloniæ vires ſuas quas præparaverat contra Chriſtianum exercitum, qui Damietæ conſiſtit, compulſus eſt convertere contra Regem memoratum, & quod idem Legatus Pelagius miſit nuncios ſuos in Abiſſinam [Avignam] terram & Georgianorum qui ſunt viri Catholici & potentes in armis rogans & obſecrans, ut [&] ipſi ex parte ſua guerram moveant Sarracenis: In literis etiam quas miſerant Templarii legebatur, quod idem Rex David in partibus Orientis juxta Perſidem quoddam regnum acquiſivit, in quo ſunt trecentæ civitates, exceptis caſtellis & Caſalibus, & aliud regnum in quo trecenta cum ceſtellis, flumina quadraginta [Lx] ſex currentia, & quod exercitum in quadraginta partibus diviſit, & in qualibet parte centum millia pugnaturos [pugnatores] conſtituit: & quæ hic ſcribuntur de Rege David facta ſunt, quicquid inde factum eſt anno præcedenti, in iſto quoque anno nunciatum eſt in Francia, quod idem Rex David vel ejus ut quidam dicebant filius jam venerat in *Comaniam*, quæ eſt ultra Hungariam & in partes Ruſſiæ, ubi quasdam terras incredulorum deſtruxit, & maxime Comanorum, & habuit ibi fortiſſimum bellum per menſes

Digitized by Google

menſes quinque. De Ruſſis quoque ſibi reſiſtentibus multa millia, de Prutenis quoque Paganis absque numero interfecit, & quod magna Civitas Tenex [Tornax] id eſt Oruntia [Ornacia] ab eis deſtructa eſt, ad quam Mercatores de longinquis partibus ibant, & ferebatur quod erant in exercitu eorum quadraginta Reges, Archiepiſcopi vel Epiſcopi quadringenti [LX] & moratus eſt idem Rex David circa partes illas fere per biennium, & multa alia de eis incredibilia ſunt dicta, ſed hæc pauca ſufficiunt: dicunt enim quidam quod nec Chriſtiani nec Saraceni ſunt; In Græcia regnabat apud Nicæam poſt Laſcarum Græcum gener ejus Vaſtachius [nomine] qui noſtros ita permittente Deo devaſtavit, quod Eskiſiam abſtulit & Croadam [Troadam] & Militenem [Mitylenem foris] inſulam, & totam fere terram quæ acquiſita fuit ultra brachium, prædictus ſiquidem Laſcarus plures habuit filias de prima uxore Andronici filia, quarum unam habuit iſte Catholicorum devaſtator Vaſtachius, Aliam duxit Dux Auſtriæ, Tertiam Rex Bela Regis Andreæ filius primogenitus, Quartam Anſelmus de Kieu [Kien] de Pontivo [Pontino] natus. ¶ Dux etam Durachii Theodorus Græcus Theſſalonicam abſtulit, & de Duce ſe Regem conſtituit, hic eſt qui Comitem Petrum Autiſſiodorenſem captivavit. ¶ De Damieta inſuper perdita libentius vellem tacere, quam aliquid loqui, dum enim noſtri qui erant intus vellent ultra progredi, & Civitatem novæ Babylonis acquirere, quæ eſt juxta Kayrum longius progreſſi, a Soldano concluſi ſunt, & [ex] inundatione Nili ita quod omnes potuiſſet ſubmergere Soldanus, & interficere ſi voluiſſet. Unde Damietam redire [reddere] compulſi ſunt, & qualicunque conditione non cum ſuo honore, ſed cum Soldani honore evaſerunt, & quibusdam captivis invicem redditis, trebas firmaverunt. Et hoc totum adſcribitur illi Cardinali Pelagio, qui contra voluntatem & ſine conſilio Regis Joannis exercitum Chriſtianum de Damieta exire compulit, ut alias Civitates acquirerent ſine providentia, cum illam quam tenebant cuſtodire cum maxima cautela debuiſſent. ¶ Item in terra Albigenſium de hiis, quæ acquiſita fuerant per annos quindecim, maximam partem perdiderunt Catholici, ita-

que apud Damietam, apud Albigenſes & in Græcia hoc anno detrimentum patitur ſancta Eccleſia, unde Spiritus, qui omnia ſcrutatur, Papam ad hoc, ut multimode prædicatores aggregaret, impulit. ❧ Theodericus *Eſtoniæ* Epiſcopus martyrizatur in *Livonia* pro Chriſto. ❧ In civitate Auraſica vir honeſtus & religioſus Gvillelmus Helye cognominatus ejusdem civitatis Epiſcopus obiit. ❧ Apud Rotamagum poſt Magiſtrum Robertum Archiepiſcopum ſit Archiepiſcopus Theobaldus Theſaurarius filius dominæ Humelinæ Ambianenſis, Verſus de iſtis duobus Archiepiſcopis, Archiepiſcopo Galtero, Succeſſit non laude minor nec moribus impar, Forma gregis, vita clarus verboque Robertus Huic [Hinc] eſt ſcribendus Theobaldus obinde canendus, Quod laudare piam ſatagebat ubique Mariam. ❧ Apud Attrebatum Pontius poſt Rodulphum Epiſcopus conſtituitur, Trecis inventum eſt corpus Beati Vincentii ejusdem Civitatis Epiſcopi. ❧ Obiit Henricus de *Lemburch.*

Anno MCCXXII. Albricus: ſupra dictus Rex David & exercitus ejus quos Hungari & Comani *Tartaros* vocabant, & adhuc ſequaces eorum in partibus transmarinis Tartar cognominantur, cum audiſſent Damietam eſſe perditam, per Inſulas maris prout melius potuerunt in patriam ſuam reverterunt & tota fama quæ de illis ſparſa fuit in brevi evanuit. ❧ Theobaldus Comes Campanienſis cingulo militiæ accingitur in pentecoſte cum Philippo Regis filio. Iſte Theobaldus Comes poſt duxit in uxorem Gertrudem *Daburgenſem.* Poſtea dimiſſa illa domina, de qua ſupra diximus, duxit Agnetem ſororem Humberti, filiam Wichardi de *Bellojoco* conſobrinam ſcilicet Domini Ludovici: de hujus Agnetis matre quæ dicta eſt Sybilla habetur in anno 1191. & 1168. Mater autem domini de Bellojoco Wichardi nomine Agnes de Montepenſerii in Alvernia fuit etiam mater Mathildis Comitiſſæ Nivernenſis; Pater autem dicti Wichardi Senior Humbertus fuit Nepos ex ſorore Comitis *Sabaudiæ.* ❧ Archiepiſcopus Senonenſis Magiſter *Petrus de Corbejo* Doctor opinatiſſimus moritur. ❧ In Burgundia, ſicut frequenter fieri ſolet, fuit Principum diſcordia. Unde & Gerardus *Viennenſis Comitis* filius occubuit, qui Gerardus de ſorore

Comi-

Digitized by Google

Comitis Forenſis Gvigonis filiam unam [unicam] genuit, per quam unus fratrum Philippæ Comitiſſæ Barrenſis Joannes factus eſt Comes Matiſconenſis. ❧ Fundata eſt per Blancham Comitiſſam Campaniæ *Abbatia nova Monialium de Argenteolis* juxta oppidum quod dicitur Virtutum. ❧ Mortuus eſt frater Dominicus vir ſanctus, primus Magiſter fratrum prædicatorum. ❧ In vigilia Natalis Domini auditum eſt tonitruum & fuit terræ motus in Italia, ſed violentior in Civitate *Brixa*, cujus pars fere media pene ſubvertitur, abſorptis hominibus in ea parte repertis locis etiam maritimis, & maxime in Cypro terræ motus fertur eſſe nocivus. ❧ Fredericus Abbas Prumienſis, fit etiam Abbas Stabulienſis.

Anno MCCXXIII. Apud Senonas fit Archiepiſcopus Magiſter Galterus qui dicebatur cornutus, nepos ex ſorore Henrici quondam *Mareſcalli Francia*. ❧ Pariſienſi quoque Epiſcopo mortuo Gvillelmo factus eſt Epiſcopus Bartholomæus Carnotenſis Decanus. ❧ Moritur etiam Magiſter Hervejus Treverenſis [potius Trecenſis] Epiſcopus, in cujus corpore inventa ſunt quædam aſperam vitam juſtificantia [teſtificantia] ❧ *Rex Francorum Philippus* quadrageſimo quarto ſui anno moritur pridie Idus Julii, ad cujus ſepulturam adfuerunt Dominus Conrardus Legatus & Johannes Rex Hieroſolymitanus, & viginti ſeptem tam Archiepiſcopi quam Epiſcopi, qui omnes ea die in pontificalibus celebraverunt. Tale fecit *Teſtamentum* quod eidem Regi Joanni centum millia librarum, Templariis centum millia librarum, hoſpitalariis centum millia librarum, & in omnes eleemoſynas centum millia librarum delegavit, item Comiti Almarico pro negotio contra Albigenſes triginta millia marcharum [librarum] & illis de ſancto Dionyſio ubi ſepultus eſt quindecim millia librarum. Succedit in regno Ludovicus filius ejus qui coronatus eſt Rhemis octavo idus Auguſti, & tunc ſupra dictus Legatus Romam revertitur. ❧ Eodem anno factus eſt Cancellarius Pariſienſis Philippus optimus Theologus de ipſa civitate oriundus, cujus patruus fuit Galterus ſenior Camerarius. ❧ Romæ per unum diem *pluit terra rubea quaſi ſanguinolenta* in hebdomada illa quæ fuit

ante

Lætare Jeruſalem. ❧ In ante Hungaria ignis caſualis Strigonium & Boduariam devaſtavit. ❧ In terra *Albigenſi* hoc anno Senior ille Remundus quondam Comes Tholozanus inventus fuit, ut dicunt, in lecto ſuo mortuus: Item dum hæreticorum multitudo cum juvene Tholozano ex inſperato erumpens quosdam Chriſtianos revertentes invaderet poſtquam tranſierant aquam de Bodieres [Bedieres] viriliter reſtiterunt Catholici, & plurimos occiderunt, quorum fuit unus Seneſcaldus Arragonenſis: non multo poſt Comes Almaricus de Monteforti dum Carcaſſonam retinere non valeret, reliquit eam & in Franciam rediit: ❧ Huc uſq; *Magiſter Oliverus Pateburgenſis Epiſcopus* perduxit hiſtoriam ſuam Hieroſolymitanam incipiens eam ab anno creati mundi.

Anno MCCXXIV. Quædam revelata eſt prophetia quod ab aſcenſione Domini hujus anni in triennium fieret acquiſitio a Chriſtianis cujusdam Regni paganorum, & quod in ſequenti Auguſto ejusdem anni victoriam de Sarracenis habebunt in Hiſpania Chriſtiani: ❧ In feſtis Apoſtolorum Petri & Pauli obiit illa Recluſa de Vernoith quæ dicebatur *Soror Giluidis*, & erat veſtita pellibus cervinis [ericinis an forte: ericiis id eſt ennaceis] ita quod de illius corpore vermes ebullirent, & quia quæ de illa dicebantur multi non credebant, ex parte Regis & ex parte Epiſcopi multoties fuit obſervata: dicebatur enim quod poſt communionem non comedebat, & quod lampas ante illam absque corda vel adminiculo dependebat, de qua lampade dicitur quod primo quidem pendebat cum catenula, quam cum Diabolus rupiſſet, Dei voluntate lampas immobilis remanſit in materia quæ cum arderet absque junco tota hebdomada ſemper in Sabbatho apparebat oleo repleta, & multa alia de ea dicta ſunt quæ alii approbant, alii non credunt. ❧ Mortuo Conrardo Spirenſi & Metenſi Epiſcopo factus eſt Spirenſis Epiſcopus Berengarius ejusdem Eccleſiæ Decanus, ❧ Epiſcopus Virdunenſis Joannes poſtulatus eſt Metis, & conceſſus de permiſſione ſummi Pontificis: ad cujus receptionem Rex Johannes Hieroſolymitanus aliis de cauſis venerat Metis; qui Rex Johannes de voluntate ſummi Pontificis Honorii dedit filiam

ſuam

Digitized by Google

ſuam Yolendim [Iſabel] Imperatori Friderico in uxorem cum regno Hieroſolymitano, quod ei competebat jure hæreditario, quibusdam tamen conditionibus bona fide interpoſitis. Hujus Yolendis [Iſabellæ] matris ſororem germanam habuit uxorem Rupinus de *Antiochia.* Prædictus verò Rex Joannes Hieroſolymitanus duxit in uxorem filiam Regis Galliciæ ſororem Ferdinandi de Caſtella. ☞ Rex Francorum Ludovicus cum fratre ſuo Philippo cum exercitibus ſuis *contra Regem Angliæ* Rupellam in Pictavia & Abbatiam ſancti Joannis Angeliacenſis cum oppido, & caſtrum de Niort potenter obtinuit. ☞ In Pentecoſte univerſitas *Hoienſium* tam ſenes quam juvenes maſculini ſexus *antiquos ludos* veſtibus mulierum induti barbis raſis reducunt ad memoriam; habebant enim præcellentes formas [perſonas] ſecundum diverſitates locorum, Imperatorem videlicet, Regem, Ducem & Abbatem, quidam eorum erant armati loricis & galeis fulgentibus gladiosque nudos portantes in manibus ſuis. Pellifices enim habebant pellicea griſea & vulpina, pilum de foris habentia, & alii omnes prout poterant ad modum mulierum erant adornati, qui quomodolibet die feſti Pentecoſtes, nullo domi remanente ibant proceſſionaliter bini & bini per vicos & plateas cantando, & ad diverſa loca extra oppidum choreas dicendo; quibus autem diebus Eccleſiæ ſancti Mengoldi & ſancti Martini in foro renovabantur, & eis offerentes primo die videlicet ſancto Mengoldo viginti marcas, & ſancto Martino quindecim. ☞ Ventus validus extitit ultra modum nocivus in inventi[illegible]ncti Stephani in diverſis terrarum partibus ſegetes ad medium excutiens. ☞ *Apud Montem peſſulanum* dominica poſt Octavas aſſumtionis beatæ Mariæ de mandato Domini Papæ fuit *Concilium*, magnum ſeu colloquium ab univerſis ferè prælatis totius provinciæ pro facto *Albigenſium* celebratum, ubi affuerunt Juvenis Comes Tholozanus Remundus, Rogerus Bernardi Comes Fuexenſis & Vice Comes Biterrenſis, filius Rogerii hæretici combuſti qui ex toto exhæredatus eſt, & hæreticorum infinita multitudo

quærentes ita pacem facere, ut hæretici remanerent vel palam vel occultè: quidam Epiſcopi erant inſtituti in hiis dignitatibus quas perdiderant & quas de manu laicali tenere ſolebant; quædam etiam Eccleſiæ reſtitutæ erant, & quædam non, & hæc reſtitutio potius fuit ex timore Regis qui erat in Pictavia, quam ex devotione. Ordinatum eſt in eodem Concilio & diſpoſitum quod fieret collecta mille marcarum argenti, & miſſi ſunt ad Curiam Romanam ſolennes nuncii, Archiepiſcopus Arelatenſis cum aliis Epiſcopis & duo Abbates ſancti Saturnini Tholozani & de Caunis. De hoc Archiepiſcopo Arelatenſi fuit in quibusdam literis, quod in ſupra dicto colloquio Eccleſiam Dei vendidit, angariavit, & etiam annihilavit vili pretio & enormi; Velit ergo Deus, ut in eisdem literis legitur, ne à talibus Eccleſia Dei ſuffocetur. ☞ Dominus Cardinalis Conrardus à Roma regreſſus, & per imperium Alemanniæ conſtitutus Legatus *Leodium* venit, ibique vallem benedictam ordinis Ciſtercienſis de novo fundatam circa pentecoſten conſecravit, deinde Tullum venit in octavis B. Martini cum Colonienſi & Moguntinenſi Archiepiſcopis, & cum Imperatoris filio Rege Henrico & majoribus & proceribus Alemanniæ. ☞ Rex quoq; Franciæ Ludovicus cum ſuo colloquio & conſilio in eodem, *apud caſtrum Vallis coloris*, & ſequenti die utriusq; regni conſiliatores in unum convenientes congruum colloquium ad invicem habuerunt. ☞ Mortalitas maxima animalium veniens à partibus Orientis per Græciam eodem anno tranſivit per Hungariam, & anno ſequenti fuit in Alemannia & ſe[illegible] anno altero in Francia.

Anno 1225. Literæ ſummi Pontificis de Francia [facta] hoc anno ſolenni damnatione cujusdam *libelli Joannis Scoti.* Honorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Archiepiſcopis & Epiſcopis &c. Inimicus homo zizania bono ſemini ſuperſeminare non ceſſat &c. Nuper ſiquidem ſicut nobis ſignificavit venerabilis frater noſter Pariſienſis Epiſcopus, eſt quidam liber qui *Periſiſis* titulatur, inventus tot ſcatens vermibus hæreticæ pravitatis, unde à venerabili fratre noſtro Archiepiſcopo Senonenſi & ſuffraganeis ejus in provinciali Concilio congregatis

Digitized by Google

gatis juſto eſt Dei judicio reprobatus, quia igitur liber ſicut recepimus in nonnullis Monaſteriis & aliis locis habetur, & clauſtrales nonnulli & viri Scholaſtici novi tamen fortè plusquam expediat amatores ſe ſtudioſius lectione occupant dicti libri, glorioſum reputantes ignotas proferre ſententias, cum Apoſtolus prophanas novitates doceat vitare; Nos juxta paſtorales ſollicitudinis debitum corruptelæ, quam poſſet ingerere liber hujusmodi, occurrere ſatagentes, vobis univerſis & ſingulis in virtute ſancti Spiritus diſtrictè præcipiendo mandamus, qvatenus libellum iſtum ſollicitè perquiratis, & ubicunque ipſum vel partem ejus inveniri contigerit, ad nos, ſi ſecurè fieri poſſit, ſine dilatione mittatis ſolemniter comburendum, alioquin vos ipſi publice comburatis eundem, ſubditis veſtris expreſſè injungentes, ut quicunque ipſorum habent vel habere poſſunt in toto vel in parte exemplaria dicti libri ea nobis differant reſignare, in omnes qui ultra quindecim dies poſt [f. poſtquam] hujusmodi mandatum ſeu denunciatio ad notitiam eorum pervenerit, librum ipſum totum aut partem ſcienter retinere præſumſerit excommunicationis ſententiam incurriſſe notamque pravitatis hæreticæ non evadent, Datum Laterani decimo Calendas Februarii &c. De libello ſupra dicto teſtatur *Magiſter Hugo de ſancto Victore* in libro didascalicon, quod *Joannes Scotus* ſcripſit Theologiam de decem Cathegoriis in Deum, de quo Joanne habetur in nova hiſtoria Anglorum, quod martyr æſtimatus [eſt] lege ſupra in anno 877, non eſt igitur mirum, ſi libellus hic ante trecentos circiter [annos] editus, & magnum Concilium nuper celebratum evaſit, & hoc anno damnationem incurrit propter novos, Albigenſes & falſos Theologos, qui verba bene forſitan ſuo tempore prolata & antiquis ſimpliciter intellecta, malè intelligendo pervertebant, & ex eis ſuam hæreſim confirmabant. 90 Comes *Campanienſis* Theobaldus quibusdam amicis ſuis ſecum ſumtis ad avunculum ſuum ad partes *Navarrorum* abiit, quo tempore Rex habebat filium Guillelmum nomine, baſtardum tamen, quem populus terræ ſibi præficere videbatur magis

quam Comitem, & Epiſcopus Pampelonæ frater uterinus ejusdem Baſtardi ſimili modo contradicebat Comiti : & inde videns Comes eo tempore ſe nihil poſſe proficere, revertitur cum ſuis. ☙ Apud *Virdunum* in Cathedra Pontificali de voluntate & conſilio Metenſis Epiſcopi Joannis poſitus fuit Conſobrinus ejus Cantor Laudunenſis Radulphus filius Domini de *Torota*, appellantibus ad Papam Archidiacono Henrico Malapeta [Malapota] Montisfalconis Præpoſito cum aliis perſonis quæ erant in parte ejus, & hujus cauſæ ventilatio ultra annum proceſſit eo quod pars appellantium innitebatur conſilio & auxilio Comitis Barrenſis. Sed cum Comes idem captus fuit ante natale Domini in Burgundia à Joanne Cabilonenſi filio Comitis Stephani, & ab Henrico Viennenſi fratre Gerardi jam defuncti, tandem poſt ſuam redemtionem & reverſionem cum eodem electo Radulfo pacem habuit, & cum ipſo Virdunum obſedit. ☙ Monſtruoſa res & deceptione plena contigit in Flandria hoc anno. Iſte ſiquidem eſt annus viceſimus, ex quo Comes Balduinus, qui fuit Imperator Conſtantinopolitanus, dicebatur pro certo apud Ternoam in Bulgaria fuiſſe interfectus, & ecce in cæna Domini hujus anni quidam pſeudopropheta, qui videbatur quaſi pœnitens & Eremita in Viconia, à quibusdam perſuaſus imò quaſi compulſus Valentianas venit, Theodorico Abbati ſancti Joannis de Valencianis, & Abbati ſancti Vedaſti Attrebatenſi, & quibusdam militibus & Burgenſibus, maximè nobilibus & religioſis ſe manifeſtavit, cicatrices lateris, manuum & pedum & capitis oſtendit, ita quod illis qui primo Comitis Balduini familiares extiterant per multa interſigna *Imperatorem Balduinum ſe eſſe perſuaſit.* Ducem Lovanii & Barones & viros nobiles & milites ultra mille præter ignobiles in parte ſua habuit, duobus ferè menſibus regnavit, crucem ante ſe ferri quaſi Imperator fecit, coronam in die pentecoſtes tulit, decem novos milites creavit, novas chartas ſigillavit & feoda diviſit, ſed cum de eo murmur increſceret, & multitudo, quæ ſequebatur eum, inciperet eſſe ſuſpecta, per Regem Ludovicum apud Peronam Veromandiæ tertio Kalendas Julii evocatus eſt ad colloquium, qui dixit ei in prima ſalutatione: Do-

Digitized by Google

ne: Domine, ſi eſtis avunculus meus, ut dicitis, benè veneritis, itaque ſuper quibusdam interrogatus & examinatus, quaſi mente alienatus ſeu indignatus reſpondere noluit, imò non potuit, inducias tantummodo usque poſt ſuam dormitionem requirendo & ſuorum conſilium, unde Rex eundem cum neque à ſorore, neque à filiabus, neque à nepotibus, neque ab Hugone Leodienſi Epiſcopo cognoſceretur, à regno ſub interminatione compulit exire : Hoc autem non eſt ſilendum, quod in hac diſſenſione maxima pars terræ deſtructa eſt & multa facta ſunt mala, dum alii partem iſtius, alii partem Comitiſſæ defenderent. Hic igitur cum multis de terra exiens & paulatim de die in diem præter duos aut tres à ſe dimittens Coloniam venit & per Teutoniam tranſiens, uno ſolo Clerico Comite contentus quaſi Romam iturus in Burgundiam Biſuntinenſi dioceſi militibus occurrens per Clarenbaldum de Cappis capitur, & adductus apud caſtrum de Chacenai [cachenai] cuſtodiæ mancipatur. Interim Comitiſſa Flandriæ auxiliis copioſis congregatis Valencianas & alia caſtra ſeu villas munitas, in quibus ille regnaverat, ad deditionem coegit & redemtionem, dehinc fama volante captivus de voluntate Regis traditur Comitiſſæ, ipſo Rege dicente, quod pro omnibus quæ fecerat non eum reum mortis eſſe judicabat, tandem eum aliquamdiu conſervatus eſſet ut aliquid per confeſſionem audirent, ab ore ejus detecta eſt machinatio ejus, ne ſubito per violentiam raperetur ab iis, qui primò fuerant in parte ejus per Arnulfum de Audenarde, & per Pares Flandriæ majores, mortis reus judicatur, opprobriis infinitis deridetur, affligitur, & per caſtella & vicos circumductus ad ultimum propè Inſulam ſuſpenditur & de multorum cordibus cogitationes revelantur, aliis factum hoc approbantibus, aliis improbantibus. Laqueatus fuit in furcis eminentiſſimis multis per circuitum armatis & obſervantibus per hebdomadam deputatis cuſtodibus. In tantum verò perſuaſio hæc prævaluit, quod adhuc prævalet in cordibus multitudinis, quod nullo modo ſedari quorundam cogitationes * quin ipſe fuerit Imperator Balduinus, ſed ſi frater Simon de Alna vir religioſus ac timens Deum, qui erat contra eum, aliquam de eo veritatem cognovit, quomodo eam celare potuit? Dicit ergò Epiſcopus

Senigalliæ Dominus Balduinus de Alria, quod frater Simon veraciter dixit ſibi tantum revelatum fuiſſe eum absque dubio deceptorem fuiſſe, ſed & ipſe aliquando confeſſus fuit ſe eſſe Bertrannum de Rais. ❧ Romanus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis per regnum Franciæ, per Burgundiam, per Provinciam conſtitutus Legatus, poteſtativè quæ diſponenda ſunt diſponere intendit. Hujus autoritate Rhemis in craſtina luce Magiſter Joannes de Villa Abbatis, vir honeſtis moribus præditus, ad prædicandum optimus Theologus Ambianenſis Decanus conſecratur in Archiepiſcopum Biſuntinenſem. Apud Civitatem Narbonenſem hoc anno mortuus eſt Archiepiſcopus Arnaldus. ❧ Comitiſſa Gertrudis cum eſſet hæres unica de *Daborch* & de quodam Caſtro Leodienſis dioceſis quod Muha [Muſacum] dicitur cum appenditiis, & eſſet primò *Duciſſa Lotharingiæ*, deinde Comitiſſa *Campaniæ*, noviſſimè verò de *Linenges Comitiſſa* tandem moritur ſine hærede. ❧ Longas concertationes habuit Metenſis Epiſcopus contra Comites qui caſtra dictæ Comitiſſæ ſibi vendicabant maximè ex vicinitate, & ille de *Linengis* ex dote vel remanentia uxoris, quæ recipere debebant de manu Epiſcopi, qui per *Comitem Barri* de ipſis triumphum obtinuit. ❧ Epiſcopus Leodienſis caſtrum Muſaci cum appendiciis tam emtionis titulo quam *jure mortuæ manus* potenter & victoriosè obtinuit, Ducè Lovanii pro poſſe ſuo reſiſtente. ❧ Fredericus Imperator de Sarracenis, qui montanas tenebant in Sicilia, nobiliter triumphavit. ❧ Patriarcha Hieroſolymitanus Magiſter Radulphus moritur, cujus cathedram ſortitus eſt Epiſcopus Valentiæ Magiſter Giroldus. ❧ Archiepiſcopus Colonienſis Angilbertus [Engelbertus] vir & genere & mente nobilis & maxima Eccleſiæ columna ſexto Idus Novembris interficitur à quodam cognato ſuo Frederico Comite de Hemberg [Yſemberg] eo quod cum admonebat cauſa [ab advocatia] nobilis Abbatiæ dictæ *Eſſendiæ* quarundam monialium quam cum defendere debuiſſet, deſtruebat, Fredericus ille fugiens excommunicabatur ubiq; autoritate Cardinalis Domini Conrardi. Quærebatur etiam autoritate Regis, & maximum præmium

mium propoſitum eſt ei, qui ſciret & indicaret, quomodo capi poſſet. Itaq; circa annum ferè completum reverſus à Roma ſub habitu Mertoris, & à quibusdam Leodii cognitus eſt, & quod Hojum tenderet, illico demandatum eſt Balduino militi de Geneſia, qui ſine mora veniens eum in valle Amanienſi cepit, & Colonienſibus pro magno apud Viziacum tradidit. Inde Coloniam ductus & per vicos & plateas ut canis viliſſimè tractus, tandem in rotâ eminentiſſimâ rotatus eſt, martyrium ſuum recipiens cum omni contritione & devotione, & cum expiraſſet & Domini Colonienſes cum altâ voce Te Deum laudamus &c. decantaſſent, eo quod vindicta de nece Archiepiſcopi eſſet conſummata, *ex tunc Archiepiſcopus, qui eo usque miracula faciebat, ea facere omiſit*, poſt quem præpolitus Romæ Henricus nomine Comitis de Sena Conſobrinus in Archiepiſcopum Colonienſem eligitur decimo ſeptimo Calendas Decembris. In hoc etiam anno in tantum carum tempus fuit, quod modius frumenti vendebatur viginti octo ſolidis Leodienſium. ❧ Magiſter Guillelmus Avernus Theologiam legens Pariſiis, *novam domum filiarum Dei inchoavit*, & plures communes mulierculas prædicatione ſuâ à peccatis retraxit, & harum exemplo in aliis civitatibus cæpit hic ordo dilatari. ❧ Hyems hoc anno fuit longiſſima, à feſto ſancti Lucæ usq; ad quindenam poſt paſcha, & de lunatione in lunationem ſatis aſpera. *Bituricis Civitate Concilium celebratum eſt* in feſto ſancti Andreæ, Romano Cardinali præſidente, de ſtatu Eccleſiæ & Albigenſium, qui Cardinalis Pariſios reverſus nuper tumultum fecerat maximum quoddam privilegium Magiſtrorum & Doctorum ſcindens per medium, & vulnerati fuerunt duo de familia ſua, Scandalum amovit, & abſolvendos abſolvit, & turbatos pacificavit.

Anno 1226 In craſtino purificationis Domnus Cardinalis & Legatus apud Leodium habuit *Concilium contra Monaſterienſem Epiſcopum & Osnaburgenſem electum*, qui erant fratres Frederici interfectoris Archiepiſcopi. Ibi probatum eſt contra eos quod fratrem [jam] ubique excommunicatum de ſubſtantia ſuâ & de militibus ſuis juviſſent contra Eccleſiam, & contra Imperium, & quod unus eorum dixit

dixit fratri verbum, unde magis commovit eum in necem Archiepiſcopi, quid multa? ſuſpenſi ab officiis, Epiſcopus etiam ſuſpenſus à beneficiis, Romam ire compulſi depoſiti ſunt, & alii in loco eorum fuerunt inſtituti. Idem Cardinalis Domnus Conrardus & Subdelegatus ejus ab eo inſtitutus Domnus *Abbas Conrardus de Benbinbuſen* multa millia hominum nobilium & ignobilium pro via hieroſolymitana cruce ſignaverunt. Iſte Abbas Conrardus multa tunc temporis fecit in Alemannia. ☙ Cardinalis autem Franciæ Romanus cruce ſignavit Regem Ludovicum cum exercitu valido pro via *Albigenſium*. Rex Ludovicus cruce ſignatus ſuper Albigenſes cum exercitibus ſuis abiit, civitatem Avenionem obſedit, poſt multam de ſuis amiſſionem, & multa pericula, civitatem ipſam potenter obtinuit de ea & habitatoribus ejus ſicut voluit triumphavit. Tota provincia circa Tholozam ſubjugata fuit & ſubjecta, duos etiam Epiſcopos Dominus Rex, unum in Avenione, & unum in Carcaſſona renovavit. Antequam prædicta fieret expeditio, moritur Epiſcopus Catalaunenſis Guillelmus; electus eſt igitur ſolenni electione in Epiſcopum Henricus Rhemenſis Archidiaconus Theſaurarius Belluacenſis, ſed recipere noluit. Electus eſt iterum communi electione Magiſter Petrus de Collemedio, ſed non acquievit. Tertia electione quæ fuit in craſtino Trinitatis maximam habuerunt diſcordiam, & prima quidem pars (quæ major & ſanior videbatur) Magiſtrum Bartholomæum nominavit, natione Lombardum, ejusdem Eccleſiæ Canonicum & diſertum Theologum, pars altera nominavit juvenem Nobilem Robertum de *Torrota* fratrem Epiſcopi Radulfi Virdunenſis: & ita fuit partis conſenſus, ut dicebant, licet quidam eorum aliter ſentirent, quod ſi non poſſent haberent dictum juvenem nominabant Cantorem Eccleſiæ Catalaunenſis Hugonem, quis horum finis extitit, in ſequentibus dicetur, cum itaque tanta difficultas extiterit mortuo Epiſcopo Guillelmo in Eccleſiaſtica dignitate, major etiam difficultas extitit de ejus ſucceſſione *in Comitatu Pertici*, Rex tamen majorem partem ſuper cæteros habuit. ☙ Domina Ambazia Comitiſſa Carnotenſis patrem ſuum ibi clamabat feodum quoddam

Digitized by Google

dam quod de ea movebat. ❧ Regina Berengaria & ſoror ejus Comitiſſa Campaniæ, cum pater earum Rex Sanctius Navarrorum per matrem ſuam extiterit de genere Pertici, licet aliquantulum à longè partem ſuam ibi habuerunt. ❧ *Comes Barri* Henricus cum eſſet captus in Burgundia, ut ſupra tetigimus, fuit ibi usque ad pentecoſtem. Redemtus ergo pro ſexdecim millibus librarum [prumium] liber dimiſſus eſt, promittendo quod pacem cum eisdem principibus haberet, qui ipſum tenuerant, nec ipſis fidem ſervavit. ❧ Tempore rogationum tempeſtas ſæviſſima, & noſtris temporibus inaudita cecidit in territorio Laudunenſi, ſpecialiter tamen apud Abbatiam Fuſniaci, ita ut ipſius Abbatiæ, & ſex grangiarum ejus domos diſcooperuit, & pomæria ex parte eradicavit & confregit, & ſecundum æſtimationem *per ſex leugas in longitudine & unam ſolam in latitudine cucurrit.* In Eccleſia verò ejusdem Abbatiæ quoddam mirabile contigit, dum quædam vitrea feneſtra à loco ſuo violenter evulſa, magnum crucifixum in medio Eccleſiæ miro modo concuſſit, ita quod idem crucifixus faciem avertit à Choro Converſorum, & faciem habuit ad Chorum Monachorum. ❧ Quarto nonas Octobris *beatus Franciſcus* plantator ordinis fratrum minorum feliciter migravit ad Dominum, cujus corpuſculum in Lombardia in civitate Aſſiſii honorificæ traditur ſepulturæ. ❧ Obiit Valeranus Dux de Ardenna, vir corpore decorus [& ſatis audax] poſt decem annos, ex quo pater ejus ſenior *Henricus de Lemborc* deceſſerat, qui ambo ſepulti ſunt in Eccleſia de Rede ordinis Auguſtini. ❧ Ludovicus Comes *de Ciſnejo* in *aurea valle* ſepelitur, ubi & avus ejus Albertus Comes decentiſſimè jacet. ❧ Agnes *Ducisſa Lotharingiæ* in Abbatia Belli prati ſepulta eſt, de illis autem qui mortui ſunt in expeditione Avenionis & Albigenſium primus obiit in partibus Andegavorum Almaricus de Creona vir cruce ſignatus & nobilis, qui mortuus eſt antequam ad alios veniret, & ante Avenionem de nobilioribus primus obiit *Comes de ſancto Paulo* petra de petraria emiſſa in capite percuſſus. ❧ In reditu apud ſanctum Florum in Alvernia moritur famoſiſſimus

Comes Philippus *Namurcenſis* & ſepelitur juxta Capitulum Abbatiæ de Vacellis, ſimiliter apud ſanctum Florum moritur Archiepiſcopus Guillelmus Remenſis Nonis Novembris, cujus corpus ſicut petierat cum Monachis in Cimiterio ſepultum eſt. Rex autem Ludovicus moritur apud Montem Pancherii juxta civitatem Clarimontis in Alvernia ſeptimo Idus Novembris die Sabbathi, regnavit annis tribus cum quinque menſibus, corpus ejus relatum eſt apud ſanctum Dionyſium, ibique juxta patrem ſepultum; In hac Abbatia Reges ſeptendecim requieſcunt, reliquit Rex in terra provinciæ cognatum ſuum Humbertum de *Belloioco* Militibus quingentis. ℘ Dominica prima adventus Domini coronatus eſt Rhemis ab Epiſcopo Sveſſionenſi Ludovicus filius Ludovici Regis, fratrum ejus hæc erant nomina, Robertus, Joannes Alphonſus, Dagobertus, Carolus & ſoror Iſabella, *Regi Joanni Hieroſolymitano*, cui gener ſuus *Fridericus* adverſabatur, commiſit Papa civitates ſuas, & caſtra plurima in Tuſcia, & Romani & Lombardi habebant eum in reverentia maxima, cum è contrario Imperatorem odirent. Imperator iſte tantos in auro & argento theſauros habere * quantos ullus de anteceſſoribus ſuis habuit à tempore Caroli magni, ſcilicet propter ditiſſimum regnum Siciliæ & Apuliæ.

Anno 1227. Comes Flandriæ Fernandus per annos duodecim & menſes quinque in Cuſtodia Regis Francorum detentus tandem relaxa[illegible] & Flandrenſibus redditur: pro ſocio ejus Renaldo Bolonienſi C[illegible]te [quidam] laborabant, ſed in vanum, qui interim circa ſequens paſcha voluntaria, ut dicitur, vitam morte finivit, ℘ Rhemis in electione ſolenni celebrata Hugo Leodienſis Epiſcopus Archiepiſcopum nominatur & poſtulatur, qui cum fuiſſet per majores Eccleſiæ Rhemenſis perſonas requiſitus ut conſentiret, gratias illis agens conſentire noluit, ſed humiliter & rationabiliter ſe excuſando, per *Magiſtrum Jacobum de Vitriaco* Aconenſem Epiſcopum qui reſponſum ejus protulit in publicum, nam præſens aderat, ſedem illam inventus eſt recuſaſſe quam nullus ante ipſum nec modernis, nec antiquis temporibus

bus recuſavit. Unde ſecunda electione quæ fuit ſecundâ feriâ poſt purificationem electus eſt Archidiaconus Rhemenſis Henricus qui anno nondum finito electioni Catalaunenſi renuntiaverat: hic igitur in octavis paſchæ conſecratur decimo quinto Calendas Aprilis, hoc eſt quintâ feriâ ante Lætare Jeruſalem, dominus Papa Honorius deceſſit, & factus eſt ſummus Pontifex Hugo Hoſtienſis Epiſcopus Cardinalis cognomine Hugelinus vir nobilis & religioſus & acutiſſimè literatus, de civitate Agnania prope Romam oriundus, hic eſt Gregorius nonus. ☞ Patriarcha Conſtantinopolitanus erat hoc anno Matthias, tertius illorum qui de Latinitate in eâdem ſede aſſumti ſunt, Primus eorum dictus eſt Thomas de Venetia natus Secundus Gervaſius ſuis de Tuſcia aſſumtus, Tertius iſte Matthias iterum Venetianus, quo ſedente & Lectoribus [electoribus] per conſilium vota ſua [per conſilium] transferentibus & in Magiſtrum Joannem Archiepiſcopum Biſuntinenſem conſentientibus de voluntate Domini Papæ dictus Archiepiſcopus Romam adiit poſtulatus onus illud ſubire non conſenſit attentare, unde Dominus Papa Cardinalem eum inſtituit, & ſecum retinuit, dans ei ſabinenſem Epiſcopatum, In Conſtantinopoli verò factus eſt Patriarcha Simon Archiepiſcopus de Tyro. ☞ Moritur Archiepiſcopus Lugdunenſis Renaldus qui fuit filius *Comitis forenſis* ſuccedit Epiſcopus Claromontenſis de Alvernia Robertus cujus frater fuit Gvido Comes Alvernenſis. ☞ Obiit frater Garinus Sylvanectenſis Epiſcopus ſuccedit Magiſter Adam ſufficiens prædicator & Theologus, Magiſter Jacobus Aconenſis Epiſcopus Romam abiit cum feſtinatione evocatus à ſummo pontifice, & paulo poſt mare tranſivit, ☞ Frater Regis Angliæ Comes Richardus qui ante biennium Reolam [Riolam] & partes circa Burdegalam contra Regem Franciæ faiſſiverat per cognatos Regis Humbertum Bellijoci Dominum & Britanniæ Comitem Petrum victus eſt in bello, & ſic in Angliam revertitur. ☞ *Rex Daciæ* Valdemarus contra Henricum Comitem à quo captus fuerat bellum habuit. ☞ Archiepiſcopus Bremenſis contra Regem in parte Comitis primus fa-

cta forte dimicavit, tribus Epiſcopis Daciæ captis, & mille circiter viris occiſis Rex cum paucis evaſit. ❧ In Friſia Epiſcopus Otto Ultrajectenſis contra quendam Rodulfum peſſimum Tyrannum quoddam obtinuit oppidum, tyrannus ille à Friſonibus aggregatis Epiſcopum cum ſuis in oppido obſedit, ignem appoſuit, ignis violentia oppido deſtructo capitur Epiſcopus & crudeliter interficitur. Itaque [ita quod] ducenti circiter tam milites quam militum filii cum ſupradicto Epiſcopi fuerunt occiſi. ❧ In Hungaria Magiſter Robertus Veſprimenſis, vir bonus & religioſus *de Leodienſi dioceſi natus*, factus fuit Epiſcopus Strigonienſis. Eo igitur cruce ſignato & in procinctu itineris conſtituto occurrit illi filius *Principis de Comania*, & ait, Domine, baptiſa me cum duodecim iſtis, & pater meus ad te veniet ultra Sylvas in tali loco cum duobus millibus viris, qui omnes deſiderant de manu tua baptizari, quo facto abiit Archiepiſcopus ultra Sylvas [in] occurſum patris illius cum Bartholomæo Epiſcopo quinque eccleſiarum & Guillelmo Veſprimienſi & Guillelmo *ultraſylvano* Epiſcopis, & ibi baptiſati ſunt ultra quindecim millia hominum. ❧ Fredericus Imperator naves ſuas paraverat apud Brunduſium, quaſi tranſiturus mare, ſed ſubita infirmitate tactus vel vera vel ſimulata remanſit. ❧ Ibi Lantgravius Toringiæ Ludovicus Juvenis cruce ſignatus obiit, cujus oſſa in patriam ſuam relata ſunt. ❧ Dux autem Henricus Lembergenſis cum quibusdam aliis ex parte Imperatoris tranſiit, & ibi fuerunt quidam de Anglia Epiſcopi, cum autem Jacobus Monachus ſancti Galgani vir religioſus & ſimplex die quadam Miſſam celebraret, apparuit ei nebula, ſcilicet inter crucem & calicem, & cum ſublevâſſet caput ad orationem quæ dicitur, ſupplices te rogamus, perſpiciens & admirans vidit lumen ardens in nebula in modum lucis candelæ ardentis, & cum hoc intueretur, exivit manus de nebula & lumine, & extendens ſe ſupra corporale quod poſitum erat ſuper altare, ſcripſit multa ad correptionem humani generis depravati & in quatuor apparuit Miſſis diverſam in qualibet prophetiam deſcribens: quidam frater Petrus de Barvech

Digitized by Google

vech [Borein] de ordine Minorum consistens apud Acram scripsit quasdam literas Episcopo Basacensi, ubi dicit, quod Anti-Christus erit in Martio decem annorum, cui non consentiunt scripturæ, quia antequam veniat *Anti-Christus* hæc signo (ut quidam sapientes dicunt) debent evenire, Reædificatio turris Babel & montes Caspii fient pervii & transmeabiles, & fluvius Ethan debet fluere. Unde scribitur: tu siccasti fluvios Ethan, & idolum Machometi debet corruere. In pago Hasbanio Leodiensis diocesis habetur oppidum cum Abbatia, quæ dicitur sancti Trudonis, qui sanctus Trudo dum adhuc viveret, dederat villam suam beato Stephano *Metensi*, item beatus Lambertus Leodiensis habebat ab antiquo villam de Maideriis supra Mosellam juxta castrum Montionis in diocesi Metensi. Itaque hoc anno Episcopus Hugo Leodiensis, videns & perpendens posse commutationem in hujusmodi commodius fieri, dedit civitatem de Maideriis Episcopo Metensi pro oppido sancti Trudonis, & pro duabus Abbatiis Valtiodoro & Hasteriis, & insuper duo millia marcas argenti eidem Episcopo, & quingentas marcas capitulo sancti Stephani, & hoc modo sancti Trudonis oppidum acquisivit Ecclesiæ Leodiensi in perpetuum secularem videlicet justitiam, cum jam ibi haberet *Christianitatem* ab antiquo. At contra *Comes Barri* cum sit hæreditario jure advocatus de Maideriis, huic commutationi per multum tempus contradixit, & totum, quicquid Episcopus Metensis per excambium in Maideriis acquisierat, saisivit, ita quod per annum unum & ultra totum sibi vindicavit, donec viris honestis mediantibus pax intervenit & Ecclesia Metensis decimas sibi retinuit, Episcopus verò Leodiensis, quidquid acquisiverat, in pace tenuit. ❧ Romæ Sabbatho in quatuor temporibus in Septembri fecit Papa Gregorius nonus sex honestos viros Cardinales, primus eorum fuit Magister Joannes Bisuntinensis Archiepiscopus quondam, qui jam factus erat, ut præmisimus, Sabinensis Episcopus. Alius Magister Bartholomæus Lombardus, qui factus est presbyter Cardinalis sanctæ Potentianæ. Tertius

Magiſter Sigebaldus presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Lucina, Quartus Gaufridus Cancellarius Mediolanenſis presbyter Cardinalis ad titulum Sancti Marci, Qvintus dictus Otto Sancti Nicolai in carcere Tullii, Sextus verò Camerarius Dominus Renaldus, ☞ Apud Virdunum maximum inter Cives & Epiſcopum & Clericos vertebatur ſcandalum, cum idem Epiſcopus ſecunda vice cum Comite Barri & principibus aliis civitatem obſideret per circuitum & hâc occaſione fuit deſtructio ædificiorum non modica circa Eccleſias & Abbatias urbis. ☞ Apud Dinantum Leodienſe oppidum ſuper Eccleſiam quæ in valle ſita erat, rupes maxima quæ de monte diu perpenderat in craſtino Sancti Thomæ Apoſtoli cecidit & triginta ſex viros miſſam pro præſenti defuncto auſcultantes oppreſſit,& plures alios debilitavit, presbyter tamen miſſam celebrans illæſus permanſit & integer. ☞ In *Polonia* Dux Cracoviæ celebri laude memorandus Liſter [Liſtet] nomine interficitur à quodam cognato ſuo viro improbo juniore Logiſtelao Odoſii [odoſeji] filio, qui Liſter cum fratre ſuo Girardo de Rege Ruſſiæ Romano nomine quondã nobiliter triumphaverat. Hic autem Logeſtelaus Dux Genueſiæ poſt patruum ſuum magnum Logeſtelaum poſtquam dictum Liſtet interfecit, & Ducem Henricum de Yreſtelavia cepit, virum Catholicum tandem Dei judicio à luxuria interficitur hoc modo, quandam juvenculam Teutonicam ſecum de nocte collocavit, quæ *non ferens oppreſſionem ſuam*, campulo [f. cultello, cannivet] quod ſecum portabat occultè ventrem illius pupugit, & mortuus eſt, & Dux Henricus cum eſſet Senior omnium Ducum Poloniæ Cracoviam obtinuit: hæc omnia infra ſex annos cauſa continuationis explevimus.

Anno 1228. *Fredericus Imperator* literas miſit Archiepiſcopo Treverenſi & aliis principibus Imperii per quas ultra modum de ſummo pontifice conqueritur, & e contrario Papa literas ſuas ubique dirigit, per quas præcipit Imperatorem ubique excommunicari, ſiquidem hoc eodem anno Cardinalis Romanus Roma egreſſus pro facto Albigenſium & pro diſcordia principum Franciæ miſit

Digitized by Google

miſit generali Capitulo Ciſtercienſi duo paria literarum quas ei miſerat ſummus Pontifex, in quibus dicitur quod Papa omnes qui juramento fidelitatis Frederico Imperatori erant aſtricti, & ſpecialiter homines regni à Sacramento abſolvit, ac abſolutos denunciavit ſecundo Calendas Auguſti, & multa mala ibi publicata ſunt contra eum, quod ſit hoſtis Eccleſiæ & diſcipulus Machometi. ☙ Archiepiſcopus Robertus Strigonenſis de Hungaria novum fecit Epiſcopum *in Comania* Theodoricum nomine. ☙ In prutia verò quæ eſt ultra Poloniam & ultra Pomeraniã *Epiſcopus Mutinenſis* Gvillelmus miſſus à Papa Legatus ingenio & ſapientia ſua, non fortitudine multos paganos ad fidem attraxit, & linguam eorum ex maxima parte didicit, Inſuper principem artis grammaticæ ſcilicet *Donatum in illam barbaram linguam cum maximo labore transtulit*, erant autem hoc anno in illis partibus quinque tantummodo provinciæ paganorum acquirendæ, iſta videlicet de qua agitur prutia, Curlandia, Lethonia, Withlandia & ſambria. ☙ In Thuſcia apud Aſſiſiam Peruſio proximam facta eſt *Canoniſatio Beati Franciſci* patris fratrum Minorum, quidam autem de iſto ordine qui publice quasdam hæreſes pariſiis prædicabat captus fuit & incarceratus. ☙ Eodem anno fugitivi quidam à diverſis ordinibus ſibi aſſociati Romæ dum Papa moraretur in Anagnia civitate ſua *falſum Papam* & falſarium ſibi præfecerunt habentes quosdam nobiles furtivè cauſa lucri ſibi ad hoc adjutores, & per ſex hebdomatas maximam fecerunt deceptionem ita quod multitudinem cruce ſignatorum redemptione accepta à crucibus & peregrinationibus abſolvebant, & de falſa bulla quam habebant literas peregrinationis ſigillabant, unde cum quilibet à cruce abſolvendus daret ad minus quatuor marcas, maximam de tali furto collegerunt pecuniam, qui tandem capti fuerunt & diverſis membris mutilati. ☙ Archiepiſcopatum Biſuntinum Magiſter Nicolaus obtinuit prædicator & bonus Theologus. ☙ Pariſiis quoque mortuo Epiſcopo Bartholomæo, Epiſcopatum Magiſter Guillelmus Alvernenſis & ipſe Theologus optimus

poſt

poſt multorum electionem obtinuit. ❧ Apud Catalaunum tandem transacto biennio electus eſt in Epiſcopum Decanus Pariſienſis Philippus, & in inſtanti Rhemis conſecratus, cujus pater dictus eſt Urſus *Camerarius Regis*, Frater Galteri junioris, & habuerunt fratres Epiſcopos tres ſupra nominatos, Pariſienſem, Noviomenſem & Meldenſem, quære ſupra in anno 1214, & in fine anni 1204. Interim mortuo Epiſcopo Noviomenſi Gerardo fratre Epiſcopi Sueſſionenſis, factus eſt Epiſcopus Noviomenſis Nicolaus Turonenſis Decanus, nepos ex ſorore nobilis viri Bartholomæi de Roya in Curia Regis Franciæ nominatiſſimi. ❧ Apud Lemovicas poſt Bernardum Guido factus eſt Epiſcopus. ❧ In Anglia mortuus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis Magiſter Stephanus de Languenton, ſuper omnes ſui temporis nominatus Theologus, *qui multas expoſitiones Theologicas fecit* & ſcripſit, & libros ad memoriam poſteris reliquit, ex quibus unum ſuper Iſaiam, & alium ſuper duodecim prophetas, & ſuper epiſtolas Pauli quasdam Poſtillas. ❧ Factus eſt Archiepiſcopus quidam Magiſter Richardus magnus Lincolinenſis quondam Cancellarius. ❧ Moritur Epiſcopus Odo Tullenſis, cui ſucceſſit Abbas Garinus Sancti Apri ſenex & emeritus. ❧ Comes Hugo Reiteſtenſis moritur, qui apud Eslantium Abbatiam ſepelitur. ❧ Ventus validus extitit ante vigiliam Sancti Martini & in plurimis nemoribus in multa quantitate ceciderunt quercus & fagi, & Eccleſia Trecenſis corruit, & caput Sancti Philippi Apoſtoli in illo caſu ſe mirabiliter abſcondit. ❧ In Dacia Sanctus Gvillelmus Abbas canonizatus à Papa multa miracula fecit de die in diem.

Anno 1229. Romanus Cardinalis Concilium tenuit apud Senonas in Natali Domini pro facto Albigenſium, ſimiliter apud Silvanectum in purificatione, & hæc eſt *forma pacis* quæ fuit pertractata per Magiſtrum Petrum de Cõllemedio & diſpoſita inter Regem & Comitem Tholozæ: Comes retinet ſibi Tholozam cum toto Epiſcopatu ad vitam ſuam, & Epiſcopatum Albienſem contra

tra Tarnum usque Figiacum [Fugiacum] & Ruthenenſem Epiſcopatum & Agninum cum toto Epiſcopatu & Cadurcenſem Epiſcopatum, ipſam quoque civitatem Albiam retinet in manu ſua Rex, non autem Epiſcopatum: De his autem quinque Epiſcopatibus intelligitur hoc ſolum ſibi retinere Comes, quod poſſidebat in tempore Philippi Regis Francorum, ſalvo tamen in omnibus & per omnia jure Eccleſiarum, viduarum & militum & omnium qui in his Epiſcopatibus debent aliquid juris habere: Item debent ad voluntatem Regis dirui muri Tholozæ quod jam factum eſt, & foſſata explanari, & turres & fortes domus deſtrui: Item Rex debet munire decem caſtra, in quibus ſunt caſtrum Narbonenſe, duæ pennæ, Vireron, Podium Celſi, Caſtum Sarracenorum & debent dirui triginta caſtra fortia; Item debet dare Comes triginta quatuor millia marcarum argenti, quarum decem millia marcas debet Cardinalis diſtribuere Eccleſiis pro emenda; de reſiduo verò debent dari quatuor millia marcæ octo Magiſtris, qui debent docere in Civitate Tholozæ, quatuor in artibus, duo in Theologia & duo in decretis: aliud verò reſiduum aſſignatur ad caſtella munienda. Item debet dare filiam ſuam Regi, & Rex debet eam dare uni de fratribus ſuis. Item debet reſtituere Eccleſiis villas & fortia, de quibus manifeſtum eſt quod ſunt earum Eccleſiarum: Item debet abrenuntiare decimis & compellere omnes Milites, Barones & Burgenſ[illegible] alios ad abrenunciandum. ☞ *Terra verò provinciæ ultra Rhodanum erit Domini Papæ citra verò domini Regis*, quam terram Comes ipſe penitus abjuravit; Item debet manifeſtos hæreticos ſecundum jura damnare: *Ruptarios* verò & hæreticorum fautores [& receptores] de terra expellere: Item debet facere homagium Regi, & debet eſſe ſuus Ligius in perpetuum ad modum etiam & ad formam alicujus Comitis provinciæ Gallicanæ, prædictum itaque hominium fecit Comes Regi in cœna Domini & eadem reconciliatus & Eccleſiæ. Jam verò in iſta hyeme captus fuerat & igni traditus ille peſtifer qui dicebatur *Apoſtolicus Albigenſium* Guillelmus nomine,

dehinc in ista ætate profecti sunt exercitus cruce-signatorum contra Albigenses & omnes viri Equites & bellatores de Tholoza recepto Episcopo Fulcone nostris adjuncti sunt, & licet per aliquas difficultates & assultus & gravamina quæ sustinuerunt ante castrum de Tabara, tota tamen terra Deo dante recuperata est. ❧ Comes quoque Fuexensis qui erat fortissimus adversarius videns se non posse evadere manus Tholozanorum, qui sciebant omnia latibula ejus, & ipse tandem paci consensit, & ad consilium [principum] Catholicorum se habuit, post quæ omnia Comes Tholozanus quosdam satellites elegit, qui per terram suam ubique scutarentur hæreticos & inventos manifestarent proponens quoddam præmium in promisso de reditibus suis ei qui hæreticum poterit publicare, vel sibi sic [ubi sit] insinuare ❧ Bellum pessimum nimis & crudele ortum est Parisiis intrante quadragesima inter Clericos & Laicos satis pro nihilo, & qui tenebantur illud extingvere & reprimere, ferocius illud instigatione sua in odium Clericorum incitaverunt, & inde culpantur ipsa Regina & Dominus Cardinalis, sed quot sunt capita, tot sunt sententiæ. Post multos tractus cum non possent in integrum ad pacem reformari, paucis remanentibus in Civitate exierunt omnes alii, maximè eminentiores Magistri, quibusdam ad patriam suam reversis, quibusdam in itinere Romano mortuis, [illegible]em infra triennium reversi sunt quicunque voluerunt, omnibus dissentientibus pacificatis. ❧ Moritur Comitissa Blancha Campanienſis pridie Idus Martii. Magister Jacobus dimisso Episcopatu suo in partes Leodii reversus & inde Romam à Papa accersitus fit Cardinalis Episcopus Tusculanus, post quem fuit Romæ consecratus in Episcopum Aconensem Magister Joannes de Pruvino Decanus Parisiensis, qui mare transivit, & infra biennium obiit, & ita post ipsum electus est Magister Rodulphus Tornacensis. ❧ Hugo *Leodiensis Episcopus* cum per quadragesimam magna detineretur infirmitate in castro Hoiensi præsentibus quam plurimis personis Ecclesiasticis & aliis, omnibus rebus suis tam exterioribus

quam

quam interioribus ad se & ad Episcopatum pertinentibus satis laudabiliter & honestè depositis Magistro Jacobo quondam Aconensi Episcopo in Ecclesia novi monasterii oleum consecrante tempore sacrificii pridie Idus Aprilis, qui in illo anno in Cæna Domini evenit, moritur, corpus ejus processionaliter hora Cænæ cum luctu omnium in Ecclesia Beatæ Mariæ, & in crastino, hoc est die parasceves, delatum est Leodium, & in Ecclesia Beati Lamberti collocatum, ibique convenientibns Abbatibus, Nobilibus & cæteris personis tam secularibus quam Ecclesiasticis honestissimè feriâ secundâ in paschate in eodem loco, ubi B. Lambertus occubuit, traditur sepulturæ tam parvis quam magnis lugentibus constructaque est super eum lamina ænea hos versus continens:

Francia me genuit cathedravit Legia morum
Me decoravit apex sensus gena sanguis avorum
Hugo fui petra ponte satus locus iste relictum
Corpus habet : capiunt vermes è corpore victum
Sic perit omnis honor, sic deficit omne decorum
Lector posce Deum ut me collocet arce Polorum.

Iste siquidem Episcopus septuaginta duo millia marcas, ut dicunt, in diversas eleemosynas dividendas assignavit. Joannes majoris Ecclesiæ Præpositus filius Margaretæ sororis ejusdem de communi consensu eligitur, & in Episcopum consecratur. ☞ In terra Campaniæ capitur absconditè Archiepiscopus Lugdunensis Robertus, & de castro in castrum nocturno tempore velatis oculis deducitur, sed per probitatem & constantiam Comitis Barri, antequam scandalum ingravesceret, liberatur, unde ab hoc tempore simultas & discordia est inter *Comitem Barri & Comitem Campaniæ*, cum hucusq; esset inter eos concordia & unanimitas, & alterius * alterum in periculis & necessitatibus consilium & auxilium. Insuper *Dux Lotharingiæ* Matthæus, cum haberet discordias contra *Comitem Barri avunculum suum*, alligatus est Comiti Campaniæ *per homagium* & Conrardus de Rista alligatus est Duci in Comitis Barri præjudicium, quia verò Archiepiscopo Lugdunensi mediante, Cognatus ejus Dux Hugo *Burgundiæ* Comitis

Roberti de *Brana* filiam hoc anno duxerat in uxorem, quod Comes Campaniæ in ſuum gravamen & præjudicium cauſabatur fieri, ea de cauſa facta fuiſſe dicitur ſpecialiter dicto Archiepiſcopo illa injuria quam præmiſi, ſiquidem hoc eodem tempore quibusdam occaſionibus adinventis *Comes Bolonia* Philippus, & Comes Robertus prædictus, & frater [fratres] ejus & cognatio eorum Ingelrannus de Cocy, & Thomas frater ejus, Comes Hugo de ſancto Paulo & omnis illa cognatio, Comes etiam Nivernenſis, & omnes ferè Barones & Magnates de Francia, Comiti Campaniæ adverſabantur, & quoniam Dux Burgundiæ filiam accepit prædicti Comitis, factus eſt de illorum ſorte, Comes tamen Campaniæ habebat in ſuâ parte Fernandum Comitem Flandriæ, qui detrimenta inferebat Comiti Boloniæ, Regem & Reginam Franciæ, poſt quindenam itaque ſancti Johannis hinc inde congregati ſunt principes cum ſuâ parte, apud Tornodorum reſederunt, & circa ſanctum Florentinum concurrerunt, Comes vero ſuum exercitum congregavit in civitate Trecenſi, ubi ad eum Rex & Regina mater ſua venerunt, & licet utraque pars multa expenderit, mediantibus tamen Abbatibus & Religioſis perſonis, & ipſo Rege & Regina matre ejus, & inſuper orationibus non omnia mala quæ facere intendebant, perfecerunt, & ſic de die in diem inducias dando & accipiendo motus ſuos cohibere videntur ad tempus. Interea mortuo ſub tutela Ingelranni de Cocy *Comite Namurcenſi* Henrico puero voluit Fernandus Comes Flandriæ Comitatum Namurci obtinere, ſed eo aliàs occupato, ſoror interim mortui juvenis Sibilla Comitiſſa Viennæ, quæ erat in dioceſi Treverenſi, caſtrum Namurci intravit tanquam hæres legitima & illud forti animo vendicavit, Fernandus autem duo appenditia Namurci ſaiſavit, & ſibi retinuit, caſtrum ſcilicet de veteri villa & caſtrum de Golezinis, intrante Majo facta eſt elevatio Sanctorum Quintini, Victorici atque Caſſiani quondam Eduenſis Epiſcopi apud Viromandiam. ☞ Apud Coloniam intrante Auguſto viginti quatuor corpora ſunt inventa de ſocietate undecim millium virginum, ubi-

ubicumque autem corpora Virginum debent inveniri, candelæ videntur ardentes ſuper tumbas apparere, & illas candelas non poſſent niſi Virgines videre pueri vel puellæ. ❧ Apud Fuſniacum mortuus eſt quidam converſus frater Alexander, de quo inventum eſt quod filius eſſet *Regis Scotiæ* & frater Mathildis, quæ requieſcit in [villa de] Lapion. ❧ *Imperator Fridericus* licet à Papa fuerit excommunicatus mare tranſivit, quandam pacem cum Soldano Ægypti fecit, & coronam Hieroſolymis Dominica Oculi tulit, cui tamen paci contradicebant Patriarcha Giroldus & Templarii & Hoſpitalarii, minutus verò Chriſtianorum & peregrinorum populus, quibus per illam pacem licuit ire libere ad ſepulchrum Domini, ipſam pacem gratanter accipiebant, & Imperatorem inde magnificabant. Habebat autem guerram idem Soldanus Ægypti contra tres filios fratris ſui Conrardini [Coradini] ante biennium defuncti, & contra eos Damaſcum obſedit & obtinuit. ❧ Quidam falſus Chriſtianus nomine Martinus Gueſilii ab hoſpitalariis apoſtatavit & factus Sarracenus relictam dicti Conrardini in uxorem duxit, & prædictos tres fratres manu tenuit contra Soldanum in quodam caſtro fortiſſimo, & quia Imperator favit Soldano contra iſtos, fecit pacem ſicuti ei viſum eſt ſine Papa, ſine Patriarcha & ſine Templariis : Patriarcha interea miſit Domino Papæ quasdam literas & Papa reſcripſit Archiepiſcopis & Epiſcopis, in quibus literis multa dicebat de inhoneſtis moribus & infidelitate Imperatoris, & quomodo vita ejus parum diſtat, à vita alicujus Sarraceni, Rex verò Joannes quondam Hieroſolymitanus & Comes Galterus Nepos ejus & quidam principes Apuliæ, quorum erat unus *Comes Thomas quondam Imperatoris bajulus*, unusque Cardinalis Joannes de Columna à Papa transmiſſus, recuperare ceperant contra Imperatorem civitates & caſtella in Apulia usque ad ſexaginta, ut dicitur, ſed Imperator à partibus transmarinis reverſus in brevi ferè omnia ad ſe retraxit & facta interfectione civium maxima nimis crudeliter ſe vindicavit, & multa mala commiſit. ❧ In Livonia mortuo Epiſcopo Rigenſi Alberto facta eſt electio bi-

faria. ❧ In aſcenſione Domini in Biturícenſi & Lemovicenſi dioceſi inaudita cecidit tempeſtas, & apud Beneventum una maxima *maſſa de ſebo ſubnigro*, *maior* quolibet magno bove, unde factæ ſunt candelæ quæ lumen croceum reddebant cum maximo fætore, una ardens allata eſt coram Epiſcopo Lemovicenſi, qui cum feciſſet contra eam ſignum crucis extincta eſt. ❧ Bellum fuit in Lombardia *inter Mutinenſes & Bononienſes*, & confuſione reſperſa eſt civitas Bononienſis & quaſi diploide operta: bis enim contra Mutinenſes, quibus Cremonenſes & Parmenſes patrocinio juncti erant in bello congreſſi, bis ab illis in bello fuerunt turpiter debellati, & maxime in iſta ſecunda pugna quæ die Mercurii ante nativitatem Beatæ Mariæ contigit, & duravit ab hora nona usque ad noctem mediam, luna quaſi in adjutorium Mutinenſium clare illuſtrante omnia. Cremonenſes maxime & Parmenſes tanquam Leones fame avidi & tygrides raptis fætibus [Bononienſibus inſultabant, primô tamen] Bononienſes *Charrochium* Parmenſium invadentes ſeptingentos pedites illud ut ſacrum cuſtodientes in ore gladii interfecerunt, & dum Carrochium illud in caſtra ſua violenter ducere ſe crederent, Parmenſes ex quibusdam fruticibus ſubito emergentes, ipſos animoſius repulerunt, itaque Faventini & Imolenſes, qui Bolonienſibus non tam mente quam corpore jungebantur, terga hoſtibus exponentes, alas pedibus addiderunt. Bononienſes cum inſultum hoſtium diutius ſuſtinuiſſent, ſe ſolos invenientes & peregrino auxilio deſtitutos paulatim atque paulatim retrocedere cogebantur. Itaque [quod] caſtra atque tentoria ſua longè per unum millium retro reliquerunt, & tandem Bononiam cæſis ante & retro equis ſuis inglorii refugerunt, tentoria ſua plauſtra & papiliones cibariis plena relinquentes, quod potiſſimum ipſis adcrevit ad cumulum verecundiæ & doloris, pauci ex eis fuerunt interfecti. ❧ Obiit Archiepiſcopus Rotomagenſis Theobaldus octavo anno Pontificatus ſui. ❧ Mortuus eſt vir venerabilis [nobilis] Galterus *de Vangionis rivo*, cujus filius Galterus nobili matrimonio ſe copulavit Aaliz relictam *Comitis Kiburgenſis*, ſororem Ducis Lotharingiæ Matthæi, natam ex ſorore Comitis Barrenſis.

Anno

Digitized by Google

Anno 1230 Otto Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano miſſus eſt à Domino Papa ad ſubmittendum & conciliandum animos Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Baronum terræ Domino Papæ in diſpoſitionem [depoſitionem] Regis Alemanniæ Henrici filii Imperatoris Frederici à Domino Papa excommunicati, & ad electionem alterius, qui repertus fuiſſet idoneus, ſed inter factum & dictum multa frequenter impedimenta occurrunt, qui Legatus in vigilia ſancti Valentini Hojum veniens honorifice à Johanne Epiſcopo recipitur in caſtro Hoienſi. ❧ *Comes Barri* nepotem ſuum ſtatim poſt natale Domini combuſſit villas ſeptuaginti ut dicitur ultra. Dux vero cum *Comite Campaniæ* & *Simone* de Jovevilla & multis aliis vel tantum mali vel amplius operati ſunt ſuper Comitem Barri & quoddam caſtrum in villa, quæ dicitur Monaſterium ſuper Sauz contra eum firmaverunt, quod Comes Barri eodem anno penitus abraſit. ❧ Item Metenſes Duci Matthæo confæderati pontem de Maidieres contra Comitem Barri confregerunt; Comes autẽ Campaniæ & Comes Flandriæ Comitem ſancti Pauli damnificaverunt in multis: Cæteri autem principes cum Comite Barri adunati, quorũ caput erat Comes Bolonienſis Philippus, incenderunt Sparnacum, Sezanniam & Virtutum, & quasdam villas in Campania, & turrim de Fimiis obſederunt & in multis locis terram Campaniæ vaſtaverunt prædando & ſpolia abducendo: ſed & ipſe Comes Campaniæ villas ſuas timore eorum, antequam illi advenirent, incendebat. ❧ Rex Angliæ à *Comite Britanniæ* invitatus, & à quibusdam aliis, ut dicitur, maximè ex hujus diſſenſionis occaſione mare tranſivit, apud Nannetum in Britannia reſedit, & plures aſſultus contra exercitum, Regis in Pictavia & Normannia fecit, nullus autem fideliter juvit Regem Franciæ, ſicut Comes Campaniæ, ut dicitur, contra Regem Angliæ. ❧ Maxima in principio hujus anni tempore hyemis aquarum inundatio: Romæ autem de inundatione Tyberis ultra ſeptem millia hominum dicuntur ſubmerſa fuiſſe. ❧ Apud Abbatiam de Fuſniaco & illam de Valle Regis & quasdam alias, & in dioceſi Leodienſi apud Hojum, *Hojolus ille fluvius* enormia damna intulit oppidanis. ❧ Apud Tullum Epiſcopus Garinus ſe depoſuit, & eos

multos qui ibi fuerunt nominati factus est Episcopus Magister Rogerus primicerius Virdunensis, vir nobilis & literatus. ❧ Comes de grandi prato hoc anno moritur. ❧ Ad generale capitulum Cisterciense hujus anni venerunt literæ quod Afulsus [Alfonsus] frater Regis Castellæ & Toleti Fernandi in Hispania triginta duo millia Sarracenorum interfecit, & magnam terram contra eos acquisivit, & in castro novo ante Cordubam fratres ordinis de Calatrave collocavit. ❧ Apud Hojum in pentecostes octavis Joannes Leodiensis Episcopus in Ecclesia novi monasterii suam celebravit generalem Synodum. ❧ In curia Campaniæ lectæ fuerunt quædam literæ de eo, quod Soldanus Ægypti vicit Soldanum Persidis, & de bello Reginæ Evigniæ [Avigniæ, f. Abissinæ] contra Turcos. ❧ Nobilis *Dux Austriæ Leopoldus* ad Papam venit, & omnimodam ei exhibens humilitatem obtinuit, quod cum Imperatore pacem faceret; Dominus Papa consensit, in tantum tamen jam *Imperator* prævaluerat, & tanta fecerat quod ipsa necessitas pacem requirebat, prædictus Dux nobilissimus non multo post quam pax ordinata & facta fuit inter Papam & Imperatorem, moritur & in Albia ab ipso fundata, quæ Liliveld id est campus liliorum dicta est, sepelitur, cui succedit in Ducatu Austriæ Fredericus filius ejus. ❧ Alsanus Rex Bulgariæ frater Alexandri successorem Michaelis videlicet Ducem Durachii Theodorum cæpit & excæcavit, qui quondam Comitem Petrum Autissiodorensem captivaverat. Isti duo Alexander & Alsenz nepotes fuerunt Burilli. ❧ Cardinalis Alemanniæ Dominus Otto fuit *in Dacia*, & dissensionem, quæ in electione *Rignensis Episcopi* emerserat in Livonia perfectè determinavit, itaque illum qui eligebatur *ex parte Bremensis Capituli* cassavit, & Nicolaum de Medeborc Canonicè electum consecravit. ❧ Mense Septembri *Concilium* Regis Francorum [apud Meldunum] institutio talis est: Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, noverint universi, quod nos pro salute animæ nostræ, & inclytæ recordationis Regis Ludovici genitoris nostri, & antecessorum nostrorum, pensata ad hoc summa utilitate totius regni no-

Digitized by Google

noſtri, de ſincera voluntate noſtra, & de omni conſilio Baronum noſtrorum, ſtatuimus quod nos & Barones noſtri *Judæis nulla debita de cætero contrahenda faciamus habere*, nec [aliquis in toto regno noſtro poterit retinere Judæum alterius dominii & ubicunque] aliquis invenerit Judæum ſuum ipſum licitè poterit capere tanquam proprium ſervum, quantamcunque fuerit moram Judæus ſub alterius Dominio vel in alio regno. Debita verò quæ usque nunc Judæis debentur ſolventur tribus terminis, quod jam factum eſt. De Chriſtianis *uſurariis* eodem modo ſtatuimus; quod nullas uſuras de diebus contrahendis eos faciemus habere nos ſeu Barones noſtri: Uſuras autem intelligimus quicquid eſt ultra ſortem, hæc verò ſtatuta ſervabimus & faciemus ſervari in terra noſtra, & Barones noſtri in terris ſuis, & ſi aliqui Barones noluerint obſervare [hoc ſervare] ipſos ad hoc compellimus, ad quod alii Barones nos juvare bona fide pro poſſe ſuo tenebuntur: Etſi alii in terris Baronum invenirentur rebelles, nos & alii Barones noſtri juvabimus ad compellendum rebelles prædicta ſtatuta ſervare: Hæc autem in perpetuum volumus illibata ſervari, & nobis & hæredibus noſtris [&] Barones noſtri ſimiliter conceſſerunt & ſe & hæredes ſuos hoc perpetuo ſervaturos; Ego Philippus Comes Boloniæ ea quæ præmiſſa ſunt volui, conſului & juravi: Ego Theobaldus Comes Campaniæ: Ego Almaricus Comes Montisfortis *Francorum Conſtabularius:* Ego Robertus de Courtenarum Buticularius [ego Henricus Comes Barri] Ego Hugo Comes S[illegible] Pauli: Ego Radulphus Comes de Augo: Ego Johannes Cabilonenſis: Ego Johannes Vice dominus Lemovicenſis: Ego Ingelrannus de Cocy: Ego Erchembaldus Borbonæ, & fratres mei Gvillelmus de Dampetra & Gvido: Ego Johannes de Nigella, Ego Wilhelmus de Vergi: Hæc omnia voluimus, conſuluimus & juravimus pro ſalute animarum noſtrarum & anteceſſorum noſtrorum, & Judæi literas oſtendant Dominis ſuis. Huc usque literæ Regis. ☙ Obiit decimo Calendas Januarii Regina Berengaria Domina Cenomanenſis *relicta quondam Regis Angliæ Richardi.* Milo Belluacenſis Epiſcopus innumeris obligatus debitis ad Papam abiit, qui conſtituit eum Domi-

num Ducatus Spoleti & *Marchiæ quæ dicitur Garneri*, & totam terram illam per triennium ferè potenter obtinuit. In reditu verò tetenderunt ei insidias vicini Lambardi, ita quod plus ibi perdidit quam lucratus sit. ❧ Mortuus est Romæ *Magister Gvillelmus Autissiodorensis* Theologus nominatissimus & in quæstionibus profundissimus, hujus habetur magna summa Theologica & ejus abbreviatio, quam fecit Episcopus Florentiæ Magister Ardingus [Andegus] Papiensis.

Anno 1231. occasione Archiepiscopi Mediolanensis Henrici viri Catholici in Lombardia hoc anno mortui, qui civitatem suam *ad honestatem & devotionem Gallicanam* in diebus suis reduxit, dicimus hic & tangimus quæ tangenda sunt. Primò quod de hæreticis instituit, ut addantur singulis annis institutiones de damnatione hæreticorum, & ut nullus constituatur *potestas Civitatis* nisi primò juret repulsionem & devastationem hæreticorum, tam ipsis quam in eorum fautoribus, unde nota quod quolibet anno in die Palmarum quilibet Archiepiscopus Mediolanensis à diebus Beati Ambrosii usque in præsens in loco determinata sanat *leprosum unum* in Ecclesia videlicet Beati Michaelis, quæ est inter sanctum Ambrosium & sanctum Laurentium. Item nota quod quicunque baptizatus fuerit, ut dicitur, in sacris fontibus Laudunensis [Laudensis] totius Episcopatus, qui est juxta Mediolanum, non potest esse Leprosus, & si peregrinus Leprosus moratur in eadem Laudensi tribus diebus, quarta die oportet eum [illegible] vel recedere, quod Sanctum Bassianum Laudensem Episcopum dicunt à Domino impetrâsse dum viveret, Electus est autem in Archiepiscopum Mediolanensem post prædictum Henricum Hugo ejusdem Ecclesiæ Canonicus. ❧ Moritur Archiepiscopus Siffridus de *Moguntia*, cui succedit filius fratris sui Godefridi de *Hepestein*, alter Sifridus, natus de sorore Archiepiscopi Treverensis Theoderici. ❧ Factus est eo tempore Ratisponensis Episcopus quidam juvenis Sigisfridus, natus de sorore Garneri *de Boslande*, & mater hujus Garneri fuit soror Godefridi de *Hepestein*, & Domini Archiepiscopi nuper mortui. ❧ Episcopus Cænomanensis Magister Mauritius vir religiosus fit Archiepiscopus Rotomagensis per Papam reduplicato & cassato

to Magiſtro Thoma. ☙ Cum Dominus Otto Cardinalis voluiſſet in Alemannia *Concilium* ſuum tenere apud Herbipolim civitatem, quæ Wirceburc dicitur, miſit contra eum literas iſtas *Dux Saxoniæ* cum ſuis Baronibus in hunc modum: Venerabilibus Dominis Archiepiſcopis & Epiſcopis Alemanniæ ac aliarum Eccleſiarum prælatis, *Albertus Dei gratia Dux Saxoniæ, Henricus frater ejus Comes Aſcaniæ,* cum aliis nobilibus per Saxoniam conſtitutis, promtum in omnibus famulatum. Intelleximus quod Cardinalis tam in partibus Saxoniæ quam in aliis Imperii partibus præbendas dare diſpoſuit, inſuper alias ſervitutes ac oppreſſiones Eccleſiis noſtris inducere meditatur. Propter quod ſi vultis evadere jugum perpetuæ ſervitutis pro legis [f. legibus vel pro privilegiis] patrum conſervandis, & quia poſſeſſiones & ſancta in manus externas tradebantur, Macchabæi, quorum feſtum Eccleſia ſolemnizat, bella Domini ſtrenuè pugnaverunt. * Veriſſimè dignitas Clericalis majori hodie ſubjaceat ſervituti quam tempore Pharaonis, qui notitiam non habebat divinæ legis. Nam [cum] tempore famis poſſeſſiones omnium menſæ ſuæ deſervirent, res tamen ſacerdotum à talibus erant immunes, quinimò de publicis horreis eis eleemoſyna præberi mandavit: an neſcitis quod eſtis inter Epiſcopos aliarum terrarum ſingulari privilegio decorati [cum] non tantum Epiſcopi, *ſed & Principes & Domini ſitis:* quare ergo vos trahi permittitis ad tam remota loca contra conſtitutiones hactenus approbatas? Et quædam alia ſignificata ſunt, per quæ Archiepiſcopi & Epiſcopi, habito cum Rege concilio, inſtiterunt, quod totum illud concilium remanſit, Et cum idem Cardinalis transacto tempore exiret portam Civitatis Leodienſis, quidam de mandato Regis, ut dicitur, ipſum interficere voluerunt, unde & crimen illud, quod unus vel duo Ribaldi attentabant, Cardinalis in totam civitatem retorſit, & hâc occaſione ipſa civitas ferè per annum gravi interdicto ſubjacuit. ☙ In quadrageſima hujus anni Templarii contra Sarracenos bellum habuerunt, ita quod duo potentes Sarraceni dicuntur ibi occiſi. ☙ *Sacer ignis in vigilia* paſchæ hujus anni in Eccleſia Dominici ſepulchri tardavit venire usque ad initium noctis,

de quo igne legitur ſupra in anno 1099 require, & quod Salahadinus columbam cæleſtem ignem afferentem ſagittari fecerit, nec lædere potuerit, teſtantur ſagittæ in teſtudine lapidea infixa in dicta Eccleſia ſepulchri. ❧ Rex Franciæ juvenis Ludovicus conſilium ſuum habuit Pariſiis Dominica Jubilate de pace regni & principum, & de Comite Britanniæ & Rege Angliæ, & firmatæ ſunt treugæ in triennium. ❧ Obiit Epiſcopus Cabilonenſis Duranus. ❧ Obiit Agnes Comitiſſa *Campaniæ* quinto Idus Julii, ſepulta eſt in Clarevalle in Capella Comitis *Flandriæ*, matris ſuæ avunculi unicam filiam reliquit, dicta Comitiſſa mortua Comiti Campaniæ. ❧ Romæ tres Epiſcopi Cardinales à Papa electi ſunt, videlicet Dominus Renaldus Camerarius in Hoſtienſem, Dominus Romanus in Portuenſem, Dominus Thomas in Albanenſem & Dominus Jacobus trium fontium in Epiſcopum Prænestinum. In craſtino ſancti Laurentii triſte ſatis ſpectaculum viſum eſt apud Grangiam Clarevallis quæ Fontarſia dicitur, fulmen ſcilicet de cælo cadens, quod totam grangiam frumenti plenam, ſicut Domino placuit, combuſſit, ad ſeptem millia libras & ultra fuit damnum æſtimatum. ❧ Romæ Cantuarienſis Archiepiſcopus Richardus obiit. ❧ Rex Arragonenſis in manu potenti Inſulam Majoricam acquiſivit. ❧ In Heſperiæ civitate Padua tertio Idus Julii obiit *ſanctus Antonius* de ordine fratrum Minorum, & eum Papa in ſequenti anno canonizavit propter miracula quæ maxima fiebant per ipſum. ❧ Bellum inteſtinum Lombardorum & caſtrum, quod dicitur Danais, ab illis ſubjugatum eſt *contra Marchiſum*. ❧ Dux Bavariæ Ludovicus à quodam ſicario *Aſſacino* occiditur à *veteri de Montana*, transmiſſo. Quod audiens Rex Hungariæ eidem veteri multa transmiſit in auro & argento xenia, & ejus gratiam impetravit & obtinuit. ❧ Pacem, quam in terra transmarina fecit Imperator, recepit ex parte Papæ Hieroſolymitanus Patriarcha & Eccleſia ſancti ſepulchri ita fuit reconciliata ei & [cum] peregrinis ſuis qui præſentes fuerunt Antiochenus & Aquilejenſis Patriarchæ cum quatuordecim, ut dicitur, Epiſcopis. ❧ Moritur Epiſcopus Pontius [Rodulfus] Attrebatenſis, poſt quem conſecratur in Epiſcopum Magiſter Aszo. ❧ *Epiſcopus Came-*

Digitized by Google

Cameracenſis Godefridus civitatem ſuam cum ipſis civibus fortiter edomuit & ſibi ſubjecit, quod prædeceſſores ejus nunquam facere potuerunt, ut ad tantam, vellent nollent, pervenire humilitatem. ❧ Obiit Fulco Tholozanus Epiſcopus, cui ſuccedit Magiſter Guillelmus dictus Remundus. ❧ Comes Campaniæ *Communias Burgenſium* fecit & ruſticorum, in quibus magis confidebat quam in militibus ſuis. ❧ Guillelmus de *Moelen* moritur. ❧ In dioceſi Lauſanenſi quidam vir ſanctus *Guillelmus* qui mirabilis extitit vita & operibus moritur, & modo facit magna miracula.

Anno 1232 Romæ Epiſcopatum Nivernenſem ſuſcipit quidam Magiſter Radulphus Belluacenſis. ❧ Quædam Margareta in Abbatia Monialium de Sylva Lugdunenſis dioceſis multa vidit ſecreta cæleſtia : dicitur enim de ea, quod dixerit Dominæ Beatrici de *Bourbon* matri Domini Erchembaldi & Guillelmi de *Moelen*, Dominum Guidonem de *Dampetra* maritum ſuum absque ulla recuperatione damnatum eſſe in inferno. ❧ Obiit apud *Altamtombam* Dominus Henricus quondam magnæ Trojæ Epiſcopus. Item obiit Epiſcopus Lingonenſis Magiſter Hugo de Monte regali, & factus eſt Epiſcopus poſt eum Robertus de *Torota* frater Radulphi Virdunenſis Epiſcopi. ❧ *Rex Daciæ* Valdemarus filium habuit primogenitum nomine Valdemarum quem in Regem fecerat coronari, quo mortuo fecit in iſto anno [ſecundum] coronari nomine Ericum. Tertius autem filius dictus eſt Dux Abel, horum mater Berengaria, *nata de Portugallia*, fuit ſoror Comitis Fernandi de Flandria. ❧ Comes *Campanienſis* duxit in uxorem Margaretam filiam Erchembaldi de *Borbon*, & hâc de cauſa quorundam Baronum incurrit odia. ❧ Mortuo Belicenſi Epiſcopo Bernardo eligitur unus filiorum Comitis de *Sabaudia*, qui Comes eodem anno deceſſit; alter autem filiorum ejus nomine Guillelmus jam erat Valentiæ electus. Tertius autem Thomas Archidiaconus jam erat caſſatus de Epiſcopatu Lauſanenſi & Archiepiſcopatu Lugdunenſi. ❧ Mortuo Archiepiſcopo Simone Bituricenſi, poſt aliquas electiones poſitus eſt quidam Magiſter Petrus de Caſtroradulfi. ❧ In Hiſpania civitas Vbeda [nobiliſſima] à Chriſtianis acquiſita eſt.

Comes Renardus de Dampetra poſt annos triginta redemtus, & à Sarracenis dimiſſus revertitur. Duo de fratribus Regis Ludovici Franciæ, Joannes ſcilicet & Dagobertus, moriuntur. De *civitate Metenſi* non eſt prætereundum, quomodo Epiſcopus Joannes per quoddam caſtrum ſancti Germani cum adjutoribus ſuis ferè per biennium cives impugnaverit, & quomodo Comes Barri Epiſcopum deſeruit, & mediante pecunia Metenſibus quos impugnabat reconciliatus, & eis aſſociatus multa caſtra urbi contraria dejecit, Epiſcopum & Ducem Matthæum Nepotem ſuum impugnavit, donec Dux ipſe relicto Epiſcopo de neceſſitate reconciliatus eſt avunculo, & ita factus eſt Metenſis Adjutor. Tertio decimo Calendas Decembr. obiit in Alemannia *Elizabet Domina ſancta, quondam Ludovici Thoringiæ Lantgravii, qui in Brunduſio deceſſerat, relicta*, Regis autem Andreæ de Hungaria filia de Regina, quæ fuerat occiſa, hæc Eliſabeth tanta ac talis fuiſſe dicitur, quod per eam Dominus multa facit miracula, &, ut dicitur, jam duodecim mortuos ſuſcitavit, ſepulta eſt cum magna reverentia apud hoſpitale de Maideburc[potius Marburg] quod ipſa conſtruxit. Dominus Balduinus de Alna ad partes *Livoniæ* à Cardinali Ottone transmiſſus, quibusdam terris Paganorum in magna quantitate acquiſitis revertitur, veniensque ad Curiam Romanam invenit ibi quosdam adverſarios ſuos, qui ſe vocabant *Milites Dei*. Iſti ab Epiſcopo Theoderico primo fuerunt inſtituti, & cum dicant ſe Templariorum ordinem tenere, in nullo tamen ſubjiciuntur Templariis, ſed cum ſint Mercatores & divites, & olim à Saxonia pro ſceleribus banniti, jam in tantum excreverant, quod ſe poſſe vivere ſine lege & ſine Rege credebant. Cum itaque Dominus Balduinus ſignificâſſet domino Papæ quæ facta ſunt, conſtitutus eſt Epiſcopus Semigalliæ & Legatus totius Livoniæ. Primus Epiſcopus *Seloniæ* fuit Dominus Bernardus, Secundus Lambertus, Tertius Balduinus prædictus, & vocatur Epiſcopus Semigalliæ[Cur Semigallia dicatur illa terra, revolve hiſtoriam Brenni & Beli & Senonenſium Gallorum, qui capta Româ Senam veterem & Senegalliam & quasdam Italiæ civitates ædificaverunt; Horum quidam per mare Adriaticum & per brachium S. Geor-

gii

Digitized by Google

gii mare Ponticum intraverunt, inde per fluvium Nepre juxta Ruſſiam quandam provinciam obtinuerunt, quam Semigalliam vocaverunt, & talis eſt concordia novorum & veterum.] De *Rege Angliæ* dicitur, quod religioni valde conſentit & quod nuper in Londoniis, ubi ſunt ditiſſimi Judæi, pulcherrimam domum, quam pro Synagoga dedicanda erexerant, fecit fieri Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis & in honore ejus in inſtanti dedicari, & ibi quatuor Capellanos in primis inſtituit, pauperibus etiam benevolum ſe exhibet & munificum, & Judæos baptizatos de regiis denariis præcipit ſuſtentari, & alios ſua benevolentia provocat ad baptiſmum, & iſta etiam humanitas ejus de die in diem accipit incrementum.

Anno 1233 Rex Ludovicus de Civitate Belluacenſi ſibi reſiſtente, in qua factâ fuit enormis diſſenſio inter divites & plebejos, ita ſe vindicavit, quod mille quingentos de mediocribus civitatis comprehenſos Pariſios & alio adduci fecit & carceri mancipari, & per novemdecim communias, quas ibi convocavit, * & terram de Mallione eodem anno mortuo Savarico [Severico] obtinuit, ❧ De ſancto clavo apud Sanctum Dionyſium perdito & iterum reinvento mirabiliter & de miraculis [&] contingentibus circa hanc inventionem geſtis ſcripſit optimam narrationem *Magiſter Philippus Cancellarius Pariſienſis*. ❧ Magnus princeps *Hæreticorum* Vigoroſus de Baconia, qui dicebatur Epiſcopus eorum, captus & in Tholoza combuſtus: per Alemanniam [verò] facta eſt tanta hæreticorum combuſtio, quod non poſſit numerus comprehendi, & dictum eſt de quodam quod non potuit comburi, donec allatum eſt ante ignem Corpus Domini. ❧ Ultra Coloniam fuit quædam Synagoga hæreticorum, ubi reſponſa dabat imago Luciferi, ſed ubi Catholicus Clerus [clericus] advenit, & pixidem cum corpore Domini de ſinu ſuo protulit, peſtifera imago corruit. ❧ Item quod quædam ſpecialis amica Luciferi ad ignem deducta ſublata eſt à dæmonibus, & non comparuit, & in hunc modum multa dicta & facta ſunt, & multi nobiles accuſati ſunt, & multi, ut dicebatur, injuſtè dehoneſtati, & hac de cauſa congregatum eſt *Concilium Maguntinum* in præſentia Regis & Archiepiſcoporum regni, & Epiſcoporum

porum, & principum: tertio die poſt concilium interfectus eſt Magiſter Conrardus de Marborg [in die Abdon & Sennes, &] cum eo duo Minores, deinde diligenti factâ inquiſitione ſuper iſtâ peſtiferâ ſecta Luciferianorum, & ſuper prædictis, Archiepiſcopus Maguntinus, & frater Bernardus de ordine prædicatorum quondam pænitentiarius Domini Papæ reſcripſerunt Domino Papæ in hæc verba: Quod *Magiſter Conrardus* contra pauperum Lugdunenſium aſtutias zelo fidei armatus nefandam hæreſim Manichæorum filiam olim abſconditam ita putavit ex toto deprehendere, ſi teſtes qui ſe confitebantur aliquantulum criminis eorum conſcios & participes in illorum abſentia reciperentur, & dictis eorum ſimpliciter crederetur, ita ut ſemel accuſato talis daretur optio, aut ſponte confiteri & vivere, aut innocentiam jurare & ſtatim comburi: & ecce falſos teſtes ab hæreticis, ut credimus, ſubornatos adduxit inimicus: quædam fæmina vaga Alaidis annorum viginti caſu veniens peregrinam [pigniam] finxit ſe hæreticam, illius ſectæ fuiſſe ſuum virum apud Cruneborch concrematum, & ſe velle cremari innuens à latere, quod ſi Eccleſia verbis ſuis credendum decerneret, hæreticos abſconditos & fautores eorum manifeſtaret, hæc miſſa eſt à Magiſtro Conrardo qui nimis ei credidit, & ipſa primo apud Clavelt villam, de qua oriunda fuit, cognatos & notos & affines, qui eam exhæredare videbantur, fecit comburi, ſubornato etiam quodam Amfrido, quem modo fecimus in vinculis detineri, qui confeſſus eſt, quòd multos innocentes alios ad ignem, alios ad tonſuram per teſtimonium ſuum congerit, Magiſtro Conrardo judicium fulminante. Et horum *accuſatio paulatim cæpit aſcendere à ruſticis ad burgenſes honorabiles, & eorum uxores inde ad Caſtellanos & nobiles, & in fine ad Comites propè & longè poſitos.* Et Magiſter nulli quantumvis altæ perſonæ locum dedit legitimæ defenſionis, nec etiam confiteri proprio Sacerdoti, ſed accuſatum oportuit confiteri ſe hæreticum eſſe buffonem tactum, pallidum virum & hujusmodi monſtra diffitentiæ pacis in oſculo ſalutâſſe, taliter quidam Catholici abjudicati maluerunt innocenter cremari & ſalvari, quam mentiri de crimine turpiſſimo cujus non erant conſcii & ſuplicium promereri quibus ipſe Magiſter mar-

Digitized by Google

martyrium promittebat: alii infirmi potius elegerunt mentiri quam comburi, quibus tamen oportuit scolas nominare & respondebant: nescio quem accusem: Dicite mihi nomina de quibus suspicionem habetis, cumque proponeretur *de Comite Seinensi*, de Comite Aneberg [f. Heuneberg] de Comitissa de Loz, respondebat evadere volens, illi ita rei sunt ut ego, & illi in Scolis fuerunt, ut ibi [ego] fui & sic frater fratrem, uxor virum dominus servum accusavit, alii dabant pretia tonsoratis ut docerent modum evadendi, & facta est confusio à seculis inaudita. Ego Archiepiscopus Magistrum Conrardum primò solus, postea cum duobus Archiepiscopis Colonienſi & Treverenſi monui ut moderatius & discretius in tanto negotio se gereret, qui non acquievit, sed tandem contra nostram monitionem crucem publicè prædicavit Maguntiæ, quo viso quidam [ex illis] interfecerunt eum prope Marburg, tandem congregati apud Frankenvort cum Archiepiscopus & Episcopis usque ad XXV & multis Imperii principibus. * Deinde Dominica Lætare Jerusalem apud Moguntiam examinavimus Comitem Seinensem & alios de quibus habita est quæstio & restituimus eos famæ & possessionibus. Mendacibus pro perjuro injuncta est pœnitentia septennalis, eos qui innocentes accusaverant ad pedes Domini Papæ transmisimus qui Magistrum Conrardum occiderant, excommunicati sunt, de pueris scholaribus qui cum aliis ad ignem concurrerunt inquisitio si sint irregulares, de innocenter mort[illegible] quæritur Consilium Papæ, quid ad hoc Dominus Papa rescripserit nondum scimus, nisi quod pœnitet eum satis, quod tantam dicto Magistro Conrardo potestatem permiserit, unde talis confusio emerserit [insuper visio quædam visa est in Alemannia de novo per quam conjicitur quod idē Conrardus sit damnatus, quæ verò sit narratio de tam subitâ inundatione hujus hæresis breviter attende: Est illa quædam, quæ dicitur *Maestrajectum* inter Brabantiam & Coloniam: ibi adveniens quidam Magister Toletanus nigromanticus totus diabolo deditus, dum sederet ad mensam inter clericos quos voluit, permisit comedere, quos noluit fecit dormire; adhæserunt ei octo nani [f. mali] clerici postulantes ab eo ut juvaret eos in explendis desideriis suis, qui respondit talia sine circu-

lo non poſſe adimpleri, & fecit maximum circulum cum Karacteribus ſuis ita quod omnes octo poſuit in ipſo circulo, tres autem ſedes præparavit in una parte circuli & dixit Clericis quod ibi ſeſſuri erant tres magi de Evangelio, extra cingulum verò præparavit & ornavit quoddam maximum ſedile & floribus decoravit ſatis accuratè & incipiens de media nocte illos advocavit quos habebat pro Regibus & noviſſimè magnum illum Principem quem Apanamon nominavit, dixit quod ipſos ad parvulam cænam invitaverit, ut illos clericos juvarent in petitionibus ſuis cattum illis tribus dæmonibus excoriatum appoſuit & ſtatim devoratæ fuerant, habebat vaſculum vitreum & conjuravit magnum dæmonem, ut ſe in tantum exinaniret, quod in illud intraret, quo facto cera ſignavit alpha & ω ſuperſcripſit. Poſtea dictum eſt clericis ut peterent quicquid vellent, unus petivit ut poſſit habere conſenſum unius nobilis mulieris & conceſſum eſt ei, alter petivit familiaritatem Ducis Brabantiæ & obtinuit, & omnes alii quicquid petierunt obtinuerunt præter ùnum qui petebat conſenſum maſculi cujusdam nobilis adoleſcentis, quod diabolus ad ſe pertinere negavit, nec ſibi eſſe licitum in tam illicito deſiderio ei præbere adjutorium, & ita ad aliud ſe convertit, poſtea audientibus illis clericis, cepit ille Magiſter multa contraria loqui de Chriſto cum dæmonibus ſuis & de omnibus Chriſtianis & ipſos clericos in maximam perverſitatem induxit, circulum exi[illegible]on permiſit usq; ad ſolis ortum, & in ipſo egreſſu oportuit, ut quælibet diceret, Deus homo factus eſt, in hoc honore vivo, alioquin rapuiſſent eum dæmones, & qui eos compellebat ad negandum myſterium incarnationis non poterat ſanos educere de circulo ſine confeſſione ipſius incarnationis, qui hæc retulit dixit, quod à duobus vel tribus de illis clericis iſtud accepit per iſtos ergò accrevit & dilatata eſt infidelitas illa de cultu Luciferi. Tantæ perverſitatis magiſter volens tranſire in Angliam ſubmerſus eſt in mari & adjunctus eſt tali domini quali ſervivit. ❧ Die Martis poſt Dominicam Trinitatis quædam mala per fulmen & tonitruum facta ſunt, & ſequenti die hoc eſt feriâ quartâ Calendis Junii apud Leodium Joanne ejusdem civitatis Epiſcopo generalem Synodum in Eccleſia

ſancti

Digitized by Google

ſanctiLamberti celebranti,præſentibus univerſis totiusEpiſcopatusEccleſiarum prælatis ceciderunt lapides glaciei magnitudinis miræ & maximæ ſuper prædictam Eccleſiam fuerunt qui dixerunt groſſitudinem iſtorum lapidum ad modum ovorum columbarum fuiſſe. ❧ Henricus de Vienna in Burgundia occiditur ❧ Regina Hyolenz de Hungaria in præſentia Cardinalis & Epiſcoporum moritur & in *Abbatia de agris* ſepelitur, qui Cardinalis hoc anno per Hungariam Concilia ſua tenuit. Adhuc vivebat Theodorus *in Græcia*, quem Alſanus gener Regis Hungariæ excæcaverat. ❧ In partibus transmarinis Joannes de Baruth filius Bethliani *de Guibelino moritur.* Hic dicendum eſt quod vir nobilis Bethilianus de Guibelino duxit relictam Regis Almarici quæ fuit de Græcia & genuit Joannem de Baruth patrem Bethiliani Radulphum & Hugonem & uxorem Renaldi de Sydone de qua Guido de Monte forti genuit filium: & quia tres iſti fuerunt *fratres Reginæ Hieroſolymorum*, hic Joannes de Baruth regimen negotiorum regni ſibi competere quaſi jure hæreditario reclamabat, cum illud jam antea rexiſſet, & ſecundum prædicta fuit frater illius Reginæ quæ Marchiſo Conrardo data fuit, & quam Comes Campanienſis habuit, & hac de causâ Balivos expellebat ab Imperatore conſtitutos. ❧ Fernandus Comes Flandriæ moritur & ſepelitur in Abbatia dicta Marckete [Delle Marckete] ❧ Imperator civitatem Meſſanam ſibi rupugnantem mirabiliter oppugnavit. ❧ Quidam frater Joannes de Vincentia de ordine prædicatorum magna faciebat miracula. ❧ Frater *Dominicus* levatur, & in ſequenti anno Pentecoſte canonizatus eſt. ❧ Mortuo Epiſcopo Roberto Trecenſi electus eſt Magiſter Nicolaus Archidiaconus. ❧ Obiit Epiſcopus Henricus Autiſſioderenſis, cui ſuccedit ejusdem EccleſiæDecanusBernardus. ❧ Conſtantinopoli poſt mortem Patriarchæ Simonis vacavit ſedes per annum & ultra & Dominus Papa de conſenſu illorum Spoletanum Epiſcopum in Patriarcham conſecravit & eis transmiſit Magiſtrum Nicolaum de Placentia qui fuit Vice-Cancellarius Papæ. ❧ *In Lotharingia* Dux Matthæus cum avunculo ſuo *Comite Barri* pacem fecit & ſimul cum Metenſibus Sanctum Germanum contra Epiſcopum obſederunt, & Epiſcopus cepit Comi-

tem Theodoricum de *Linengis* cum multis aliis, & Comes Barri [campaniæ] caſtrum de Nongento in Baſſigneo obſedit. ❧ Rex Joannes ſuper Græcos terram acquirebat ſed tepidè, & quandam civitatem inter [ſuper] eos occupaverat, quæ gallice Aleſpigalz [Azeſpigalz] appellatur, & filiam ſuam dedit Balduino Juveni qui eſt hæres illius Imperii filius videlicet Comitis Petri. ❧ De morte Principis Antiochiæ qui dicebatur Boemundus nunciatum eſt: Erat princeps licet parvo tempore filiaſter ejus Boemundus hujus Boemundi erant duo filii Reimundus propter Rupini (Hujus Rupini materteram duxit Henricus Rex Cypri & ſororem ejusdem Henrici duxit Gallerus Comes Brenenſis) & iſte Boemundus Strabus Comes Tripolis & princeps Antiochiæ hic mortuus qui duos reliquit filios Boemundum Principem Antiochiæ & Henricum. ❧ Obiit Archiepiſcopus de Maideburc ſuccedit Buchardus. ❧ Poſt Patriarcham Antiochiæ Petrum fuit patriarcha quidam Renerus de Tuſcia & poſt eum diebus iſtis ſedem obtinebat Albertus Epiſcopus quondam Brixianus.

Anno 1234. tertio Idus Februarii *conſtitutiones Regis & Principum Alemanniæ apud civitatem Frankenvoert.* Imprimis omnibus Imperii fidelium ne in *reiſa publica* procedant omnibus modis inhibemus. Ad hæc univerſis poteſtatem judiciariam habentibus autoritate regia præcipimus quatenus ad reprimendam hæreticorum perfidiam toto niſu ſolenniter [ſolerter] intendant, ac injuſti perſecutione judicii præferant æquitatem, & ut in judicando juſtitiæ diligentiæ formam omnibus præferamus, ecce in manus principum promiſimus quod in quolibet menſe ubicunque in Imperio fuerimus quatuor diebus ad minus *perſonaliter volumus judicio publico præſidere*, quod etiam à quolibet Judice fieri volumus, temporibus ad hoc ſecundum conſuetudinem conſtitutis. Quod ſi Princeps facere neglexerit, & de hoc convictus fuerit, ut exiget juris ordo Domino Regi centum libras auri *in pondere Karoli* perſolvet: Comes vero vel alius nobili judicium habens, ſi non judicaverit ſecundum provinciarum conſuetudinem Domino Regi, ſicut dictum eſt centum

marcas

Digitized by Google

marcas argenti componet; item si quis alium læserit vel guerram ei moverit absque præcedente querimonia, si princeps extiterit centum marcas auri regiæ Cameræ præsentabit, si vero Comes vel Nobilis, vel alia persona extiterit, centum marcas argenti componet; item statuimus quod si quis Treugas datas violaverit, si cum ipso in cujus manum treugæ fuerint compromissæ, & cum duobus aliis *Synodalibus hominibus* treugas violentas esse convincere potuerit, & testari treugarum violator ideo manum perdat; item si quis fide data promiserit aliquid, & convictus fuerit cum tribus synodalibus hominibus eum fidem non servâsse continuo proscribatur, nec à proscriptione poterit absolvi nisi dupliciter persolvat quod promiserat, & pro quo fidem dederat, & judicet jus suum, item si quis de Principibus aut Comitibus vel nobilibus pro delicto judicii pœnam ter protulerit constitutum [ter pertulerit constitutam] postmodum judicio quod habuit est privandus, præterea statuimus, ut sententia proscriptionis tantum in locis publicis promulgetur, nec proscripti aliquatenus absolvantur, nisi præcedente sufficienti cautione fidejussoria. Quod si quidem Judex non fecerit, ablata in integrum restituat damnum passo, quod etiam promittimus nos facturos. Item monetas falsas & injustas, ac injusta telonia quæ à tempore Domini Frederici Imperatoris *proavi* nostri atque [*absque*] consensu & conniventia principum sunt statuta per sententiam cassamus ac præcipimus amoveri, & nos thelonia nostra noviter instituta penitus amovemus, transgressores manu potenti extento brachio coercendo, principesque Curiæ præsentes Ecclesiastici & mundani fide datâ efficaciter in nostras promiserunt quod ad reprimendam transgressorum proterviam, & ad justa judicia prosequenda fideli nobis auxilio assistant: Item statuimus ut nullus in persona vel in rebus alicui damnum inferat, nisi prius ei [eum] cui damnum inferre voluerit [ad minus] trium dierum & noctium spatio *diffidaverit*, & tunc uterque pacem ab altero per prædictum terminum habebit, alioquin per sententiam proscri-

batur. Raiſam quæ Keiniszuche (Königszuch) dicitur, ſi quis commiſerit proſcribatur: item præcipimus quod nullus conductum alicui præbeat, niſi forte *conductum à nobis & ab Imperio Jure poſſideat feodali:* Item in omnibus Civitatibus oppidis munitionibus villis & aliis locis regni noſtri Jurisdictionis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Archidiaconorum, & ſententias eorum præcipimus firmiter obſervari: Item omnia privilegia *à patre noſtro Imperatore* & à nobis tam principibus quam nobilibus indulta, per omnia volumus eſſe ſalva: Nota Lector quod in Alemannia omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi quidam excellentiores nigri Abbates & omnes Duces, & quidam Marchiones, & Lantgravius Thoringiæ, & Palatinus Comes de Rheno, omnes iſti vocantur *principes* cæteri autem ſunt vel Comites vel Caſtellani vel nobiles, Jacobus Prænestinus Epiſcopus Cardinalis & Legatus in Hungaria fratrem Ioannem prædicatorem de pœnitentialibus Domini Papæ, fecit Epiſcopum in Boſſena Raguſiæ, ☙ Circa idem tempus mortuus eſt Dux Andreas vir formâ decorus Regis Andreæ filius, cum eſſet huc usque ſimultas & invidia & maxima diſcordia Baronum Franciæ contra *Comitem Campaniæ* contigit in hâc hyeme tres mori, videlicet Archiepiſcopum Lugdunenſem, Comitem Philippum *Bolonia* patruum Regis apud Sanctum Dionyſium anteceſſoribus ſuis conjunctus eſt, & Comitem Robertum [fratrem Archiepiſcopi Remenſis & Comitiſſæ] * Philippæ *Barrenſis* qui dominica Eſto mihi ſepultus eſt, qui de medio factus obtinuit cum Regina Cypri pacem facere, quæ iſtis inſtigantibus, & conſilium cum auxilio ferentibus calumniam movebat contra Conſobrinum ſuum *Comitem Campaniæ.* Unde quadraginta millla librarum habuit in inſtanti pro debitis & expenſis & duo millia quolibet anno. ☙ Theobaldus Comes Campaniæ poſt paſcha dominica Miſericordia Domini *in Regem elevatur Navarrorum* avunculo ſuo ſanctio ſine hærede mortuo, in cujus theſauro ſepties & decies centum millia librarum inveniſſe dicitur, ☙ Rex Franciæ Ludovicus Juvenis duxit in uxorem Margaretham filiam *Comitis Joannis de Provincia,*

natam

Digitized by Google

natam de Beatrice [Catharina] filia Thomæ Comitis ſabaudiæ videlicet ſoror etrium Epiſcoporum, poſtea prædictus Rex guerram habuit contra Petrum Comitem fratrem illius Roberti qui nuper deceſſerat quem cum ſibi ſubjeciſſet non absque detrimento aliquo, receptis obſidibus & munitionibus, & facta pacis compoſitione ipſum adduxit Pariſios. ❧ Metenſes etiam cum Comite Barri Metenſi Epiſcopo (Deo dante) reconciliati ſunt mediante Epiſcopo Rogero Tullenſi. Magiſter Remundus [Edmundis] vir probatus fit Epiſcopus Cantuarienſis. ❧ In Epiſcopatu Leodienſi & circa partes illas cruce ſignati ſunt: Henricus juvenis *Dux Brabantiæ*, & ſororius ejus *Comes Hollandiæ*, Florentius Guillekeni filius, & alii multi *ad deſtruendam quandam Friſiæ Inſulam ad Stadingas* ubi increverant hæretici, ipſa Inſula jam diu in excommunicatione conſtituta. Narratio de Stadingis quam Fridericus de ſinu Sanctæ Mariæ præpoſitus miſit Abbati Præmonſtratenſi. In *Bremenſi Archiepiſcopatu* ab ipſa metropoli ad duas leugas erat Inſula & cætera quæ ibi continentur, in partibus transmarinis tempore induciarum veniebant multi de remotis terris ad ſepulchrum Domini, & inventum eſt *novem eſſe leges, ſeu novem* [ſpeciales] *ordines Chriſtianitatis*, de quibus ſingulis ad ſepulchrum Domini peregrini ibi more ſuo celebrabant presbyteri de omnibus videlicet ordinibus iſtis. Horum primus eſt noſtrorum ordo Chriſtianorum, Latinorum videlicet id eſt Romanorum & benè ſunt in ordine iſto ſeptingenti Epiſcopatus qui obediunt Domino Papæ ſpecialiter, ſecundus eſt ordo Græcorum atque Ruſſorum, qui licet à ſe differant in quibusdam pro uno tamen ordine computantur, Tertius ordo ſurianorum eſt ab origine Chriſtianitatis in partibus transmarinis exiſtentium, iſtis annectuntur Neſtoriani qui adhuc degunt in partibus illis. Quartus ordo Armeniorum prope Antiochiam & ultra minorem Aſiam degentium, & cum eis computantur Moriani: Quintus eſt ordo Georgianorum & *Abinianorum* Chriſtianorum ultra Armeniam terram magnam incolentium horum autem Clerici habebant Coronas rotundas Laici autem quadratas, ſextus ordo Jacobianorum

Digitized by Google

norum quî à diebus Imperatoris Marciani viri Catholici & impiiſſimi Neſtorii cæpiſſe dicuntur, Iſti uno ſolo digito ſe ſignant & ſignum crucis faciunt, Septimus ordo dicitur Nubianorum Chriſtianorum, quorũ terra maxima eſt, & multi ex eis tributarii Saracenorum ſunt, Octavus ordo totã illam multitudinem Chriſtianorum continet quæ presbytero Joanni ſubjecta eſt, Nonus ordo eſt Maronitarum. Iſti patriarcham ſuum habent in latere montis Libani qui formam Eccleſiaſticorum [offi iorum] acceperunt ab Innocentio Papa in Concilio Lateranenſi, & eam ſervant quantum eorum lex [litera] permittit, quæ eſt Chaldæa vel Chaldeæ proxima, Iſtis adjuncti ſunt in eodem montis latere, Noſſoritæ, qui legem habent coopertam quam filiis & Nepotib9 non exponunt niſi anno trigeſimo ætatis eorum, hæc eſt lex peſſima quæ vult cogitari nec in lucem videri. ☙ Magiſter Oliverius [Epiſcopus] Cumque transeuntes per pårtes illas ſcire vellemus quare nullo unquam tempore uxoribus ſuis vel filiabus aut ſororibus ſuis legem ſuam revelaverunt, reſpondit unus de Senioribus: Mulieres à diabolo formatas eſſe, & nos intulimus, cum hujusmodi mulieribus amplexibus vacatis ergo diabolum amplectimini, unde confuſus à nobis receſſit. Tempore quo Græci & Armenii Syriam tenuerunt, fuit quædam religioſa à ſeculo remota Deo ſerviens ad ſex leucas Damaſci apud locum qui dicitur *Sardenai*, huic ſanctimoniali Monachus quidam dedit in tabula depicta imaginem Beatæ Virginis pulcherrimam, quæ primo cæpit oleum de facie ſudare, & poſtea de toto corpore, ad quod oleum veniunt infirmi & ſanantur, monialis majorem Eccleſiam ſtatuit, vicinum Presbyterum & honeſtum advocavit ad translationem dictæ imaginis, ſed de parva Eccleſia imago removeri non potuit, & die tertia presbyter obiit. Imago præterea poſtmodum creſcente fidelium devotione cæpit inſpiſſari & quaſi in carnem commutari : dicitur [etiam] & ſcriptum eſt quod quidam Admiraldus Damaſci oculum perditum ibi recuperavit, qvâ de cauſa ipſe & ejus ſucceſſores quolibet anno eidem Eccleſiæ dabant ad luminaria

& ad

Digitized by Google

& ad alias utilitates ſexaginta menſuras olei usque ad tempora Salahadini, qui terram invaſit & dicitur de oleo imaginis quantumcunque dividatur, non imminuitur, & quod ibi conveniunt Saraceni in aſſumtione, ut orent ſanctam Mariam ſecundum legem ſuam. ❧ Tres ſunt Eccleſiæ in partibus transmarinis, quæ miraculoſe ſe defendunt; Prima illa de Sardena: Secunda illa de Bethleem: Tertia ſanctæ Catharinæ de monte Sinais. ❧ In Apulia mortuus eſt hoc tempore quidam *ſenex dierum, qui dicebat ſe fuiſſe armigerum Rolandi Theodoricum*, qui Dux Guidonius dictus eſt, & Imperator ab eo multa didicit. Hoc anno in capitulo generali apud Ciſtercium recepta eſt translatio (corporis) Sancti Benedicti inter præcipuas ſolennitates, qualiter autem translatum ſit venerabile corpus à monte Caſſino ad Aurelianenſem provinciam Galliæ, habetur ſupra in anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto: Tamen Caſſinenſes ſe contfientur veraciter habere corpus Benedicti, cum illi è contrario de Sancto Benedicto ſuper Ligerim omnibus præſentibus nude & aperte demonſtrant, forte piiſſimus Dominus ob devotionem utriusq; cœnobii operatus eſt in eis, ut utrumque monaſterium ſui piiſſimi patris haberet præſentiam, ſimile quidem legitur in paſſione beati Lamberti de quadam ſancta virgine Landrada, quod ejus corpus ſepultum eſſet in Biliſia præſente Sancto Pontifice Lamberto, poſt triduum ipſius precibus inventum eſt cum ipſo ſarcophago angelicis manibus translatum & ſepultum eſſe in villa de Wentreshovio: Item legitur de quodam ſancto Laudunenſi in Wallia, qui dictus eſt ſanctus Relianus, quod in ejus obitu tres eccleſiæ contendebant de ejus habendo corpore. Tandem de communi conſilio & conſenſu totum hoc negotium divinæ diſpoſitioni & ipſius Sancti voluntati commiſerunt, quibus conſummatis & diligentiſſimè eccleſia obſervata de nocte, in quâ jacebat, corpus mane reverſi pro uno feretro & uno corpore, quod ibi dimiſerant, tria decentiſſime locata invenerunt, in ſingulis feretris unius formæ & unius quantitatis & qualitatis & ita quælibet ex illis tribus eccleſiis corpus ſancti Reliani ſe habere gloriatur. ❧ Quidam Magiſter Rober-

tus de ordine Prædicatorum, qui antea fuerat hæreticus, nunc ad fidem Catholicam reverſus hæreticos per Franciam inveſtigat, & authoritate Papæ, vel ad reviſionem abſolvendos vel ad judicium comburendos attrahebat. Milo Belluacenſis Epiſcopus apud Camerinam Civitatem Italiæ moritur, poſt quem Gaufridus in Epiſcopum eligitur. ❧ Cum eſſet guerra inter Papam & Romanos, ab exercitu Papæ & ab exercitu Imperatoris (juxta) Viterbium confecti ſunt Romani quibusdam ex iis aut captis aut interfectis. ❧ Archiepiſcopus Bituricenſis Petrus deponitur. ❧ In Curia Romana talem petitionem propoſuit Rex Caſtellæ Fernandus, quod *nomen Imperatoris & Benedictionem* volebat habere, ſicut habuerunt quidam anteceſſores ejus. ❧ Otto Dux Meraniæ & Thomas Comes Sabaudiæ moriuntur. ❧ Moritur etiam Galterus Carnotenſis, ſuccedit Hugo Aurelianenſis. ❧ Poſt Epiſcopum Philippum fit Epiſcopus alter Philippus. ❧ *Nova Compilatio Decretalium* ſub Bulla Domini Papæ canonizata allata eſt Pariſios, & *eciderunt quinq; paria decretalium*, quarum ſumma redacta eſt in iſtam compendii gratia & intelligentiæ facilioris.

Anno MCCXXXV. In hac hyeme ſcilicet in principio hujus anni inundatio aquarum poſt liquefactionem nivium enormia damna intulit. ❧ Sic in *Hoio* quinto Idus Februarii feria ſextâ ſic Hoylus cœpit intumeſcere circa mediam noctem usque ad tertiam cum tanto impetu, quod ejus inundatio perveniens usque ad quintum gradum Petronii in foro ſiti, & usque ad Eccleſiam ſancti Maingoldi fluendo pervenit, tranſiens ad ſanctum Martinum, deſcendit ad Moſam per vicum qui platea Hungarii (Honyerii) nuncupatur. A tertia verò usque ad Veſperas paulatim impetum ſuum reprimens alveum intravit: Ita quòd itum eſt per vicos & plateas totius oppidi ab ipſis Civibus quærendo & inveſtigando quid actum ſit de amicis ſuis & conſanguineis; Muri etiam introitu & exitu ipſius fluvii ob ejus impetum mira celeritate corruerunt atque plusquam trecentæ domus ſeu collapſæ ſeu diſruptæ referuntur; in hoc autem tam ſubito periculo non niſi tantum decem inter parvos & magnos ſubmerſi dicuntur. ❧ Ju-

ex

dex *Sardiniæ* Baraſonas Mariani filius, puer quindecim annorum à ſuis crudeliter occiſus eſt, & membratim diſtruncatus (detruncatus) & mutilatus. Quidam Piſanus Balduinus habens ſororem ejus in matrimonium Judex poſt illum efficitur. ❧ In civitate Catalaunenſi præſente fratre Roberto & Cancellario Pariſienſi Magiſtro Philippo combuſti fuerunt *hæretici*, Horum unus Amelino tonſor totus dæmoni deditus & ultra modum fœtidus multos in civitate decipiebat. Similiter in Cameraco multi comprehenſi ſunt, inter quos vetula quædam Alaidis nomine, quæ videbatur & credebatur eſſe valde religioſa & eleemoſynaria ultra modum, tandem capta (accuſata) & comprehenſa (de iſta dictum eſt, quod quadam die per illum qui clamabat per civitatem: Vinum bonum, vinum optimũ, vinum pretioſum, dato pretio fecerit clamari: Deum pium, Deum miſericordem, Deum bonum & optimum, per totam civitatem ipſa ſequente & affirmante bene dicit, verum dicit, & hoc totum fecit causâ laudis humanæ, ut poſt apparuit, iſta itaque combuſta fuit,) & deinde combuſta cum aliis fere viginti, & viginti unus incluſi & in Duaco & circa partes illas bene triginta combuſti ſunt. ❧ Rex Navarræ rediens in Campaniam cruce ſignatur, & cum eo multi Barones, Flandriæ Barones apud Hesdinium, ubi ſe exercebant ad tabulam rotundam, cruce ſignantur. Item cruce ſignati ſunt, Hugo Dux Burgundiæ, Johannes Cabilonenſis, Comes Guido *Forenſis & Nivernenſis*, Comes Almaricus Montisfortis, Comes Britanniæ, & quidam alii. ❧ Rex Navarræ recuperato per judicium caſtro de nongento in Baſſignejo reparavit illud & refirmavit. ❧ Item matrimonium *Imperatoris Alemanniæ Friderici*, cum ſorore Regis Angliæ Henrici procuratum per Archiepiſcopum Colonienſem & per Ducem Brabantiæ. ❧ Diſcordia ejusdem Imperatoris contra filium ſuum accuſatum de proditione & conſpiratione contra ipſum & per quasdam literas convictum, qui negans ipſum eſſe filium ſuum depoſuit eum de regno, & miſit in Apuliam captivum, habebat ibi quendani (filium) alterum ſed baſtardum, qui in eadem captivitate mortuus eſt. ❧ Dux Auſtriæ Fridericus à Rege Hun-

gariæ devictus, & quasi à probitatibus patris omnino alienus, de die in diem se habebat deterius ut juvenis. ❧ In die Pentecostes canonizata est à Domino Papa *Sancta Elizabeth*, vidua Ludovici, Toringiæ quondam Lantgravii relicta, regis Hungariæ filia (quæ aliqua in vita sua fecit miracula) & post mortem innumera fecerat miracula, plures etiam mortuos resuscitando. ❧ *Rex Arragonum* quoddam nobilissimum castrum super Sarracenos hoc anno recuperavit, unde maximum incurrerunt detrimentum, uxorem suam Alienor, de qua filium genuit, causa tertii gradus Consanguinitatis dimisit, & filiam Regis Hungariæ Hyolens nomine duxit. ❧ In octava assumtionis Beatæ Virginis Fredericus Imperator celeberrimam *Curiam omnium principum Alemanniæ* tenuit apud Maguntiam. ❧ Henricus Brabantiæ, cum ab eadem curia reverteretur, Coloniæ moritur, item in reversione ejusdem Curiæ mortuus est Bisuntinus Archiepiscopus Nicolaus. ❧ Andreas *Rex Hungariæ* moritur & sepelitur in civitate Waradino, reclamantibus Abbate & Fratribus de Pelisio & super hoc causam agentibus. ❧ Eodem anno extra sylvas juxta Kerte apparuit quædam, ut dicitur, dæmonũ ludificatio, apparuerunt rubei homines, qui de montana quadam exierunt in rubeis equis, minoris tamen staturæ quam sint nostri, homines fere ducenti, qui discursus varios spectante populo faciebant, illis de oppido contra illos irruentibus, caveam suam intraverunt, nec postea comparuerunt, unus tamen aliquantum ab uno de oppido retentus fecit ejus manum omnino esse rubeam, & sic effugit, qui quamdiu vixit, rubea permansit. Fere omnes illi, qui eos viderunt, aliquod infortunium eodem anno incurrerunt.

Anno MCCXXXVI. Rex Navarræ Theobaldus repetebat à Rege Franciæ quædam feuda sua, quæ supra quadraginta millia librarum Parisiensium, ut dicunt, obligaverat eidem ante istud triennium loco pignoris, videlicet *de Comitatu Blesensi & Comitatu Carnotensi & Sanctodorensi Comitatu atque (Vice) Comitatu Castri Duni versus Windocinum*, cum eorum appenditiis, & quia prædicta pecunia termino præfixo non fuerat restituta, Rex Franciæ quasi de jure sibi retinuit præ-

Digitized by Google

prædicta feuda & appropriavit. Unde ſuper hoc & ſuper aliis quibusdam articulis mota eſt inter eos controverſia. Cum interim Rex Navarræ filiam ſuam quam in fide & ſub quibusdam religionis pactionibus Regi Caſtellæ promiſerat, pro filio ſuo dedit inconſulto Rege Franciæ Joanni, filio Comitis Britanniæ, quæ cauſa fomes extitit tanti ſcandali, quod tota terra fuit commota, & ita paratæ atque inſtructæ fuerunt acies hinc inde, quod ſe mutuo cogitabant invadere. Sed tot & tantis (honeſtis) perſonis mediantibus Rex Navarræ venit ad miſericordiam Regis & ſe & terram ſuam & quidquid petebatur eidem ſubmiſit, ita quod non ſolum dicta fæda ſunt omnino Regi quittata in perpetuum, ſed & ipſe Rex habuit cuſtodias ſuas in Monaſteriolo & in Brai ſuper Sequanam, quæ tamen poſtea Regi Navarræ reddidit. ❧ Quarto Calendas Aprilis, quod eodem anno in vigilia Paſchæ accidit, obiit Dominus Alexander, primus *Abbas noſtræ Eccleſiæ novi Monaſterii Leodienſis*, & in medio choro traditur ſepulturæ cum honore anno adminiſtrationis ſuæ vigeſimo octovo; fuit hic vir laudabilis vitæ, forma decorus & magnæ pulchritudinis, cujus temporibus floruit Eccleſia tam in perſonis quam in rebus temporalibus. Poſtea facta electione diviſa eſt Eccleſia, tandem per honeſtos viros Hermannus ejus conſanguineus Abbas conſtituitur circa feſtum ſancti Joannis. ❧ Henricus Rex Angliæ duxit in matrimonium ſororem Margaretæ Reginæ Franciæ, alteram ſcilicet filiam *Comitis de Provincia*: tertiam vero filiam habuit frater Regis (Franciæ) Carolus, Comes Andegavenſis: quartam filiam frater Regis Angliæ, Richardus Comes Cornubienſis in uxorem habuit: Harum ſupra dictarum Reginarum originem altius repetimus ſic. Margareta filia *Domini de Fuſceneis* de matre Guillelmi, filii Humberti *Comitis Gebennenſis*, Comiti Thomæ *de Sabaudia* nupſit & peperit Comitem Amedæum & duos Epiſcopos Valentinum & poſtmodum Leodienſem Guillelmum & Belicenſem Bonifacium, & duos præpoſitos Eccleſiarum Petrum & Philippum & Comitem Thomam de Flandria & Beatricem (Catharinam) Comitiſſam Provinciæ, quæ Raimundo

mundo Berengario (quæ Johanni Comiti peperit ſupra dictas Reginas & earum ſorores,) ſororem matris iſtarum jam habebat *Comes de Kyburg*. Poſtquam Rex Johannes Conſtantinopolitanus vicerat multa bella Græcorum & aliarum gentium per circuitum, Walſtadius (Vaſtachius) & Alſanus duo Reges potentiſſimi, qui erant invicem adverſarii, facta pace inter ſe, ita quod filius Vaſtachii filiam Alſani duceret, Conſtantinopolim obſident; Theodorus vero *Theſſalonie Rex cæcatus* non ſe intromittit. De illa obſidione frater ejus Manuel privatus fugit ad Dominum Gaufridum & factus eſt homo illius, ſororius quoque Theodori Comes, qui dicitur maximus Jacineti (maximus Jacincti) factus eſt homo Gaufridi, & cum Johannes Rex indigeret adjutorio, iſte Gaufridus cum centum viginti navibus ſeu *vaſis bellicis* ſuccurſum præſtitit obſeſſis, & cum adverſarii trecenta vaſa haberent, ipſe per medium illorum Conſtantinopolim intravit, & quindecim vaſa eorum contrivit, habebat centum milites, trecentos baliſtatores & quingentos archarios, & ex quo Rex Johannes venerat ad partes illas, mittebat quolibet anno XXII. millia prpres. ad conducendos auxiliarios, frater ejus Gvillelmus, qui cuſtodit terram ſuam, habet filiam Norgaldi, natam de filia Livernas & ſorore (f. ſororis) Regis Franciæ. Sub prædicto Domino Gaufrido duo ſunt Archiepiſcopi, ille de Patras, qvi eſt primas, & Archiepiſcopus Corinthi, primus unum habet Epiſcopum de Oliva, id eſt, de Andrevilla, ſecundus tres Mecenen; (f. Mylenſem) coronæ & Lacremon (f. Lacedæmonenſium) ſub Guidone duce Athenienſium duo Archiepiſcopatus, Athenienſis cum Epiſcopo de Argis & Archiepiſcopus Thebanus cum Epiſcopo de Negropont. ❧ In Calendis Maji elevavit de terra propriis manibus Imperator Fredericus caput *ſanctæ Eliſabethæ* viduæ, & coronam auream gemmis pretioſiſſimis adornatam ſanctiſſimo capiti impoſuit, in præſentia Epiſcoporum & Archiepiſcoporum & Principum Alemanniæ, & ibi tanta peregrinatio* provinciarum omnium per circuitum, quantum fere ad ſanctum Jacobum. ❧ Imperator Fredericus repetit à Rege Hungariæ tributum quadra-

quadraginta ſeptem annorum, quod videlicet ex quo mortuus eſt avus ejus magnus Fredericus, ſolutum non fuerat. ❧ Feria ſecunda ad quindenam poſt Paſcha fuit interfectio crudeliſſima Scholarium Aurelianenſium, ita quod de media nocte præpoſitus Civitatis cum ſuis undecim hoſpitia effregit, innocentes etiam multos à lectis trahendo trucidavit, & bigis impoſitos in fluvium projecit, numerus interfectorum & ſubmerſorum vel usque ad octoginta vel usque ad centum æſtimatus eſt, ſecundum quod pro favore partium alii factum hoc vel extenuant vel aggravant. Tertio nonas Auguſti Eclipſis Solis facta eſt hora diei quaſi ſexta dominico die. ❧ Radulphus Lugdunenſis Archiepiſcopus cum magna devotione moritur. ❧ Sunt quidam verſus Hiſpaniam fratres milites ordinis de *Calatrave* Ciſtercienſem ordinem profeſſi. In vicinia autem Cordubæ fratres iſti magnam Prioriam habent, tenentes quoddam caſtrum, unde frequentes aſſultus faciebant, & terram ab illa parte cuſtodiebant, cum interim major Balivus Cordubæ Machometus nomine cum Domino ſuo Rege *de Maroc, quæ nova Carthago* dicitur, diſcordiam habuit ſuper ratiociniis ſuæ diſpenſationis & villicationis, quærente ab illo prædicto Rege collectam & enormem pecuniæ ſummam, inducias ille requiſivit dicens, quod tractaret ſuper hoc; convocatis igitur ſupra dictis Priore ſcilicet & militibus ordinis de Calatrave promiſit, quod Deo dante fieret Chriſtianus & ipſe baptizaretur & tota domus ejus, & quod absque dilatione volebat eis nobilem Civitatem *Corduba* tradere, diem aſſignavit, ut plures chordas ad ſohalas ſibi componendas adquirerent & campanam unam in quadriga ſecum adducerent, & ſocios & auxiliarios undecunque colligerent; paratis in velocitate, quæ dixerat, ſecuti ſunt illum pedetentim ſine ſtrepitu, ſine tumultu, qui non introduxit eos per aliquam de portis, ubi vigilantior erat cuſtodia, ſed per quendam tutū locum & remotum, ubi nullus timebatur aſſultus, cum eſſet ibi aqua & quædam alia obſtacula, propter quod & nulla fuit ibi cuſtodia. Ibi ſuper ſcutū ſe fecit per lanceas elevari & de nocte per ſcalas chordarum *crenellis* adaptatis noſtros introduxit, & convocatis turrium

rium cuſtodibus,modo iſtis modo illis habita contra illos quæſtione, quod male cuſtodirent,fecit omnes à noſtris militibus decapitari, & in turres noſtras introduxit dictam campanam,in una turrium de nocte pulſavit, & ecce conturbatio, commotio, & tumultus civitatis inſonuit,cœperunt clamare:traditio,traditio,huc & illuc fugiendo,& ipſe Rex qui erat intus in palatio ſuo fugit per mare, & dicitur,quod in occiſione multitudinis hâc & illac diſcurrentis,qui neſciebant, quo debebant fugere,fuerunt equi noſtrorum usque ad genua in ſanguine, captæ fuerunt in brevi turres circiter trecentæ, & cuſtodibus noſtris deputatæ, & cum non haberent ſufficientem copiam ad reliquam civitatis partem invadendam, mandaverunt Regi Caſtellæ per celeres nuntios, ut citiſſimè veniret, & admirabilem eventum feſtinare procuraret. Rex ille quotquot habuit congregavit,cæteris ut ſequerentur demandavit,per tres menſes & amplius forteritias Civitatis obſedit & ita tandem per famem coactosDeo triumphante ſubegit, & de iſtis quotidie meliora melioribus à peregrinis nunciantur,FraterRobertus, qui hoc tempore perGalliam *hæreticos comburebat*, cum eſſet vir magnæ religionis apparens & non exiſtens, circa tempus magni Concilii apoſtatavit, ſecutusque mulierculamManichæamMediolanum abiit, & factus eſt de ſecta illa peſſima per annos viginti,ita quod inter eos fuit perfectiſſimus, qui de novo reſipiſcens ad mandatum Papæ permultos hæreticos denudavit per ſolam loquelam & per ſolos geſtus,quos habebant Hæretici,deprehendebat eos. ❧ Moritur Comes Rodulphus Sueſſionenſis Epiſcopus. ❧ Magiſter Gaufridus Pariſienſis Archidiaconus fit Biſuntinus Archiepiſcopus. ❧ Comes Stephanus de Burgundia cruce ſignatus terram ſuam filio Joanni guerpivit, & ad Abbatiam de Charitate ſe contulit, quam avia ejus Comitiſſa Alaidis fundavit. ❧ Joannes Archidiaconus Senonenſis in Epiſcopum Pictavienſem eſt promotus. ❧ Guido Apuliæ unus Epiſcopus ab Imperatore quondam pulſus, factus eſt à Papa Nannetenſis Epiſcopus. ❧ MagiſterHenricus Pariſienſis Archidiaconus in Archiepiſcopum Lugdunenſem eligitur. ❧ Epiſcopus Balduinus Semi-

Semigallenſis Epiſcopum ſuum in manum Domini Papæ reddidit, *ita quod poſſit facere benedictiones & ordines.* ❧ Circa Pentecoſtem Aquisgrani palatium miſerabili incendio fere totum cum oppido concrematur. ❧ Dux Auſtriæ Fredricus ab Imperatore omnino exhæredatus eſſe videbatur, ſpecialiter à Ducatu Stiriæ. ❧ Moritur Hugo Epiſcopus Carnotenſis, ſuccedit ei Magiſter Albericus Cornutus, frater Archiepiſcopi Senonenſis. ❧ Mortuus eſt Epiſcopus Belluacenſis, poſt quem Robertus Decanus fit Epiſcopus.

Anno MCCXXXVII. in die nativitatis Domini obiit Cancellarius Pariſienſis Philippus, ſatis adprobatus Theologus & Philoſophus optimus & apud fratres minores eſt ſepultus titulo hujusmodi ſuppoſito,

Cenſus, divitiæ, viventi quid valuere?
Si caream requie, nil poſſunt illa valere.
Me modo terra tegit, teget & te, te precor, ora,
Ut mihi ſit requies, ſit (&) hæc tibi mortis in horâ.
Qui me noviſti nunc hic ſcis membra recondi
Dicere cui poteris, ſic tranſit gloria mundi.

Hujus Sermones & Homeliæ & cætera quæ fecit, habentur à pluribus, & Magiſter Guinardus Laudunenſis fit Cancellarius Pariſienſis. ❧ Dominica die in converſione Pauli Moſa magnus adeo extitit, quod nulla ætas recordari poterat unquam à priſcis temporibus tam magnum extitiſſe; fuit enim apud nos fere æqualis planitiei *clauſtri noſtri novi* monaſterii. Quidam machinatores contra Regem Franciæ clam procuraverant matrimonium *Comitiſſæ Flandriæ* cum viro Nobili Simone *de Monteforti*, fratre Comitis Almarici, qui (Simon) alienatus erat à Francia eo quod ſuſpectus in Regis Curia propter reditus, quos habebat in Anglia & fidelitatem, quam Anglorum Regi fecerat, quapropter iſtud matrimonium perdidit, ſicut & illud Comitiſſæ Boloniæ perdiderat, ſed Deus ei providit *ſororem Regis Angliæ*, relictam videlicet Mareſcalli Gvillelmi, qui erat unus de Regulis Hyberniæ; ſoror ejusdem Simonis vocabatur Petronilla. Eodem

anno *Comitiſſa Flandriæ* Joanna nupſit Thomæ, filio Comitis Thomæ *de Sabaudia*, Clerico quondam & *Archidiacono* Lugdunenſi. ❧ Apud Compendium in octavis Pentecoſtes in præſentia & omni frequentia nobilium Franciæ, *frater ejúsdem Regis Robertus* cingulo militiæ de novo accinctus nuptias ſuas celebravit cum Mathilde filia Ducis Brabantiæ, ei Rex dedit & *Comitatum Attrebatenſem & ſanctum Audomarum & Ariam*, & cætera de matre Domini Ludovici patris ejus ibi contingentia, ibi ſicut dicitur, usque ad centum quadraginta novi milites creati ſunt. Et illi qui dicuntur *Miniſtelli*, in ſpectaculo vanitatis multa ibi fecerunt, ſicut ille, qui in equo ſuper cordam in aëre equitavit, & ſicut illi, qui duos boves de Scarlata veſtitos equitabant cornicantes ad ſingula fercula, quæ apponebantur Regi in menſa. ❧ Eodem fere anno alter Regis frater Alphonſus nuptias ſuas fecit cum filia Raimundi, Comitis Tholozani. ❧ *In Conſtantinopoli* moriuntur Rex Joannes & uxor ejus, & filius Comitis Antiſſiodorenſis, ultimus Balduinus juvenis, cum eſſet hæres illius regni, venit in Franciam, qui etiam *Comitatum Namurcenſis caſtri* contra ſororem ſuam recuperavit *jure prælii*, non ſine ſangvine aliquorum, & de conſenſu nobilium terræ parti ejus faventium, cum illa fratrem nec cognoſcere vellet, nec habere pro fratre. ❧ *Comes Barri* Henricus Romam abiit & de manu Papæ crucem pro via transmarina accepit. ❧ Literæ mirabiles fratris Philippi Prioris transmarini de fide Jacobianorum & multis aliis & de LXX. provinciis Patriarchæ Jacobianorum ſubjectis: Sanctiſſimo Patri ac domino Gregorio divina miſeratione ſummo Pontifici fratrer Philippus fratrum prædicatorum in terra ſancta prior mutilis in omnibus obedientiam devotam & debitam. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui veſtris temporibus, pater ſancte, oves à tantis temporibus erroneas ſua clementia reduxit ad paſtorem, diebus enim noſtris donum ſuæ benignitatis demonſtravit nobis, & campos ſuos implere fecit ubertate, & quia nationes, qua ab unitate eccleſiæ diu receſſerant, ad noſtram obedientiam & ſanctæ matris Eccleſiæ mirabiliter reduxit unitatem: nam patriarcha Jacoborum Orientalium,

vir

Digitized by Google

vir venerabilis ſcientiâ, moribus & ætate cum maximo Comitatu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, monachorum ſuæ gentis in hoc anno venit adorare in Jeruſalem, cui verbum Catholicæ fidei exponentes ad tantum divinâ gratiâ cooperante pervenimus, ut in ramis palmarum proceſſione ſolemni, quæ die illâ à deſcenſu mortis oliveti fieri cònſuevit, obedientiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ promitteret & juraret omnem hæreſin pariter abjurando & confeſſionem & confœderationem ſuam nobis tradidit literis Caldaicis & Arabicis in teſtamentum ſempiternum, adhuc & habitum noſtrum recepit in receſſu. Ipſe præeſt Caldæis, Perſis, Medis & Armenis, quas terras Tartari pro magna parte vaſtaverunt, etiam in aliis regnis in tantum dilatatur ejus prælatio, quod LXX. provinciæ ei obediunt, in quibus habitant innumerabiles Chriſtiani, ſervi tamen & tributarii Saracenis, exceptis monachis, quos liberos dimittunt à tributo: quemadmodum eandem formam fecerunt duo Archiepiſcopi unus Jacobitus de Ægypto & alter Neſtorianus in Oriente: ſuas tamen prælationes habent in Syria ſubditas & Phœnice, & nos feſtinamus quatuor fratres in Armeniam transmittere ad linguam addiſcendam, eo quod preces Regis Baronum nos urgebant. De alio quodam qui appellatur Jakelinus, qui præeſt omnibus, quos Neſtoriana hæreſis ab eccleſia ſeparavit, cujus prælatio per Indiam majorem & per regnum ſacerdotis Johannis & regna magis proxima dilatatur, jam plures literas recepimus, quod fratri Guillielmo de monte ferrato, qui cum aliis duobus fratribus linguam illam ſcientibus apud eum aliquamdiu commoratus eſt, promiſerit, quod velit obedire, & redire ad gremium eccleſiæ & veritatis. Miſimus etiam fratres in Ægyptum ad *Pharaonem Jacobitarum Ægyptiorum*, qui multum amplius errare ſolent quam Orientales, aliis erroribus circumciſionem ad modum Saracenorum addentes, à quo recepimus ſimiliter, quòd velit redire ad Eccleſiæ unitatem, & jam eliſis multis erroribus ſuos ſubditos prohibuit circumcidi. Huic ſubdita eſt India major *Æthiopia*, Libya cum Ægypto & Æthiopes & Libyi non ſunt ſubditi Saracenis.

nis. Mauronitæ,qui habitant in Lybano,jam diu eſt quod ad eccleſiam redierunt, & in obedientia perſeverant, & cum omnes nationes prædictæ doctrinæ veritatis & prædicationibus noſtris adquieſcant, ſoli Græci in malitia perſeverant, qui ubique latenter & apertè Romanæ Eccleſiæ contradicunt, omnia Sacramenta noſtra blaſphemant & omnem aliam ſectam à ſua, pravorum hæreticorum (ſ. nomine) appellant. Unde videntes tantum hoſtium (id eſt oſtium) apertum, ut veritas Evangelii dilatetur, dedimus nosmetipſos ad linguas gentium addiſcendas,& ad ſtudium in ſingulis conventibus ſtatuimus laborem novum veteri apponentes, & jam per Dei gratiam ſimiliter fratres noſtri linguis loquuntur novis & prædicant & maxime in Arabica,quæ communior eſt inter gentes; erant enim hoc tempore Tartari quidam,populus barbarus ſub poteſtate Presbyteri Johannis conſtitutus, quos cum presbyter Johannes in bello, quod habuit contra Medos & Perſas,in adjutorium ſuum advocâſſet, & eos in forteritiis & munitionibus locaſſet,illi videntes ſe eſſe fortiores presbyterum Johannem occiderunt, & terram ejus ex magnâ parte occupaverunt, Regem unum ſuper ſe ſtatuentes,quaſi ipſe eſſet presbyter Johannes, & ex tunc multa mala fecerunt in terra, ita etiam quod hoc anno XLII.Epiſcopos in Armenia majore interfecerunt.Igitur rumor erat, hunc populum Tartarorum in Comoniam & Hungariam velle venire, ſed utrum hoc verum ſit, miſſi ſunt de Hungaria quatuor fratres prædicatores,qui *usque ad veterem Hungariam* per centum dies iverunt, quibus reverſis nunciaverunt, quod Tartari jam veterem Hungariam occupaverant, & ſuæ ditioni ſubjecerant. ❧ Philippus Epiſcopus Catalaunenſis in die Palmarum moritur. ❧ Magiſter Guillelmus factus eſt Epiſcopus Aurelianenſis. ❧ In partibus *Auſtriæ* pluit ſanguis in vigilia ſancti Joannis;videlicet in Carentania,&in diœceſi Patavienſi. ❧ Eodem tempore fuit bellum exhæredati Ducis apud Cremes ſuper Danubium dirum & forte nimis. ❧ Romæ obiit Magiſter Joannes de Abbatis villa,Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis: In partibus autem transmarinis poſt feſtum Sancti Joannis Templarii

à caſtro

Digitized by Google

à caſtro peregrino contra prædatores ſuos egreſſi centum viginti fratres cum magno Magiſtro, qui erat Pictavinus, & Archariis & baliſtariis, in magna quantitate omnes capti ſunt aut occiſi, præter novem fratres qvi cum magiſtro evaſerunt; qvo tempore fuit *Comes Joppenſis*, cum qvo erant duo filii de Baruth, qvorum conſilium ſeqvi noluerunt fratres ſupra dicti. ❧ Moritur Senior Regina Franciæ nomine Guineburdis, ſive *Indeburgis de Dacia*, quæ erat Domina Aurelianenſis.

Anno MCCXXXIIX. Mortuus eſt Cameracenſis Epiſcopus, Godefridus, & Magiſter Ginardus, Cancellarius Pariſienſis fit Epiſcopus, & novus Cancellarius dictus eſt Magiſter Odo de Caſtro Radulphi. ❧ Galerannus Dominus de *Poillevache*, filius quondam *Ducis Galeranni de Lemborch* multa mala horribilia & nefanda faciebat contra vicinos ſuos, & præcipuè contra Epiſcopum *Leodienſem* Joannem, quapropter idem Joannes, ſicut erat vir animoſus & nobilis, congregans exercitum copioſum circa Purificationem Beatæ Virginis, caſtrum prædicti Galeranni ſitum ſuper Moſam, quod dicitur *pilans vaccam* viriliter obſedit, poſt aliquantulum ad mandatum Epiſcopi venit ad obſidionem Thomas *Comes Flandriæ, qui erat homo ligius ratione feudi Hainiaci*, cum nobili turba Flandrenſium & Hainenſium adducens ſecum *bibliam petrariam* & cætera bellica inſtrumenta, eratque in (cum) iſtis Comes Arnulphus *Loſſenſis* & cum eo multi nobiles vicini, qui quotidie magnos & diros faciebant aſſultus, jaciendo, ſagittando, & ad muros aſſaliendo, & quia non erat munitum nec aquam haberet ſufficientem, cito illi deintus reddidiſſent caſtrum Epiſcopo, niſi quidam, ut dicitur, fuiſſent, qui omnia conſilia Epiſcopi eis revelabant, & ut fortiter ſe defenderent, clam exhortantes, quia obſidio ſolveretur. ❧ In quadrageſima moritur *Archiepiſcopus Colonienſis* Henricus, Filius verò Comitis de Sterſtal (Harsſtal) Conradus electus eſt in Archiepiſcopum, natus de ſorore *Comitis Viennenſis*, hanc poſtea habuit uxorem *Henricus frater Comitis Loſſenſis*, quondam *præpoſitus* Trajectenſis, genuitque ex ea Imainam Abbatiſſiam de Saleſines. ❧

Cum adhuc obsidio esset ante supra dictum castrum pilans vaccam, Joannes Leodiensis Episcopus pridie Calendas Maji in castro Dionanto moritur. Mors ejus propter obsidionem omnibus, nisi quibusdam fidelibus *celatur*, & per duos fideles sibi servientes in vallem sancti Lamberti transmittitur, ibique eum Abbas ejusdem loci à prædictis ministris *sub forma confessionis* recipiens honorificæ de nocte sepulturæ tradidit, præsentibus tamen duobus Monachis & duobus Conversis: crastino verò die mortis Episcopi illi qui erant ad *crenellos* defensionis ludentes & gaudentes dicebant foris astantibus: Recedatis, Recedatis, Dominus vester mortuus est; sic manifestata est proditio, de qua superius (mentio incidit.) Deinde Galerannus, sicut erat vir bellicosus, & in bellis nimiũ exercitatus, quotquot habere potuit in unum colligens exercitum Mosam transiit, quod audiens exercitus Episcopi sine dilatione cœpit fugere (sine dilatione quot capita tot fugæ) infra Dionantum se recepit, tamen postea Comiti Flandriæ sub nomine Regis fuit redditum. ❧ In crastino sancti Johannis electio Leodii facta est, Primicerius Metensis & frater *Ducis de Nancejo* dedit partem suam & auxilium præposito Ottoni Aquensi. Archidiaconus autem Galterus, frater *Comitis de Reteſt*, partem suam & auxilium dedit fratri *Comitis Flandriæ*, scilicet electo Valentiæ Guillelmo, pro quo etiam Cardinalis Otto, qui erat in Anglia, scripsit Leodiensi capitulo; sed inprimis ille de Trajecto vel de Aquis per Conradum Colonienſem electum, & per Conradum filium Imperatoris, & per ipsum Imperatorem, quantum ad regalia, factus est superior. Inter hæc autem electus Valentiæ, antequam sciret de electione Leodiensi, erat in præsidium in Cremona pro parte Imperatoris contra Lombardos, & cum suis Burgundionibus disconfecit *Placentinos*, ita quod multi ex eis interfecti & vulnerati sunt, & plus quam mille capti fuerunt, & hâc occasione regalia sua habuit ab Imperatore auro sigillata ubicunque in Imperio eligeretur sine loco determinato. Ambo isti electi Romam profecti sunt similiter & electus Colonienſis Conradus, summus Pon-

Digitized by Google

Pontifex Ottonem caſſavit, electum Valentiæ, Gvillelmum in Leodienſem electum confirmavit; Colonienſis electus aliter gratiam Papæ habere non potuit, niſi illum Trajectenſem abjuraret, & electo Valentiæ aſſenſum & gratiam & auxilium ſuum efficaciter accommodaret, quod ita factum eſt, licet ille Trajectenſis diu reſtiterit (& repugnaverit.) Aquisgrani declaratæ ſunt quædam pretioſiſſimæ *reliquiæ* per Decanum loci poſitum in extremis (videlicet) panniculi, quo involutus fuit puer Jeſus in præſepio, & illud linteamen, quo ſuccinctus fuit in cruce reſperſum ejus ſanguine, & una Camiſia Beatæ Mariæ, quæ omnia idem Decanus anno præterito cum chartulis ſuis invenerat ex portatione ſupellectilis Eccleſiæ, quæ facta fuit occaſione ignis tunc graſſantis in villa & creſcentis. ❧ Nunciatur mors magni Soldani Babyloniæ, nec non & Soldani Ichumii & illius de Halapia. ❧ Moritur Epiſcopus Ambianenſis, cui ſuccedit Magiſter Arnulphus. ❧ Rex *Tartarorum* Imperatori Frederico mandans, ut ſibi in hoc conſuleret, quatenus officium aliquod in ſuâ Curia eligeret & de ſe terram teneret. Ad quod reſpondiſſe Imperator fertur; *quod ſatis ſcit* de avibus & benè erit falconarius. ❧ In transmarinis partibus Tartaris terras depopulantibus occurrunt eis quidam nigri monachi Syriani vel Græci cum cruce & cereis & aqua benedicta, volentes eos ſibi facere propitios, & cum ille Rex inquiſiſſet ab eis de vita & moribus eorum, & de Deo ſuo, & de ſubſtantia eorum, tandem cum omni ſubſtantia incluſos fecit eos comburi, dicens: Ego facio eis magnam gratiam, qui cum ſubſtantia ſua transmitto eos ad Deum ſuum. ❧ Obiit Laudunenſis Epiſcopus Anſelmus, ſuccedit eidem Magiſter Garnerus Archidiaconus. ❧ In Hiſpania Rex Caſtellæ *Sibiliam* Civitatem Saracenorum ditiſſimam obſidit, & Rex Arragonenſis *Valentiam* magnam, quam acquiſivit triumphante Domino in feſto ſancti Michaelis & Archiepiſcopus Narbonenſis ibi ſtrenue militavit; Renaldus frater Ducis Lotharingiæ factus Dominus de Bittis, & per uxorem, quam ſibi uſurpavit, *Comes de caſtris* effectus eſt.

eſt. ❧ Moritur Epiſcopus Joannes Metenſis, cui ſucceſſit primicerius Jacobus frater Ducis *Lotharingiæ*. ❧ Domina de Charmato (Charmeto) ſoror uterina *Comitis Barri* moritur. ❧ Archiepiſcopus *Moguntinus* pro Abbatia de *Lauriſſa* contra *Ducem Bavariæ* Ottonem, qui per uxorem ſuam erat *magnus Comes de Rheno*, gverram habebat, & expugnabat oppidum (de) Walehuſe. Hic Otto fuit de matre Alberti Bequonarii (Boguenarii) Regis Hungariæ neptis.

Anno MCCXXXIX. Decem & ſeptem ſunt caſus contra Imperatorem annotati, inter quos eſt quædam illius contra Chriſtianam legem blaſphemia, quam Dominus Papa tangit in libris ad Archiepiſcopum Senonenſem: Tres, inquit, *Baratores ſeu Guillatores* fuerunt in mundo, Moyſes, Chriſtus & Mahometus, & in tantum honorē tribuit Machometo, quod eum conſociat Moyſi & Chriſto, nunquam tamen Machumetus Moyſem vel Chriſtum Baratores appellavit, & in hoc Imperaror iſte deterior eo Machometo; ſed & die quadam fertur dixiſſe uni de ſuis, cum vidiſſet Sacerdotem corpus Domini ad quendam infirmum deferentem, heu me, inquit, quamdiu durabit *truffa* iſta? Propter has blaſphemias & alios caſus enormes Dominus fecit eum per totum mundum excommunicari, & excommunicatum denunciari. ❧ Rex Francorum miſit Romam Epiſcopum Lingonenſem Robertum & Dominum Adam Militem de Conſilio ſuo ad temperandum ſummi Pontificis animum, & animum Imperatoris, ſi aliqua poſſet inter eos reperiri pacis & concordiæ forma. Hac etiam de cauſa *noſter electus Leodienſis* ille de Valentia à Domino Papa confirmatus, moram dicitur feciſſe in eisdem partibus, qui etiam è Domino Papa obtinuit, ut unus de fratribus ſuis ſit pro eo electus in Valentia. Inde cum Leodienſes de die in diem expectarent & deſiderarent ſuccurſum illius, cum omnis regio graviter vaſtaretur à vicinis Principibus imò prædonibus, ille, ſicut Domino placuit, menſe Octobri obiit in reditu itineris Romani. ❧ Inanno iſto hebdomada ante Pentecoſten ſexta feriâ factum eſt maximum holocauſtum & placabile Domino in combuſtione Bulgrorum;

rum, ſiquidem centum octoginta tres *Bulgri* ſive Bulgari combuſtî ſunt in præſentia Regis Navarræ & Baronum Campaniæ apud Montrimert (Montvvimer) qui ab antiquo mons Wodemari dicitur, ubi affuerunt, Rhemenſis Archiepiſcopus Henricus, Sveſſionenſis Epiſcop. Jacobus, Epiſcop. Tornacenſis Galterus, Epiſc. Cameracenſis Magiſter Gvinardus Theologus, Epiſc. Attrebatenſis Magiſter Alſo, Epiſcop. Morinenſis Petrus, Epiſcopus Noviomenſis Nicolaus, Epiſcopus Laudunenſis Magiſter Garnerus, Epiſcopus Sylvanectenſis Magiſter Adam, Electus Belluacenſis Robertus, Electus Catalaunenſis Gaufridus, patruus Comitis de *Grandi prato*, Epiſcopus Aurelianenſis Magiſter Gvillelmus, Epiſcopus Trecenſis Magiſter Nicolaus, Epiſc. Meldenſis Petrus, Epiſcopus Virdunenſis Rodulphus *de Torata* & frater ejus Lingonenſis Epiſcopus Robertus, & multi alii Eccleſiarum prælati, Abbates videlicet, Priores & Decani, non tamen omnes iſti interfuerunt combuſtioni, ſed in ipſa hebdomada cum fieret examinatio advenientibus aliis recedebant alii. Affuit etiam tanta multitudo populi utriusque ſexus & conditionis, quod numerus eorum ad ſepties centum millia æſtimabatur, & ſicut antiquitus, ut dicitur, canes in eodem loco undique convenientes bellum ad invicem habuerunt quodam præſagio futurorum & ſe invicem laceraverunt, ita iſti *Bulgri* pejores canibus uno die ibi ad triumphum Sanctæ Eccleſiæ exterminati ſunt, præfectus eorum magiſter, qui dicebatur Archiepiſcopus de Moranis alta voce dicebat ad illos: Vos omnes ſalvi eritis per manus meas abſoluti, ego ſolus damnatus ſum, quia ſuperiorem qui me abſolvat non habeo; habebant iſti quasdam vetulas, quibus nomina ſubornata impoſuerunt, ita ut una diceretur ſancta Maria, altera Eccleſia ſive lex Romana, altera ſanctum Baptiſma ſeu matrimonium ſive ſancta communio vocabatur, & quando dicebant in examinatione: ego credo quicquid credit ſancta Eccleſia ſeu lex Romana, eorum erat intentio ad illam vetulam, quam ipſi vocabant eccleſiam & ſic de aliis. Fuit etiam ibi vetula magnæ famæ de Pruino Gisla nomine, quæ dicebatur Abbatiſſa, cujus mors dila-

ta eſt eo quod promiſerit fratri Roberto, quod adhuc alios in quantitate magna manifeſtabit. Quædam alia mulier recognovit ad inſtantiam fratris Roberti, qualiter ipſa translata fuit in paraſceves usq; ad Mediolanum, ut ibi ſerviret ad menſam Bulgris & dæmonem reliquerit juxta virum ſuum in ſimilitudinem ejusdem mulieris transformatum. Quæ ſit opinio iſtorum hæreticorum vel quæ aſſertio, qui originem habent à deteſtando Manichæo, vel ipſi faciant in abſcondito, non eſt modo neceſſe in medium proferre, quia ſunt fœtida & horribilia, & ipſi inter alios ita fœtent, quod etiam ipſo fœtore deprehenduntur à ſapientibus, invenit etiam frater Robertus & ſecundum hoc publica terit opinio, quod ille *Fortunatus Manichæus* peſſimus, quem beatus Auguſtinus de Affrica expulit, venit eodem tempore *ad illas partes Campaniæ* & invenit Widomarum Principem latronum in eodem monte cum ſuis latitantem, hunc ad ſuam ſectam cum ſociis convertit, & à tempore illo circa montem illum in proximis villulis nunquam defuit ſemen iſtud peſſimum Chanaan & non Juda. ❧ Moritur Iſabella, Domina *de Baja*, mater Simonis de *Caſtrovillani*. Ingelramus de Coci, qui natus eſt de ſorore dictæ Dominæ de Baja, Regi Scotiæ Alexandro filiam ſuam dedit in matrimonium: hic Alexander primo habuit unam de ſororibus Regis Angliæ, qui ſine liberis obiit. Sunt ergo duæ Reginæ *in cognatione de Melou (Molen) vel de Dampetra*, iſta de Scotia & uxor Regis *Navarræ* filia Erchembaldi: Pater namque Erchembaldi Guido de Dampetra tres ſorores habuit: una Iſabella mater Domini Goberti de *Aſpero monte*, & una Oda, mater illorum de Torota, tertia Helvidis, Domina (Domino) de monte mirabili peperit Mariam uxorem Ingelrami de *Coci*. ❧ Sequitur de his, quæ fiunt in partibus transmarinis: Domino Galtero de Avennis, frater Hermannus *Magiſter Militiæ Templi* ſalutem. Quoniam deſideratis audire nova, Soldanus novus Babylonis, nullius enim (nullius eſt) valoris, cujus imperitia tam à ſuis quam alienis noſcitur manifeſtè, & cum Soldano de Haman (Hamant) continuam habet guerram, ſimiliter cum Soldano Damaſceno. Soldanus vero, qui dicitur

Naiſſe-

Digitized by Google

Naiſſere,quondam Conradini filius Dominus Crati de monte Regali, magnam habet guerram (*ſimiliter cum Soldano Damaſchio;* hæc verba ſecundum Cod. membranac. ex priore loco huc tranſferenda) item cum (id eſt,cum) Hesduvino, cujus filiam habuit Martinus, qui apoſtatavit. Soldanus autem de Haman habet guerram cum Perſidis Halapilis (Halapinis.) Soldanus autem de novo Ichonio,qui eſt ultra Baldach ad quinque dietas, qui Soldanus Sychaila (Sychila) dicitur filius quondam Kenet de Haimant,continuam habet gverram; quidam vero prædictorum Soldanorum, cujus ad præſens tacetur nomen, in jocundo cruce ſignatorum adventu, terram ſuam totam Chriſtianæ ſubjecit ditioni (ſicut promiſit,) baptiſmum & alia ſuſcipiet ſacramenta. Hucusq; de literis. ❧ Cæterum quidam *homines, qui Tartari appellantur*, & quarum magnæ multitudinis numerus ignoratur usq; ad Califæ & Baldach provinciam totaliter deſtruentes. *Horum forma*,ſicut ille qui vidit teſtimonium perhibet, talis eſt: Caput habent groſſum & collum curtum, pectus valde groſſum,brachia groſſa,crura parva& groſſa,mirabilis eſt eorũ fortitudo, nullius ſunt pietatis, nihil timent, nihil credunt nec adorant niſi ſuum Regem,qui ſe appellat Regẽ Regum, & dominum dominantium; ſi quis autem horum Tartarorũ terram, originem,genus & mores ſcire plenius deſiderat,legat *hiſtoriam,quæ intitulatur Tartarorum,editam à fratre Joanne de palatio Carpini,ordinis fratrum Minorum*,ab apoſtolica ſede ad partes illas deſtinato in anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto. Cæterũ de iſtis Tartaris prædictis fama publica ita terruit *Regem Hungariæ*, quod duo caſtra contra eos firmavit ultra Sylvas & nemora in partibus illis fecit *indaginari*,id eſt,in placeta(plaſeta) redigi; poſtea intellexit, quod *Romani* ſub ſpecie Tartarorum ipſum terrere voluerunt, ſed de iis viriliter triumphavit ex magna parte, & cepit unum Regem eorum nomine Cacanum (Cutanum) & unam Reginam, & multa millia ex eis provenerunt ad baptiſmum, doloſe tamen. Contra Tartaros tamen miſit Comitem Ultraſylvanum, qui in quodam anguſto tranſitu paludum Meotidarum ita

confregit primum cornu illorum, quod cæteris retro respicientibus, jam in illis partibus periisse putabatur memoria eorum cum sonitu. ❧ Ad succurrendum terræ Sanctæ moverunt in æstate hujus anni, Henricus Comes Barri, Dux Burgundiæ, Comes Nivemensis, Rex Navarræ & Comes *Britanniæ* cum fratre suo *Matisconensi Comite.* Ibi notandum est, quod nullus abhinc Comes erat in *Matiscone*, nisi Dominus Rex Franciæ, quia non solum iste cum uxore, sed & alii hæredes totum vendiderunt, quicquid habebant, Domino Regi, vel habere ibi poterant; specialiter autem uxor prædicta mortuo marito totum vendidit, hic perdit Joannes, qui dicitur *Calridonensis*, feudũ suum, quia *Comitatus Matisconensis movet de eo* & de patre ejus Comite Stephano, & *Dominus Rex nunquam erit homo illius.* ❧ Comiti Almarico *Montisfortis* contulit Rex Franciæ arma sua, & misit eum vice sua in obsequium Crucifixi dans illi triginta duas libras provinciales (Parisienses, &) ille regratiando ad pedes ejus venit, omnes isti Massiliam venerunt, ubi mare intraverunt, numerus autem peregrinorum, postquam venerunt in partes transmarinas, æstimabatur ad mille quingentos milites & armigeros quadraginta millia, pedites verò non eis sufficiebant. Soldanus autem de Haimant, *qui baptisari proposuerat* & petebat, propter defectum, quem in nostris, ut dicitur, deprehendit, à proposito suo resiluit. Mortui autem sunt ex eis Robertus de *Cortenejo*, Comes Johannes *Matisconensis* & Anselmus de Triangulo, Comes autem *Britanniæ* primam fecit prædam super Saracenos, ut dicitur, & *Comes Barri* captus fuit in die sancti Brixii, ut dicitur, ad mortem vulneratus est in bello, quod aggressus est sine consilio inter Joppam & Jerusalem, & captus est *Comes Montisfortis* & viri nobiles capti sunt cum eo plus quam octoginta; multis tamen Saracenis interfectis, & quibusdam captis & ad exercitum nostrum transmissis, & ex tunc & viribus & corde & consilio nostri cœperunt deficere, Constantinopolitani peregrini moverunt post festum Sancti Johannis. ❧ Iste Juvenis Imperator Balduinus Petri Comitis Antissiodorensis filius ultimus habuit in Comitatu suo viros nobiles Thomam

mam *de Marla*, fratrem Ingelrami *de Coci* de parentelâ ſuâ, Humbertum de *Bellojoco* cognatum ſuum, Joſſerannum groſſum *de Burgundia*, quendam Archiepiſcopum, qui fuerat Theſſalonicenſis, Epiſcopum Balduinum quondam Semigallenſem, qui factus eſt Archiepiſcopus Viſoinenſis; Erant usque ſeptingentos milites, præter armigeros & baliſtarios, bene fuerunt in equis triginta millia præter pedites, cum maxima difficultate terram Alſani tranſierunt, & duas naves fractas perdiderunt, non tamen gentes quæ erant in eis, neque ſubſtantiam, & maxima pars Romanorum fuit eis in auxilium, cum quibus Dominus (quorum Dominus) vir nobilis Nargaldus de Toceia (Corceio) duplex fecerat matrimonium, ipſe ſcilicet & Coneſtabulus. Uxor hujus Nargaldi fuit filia Liuranas (Livernas) græci potentiſſimi, de illa Imperatrice, quæ fuit ſoror Philippi Francorum Regis & adhuc vivebat Theodorus cæcus. Supra dictus Imperator Juvenis Balduinus caſtrum de Namurco Ludovico Regi Franciæ ſupra quinquaginta millium librarum Pariſienſium invadiavit, & *pro ſpinea Domini coronâ*, quæ ex parte ejusdem Imperatoris ſervabatur in Venetia, dedit ei Rex Franciæ decem millia librarum, & illi qui requiſierunt & detulerunt, benè duo millia expenderunt & quasdam difficultates paſſi ſunt, ſed ſemper Chriſto triumphante evaſerunt, quæ corona recepta eſt Pariſiis infra octavas Aſſumtionis. Venerunt obviam proceſſiones omnium ordinum & congregationum de civitate ad locum, qui ſpecula dicitur juxta Abbatiam Sancti Antonii Monialium præſente Archiepiſcopo Senonenſi cum ſuffraganeis, & dictum eſt in pleno ſermone, quod poſt omnia privilegia, quibus regnum Franciæ à Domino Jeſu Chriſto huc usque decoratur & ſublimatur, noviſſimè tantū talemq, theſaurū eidem ipſe pius Dominus habere conceſſit, quod verò de eadem corona ſunt aliquæ ſpinæ ab antiquo in Senonenſi civitate & quædam etiam particula ejusdem coronæ fertur apud ſanctum Dionyſium eſſe à Carolo Magno delata & honorificè ibi depoſita. » Natus eſt *Regi Hungariæ* filius maſculus, pro quo multæ factæ ſunt ſupplicationes; de cujus pueri nativitate

tivitate factum est festum congratulationis mirabile in festo Beati Lucæ, & Rex in maxima quantitate pecunias expendit, & absque numero denarios seminavit & sparsit. Archiepiscopus autem Robertus Strigonensis puerum baptizavit, quem Stephanum nominavit ob memoriam Sancti Stephani, primi in partibus illis à Beato Alberto baptizati, qui Archiepiscopus senex & emeritus peracta quindena mortuus est, & ad cælestia translatus. ❧ Item natus est *Regi Navarræ* filius, & factum est gaudium magnum in Campania. ❧ Regi etiam *Angliæ* natus est filius baptizatus à Cardinali Ottone & ad petitionem & instantiam ipsius Regis dictus est Eduardus ob honorem illius sancti Antiqui Regis Eduardi. ❧ Mortuus est Archiepiscopus Nicosiensis in Cypro Eustorgius, qui fratrem habuit Fulconem Limiconiensem Episcopum. ❧ Eodem anno Patriarcha Hierosolymitanus obiit Magister Geroldus. ❧ Obiit Comes Simon *de Pontivo* quatuor relinquens filias, quarum unam duxit *Rex Castellæ* de Hispania & filius ejus duxit filiam Regis Arragonensis. Alteram natu majorem filius *Vice Comitis de Castro Araudi* (Arandi,) tertiam filius *Vice Comitis de Augo*, quartam Comes de Rocejo.

Anno MCCXL. Occasione præpositi Trajectensis, qui *Episcopatum Leodii* invaserat, fultus auxilio Conradi filii Imperatoris, multa mala facta sunt in terra. ❧ Conradus *Archiepiscopus Coloniensis* gverram habebat contra *Ducem Brabantiæ*, tandem intervenientibus consanguineis & bonis viris fecit idem Archiepiscopus pacem cum *parentela de Lemborc*, quibus enormia damna intulerat, enormiter & ipse damnificatus, & ita pax ista firmata est per duplex matrimonium, quod filius Ducis de Lemborc nomine Adolphus duxit sororem Archiepiscopi. *Comes de Dolehen* & de *Hostade* duxit filiam Valerianni, fratris Ducis (Henrici) de Lemborc; Dux tamen Brabantiæ nullo modo vult reddere castrum de Dolehen, quod ceperat mense decembri anno 1234. ❧ Eodem anno Fridericus Imperator contra Dominum Papam innumera mala tanquam desperatus faciebat, & cepit Viterbium & quasdam alias Civitates & munitiones, itaque

in

Digitized by Google

in brevi totam *Marchiam Guarneri* & totam vallem Spoleti Papæ abstulit. ❧ Robertus consecratur in Episcopum Nivernensem. ❧ Legatus Jacobus Prænestinus Episcopus, qui erat in Francia, *inhibuit Leodiensibus, & sub pœna suspensionis & excommunicationis ne Episcopum eligerent nisi de suo consilio*, & de sua autoritate, & in hoc valde fatigavit Electores eundo post eum per Franciam, tandē coram ipso consenserunt in tres personas, id est, in Episcopum Lingonensem Robertum, in unum de fratribus Electi de Valentia nuper mortui & in electū Catalaunensem tali pacto, si primus recusaret, secundus reciperet, si ille nollet, tandem tertius haberet. ❧ Episcopus Novionensis Nicolaus moritur, pro quo electus est Dominus Carolus Regis patruus & consecratus, qui proprio nomine dictus est Petrus. ❧ Magister *Jacobus de Vitriaco* quondam Episcopus Aconensis, modo Cardinalis Tusculanensis Calendis Maji Romæ obiit, cujus ossa post aliquantū temporis translata apud Ognies Leodiensis Diœcesis & ibi honorifice tumulata. ❧ Richardus frater Regis Angliæ cruce signatus cum Simone de monte forti milites circiter octingentos secum duxit ad partes transmarinas cum infinita pecunia & Rex Franciæ honestissimè ipsum recepit, & per terram suam ipsi & suis conductum præbuit. ❧ Eodem anno eidem Regi Franciæ Ludovico nascitur filia Isabella nomine. ❧ Moritur Archiepiscopus (Remensis) Henricus. ❧ Romæ quædam turris cecidit mirabiliter *Froipanorum* in cathedra Sancti Petri, quam Imperator contra Papam munitam custodiri faciebat. ❧ Hierosolymis turris David, quam Herodes magnus olim construxerat, & à Tito Imperatore Hierosolyma solo coæquata relicta intacta à Soldano Damasceno capitur & in acervum redigitur. ❧ Feria sexta ante festum Sancti Johannis tempestas maxima cecidit in Argona & maxime in villa, quæ dicitur Vionville, versus Gorziam fuerunt mortui XXXV. & amplius, & Presbyter tenens corpus Domini vix evasit, dæmones etiam visibiliter apparentes visi sunt in aliquibus locis. Cacabum plenum carnibus bullientem super ignem dæmones extra villam detulerunt & in ramo arboris suspende-

ſpenderunt, feruntur etiam alia per dæmones contigiſſe, videlicet molendinum quendam per contrarium currentem & molentem, arbores transplantatas, hominem in aëre levatum & ſine læſione depoſitum. ❧ In terra Albigenſium contra Regem rebellaverunt quidam hæretici, Rogerus de Badieres & complices ſui quatuor, caſtra invadentes, & cuſtodias Regis interficientes & Comes Tholozanus dicebatur eis occulte conſentire. Unde Bituricas convocavit Rex Concilium, & Dominus Cardinalis Præneſtinus affuit, & miſſi ſunt in Albigenſes tales & tanti milites armigeri & baliſtarii, quod Rex Deo dante triumphum obtinuit, & duo (dicta) caſtra recuperavit, & dictos adverſarios ad ſuam miſericordiam coegit redire. ❧ Rex Navarræ & Comes Britanniæ à partibus transmarinis redierunt. ❧ Robertus Lingonenſis Epiſcopus frater Radulphi Virdunenſis Epiſcopi datur à Legato Jacobo Præneſtino Epiſcopo Leodienſibus Epiſcopus, qui veniens curialiter ſuſceptus eſt ab Hoienſibus & craſtino admiſſus in vigilia Natalis Domini, quo die & in craſtino magna Curia fuit, ubi præſentes fuerunt Comes Flandriæ, Comes Sancti Pauli & quidam alii Comites & Nobiles, tam Clerici quam Laici, nec non & militum & Burgenſium multitudo, & in die Sancti Stephani proceſſionaliter, ſicut mos eſt, à Leodienſibus recipitur & in Cathedra decenter locatur, præſentibus omnibus ſupra dictis Comitibus, nobilibus & ignobilibus. ❧ Ante aliquot annos contigerunt quæ ſequuntur: Cuidã Ciſtercienſis Ordinis Abbati & ejus miniſtro apparuit manus ſcribens verba iſta in corporali: Cedrus alta Lybani ſuccidetur; prævalebit mars Saturno & Jovi. Infra XI. annos erit unus Deus & Monarcha ſecundus. Deus abiit, filii Iſrael liberabuntur à captivitate. Quædam gens ſine capite dicta vel reputata vagans veniet. Væ clero, viget ordo novus, ſi ceciderit, væ Eccleſiæ; multa prælia erunt in mundo; fidei, legũ & regnorum mutationes erunt; Terra Saracenorum ſubvertetur.

Anno MCCXLI. Ante paucos annos quidam bonus magiſter & ſapiens venit Conſtantinopolin, qui rogatu quorundam per ſuas incantationes coëgit dæmonem reſpondere ſibi certa & vera,

vera, cui dæmon tale dedit reſponſum: Rex inimicos perdet iniquos non per amicos; quo dicto dæmon obmutuit, & ulterius non reſpondit; interrogatus verò magiſter de interpretatione verſus, dicebat: quam vos ipſi per vos cito interpretationem videbitis & cognoſcetis ſine indicio alicujus. Creditur quod in adventu Romanorum (f. Comanorum) illud ſit completum: Nam Rex cæleſtis perdet & deſtruet iniquos inimicos Imperii Conſtantinopolis ſcilicet Vaſtachium & Alſanum non per amicos, id eſt, Conamos (Comanos) qui ſunt infideles, nec ſunt amici Chriſti. ❧ Epiſcopus Guido Nannetenſis in Britannia fuit Patriarcha Hieroſolymitanus. ❧ Epiſcopus Novionenſis Dominus Carolus à Papa ſuſpenſus eſt, & coram ſe citatus & ſine morâ ab eo depoſitas eſt, eò *quod eſſet Subdiacono Domini Papæ* non ab alio, ut dicitur, quam à Domino Papa debuerat conſecrari, & ſi petiiſſet, ut dicitur, miſericordiam & non judicium, ſtatim fuiſſet reſtitutus, ſed quia judicio ſe obtulit, Judicem non evaſit. ❧ In cœna Domini Rex Daciæ Waldemarus deceſſit, qui regnavit anno uno minus de quadraginta: Tres filios reliquit, ſcilicet Regem Ericum, Ducem Abel & Comitem Chriſtophorum, Iſtum Abel voluit aliquando Papa Regem Alemanniæ contra Imperatorem conſtituere, quo recuſante, quod non haberet tot & tanta, quo ſe Imperatori opponeret, *Duce etiam Ottone de Brunſvik ſimiliter recuſante* & dicente, quod nollet mori ſimili morte, qua patruus ſuus Imperator Otto fuit mortuus: Tandem res iſta de mandato Papæ delata fuit ad Dominum Robertum fratrem Regis Franciæ, ſed de conſilio & prudentia matris opus intactum remanſit: Treugæ ergò transmarinæ dicuntur eſſe ad Soldanum de *Damaſco ſeu Naſceræ* in triginta annos ſecundum compoſitionem Regis Navarræ. Ad Soldanum verò Babylonis & quosdam ſocios ejus in quindecim annos ſecundum compoſitionem Comitis Richardi fratris Regis Angliæ, & in iſtis extremis non ſunt Templarii, qui firmant (Saphati.) ❧ Aſcalona quoque firmata eſt à noſtris inſtante dicto Comite Richardo & ſatis munita fuit. ❧ Comes Almaricus *Montis fortis* & Comes Guido *forenſis* & Nivernenſis mortui

ſunt,cum attigiſſent in reditu fines Apuliæ. ❧ Comes Richardus revertitur, cujus Soror *Imperatrix* paulo poſt mortua eſt, tribus, ut dicitur, liberis relictis. ❧ Stephanus Burgundiæ & Hugo Vaudoni montis moriuntur. ❧ Item mortuus eſt hoc anno junior *Lantgravius* Conradus, cujus ſororem Dux Brabantiæ duxerat ante biennium,liberi fuerunt ſancta Elizabeth una cum moniali, & factus eſt pro eodem Lantgravius patruus ejus Henricus, qui duxit filiam dicti *Ducis Brabantiæ*, ſiquidem iſte Dux tres filias ſuas de prima uxore ita nobilitavit, quod unam habet Dominus Robertus,frater Regis Franciæ, alteram Otto *Dux Bavariæ*,qui per matrem ſuam factus eſt *magnus Comes Palatinus de Rheno*,tertiam verò iſte Lantgravius,qui poſtmodum fuit electus in Regem Romanorum. ❧ Super Rhenum apud Nutiam ſub Colonia fuit *torneamentum* poſt Pentecoſtem, ubi miraculosè, cum ad prædicationem cujusdam viri boni nollent torneamentum dimittere,bene inter milites & armigeros ſexaginta mortui ſunt, & præ nimio impetu pulveris ſuffocati & auditi ſunt dæmones & viſi in ſimilitudinem vulturum & corvorum crocitantes,qui eos terruerunt. ❧ Rex Ludovicus in feſto ſancti Joannis fratrem ſuum Alphonſum apud Salmur militem fecit, & inſtituit ipſum,ut ſit *Dux* Aquitaniæ, & per uxorem ſuam Comes Tholozanus. ❧ In exaltatione Sanctæ Crucis honorificè & ſolenniter recepit Rex Franciæ *magnam portionem Dominicæ crucis* à Conſtantinopoli ibi transmiſſam. ❧ Circa feſtum ſancti Joannis *Alſanus Rex* mortuus eſt, qui reliquit de prima uxore, quæ fuerat Soror Belæ Regis Hungariæ & *Soror Sanctæ Elizabeth*, filium unum nomine Colmannum, & filiam unam, quam duxit *Kalo Joannes Vaſtachii filius*; Secunda verò uxor ejusdem Alſani erat filia Theodori cæci,de quo ſuperius multa tetigimus. Soronius inſuper Traditor quidã duas habuit filias baptizatas in Conſtantinopoli, quarum unam duxit Guillelmus Coneſtabuli filius, alteram Balduinus de *Hainaco*, filiam verò Regis Jonæ,qui videbatur eſſe *major in Regibus Comanorum*,duxerat Nargeldus (Nargoldus) Balivus, qui Nargeldus hoc anno deceſſit & prædicta uxor ejus facta eſt monialis,

alis. ✠ Mortuus eſt hoc anno Rex Jonas prædictus nondũ baptizatus, & idcirco ſepultus eſt extra muros civitatis in altiſſimo tumulo & octo armigeri ſuſpenſi ſunt vivi à dextris & à ſiniſtris, & ita voluntariè mortui & viginti ſex equi vivi ſimiliter ſunt ibi appenſi. ✠ Cæterũ ab hoc feſto ſancti Joannis in bienniũ firmavetunt Conſtantinopolitani treugas ad Colmannum Alſani filium, & ad Vaſtachium & ejus filium. ✠ Eclipſis Solis fit Dominica poſt feſtum Sancti Remigii, & ſequenti quintâ feria viſus eſſe dicitur volatus draconis. ✠ Apud Augniacum relatum eſt corpus *Magiſtri Jacobi de Vitriaco* de mandato ipſius, ibique honorificè ejus oſſa recondita ſunt.

Appendix ad Balduinum de Avennis de poſteritate Philippi primi Regis Francorum.

REx Francorum Philippus primus, qui filiam ſuam de uxore primâ dederat Bœmundo Principi Antiochiæ in uxorem, & aliam quam genuerat ex relicta Comitis Andegavenſis, miſerat Tancredo; poſtquam XLIII. * annis regnaverat, mortuus eſt Meludini, & ſepultus apud Sanctum Dionyſium. ** Poſt hunc regnavit filius ſuus Ludovicus coronatus apud Novionum, qui duxit uxorem filiam Comitis de Moriane, ex qua genuit quinque filios, quorum primogenitus nomine Philippus, vivente Patre infra annum poſt coronationem cum equo ſuo cecidit Pariſiis per porcum, & ex læſione mortuus eſt; Unde ſecundus poſt ipſum regnavit Ludovicus poſt patrem. Tertius nomine Robertus Drocarum Comes uxorem duxit Agnetem Comitiſſam de Braine ex hæreditate ſua, de quâ unum genuit filium & unam filiam; & filius ille nomine Robertus patri & matri ſuccedens in Comitatu,

* *l. XLVIII.*

** *l. apud S. Benedictum ad Ligerim.*

mitatu, Yolendim filiam Rudolphi de Couchi duxit uxorem, de quibus dictum eſt; filiam verò magni Comitis Roberti, filii Ludovici Regis, Ælydem in uxorem duxit dominus Radulfus de Couchi, qui filiam ſuam dederat Yolendim nomine Roberto juniori. De hac ergo Ælyde dictus Radulfus tres genuit filios & unam filiam, quorum primogenitus Ingelramus nomine patri ſuccedens ex uxore ſua ſorore domini Johannis de Montmirail tres genuit filios & duas filias, & horum primogenitus Radulfus nomine filiam Comitis de Pontino duxit uxorem, ſed hic ſine liberis mortuus eſt ultra mare, quando Rex Ludovicus captus fuit a Lemaſſore. Secundus horum nomine Johannes ſimiliter juvenis deceſſit. Tertius igitur, Ingelramus nomine patri ſuccedens primo duxit uxorem filiam Ottonis Comitis Gelriæ Margaretam; Filiarum una nomine Maria Regi Scotiæ Alexandro unum peperit filium Alexandrum, qui patri ſucceſſit in regno, & dicta Maria poſt mortem Regis nupta eſt domino Johanni de Acon filio Regis Aconenſis Johannis. Secunda filia dicti Ingelrami Ælydis comiti de Ghines Arnulpho plures peperit liberos. Secundus verò filius domini Radulfi de Couchi nomine Thomas, dominus de Veruin, ex Mathilde primogenita filia Comitis de Reteſt unum genuit filium & quatuor filias; filius nomine Thomas patri ſuccedens uxorem duxit Yſabellam filiam Comitis Loſenſis Arnulfi, qua ſine herede mortua duxit Vice-domini de Pinkengni filiam, ex qua duos genuit filios & unam filiam, quorum primogenitus Thomas patri ſuccedens uxorem duxit Ælydem filiam domini Gerardi de Sottengheen. Secundus nomine Johannes uxorem duxit filiam domini Renaldi de Sancto Lupo, filia dicti Thomæ Maria nomine nupſit domino Galtero de Toraca. Quatuor autem filiæ ſupra dicti Thomæ de Couchi, domini de Veruino. Primogenita, nomine Yolendis domino Arnulfo de Mortagne Caſtellano Tornacenſi plures peperit filios & filias, ut dictum eſt; Secunda filia, nomine Felicitas, domino Balduino de Avesnes domino de bello monte unam peperit filiam & unum filium; filius nomine Johannes ex Agnete filia domini Gvillelmi de Valen-

Valencia, fratris Regis Angliæ Henrici ex parte matris, duos genuit filios; & filia dicti Balduini nomine Beatrix nupſit domino Henrico de Rupe, primogenito comitis Lucelburgenſis Henrici, ex ſorore Comitis Henrici Barrenſis; Tertia filia domini Thomæ de Couchi domini de Veruino Agnes nupſit domino Goberto de aſpero monte, & quarta ejusdem filia Abbatiſſa fuit Pacis dominæ noſtræ Elyſandis nomine. ❧ Tertius filius domini Radulfi de Couchi Robertus nomine, ex filia domini de Prainus, Goda nomine, unum filium genuit Johannem, qui poſt patrem terram tenens de Pyon, ex filia theolonarii Beluacenſis unum genuit filium nomine Robertum, Filia verò Domini Radulfi de Couchi Agnes domino de Beaumes Ægidio Caſtellano de bai Palvines quatuor genuit filios & filias, quorum primogenitus ex ſorore Domini Jacobi de Baverluel in Haynonia filios genuit & filias; Secundus nomine Radulfus uxorem duxit dominam de Boudoer relictam domini de Walaincourt, & ſine liberis mortuus eſt; Tertius nomine Thomas, clericus factus eſt & poſtea Remenſis Archiepiſcopus. Quartus nomine Robertus cognomen habuit de Britannia, eo quod nutritus fuerat cum comite Britanniæ Petro. ❧ Filiorum autem Regis Franciæ Ludovici quartus nomine Henricus clericus factus eſt, & poſtea Remenſis Archicpiſcopus. Quintus verò ejusdem Ludovici filius nomine Petrus pro terræ portione terram habuit de Cortenai, qui duos genuit filios Petrum & Robertum, quorum Petrus patri ſuccedens uxorem duxit Comitiſſam Nivernenſem Agnetem, filiam & hæredem Comitis Nivernenſis Gvidonis, dans Regi Francorum Philippo Montargis, ut eum juvaret ad hoc matrimonium perficiendum. Robertus quoque frater ejus uxorem duxit dominam de Meu. ❧ Dominus verò Henricus de Gyent gverram habuit contra Comitem Petrum, & præliatus eſt cum eo ante Abbatiam Sancti Laurentii, & vicit eum & rapuit violenter Mathildim filiam ejus, quam genuerat ex Comitiſſa Nivernenſi. Poſtea Rex Philippus pacem fecit & dominus Henricus dedit ei Gyent & conceſſit, quod Comes Petrus Altiſiodorum & Tonoirre teneret ad vitam ſu-

Digitized by Google

am, propter quod vocatus fuit Comes Antisiodorensis cum Altisiodorum non esset comitatus. ❧ Dictus Henricus ex filia Comitis Petri Nivernensis unicam genuit filiam quam dominus Galtherus de Castellione postmodum in uxorem duxit, dans propter hoc Regi Philippo villam de Remi in terra Beluacensi, & genuit ex illa filium unum & filiam unam: Nomen filii Galtherus, qui duxit uxorem filiam Comitissæ Bolonienſis Mathildis, quam peperit Comiti Philippo filio Regis Francorum Philippi; Dictus autem Galterus mortuus est in prælio ultra mare, ubi Rex Ludovicus captus fuit apud Mansorum. Comitissa verò Nivernensis ejus avia adhuc vivebat, propter quod dictus Galtherus nondum tenebat Comitatum Nivernensem, sed terra ex parte patris ac etiam Comitatus Nivernensis Altisiodorum & de Tonoirre devoluta est ad ejus sororem, quæ maritata fuit domino Archibaldo filiis deBorbon, qui duas ex ea genuit filias, maritatas duobus filius DucisBurgundiæ Hugonis. ❧ Mortuâ quidem Comitissa Nivernensis Comes Petrus de Altisiodoro in uxorem duxit Jolendim sororem Comitis Haynonensis Balduini, hujus nominis quinti post Richildim, qui postmodum Imperator fuit Constantinopolitanus; Fuit autem hæc Yolendis prius per conventiones desponsata Comiti Campaniæ Henrico, ex hac ergo dictus Comes Petrus tres genuit filios Philippum, Robertum, & Balduinum; item tres filias, quarum una nupsit Regi Ungariæ, secunda Comiti Viennæ in Alemannia, cui plures peperit filios & filia, tertia domino Galthero filio Comitis Barri super Secanam, quo sine herede mortuo, ipsa iterum nupsit domino de Monte acuto in Burgundia.

Variæ Lect.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Variæ Lectiones & Emendationes ex collatione cum Codice membranaceo Alberici deſumtæ.

(l. id eſt linea. *ins.* id eſt inſeratur. *corr.* vel *c.* corrigatur. *f.* fortè.)

In parte prima ſequentes paucæ:

NAm unum tantum hujus partis fruſtum affuit. Anno Chriſti, 513. poſt, Gundebaldi filii fuerunt Sanctus Rex Sigiſmundus, inſ. *& Godomarus.* A. 602. fundavit Luxoinum. f. *Luxorium.* A. 616. Brunehildis interiit, ſepulta eſt Edue in Anglia. c. *in Burgundia.* A. 647. poſt Modoalium. Treverenſem Epiſcopum qui fuit mater. c. *frater.* A. 747. in monte Serapti (*monte Soracte.*) A. 769. Waiferus à ſuis malorum pertæſus in gratiam Pipini perimitur. c. *pertæſis.* A. 781. prædictus Leo Imperator cum ſaniret, c. *inſaniret.* A. 862. poſt, Hugbertus Abbas & Dux, inſ. *frater.* A. 863. domina de Triangulo (*Treſigni*) A. 877. male potionatus Mantue moritur. *Nantuo.* ibid. Qui Imperator Carolus cum mortuus eſſet Mantue. *Nantuo.* A. 881. Corbejam, Cameracum, Tavernam, f. *Teroanam.* A. 888. cum ad gubernandum ſimulque imperium, c. gubernandum *regnum.* A. 892. poſt, ut tertia obſonii, inſ. *parte.* A. 922. Carolus autem ſe & Franciam CaroloRegi ſubmittit: c. *Henrico* Regi. A. 929. poſt, uſque ad declivum medium lanceæ extendebant. inſ. *Hanc igitur Conſtantini Magni ſanctæ Helenæ filii, vivificæ crucis inventricis fuiſſe affirmant.*

In parte ſecunda.

PAg. 1. l. 1. pro, à Chriſto incarnato, Ms. *Hoc tempore*; l. 8. poſt Sanctorum, inſ. *aut reſtaurantur.* p. 2. l. 9. poſt, ſanctiſſimo, inſ. *Papæ*; l. 10. corr. *expetens.* p. 3. l. 6. corr. *Edgarum.* l. 8. poſt, & Mariam, inſ. *excitator etiam mirificus artium liberalium:* l. 9. regiorum, Ms. *regalium*; ibid. mirificus, Mſ. *magnificus:* l. 13. corr. Gemblacenſis. l. 14. corr. *ſanctæ religionis.* Pag. 4. l. 2. poſt, ingentibus, inſ. *gemmarum.* L. 27. corr. *volunt.* p. 5. l. 18. corr. *conſcendit.* l. 27. corr. duello, *verum* eſſe. p. 6. l. 24. corr. *Adeltac.* p. 7. l. 4. corr. *cum omni:* l. 8. corr. *declinaverit:* l. 23. corr. *patris* concubinam & *aviam* viduam. p. 9. l. 8. corr. venire *fecerit.* l. 13. corr. *aliuque.* l. 15. corr. quem. *poſcitis.* l. 18. corr. eligimus, *Apoſtata.* l. 26. corr. monte Leonis. p. 10. l. 1. Hic, Mſ.

ſic. l. 6. edicto, Ms. *judicio.* p. 11. l. 8. corr. provolutus *Orat.* l. 27. corr. recedente. l. 29. poſt, ſecumque, inſ. *ſanctum.* p. 13. l. 21. c. ipſa. l. 24. c. Adrianus. p. 14. l. 6. poſt, Francorum, inſ. *Flandrios.* l. 11. c. *Soror* Lotharii. l. 31. c. Elſinus; l. 32. c. Hircellinus. p. 15. l. 14. c. Haraldus. p. 16. l. 5. c. Osvvaldus. l. 12. *& aris.* l. 17. poſt, Imperatoris, inſ. *& familiaris*; l. 18. poſt omnium, inſ. *à Diabolo.* p. 17. l. 18. *à Cordulo.* l. 23. *Faroaldo.* p. 18. l. 28. *occidi & imperare.* l. 29. poſt, intravit, inſ. *palatium & occiſo Nicephoro imperavit.* p. 19. l. 2. *Kinadius.* p. 19. l. 15. Caſtrum *famoſum Capremontis.* l. 25. *Warinus.* p. 20. l. 4. poſt anno inſ. *quo*: l. 11. c. *ſedit.* l. 29. c. *exiliat.* p. 21. l. ult. Ms. *ſexaginta.* p. 22. l. 12. poſt, occupatus, inſ. *captivus.* l. 25. *Wicibet.* p. 23. l. 11. c. *menſa delicias.* l. 12. c. *quaſi* triumphalis *apparatus.* p. 24. l. 4. Ms. *Karium.* l. 7. Ms. *Landoaldi.* l. 8. c. *Wentreshovo.* l. 15. poſt, & magna, inſ. *bona fecit in Abbatia S. Benigni Divionenſis.* l. ult. Ms. *Roſan.* f. Raüſa, id eſt, Raguſa. p. 25. l. 21. corr. factioſe. p. 29. l. 3. *ſanctus.* l. 12. c. *malis.* l. ult. c. in regem. p. 27. l. 2. c. injectus. p. 27. l. 11. poſt, Regis Lotharii, inſ. *Sed non uterinus, videtur tamen velle Sigebertus, quod fuerat idem Arnulphus Regis Lotharii* filius, id eſt, nepos Caroli ducis &c. l. 14. *Cappatus.* l. 25. *Guilelmus.* p. 28. l. 13. *quos* pro uno. l. 19. *novem* annis, ibid. *Iſte* Rex. l. 28. *Cappatus.* p. 29. l. 9. illius *genere.* l. 10. *Cappet.* p. 30. l. 5. c. edidicit. l. 25. *de qua vita.* p. 31. l. 21. *Laciniaci.* l. ult. c. deprecantem. p. 32. l. 7. *humilitate* manſuetus. p. 33. l. 6. poſt, ſummi pontificis, inſ. *Gerbertus deponitur & Arnulphus reſtituitur, qui.* l. 7. *unde* Guido. l. 8. *diſtrictione cenſura.* l. 19. *Bobini.* l. 29. *triginta* fuerunt. l. 20. per *Nizonem.* ibid. *Nithardus.* p. 35. l. 4. Obertus *Aquenſem.* l. 12. poſt Guillelmo, inſ. *Divionenſi.* l. 16. Ansfridus. l. 18. *tonſoratus* in clericum. p. 36. l. 26. poſt ſcientia, inſ. *literarum.* l. 27. poſt Rex, inſ. *cœlice.* p. 37. l. 6. *Gunnor.* l. 10. *S. Audœni.* p. 38. l. 10. c. tumultum. l. 16. *ultra* quem. p. 40. l. 11. poſt induſtriam. inſ. *Henrici.* l. 12. vix *extractus.* p. 41. l. 14. ita lege: *Habeat, inquiens, membrorum officium, qui eorum quaſivit dominium. De hoc ergo in quodam libello, ubi agitur de ſanctuario Lateranenſis Eccleſia, ita ſcriptum reperitur. In dextro latere Eccleſiæ Lateranenſis prope altare ſanctorum. &c.* l. 27. poſt, adoptavit, inſ. *& matrem ejus Gerbergam in uxorem habuit.* p. 42. l. 4. *CXL.* p. 43. l. 24. poſt, anni, inſ. *incarnati.* l. 26. *incarnatione* multiplica. p. 45. l. 4. *Oberto.* l. 8. *Jopeliam.* l. 21. *Imperatricis.* p. 46. l. 11. *Mulene.* l. 18. *Heraclium.* l. 21. c. abduxit. l. ult. corr. *perſequens.* p. 47. l. 5. poſt, cumque, inſ. *ſpiculatorum.* l. 23. poſt, Francorum, inſ. *Roberti.* p. 48. l. 1. *Hunwardi.* l. 5. poſt, circa, inſ. *meridiem.* l. 14. *Dux* Godefredus *Gerardum.* l. 18. c. maturavit. p. 49. l. 1. poſt, Danorum, leg. *dum in Anglia non Regem exhiberet ſe, ſed Tyrannum.* l. 5. *Regem* Ethelredum. l. 8. c. ad ſuum. l. 22. *Sincerio.* l. 24. *Maingaudo.* p. 50. l. 29. corr. proditori. p. 51. l. 6. *fundaverant.* l. 27. *Svevorum.* l. 29. poſt Hunnorum, leg. *petierunt*, ubi major *diem* obiit. p. 52. l. 1. *Wolbodo* monachus.

Digitized by Google

chus. l. 16. *in* virtute. p. 54. l. 9. *Morelmeiz.* p. 55. l. 9. poſt, Papam, inſ. *Romanum ſimul ambo Papiæ.* l. 28. *Heus* inquit. p. 56. l. 5. *ſicque.* l. 6. decreverit. p. 57. l. 19. poſt præditus, inſ. *in religione Chriſtiana ſatis devotus.* p. 58. l. 1. c. Wolbodone. p. 59. l. 13. *&* Malgerius. l. 25. poſt ſuum, inſ. *Henricum.* p. 60. l. 1. poſt ſuæ, inſ. *regina.* l. 3. c. Vercellis. l. 4. poſt civibus, inſ. *Lucenſibus.* l. 21. Egelnotus. p. 61. l. 8. *Warenerii.* l. 16. c. induiſſet. p. 62. l. 16. c. ſuperiorum. l. 19. *Ælidem.* l. 20. *&* de Arceis. p. 63. l. 8. poſt filios inſ. *tres.* l. 28. monerent *renovandam.* p. 65. l. 1. poſt Pontificum, inſ. *præcedentium.* l. 5. c. poſſeſſione. l. 10. *Sefridi.* l. 12. c. Sophia. l. 13. & *iſte* eſt. ibid. fuit *etiam.* l. 24. *Wariſtinenſem.* p. 66. l. 11. poſt Normanniæ, inſ. *Robertus.* l. 13. poſt adhuc erat, inſ. infantulus. p. 66. l. 28. ſive *Duwa.* p. 67. l. 2. poſt prolis ejus, inſ. *apud.* l. 15. *Harwelino.* l. penult. corr. Nithardus. p. 69. l. 1. *vexillum.* l. 12. Archiepiſcopus. l. penult. c. Richardus. l. ult. *Wiſcardus.* p. 70. l. 10. poſt, ut aliqui, inſ. *mente excederent aliqui.* l. 11. poſt canebat, inſ. *&.* p. 71. l. 6. c. domum. p. 72. l. 14. hoc *cognomen ſibi.* l. 15. ſibi *obſiſtentes.* l. 24. poſt omnibusq; inſ. *hæredibus.* p. 73. l. 13. poſt, Godwini, inſ. *Comitis.* l. 15. *Wazo.* l. 18. *duodecim.* l. 22. poſt ſancti, inſ. *Gudwali viſa eſt inclinare.* p. 74. l. 1. c. Monomachus. l. 10. poſt ducatu, inſ. *repudiato.* p. 77. lin. antepen. quod, ut aſſolet, eo confluxerat. p. 78. l. 25. c. qui & Clemens. p. 79. l. 6. *Cladorum.* l. 7. c. Halinardus. p. 79. poſt facere juramentum, inſ. *dictum eſt ut vel ad minus ſe offerret ad juramentum.* p. 80. l. 9. c. Theodowinus. l. 13. poſt Abbati, inſ. *Cluniacenſi ſuccedit S. Abbas.* l. 16. poſt aggregavit, inſ. *Sigebertus.* p. 85. l. 1. c. Hainonenſium. l. 16. *oſſibus.* p. 86. l. 17. poſt, ſub Papa, inſ. *Nicolao, & deinde ſub ipſo cum eſſet Papa.* l. 19. c. à quibusdam. p. 87. l. 14. *planetam.* l. 16. c. ſecum de qua. p. 88. l. 2. *Elfegus.* l. 3. c. amita. l. ult. poſt, ad hunc, inſ. *annum.* p. 89. l. 6. poſt qui, inſ. *ut.* l. 10. poſt jactabant, inſ. *ut Nicolaita nuptias ſacerdotibus concedebant.* p. 90. l. 19. poſt, moritur, inſ. *qui.* l. 27. poſt Carmentis, inſ. *latinas.* l. pen. *pectoris.* p. 91. l. 23. poſt Olavi martyris filius, inſ. *Poſt hunc Magnum regnat in Norw. Svanus quidam ignobilis.* p. 92. l. 4. c. Hildoini. p. 93. l. 6. poſt libello, inferatur, *quodam.* l. 17. *circumſcribenda.* l. ult. *Esniantiam.* p. 94. l. 1. *de Salmis.* l. penult. poſt Leo, inſ. *Victor.* ibid. c. & unus tempore. p. 95. l. 25. *Manicheti.* p. 96. l. 3. cœpit *evaneſcere.*, forte creſcere. p. 97. l. 11. c. permittente, quin potius immittente. p. 98. poſt, factus eſt, inſ. *Becci.* l. 9. c. fœmina. l. 17. *Toſtinus.* l. 26. *Adelam.* p. 99. l. 4. Varinenſis. l. 5. *imbellis.* l. 6. Rechin. l. 9. c. Berthradam. l. penult. poſt factus monachus, inſ. *primo apud Fuldam poſtea apud Moguntiam recluſus eſt: Balduinus Marchiſus*, regni Francorum &c. p. 100. l. 2. *Bretarum.* l. 3. poſt Veromandiæ, inſ. *Roduſi, quo* mortuo. l. 12. de ſorore *hujus Simonis.* l. 14. lege, *Waleranni Comitis, qui genuit matrem Roberti Comitis Melletini.* l. 25. poſt Epiſcopus, inſ. *Colonienſis.* pag. 101. l. 18. *meatu.* l. 22. *diviſa.* l. 29. *Ciclus.* l. 30. *novennales.* pag. 102. l. 3. poſt Aprilis, inſ. *eo anno.*

Digitized by Google

l. 13. poſt Alphonſum inſ. *Sive Hildefunſum.* l. 17. corr. de *eisdem.* pag. 104. l. 10. *Erlons.* l. 30. *Magiſterio.* pag. 105. l. 6. *Raelendem.* l. 11. *Sivardus.* l. 18. *regni* ſucceſſionem *Anglici.* p. 105. l. 16. *Gozolo.* l. 22. *Elmerus.* p. 107. l. 4. poſt occidit, inſ. *Guilelmus.* l. 5. *Noricorum.* l. 11. forte Sivardus. l. 13. *Helſino.* l. 19. *Helſinum.* p. 108. l. 22. poſt voce, inſ *ſua.* p. 109. l. 9. *duodecim.* l. 23 *Alonem.* l. 25. *Criſpejo.* p. 110. l. 13. *Ildo.* l. 25. c. de martyrizato. l. 26. c. exiliatur. p. 111. l. 1. poſt, inſ. *monialium.* ibid. poſt idem Rex, inſ. *Guillelmus.* l. 12. de *Give* & de *Ware.* l. 13. c. ejusdem. l. 14. poſt Sybilla (*Sibilia*) adde, *quære 1063.* p. 112. l. 23. Beatrix de *Rocejo.* l. 29. poſt Comitem Radulphum, inſ. *qui genuit Comitem Yvonem &* Radulphum Caſtellanum de Burges &c. p. 114. l. 24. *inter* eos. l. 25. *Martii.* l. 14. *Vulſtano.* p. 115. poſt Anno 1072. inſ. *Sigebertus.* l. 21. *machinantibus.* p. 116. l. 5. poſt ſecunda feria, inſ. *tentatio ejus XV. Kal. Martii in ſexta feria.* p. 117. l. 3. *ſimul* ingreſſi. l. 15. *circumvolat.* l. ult. *pro* Simonia. p. 120. l. 9. fortis *per omnia* athleta. l. 17. *Prixie.* p. 121. l. 27. poſt Imperatoris erant, inſ. *relaxatis per eos quibus commiſſi erant.* p. 122. l. 30. de *Semigis.* p. 125. l. 19. *Guinenſem.* ibid. *&* Epiſcopus. p. 226. l. 1. pontifex *affuit.* l. 5. c. cum Romanorum. l. 19. *diſcernendum.* p. 128. l. 1. c. provectus. p. 132. l. 16. poſt excesſit, inſ. *Sigebertus.* l. 22. *Alexander* Lucenſis. l. ult c. adverſus Romam *Latium commoveret.* p. 133. l. 19. *libertati* donavit. l. 23. Adelborc. p. 134. l. 23. *Herſendis.* l. 24. *Balduini.* p. 135. l. 5. poſt thronum, inſ. *frequentibus conciliis.* l. 11. *venientes à* l. 14. c. extraxerant. l. 19. *Arroaſi.* l. 21. *inſtituti.* l. 22. Rex *Anſul.* l. ult. poſt Angliæ, inſ. *Robertus.* p. 137. l. 10. c. alleviaſſet. l. 17. corr. conveniunt. p. 138. l. 25. c. paulatim *irrepit.* l. 28. poſt reſilirent, inſ. *& mox priſtino modo reſiderent.* p. 139. l. 6. c. & Hoji in Eccleſia l. 11. poſt donatus eſt, inſ. ei Epiſcopatus ſub illius temporis ſtatu. l. 24. c. effugarunt. p. 141. l. 12. *Herlvini.* l. 24. c. diſcidii. p. 142. l. 3. *Sparnatum* l. 14. poſt, ad dominum papam, inſ. *& principes occidentis confidenter regreditur, & legationem ejus fideliter exequitur & prudenter: Veniens igitur ad dominum papam:* l. 21. c. plebi. p. 143. l. 5 poſt, Cœnomanenſium Epiſcopo, inſ. *conquerens ſuper hoc quod non potuit intereſſe tranſlationi S. Juliani quæ facta eſt hoc anno; item ſcribit Hugoni Lugdunenſi Epiſcopo.* l. 6. poſt, legatum, inſ. *conſtituere.* l. 11. c. Ciceſtrenſem. l. ult. c. earum motus. p. 145. l. 5. poſt ita Rex, inſ. *Philippus.* l. 6. cum *ipſe* omnibus. l. 13. poſt, ſecundum, inſ. *ut.* l. 27. poſt, occidente ſole, inſ. *omni tempore usque ad ſecundam feriam oriente ſole.* p. 146. l. 12. ſequitur *Guido.* p. 147. l. 2. *tam remota* tam abdita. l. 9. poſt, relictis, inſ. *ire.* p. 148. l. 15. poſt nolentes, inſ. *bonis.* l. 29. *Ribodi.* p. 149. l. 26. c. *poſt* ante Nichæam. p. 152. l. 1. *Palagoniam.* p. 153. l. 2. poſt corrigatur, inſ. *Baloricus* l. 7. *apud* Serram. l. 17. *exacto* maris *dracho.* p. 155. l. 1. poſt, hanc, inſ. *& univerſas.* l. 4. poſt, tertius, inſ. *maximus.* l. 30. c. graviter arctatur exercitus Boemundi, l. 31. c. oppreſſis. l. ult.

poſt,

Digitized by Google

poſt, ejus exercitus, inſ. *noſtri ſpolia reportant inſignia, & rediguntur in unum. Balericus hunc locum ita tangit; de Nicea noſter exercitus &c.* l. 156. l. 24. c. Dux Godefridus. p. 157. l. 23. poſt interficiunt., inſ. *univerſos.* p. 158. l. 7. de *Roaſa.* p. 160. l. 22. poſt, Antiochiam & Harach (*Harech*) inſ. *capti ex eis ſunt XII. nobiliſſimi ab illis de Harech.* p. 161. l. 8 octo *puratis.* l. 21. *aſſatis* quibusdam. l. 29. *Abana.* p. 162. l. 7. poſt, captorum, inſ. *Robertus.* p. 163. l. 5. c. innumerabili. p. 164. l. penult. de *Barnavilla.* p. 165. l. 1. poſt, perpetuo, inſ. *Vir.* l. 21. *toleraverunt.* l. 24. *Ginameſuil.* l. 25. *Turcellus.* p. 166. l. 3. Græcorum & *Gallorum.* l. 5. c. tactus. p. 167. l. 23. poſt, de manu, inſ. *in manum.* p. 169. l. 19. de *Benienſi* p. 170. l. 8. *Aliud* fuit. l. 11. *Calamannia.* l. 23. *Baldas. Eſt enim.* l. ult *hoc* ibi. p. 171. l. 23. elegantiam *Virorum.* p. 172. l. 25. c. Hoc anno ordo. p. 173. l. 26. poſt, Mariæ fecerunt, inſ. *Ibi venerunt nuncii duorum Regum ad eos, videlicet Regis Ramele & Regis Tripolis, cujus dona refutaverunt.* l. 29. *Maraclea.* p. 174. c. Anſelmus. p. 175. l. 28. poſt Chriſtiani, inſ. *ea obſeſſa.* l. 29. poſt, penuria, inſ. *omnes.* l. 29. poſt, orando, inſ. *urbem.* p. 176. l. 18. c. porta reſeratur. p. 177. l. 28. poſt, lampadibus, inſ. *repente.* p. 183. l. 3. c. fuit potitus. l. 14. c. memoriale. p. 185. l. 4. *ſive* remiſſus. p. 187. l. 4. *Tirianus.* ibid. poſt liberalitate, inſ. *Regis.* l. 10. poſt intento, inſ. alterum. l. 14. c. accurrit. p. 188. l. 3. poſt permiſit, inſ. *Sacros honores ſui juris eſſe diſſitabat. Eo die quo mortuus eſt tres* Epiſcopatus & duodecim Abbatias *vacantes &c.* p. 189. l. 7. poſt, abſconderant, inſ. *Guido.* pag. 189. l. 26. poſt, Burgenſibus inſ. *Hojenſibus.* ibid. c. natale ſolum. l. 27. poſt, ſalute, inſ. *fere.* p. 191. l. 18. *tendebant.* p. 193. l. 16. poſt, meliorandæ, inſ. *Reipublicæ, & reſtauranda.* p. 194. l. 17. nefarii *conatus.* p. 195. l. 26. poſt ſibi, inſ. *invicem.* l. 27. *Borce.* p. 196. l. ult. c. directæ. p. 197. l. 3. c. Sanctæ Eccleſiæ. p. 198. l. penult. c. anno. p. 199. l. 3. c. diſcernimus. l. 29. *clariſſime.* p. 200. l. 2. *clariſſime.* p. 200. l. 5. poſt miſerias, inſ. *meas.* l. 11. *ſalvationis animarum oriebatur.* p. 201. l. 2. c. penſi quidquam. l. 7. *evocavit.* l. 28. c. illorſum ibam. l. 30. *perditum.* p. 202. l. 6. *civitatem ſuam.* l. 15. poſt, tribulationibus, inſ. *meis.* l. 20. poſt, Caſtello, inſ. *clauſit.* ibid. *quia* omnia in *corde & cade* erat locutus. p. 203. l. 12. c. *egrediens.* l. 19. regalia *exfeſtucare.* l. 20. poſt, fieri poſſe, inſ. *Tum ego, quia inquam de ſola vita agitur, qua nihil pretioſius habeo, ut ſaltem vivens pœnitentiam exhibeam Deo, quidquid imperatis, ecce facio.* p. 204. l. 4. *ibi* totum. l. penult. *Wiſatum.* p. 205. l. 3. poſt, Varciniæ, inſ. *comitatus matre ſua adhuc vivente.* l. 5. c. de die. l. 16. poſt, Author, inſ. *Sepultus.* p. 206. l. 11. poſt Tyrum, inſ. *maritimam.* l. 13. c. Macedone. l. 15. *Scandalium.* l. 16. poſt, Alexandrum, inſ. *Sigebertus: Henricus* Exdux &c. l. 17. c. Godefridum. l. 22. poſt honoratiores, inſ. *eorum.* l. ult. *Tenet hebrai.* p. 205. l. 25. poſt, CPlitanum, inſ. *Alexium.* p. 208. l. 21. *Boſan.* l. 27. poſt natus eſt, inſ. *etiam.* p. 209. l. 16. *Berno.* p. 210. l. 2. c. religioſis. p. 211. l. 15. *Heſcelinam.* ibid. poſt de Nul-

Digitized by Google

lejo (*Mullejo*) inſ. *quam quidam nobilis de Acromonte duxit Guido nomine, Fulconis filius de Sarcellis*, & *genuit Werricum, patrem Galteri de Mullejo.* l. 16. *Beſcelinis* l. 18. *Holdoinum.* l. 19. *Eſmanciis.* ibid. *Columbejo.* l. 27. *Vaslerum.* p. 212. l. 24. c. reſidens. p. 213. l. 3. *expugnavit.* l. penult. poſt, Marchias, inſ. *Comitatus.* p. 214. l. 1. c. quæ l. 3. corr. *privilegio.* p. 215. l. 7. c. damnatis eruendis. l. 8. poſt, Sacrilegiis, inſ. *incendiis.* l. 9. poſt, neve Miniſtri, inſ. *Altaris fiant miniſtri.* l. 13. poſt, anathemate, inſ. *ne quisquam Imperatorum invadat ad regnum.* p. 216. l. 21. poſt, peſtiferum hoſtem, *poſtea factum Archiepiſcopum.* p. 217. l. 5. c. obedientiam. p. 219. l. 7. poſt, extra, inſ. *noſtram.* l. 17. poſt, congemimus, inſ. *& cætera.* p. 220. l. ult. *ita* interfectum. p. 221. l. 26. c. clauſum. p. 222. l. 25. poſt, interceptus, inſ. *mille quingentis ſuorum interfectis.* p. 223. l. penult. lege: ex Mſ. uſque ad tria millia & quingentas habebat capellos, præter grangias ſine capellis. p. 224. l. 9. qui etiam. l. 11. poſt, Barri, inſ. *Rainaldo.* l. 24. poſt filiam, inſ. *Henrici.* p. 225. l. 17. poſt, A. 1115. inſ. *Elinandus.* l. penult. c. quid ſit verius. p. 227. l. 27. *de Arſloth.* p. 229. l. 26. partes *diſcidit.* l. 29. c. rupta. l. 30. poſt, civitatis, inſ. *penitus oppreſſam* p. 230. l. 22. *extimuerint.* p. 231. l. 4. *natum eſt.* l. 22. poſt, minis, inſ. *modo blanditiis, modo vi.* p. 233. l. 27. *Jerenſi.* l. 29. ita lege, Hugo Campus Avenæ, Comes ſancti Pauli, & ipſe erant contra Carolum, ſed Carolus Hugonem vicit, & Galtherum, &c. p. 234. l. 3. *Dikemuam, Bragium.* p. 235. l. 22. poſt, Compoſtellanenſi, inſ. *Archiepiſcopo.* p. 236. l. 17. poſt, paſſus eſt, inſ. *tali ſcilicet die & hora, qua Chriſtus paſſus eſt.* l. 20. poſt innotuit, inſ. *quod & Alexander Papa faciendum innotuit.* l. 26. *Hyrie.* p. 237. l. 7. *Hyria.* l. 29. poſt, mirabilem, inſ. *Dominum.* p. 238. l. 25. *Marvelli.* p. 239. l. 2. *Everardus,* p. 240. l. 13. *ſunt*, abeſt in Ms. p. 241. l. 17. poſt Lambertus, inſ. *Oſtienſis.* p. 242. l. 8. poſt, canonicam fieri, inſ. *electionem & liberam fieri.* l. 11. poſt Romanæ, inſ. *Eccleſia.* l. 12. poſſeſſiones *etiam.* l. 27. c. ut ſi qua p. 243. l. 6. poſt, ſibi ſoli, inſ. *Imperatori.* p. 244. l. 13. poſt, corpus, inſ. *plenum, integrum, &.* l. 18. cum *Sacro* corpore. l. 19. *juxta* altare. l. 21. poſt, patriarcha, inſ. *in aurea patina.* p. 248. l. 12. poſt, Cananea, inſ. *obviam Domino.* p. 249. l. 2. In *Hasbania.* l. 6. *Nederiſca.* l. 27. *remoratus eſt.* p. 252. l. 3. *Ardinaacha.* l. 5. Ms. legit abolere deteſtabilem conſuetudinem, quæ inoleverat per hæreditariam ſucceſſionem. l. 11. c. ipſorum. l. 28. *Burgenſis.* p. 253. l. 3. *redundare videbatur calumnia.* p. 254. l. 11. poſt, Flandrenſium, inſ. *nobilium.* p. 255. l. 17. *ſentiebant.* l. 20. *deportatur.* l. 25. *patrem* defunctum. l. 28. poſt, obiit, inſ. *Anſelmus.* p. 256. l. 19. c. ovium. l. ult. Spiram *cingit.* p. 257. l. 1. fratre *Friderico.* l. 14. poſt fuerat, inſ. *aſſumptus.* l. 22. c. ſub extenſa. l. 26. c. invadit. p. 258. l. 13. poſt cœlitus, inſ. *copioſas.* p. 259. l. 15. *miſertum iri.* l. ult. Apud *Laniacum.* p. 260. l. 5. poſt, natum, inſ. *labia, mentum.* p. 261. l. 3. poſt Eccleſiam inſ. *vadit, tota civitas perſequitur. Ad Eccleſiam &c.* l. 9. *Fimtanas.* l. 24. *ſubſtolare* p. 262. l. 12. c. vel ubi inedicibili, p. 263. l. 1. quidam *Dromus*

mus Abbas. l. 20. *Naimerus* Podienſis. p. 265. l. 13. *Frater* illius Fulconis. p. 267. l. 3. c. fornacula. p. 268. l. 6. poſt, repleviſſent, inſ. & *abyſſi magna voraginem falſo littori coæquaſſent*; l. 14. c. non tamen uterinus. l. 20. feudum de *Haus*. p. 269. l. 9. Eccleſiæ *invitavit*. p. 270. l. 9. idus *Martii*. p. 272. l. 18. c. per *proditionem*. l. 20. poſt pontificatus, inſ. *Anſelmus*. l. 21. *Maliumenſis* Eccleſiæ. p. 273. l. ult. poſt, munera ſuſcepit, inſ. *cum regnaſſet Henricus aliquanto tempore in Dacia, qui fratrem ſuum Canutum indicavit, moritur, filio ex ancilla Sverone relicto*. p. 274. l. 4. c. Hericum. l. 5. poſt, Daciæ, inſ. *regem*. p. 275. l. 4. poſt, poſſumus, inſ. *non imitari*. p. 276. l. 25. poſt, Dei cultum, inſ. *& Scripturarum exercitium*. p. 277. l. 5. c. quod eſt contiguum. l. 26. *Gariſtallium*. ibid. poſt, Cremonenſes, inſ. *diuturnum bellum inter ſe habentes obvios habuit, diſcuſſaque utriusque urbis cauſa Cremonenſes*. p. 278. l. 22. Idæ *uxoris* ſuæ. l. 28. *Stephanus* abeſt in Mſ. p. 281. l. 18. poſt, Epiſcopus, inſ. *& Abbas Fuldenſis Arnulfus*. p. 282. l. penult. *Paſtore* carebat. p. 284. l. 20. *totiſq; orbi*. p. 285. l. 6. qui *parti Petri* Leonis faverent. p. 286. l. penult. poſt, Homo manſuetus, inſ. *& pius, ſed impii Homines ejus*. p. 288. l. 3. ejus *Inſolentiam*. l. 29. poſt, exegit, inſ. *oppidanos ſuæ Fidelitati aſtrinxit*. p. 289. l. 2. poſt, Interpretationem, inſ. *verborum textus eorum, nec Diviſionem*. p. 290. l. 4. *Vergeſcelaus*. l. 6. *Verſtellaviæ*. ibid. Rikiſſam, & ſic deinceps. p. 294. c. ibi duo. p. 296. l. 17. *Abaelardus*. p. 298. l. 4. *indefeſſo furore*. l. 17. poſt, affiliando, Mſ. inſ. *id eſt in Filium adoptando*. l. 19. poſt, Anglorum, inſ. *Henrici*. p. 299. l. 20. c. Manuel. p. 302. l. 12. poſt, Chriſtiani abſtulerant inſ. *& qua inculta erant*. p. 303. l. 7. poſt, ſucceſſit, inſ. *unde ſcribitur*. l. 22. poſt, volens, inſ. *ſenatoribus*. p. 306. l. 20. ſub ſe *habentem*. p. 308. l. 10. *expugnaverit*. p. 311. l. 14. poſt, timore, inſ. *terribilis eſt enim Locus iſte in quo poſitus eſt. Time ergo* &c. l. 27. poſt, retia ſua, inſ. *non in capturam Auri & Argenti ſed* in capturam &c. l. 29. Mſ. legit: *ad cujus terrorem confundantur & convertantur*. p. 312. l. 19. Doctrina ejus *utraqve*. l. 28. poſt mortuorum, inſ. *quia alii ad vitam alii ad mortem perpetuam reſurgent. Auctoritatibus multis ex ratione probari poteſt Reſurrectio mortuorum*. p. 313. l. 10. poſt, incipiens, inſ. *Guillelmus*. p. 314. l. 12 *Poſtro*. l. 14. *Poſtrum*. l. 26. *qvem contra victoriosa* &c. l. 28. Seſſor *ignotus*. p. 316. l. 1. legit Mſ. *Vir venerabilis Albericus, & Carnodenſis Epiſcopus Gaufridus vir religioſus*. p. 317. l. 7. *ſed Eliam*. p. 318. l. 1. poſt, Henrico, inſ. *hæretico*. l. 5. *Hacco*. l. 25. poſt, quippe veritas, inſ. *unius Dei imò una veritas*. p. 319 l. 1. gloſſaturam *continuam*: l. penult. poſt, parte, inſ. *ventum fuiſſet*. p. 320. l. 1. Hic *adnotandum* eſt. l. 8. poſt, dicuntur, Mſ. legit, qui Froje pain dicuntur, *Sorores* fuerunt ſuperioris Archi-Epiſcopi Colonienſis. l. 14. poſt, Gyzza, inſ. *vel jecha*. l. 18. *Bernardus pro eo miſſam &c.* l. penult. c. *Contentio*. p. 321. l. 14. poſt nomine, inſ. *in Regem*. l. 16. *Norembergæ*. l. 17. c. à partibus. p. 322. l. 20. *Æleidem*. p. 323.

p. 323. l. 11. centum *sexaginta*. l. 14. ei *miserant*. l. 18. c. verba. l. 27. c. id est sciens *viam*. p. 324. l. 24. c. collatione præsentium tota præcedens amaritudo. l. 27. summi *Romani* pontificis. l. penult. natali solo. p. 325. l. 15. post substantive, inf. *summus Pontifex*. l. 40. lege, primaria activorum, via martyrum &c. p. 327. l. 7. post Imperatore, inf. *Roma*. p. 328. l. 13 post, omne bonum, inf. *appellatur*. p. 330. l. 25. *Harenc*. p. 335. l. 22. post seditiones, inf. *inimicus*. l. 30. post, lingones, inf. *post Godefridum*. p. 339. l. 22. post, contentio quievit, inf. *& pax plena inter eos convenit:* l. 30. c. & posita. p. 340. l. 1. post, corpora, inf. *Constantinopolim*. l. penult. c. pretiosis gestorum titulis. p. 341. l. 2. *gloriosis* protomartyris. p. 344. l. 13. Aleidem *Comitissam* Blesensem. p. 345. l. 20. c. cum idem dux. p. 346. l. 6. c. apparuisset. l. 19. c. Florentium. l. penult. in *Sclavia*. p. 348. l. 20. post, ad me, inf. dicens. l. 23. post, coronaverunt, inf. *Andronicus huc audito in palatio munito se recipit. Totius populi consilio fultus & auxilio adest Isaacus, palatium armatus irrumpit, Andronicus arcum semel, & secundo arcum tetendit, semper tamen chordam ruptam non sine admiratione attendit. Victum se fatetur, per naves aufugit. Mittuntur illico post eum qui invitum reducunt. Guido. &c.* p. 349. l. 26. post occasione, inf. *prædicti Episcopi Leodiensis & occasione* p. 350. l. 2. de *Waleben*. l. 10. *Homborc*. p. 351. l. 3. Sybiliam. l. 4. post Grandiprato, inf. *de qua Sybilia fuerunt duæ filiæ Isabella, & Flandrina, de Isabella dictum est supra in anno 1117*. l. 22. *Guithero*. l. penult. *de Wasnore*. p. 352. l. 12. soror Comitis *Rocheri*. l. 14. de *stirpetio*. l. 26. vocatus fuit *Hugo*. l. 28. de *Caseblo*. l. penult. c. fuit in monte. p. 353. l. 15. *Walecourt*. p. 354. l. 3. qui dicitur *panerisis*. l. 13. c. vocabulo alludamus. p. 355. l. 14. *& quidam* Hugo. p. 356. l. 1. *pro jure & libertate*. l. 21. *Hoilanda*. p. 357. l. 1. per os *mulieris*. p. 359. l. 22. post Walfarius, inf. *& Gaufridus*. l. ult. & *contra hæreticos &* contra Coterellos. p. 360. l. 14. post, vigesimo anno, inf. *mense Martio, indictione XII. quinto die mensis præsidente eodem summo pontifice venerabili*. l. 28. forte legendum, penna mendacii decoloret. l. 29. *modis*, abest in Ms. p. 368. l. 6. post interfeciſſet, inf. *ut dicitur*. l. 18. *Campellus*. p. 369. l. 4. ita lege.: Conanus prædictus fuit de genere Alani & idem Alanus fuit de antiquo genere. l. 17. post, à Rege, inf. *Hierosolymorum*. p. 371. l. 8. videntur *plurimi*. l. 22. c. cohortibus. p. 375. l. 14. *in Ecclesia*, inf. *Sancti Martini posuit in Ecclesia S. Pauli in Insula & illos de Ecclesia*. p. 375. l. 3. quæ vocatur *Bangor*. l. 13. *Landanensis & Menaviensis*. l. 26. *Buzanzamen*. p. 379. l. 1. c. causa meliore. l. 28. c. Parisiensium.

(o)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google